




MARTINI
BONACINÆ,
MEDIOLANENSIS,
S. THEOLOGIÆ, ET I. V. D.

Comitis Palatini, & vtriusque signaturæ
Referendarij Apostolici,

*Operum omnium de Morali Theologia, quæ tribus
Tomis continentur,*

Compendium absolutissimum,

OMNIBVS CVRAM ANIMARVM
gerentibus apprimè vtile,

NVNC PRIMVM PRODIT IN LVCEM,

Auctore IOANNE DE LA VAL BELGA
S. Theologiæ Doctore.



LVGDVNI,
Sumptibus IACOBI CARDON.

M. DC. XXXIV.

CVM PRIVILEGIO.

Patru' Camaldulen' Eremi Insulae
Wygren' empty a Conventu Craco=
uiensi R.P. Praedicatoru'
Aº 1687 et Cathalogo inscript'
huius Eremi Aº 1688.



AVCTOR CANDIDO LECTORI S. P. D.



LORIFERIS vt apes in ſaltibus omnia libant, omnia nos itidem ex vniuerſa BONACINÆ morali Theologia excerpſimus planè aurea pronuntiata, & in vnum veluti alueolum congeſſimus, vnde tibi (Candide Lector) pura, putáque mella, è ſuis fauis exempta propinamus. In duos quidem priores eiuſdem auctoris Tomos, geminum vidi Compendium, alterum Riccij, Goffardi alterum, non eo ſanè conſilio vt eorum veſtigiis inſiſterem, ſed vt

quæ vtrique deeſſent, ſupplerem. Nam dum breuitati ſtudent, vtriuſque accuratam alioquin diligentiam multa fugerunt ſcitu digniſſima, omnibúſque fori interni iudicibus apprimè neceſſaria, quæ hîc pertractata inuenies ea perſpicuitate quam Compēdij anguſtiæ patiuntur, additis vbique præcipuarum rationum momentis, ne quid temerè dici, aut gratis affirmari videatur. Denique ne quid ad perfectionem Operis deſiderari poſſet, meram tertij Tomi (qui eſt *De Cenſuris* ſingillatim) medullam delibaui, & in vnum corpus compegi. Hoc igitur quidquid eſt opellæ, mi Lector, boni conſule, & fruere. Vale.

APPROBATIO.

NOs infrà scripti S. Theologiæ Doctores, fidem facimus, perlectum à nobis librum qui inscribitur, *Compendium operum omnium de morali Theologia* MARTINI BONACINÆ; omniaque in eo fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ consentanea reperta. Lugduni, 25. Aprilis, 1634.

Fr. CLAVDIVS COCHET,
Ord. Prædic.

Fr. STEPHANVS MOLIN,
Carmelita.

R. D. D. *Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: liber, qui inscribitur, *Compendium operum omnium de morali Theologia* MARTINI BONACINÆ; vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni, die 25. Aprilis, 1634.

MESCHATIN LA FAYE.

SERIES



SERIES TITVLORVM, SEV INDEX SVMMARIVS huius Operis.

A

B

C

Decreta

Inne

I

Incen

P

S

Sumptus

Quis

V



CO

O

QV



nem quoa



COMPENDIVM OPERVM OMNIVM D. MARTINI BONACINÆ Mediol. S. Theolog. I. V. D. &c.

QVÆ TRIBVS TOMIS de Morali Theologia continentur.

A.

ABORTVS.

Abortum procurantes.

1. 

SIxtvs V. in constitut. 87. quæ incipit, *Effrenatam*, pœnam excommunicationis infert iis qui abortum fœtus animati, vel etiam inanimati scienter procurant, aut consilio, fauore, auxilio, potione, &c. ad illum cooperantur. Sed Gregorius XIV. sustulit reseruationem, & excommunicationem quoad fœtum non animatum. *disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 10. *tom.* 3.

Quapropter abortus fœtus inanimati hoc tempore sub excommunicationem non cadit. *pag.*164. *num.*2. nisi Mediolani,& in quibusdam aliis diœcesibus. *num.*3.*tom.*3.

2. Hæc excommunicatio non incurritur, nisi abortus fœtus animati re ipsa sequutus fuerit: quia Sixtus V. in sua Bulla effectum requirit. *num.*6

3. Ignorantia etiam vincibilis,crassa, & supina iuris vel facti, modò non sit cum ingenti temeritate coniuncta, ab hac censura excusat. *num.*10.*tom.*3.

4. Qui poculum sterilitatis viro, vel fœminæ ante conceptionem fœtus propinat, hanc excommunicationem non incurrit Idem dicendum de viro qui in actu coniugali se retrahit à seminis emissione intra vas, vt generationem impediat: aliud enim est procurare abortum, aliud impedire conceptionem. *ibid.num.* 14. *tom.*3.

5. Præter excommunicationem, Sixtus V. clericos huius delicti reos mulctat amissione priuilegiorum clericalium, dignitatum,beneficiorum, & inhabilitate ad ea suscipienda,præterea illos brachio sæculari tradendos decernit;quæ pœna non est à Gregor. XIV. reuocata. *ibid.*

6. Ab hac censura potest absoluere quilibet qui facultatem habeat absoluendi ab omnibus censuris,& excommunicationibus Episcopo reseruatis. *ibid.num.*15.*tom.*3.

Absolutio à censuris.

1. IN cap. *absolutionis, de his,quæ vi, metúsve causa fiunt,in* 6.fertur excommunicatio contra eos qui absolutionem vel reuocationem alicuius censuræ per vim aut metum extorquent; modò tamen metus sit grauis, & cadens in constantem virum; ius enim loquitur de illo metu qui facit inuoluntarium,& absolutionem irritam reddit. *disp.*2. *quæst.*2. *punct.*15. *pag.*166. *tom.*3.

2. Hinc sequitur eum qui absolutionem excommunicationis per vim, aut metum extorsit, duplici censura obstrictum manere; priore scilicet, qua iam erat obstrictus; & posteriore quam contraxit extorquendo absolutionem prioris. *ibidem, pag.* 167.*n.*8.

3. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Absolutus in Censuram reincidens.

4. In cap. *eos qui,de sentent.excommun.* habetur,absolutum à cen

à censura in articulo mortis, aut propter impedimentum, ab eo à quo alioquin absolui non poterat, in eandem censuram reincidere ipso iure, si sublato mortis periculo vel impedimento contemnat præsentare se illi à quo extra mortis periculum, aut legitimum impedimentum erat absoluendus. *disput.2.quæst.3. punct.23.pag.229.num.1.tom.3.*

5. Item absolutus à Papa, vel eius Legato, cum hoc onere vt præsentet se Ordinario, vel alteri ad pœnitentiam ab ipso suscipiendam, & vt satisfaciat parti læsæ, si hoc non impleat cùm primum commodè poterit, in eandem censuram reincidit. *ibid.* Potest autem hic per procuratorem se præsentare Episcopo, vel alteri, nisi ei mandatum sit vt personalitér compareat. *ibid.n.7.tom.3.*

6. Qui ab Episcopo, vel eius Vicario absolutionem excommunicationis ipsi reseruatæ obtinuit sub conditione, & onere satisfaciendi parti læsæ, non reincidit in eandem excommunicationem, etiamsi data opportunitate nolit satisfacere; quia cùm versemur in materia pœnali, non est facienda extensio vltra sensum verborum. Summus autem Pontifex in præcitato cap. onus reincidendi imponit iis tantùm, qui à Sede Apostolica fuerint absoluti. *ibid.n.9.tom.3.*

Absolutio à censuris Bullæ Cœnæ.

1. SOlus Summus Pontifex auctoritate ordinaria potest ab excommunicationibus in hac Bulla contentis vel per se, vel per alium absoluere; sunt enim Summo Pontif. reseruatæ. Neque potest Episcopus in sua diœcesi à casibus Bullæ etiam occultis hoc tempore absoluere: quia decretum Conc. Trid. quoad hoc est per Bullam reuocatum. Ne ipsi quidem Legato à latere conceditur ius ab his censuris absoluendi: quia eius facultas non se porrigit ad ea quæ excipiuntur, & soli Summo Pontifici reseruantur. Probabile tamen est, Inquisitores posse in delictis occultis absoluere in foro conscientiæ ab excommunicatione ob hæresim; præuia tamen hæresis abiuratione, seu promissione non relabendi: sic enim constitutione Clem. VIII. concessum est. Et possunt hanc facultatem alteri delegare; quia est ordinaria, vt pote quæ illis ex officio competit, nisi extet aliqua peculiaris prohibitio Summi Pontificis, aut nisi aliud sit vsu receptum. *disp. 1. quæst. 22. punct 2.pag.143. tom.3.*

2. Ille potest à censuris Bullæ absoluere qui priuilegium,

& facultatem ab illis absoluendi à Summo Pontif. obtinuit: legislator enim potest legem suam soluere, & facultatem in ea dispensandi alteri delegare. Debet autem hoc priuilegium ea forma concedi, vt contineat clausulam derogatoriam Bullæ, seu expressam, & indiuidualem casuum huius Bullæ mentionem: priuilegium enim, seu facultas absoluendi ab omnibus censuris in genere non sufficit, cùm eiusmodi priuilegia in Bulla reuocentur: Porrò hoc priuilegium absoluendi ab omnibus casibus etiam in Bulla Cœnæ contentis non videtur extendendum ad excommunicationem ob hæresim quæ Summo Pontif. specialiter reseruatur. *Ibid. pag.* 144. *tom.* 3.

3. Quilibet Sacerdos etiam censuris irretitus, aut degradatus potest in articulo mortis absolutionem ab excommunicationibus Bullæ impendere: tum quia hic casus in Bulla excipitur, tum quia in articulo mortis cessat omnis reseruatio. Idem dicendum de proximo mortis periculo quod imminet vel ob futurum conflictum, vel ob incendium, vel ob Iudicis sententiam, vel ob partum proximum quandò mulier vel nunquam peperit vel cum vitæ discrimine peperit, vel ob periculosam nauigationem, &c. Tamen damnati ad triremes in his non numerantur, quia non dicuntur in proximo mortis periculo versari nisi grauis tempestas ingruat. Hanc autem facultatem absoluendi in articulo mortis, posset quidem Summus Pontif. si vellet, simplicibus sacerdotibus adimere, cùm sit delegata, sed grauiter peccaret. *Ibid. tom.* 3.

4. Sacerdotes qui non sunt Episcopi, immò ipsi Episcopi (vt probabilior fert sententia) etiamsi alioquin priuilegium haberent absoluendi ab excommunicationibus Bullæ, non possunt hoc tempore ab illis absoluere eos qui detinentur impedimento quo minus Romam ad Summum Pontif. adire possint: quia in Bulla reuocantur omnes facultates, & indulta concessa, vel concedenda in genere, vel in specie, & conceditur tantummodo facultas absoluendi in articulo mortis, ergo nemini licet absoluere à casibus Bullæ eum qui laborat tantùm legitimo impedimento. Probabilis tamen est sententia asserens Episcopum aut eius Vicarium posse absoluere habentem legitimum impedimentum, vrgente graui necessitate celebrandi seu communicandi; seruata tamen magna circumspectione, & iniuncto onere pœnitenti præsentandi se Summo Pontifici cùm primùm poterit. *Ibid. pag.* 145. 146. *tom.* 3.

5. Qui in articulo mortis, aut tempore necessitatis, aut legiti

legitimi impedimenti absoluitur ab excommunicatione bullæ ab alio quam à Rom. Ponontifice, tenetur iurare se accessurum ad Summum Pontif. seu ad eum ad quem extra talem casum pertinet absolutio, séque eius mandatis pariturum. Si autem sublato mortis periculo,& cessante impedimento, Papam seu alium superiorem à quo possit absolui non adeat, in excommunicationem reincidit: si verò obligatur ad restitutionem pecuniariam, tenetur dare cautionem pignoratitiam vel fideiussoriam confessario illam exigenti. *ibid. pag.* 146. *tom.*3.

6. Absoluendus ab excommunicatione contracta ob delictum in Bulla prohibitum, verum propositum habere debet similia in posterum non committendi. Qui autem statuta, ordinationes, vel decreta contra libertatem Ecclesiasticam fecit, non solùm propositum habere debet similia non committendi, verùm etiam prædictas ordinationes, seu decreta debet reuocare, & de archiuiis seu capitularibus locis aut libris, in quibus annotata reperiuntur, delere, & summum Pontif. de hac reuocatione certiorem facere,alioqui absolutio non valet. *ibid. punct.*4.*pag.*148.149. *tom.*3.

7. Quilibet absoluere præsumens ab excommunicationibus bullæ sine debita facultate, excommunicationem 21. incurrit, nec ab ea eximuntur Episcopi, aliiue Prælati; ille autem dicitur præsumere qui absoluit sciens se non posse absoluere: quare ab hac censura excusantur qui ex inaduertentia, obliuione, ignorantia etiam crassa, & supina (quæ tamen à pecato non excusat) denique ex metu graui absolutionem impendunt;hi quippe non censentur præsumere. Qui tamen absoluere præsumeret à peccatis, non autem ab excommunicationibus Bullæ, peccaret ille quidem grauissimè; non tamen incurreret excommunicationem, quia videtur solùm lata contra præsumentes absoluere à censuris. Porrò hæc excommunicatio quam contrahit præsumens absoluere à censuris Bullæ, non est Summo Pontifici reseruata; quia ponitur in Bulla post reseruationem factam in pæcedenti §. ergò illa reseruatio non extenditur ad hunc casum subsequentem, de cuius reseruatione in Bulla nulla fit mentio. *ibid. punct.* 3.*pag.*146.147.*tom.*3.

Acedia.

1. ACedia est tristitia,seu tædium rerum spiritualium,vtsi quem tædeat pœnitétiam agere, ex quadam pœniten-

tiæ nauſea, aut ſi conciones, orationem, &c faſtidiat, ob difficultatem adiunctam; ex illo autem tædio naſcitur incuria actionum piarum, & ſalutarium. *tom.2.pag.*174.*num.*1.

2. Acedia eſt peccatum, ex ſuo genere, mortale, oppoſitum charitati; & vitium *capitale* nuncupatur. Tamen ob leuitatem materiæ, & indeliberationem, fieri poteſt veniale. Dicitur autem *capitale*, quia ex illo tanquam capite oritur odium rerum ſpiritualium, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor, & euagatio mentis. *ibid.num.*2.3.*&* 5.

3. Non omnis acedia directè opponitur charitati: nam ſi quis triſtetur de ieiunio ex affectu gulæ, videtur directè peccare contra temperantiam, &c. peccata enim dicuntur illi virtuti opponi cuius perfectione priuant. *ibid.n.*4.

Adiuratio.

1. ADiuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, cuius reuerentia intendimus alterum promouere ad aliquid præſtandum. Eſtque duplex, *deprecatiua*, quæ fit deprecando, & *imperatiua*, quæ fit præcipiendo, & timorem incutiendo per conteſtationem rerum ſacrarum, & ea vtimur erga ſubditos. *tom.*2.*pag.* 230.*num.*1.

2. Dæmones non adiurantur adiuratione deprecatiua, quia hæc fieri nequit ſine ſubiectione, & ſocietate quæ cum dæmone infenſiſſimo humani generis hoſte prorſus eſt illicita; ſed adiurantur adiuratione imperatiua: deprecatiua autem vtimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines. *ibid.n.*2.

3. Sola rationalis creatura congruenter adiurari poteſt: quia ſola poteſt, reuerentiâ rerum ſacrarum, & amore vel timorê Dei compelli ad aliquid agendum. Irrationales autem creaturas adiurare, directo ſermone ad ipſas, ex ſuo genere eſt peccatum mort. propter irreuerentiam quæ committitur contra exorciſmos Eccleſiæ, qui vanè adhibentur: Tamen vt plurimum eſt tantùm peccatum veniale, ratione bonæ fidei, & leuitatis materiæ. *ibid.n.*3. *&* 4.

4. Non licet adiurare dæmones vt opem ferant ad fugandas grandines, & alia id genus: quia non licet beneficium à dæmone expectare, & cum eo ſocietatem habere. *ibid. numer.*5.

5. Qui adiuratur, non obligatur præſtare id quod ab eo petitur niſi ſit inferior, & imperatiuè adiuretur à ſuperiore. *ibid.num.*6.

6. Facu

6. Facultas adiurandi dæmones, eósque expellendi solis competit clericis habentibus ordinem exorcistarum, quoties adiuratio fit iuxta publicam formam ab Ecclesia præscriptam, & iuxta ritum exorcismorum. Alia tamen ratione aliquando licet vnicuique dæmonem adiurare, vt dum quis tentatione vexatur; potest enim ei præcipere per Deum, & Sanctos vt recedat. *ibid.n.7.*

7. A dæmone humanum corpus obsidente, ea solùm peti possunt quæ spectant ad aliorum vtilitatem, vel ad ipsum expellendum; hæc enim non dicitur societas cum dæmone, sed potius recessus ab ipso, vt fugetur, & hostiliter tractetur. Tamen qui ex leuitate, aut curiositate aliquid imperatiuè, & non deprecatiuè petit à dæmone humanum corpus obsidente, non peccat mortaliter, modò non adhibeantur longi sermones, & nugatorij, neque id fiat causa addiscendi aliquid à dæmone, neque sit periculum detegendi occultum alicuius peccatum, neque certa fides illi præstetur. *ibid.n.8.& 9.*

8. Adiuratio differt à iuramento, quòd in iuramento adducitur Deus in testem; in adiuratione verò adducitur Deus, seu res sacra, vt eius amore, vel timore res petita obtineatur. *tom.2.pag.231.n.11.*

9. In adiuratione, defectu iudicij, committitur culpa venialis, quoties sine debita reuerentia, & necessitate adiuratur Deus; aut Sancti: defectu iustitiæ committitur peccatum, quando Deus adiuratur ad rem illicitam; & hoc peccatum est graue, aut leue pro qualitate rei obtinendæ: defectu veritatis committi potest peccatum idololatriæ, quando falsus Deus adiuratur, vt Iupiter, Mars, &c. nam falsò Deo tribuitur honor veri Dei. *ibid.n.12.*

10. Si adiurans dæmonem adhibeat rutam, stercus caprinum, vel similia, aut flagellis, vel sputis, & alapis afficiat obsessum à dæmone, in ipsius dæmonis contemptum, non peccat per se loquendo. Sin hæc adhibeat quasi vim naturalem habeant ad fugandos dæmones, superstitionis peccatum committit. *ibid.num.13.*

11. Adiurans peccat conniuendo dæmoni rem malam petenti in damnum alterius: quia cooperatur actioni iniquæ. At si petitio dæmonis non est iniqua, potest ei conniuere; quia hæc non est societas cum dæmone, sed est medium quo facilius expellatur. *ibid.n.14.*

12. Adiuratori licet petere signum quo dæmon indicet se egredi è corpore, & non rediturum: quia in sacerdo-

tali Romano docetur adiurator hoc signum petere. *ibidem, num.* 15.

13. Vno dæmone expulso, vt plurimum omnes exeunt; tum quia exorcismi sunt omnibus dæmonibus æquè infesti; tum quia solent habere superiorem, quo expulso, cæteri exeunt. Per quamlibet autem corporis partem dæmon potest ingredi, & egredi; quia est spiritus, atque adeo quantitate caret; vt plurimùm tamen per os ingreditur, & egreditur. Cæterùm dæmon non ita obsidet corpus vt semper vexet, vel semper in corpore resideat. Ex cruciatu autem, & afflictione corporis, interdum anima patitur detrimentum; nunquam tamen cogitur. *ibid. num.* 16. *& seq.*

ADORATIO.

Adoratio quid, & quotuplex.

1. ADoratio est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius cui exhibetur. Seu, Adoratio est actus, quo vnus alteri se submittit, seu alterum honorat in recognitionem ipsius excellentiæ. Multiplex est adoratio; alia enim est *interna*, quæ fit per submissionem animi; alia est *externa*, quæ fit per actum externum. Rursus alia est *latriæ*, quæ est supremus cultus proprius Dei; alia *duliæ*, quæ exhibetur creaturis propter ipsarum excellentiam; & alia *hyperduliæ*, quæ debetur B. Virgini ob maiorem eius excellentiam. Denique alia est *absoluta*, quæ conuenit rei intellectuali per se honorabili, & adorabili; alia *respectiua*, quæ conuenit rebus ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur, cuiusmodi sunt imagines. *tom.* 2. *pag.* 142 *num.* 1. *& seq.*

2. Sancti in cœlis degentes, qui nondum in Sanctorum numerum cooptati sunt, non possunt publicè adorari; cultu tamen priuato possunt; quare illorum imagines pingere & domi habere licet, non tamen in templo, aut altari reponere. Item licet in natali illorum die abstinere ab operibus seruilibus, & spiritualibus operam dare; non tamen potest Episcopus diem festum in illorum honorem instituere, nisi antiqua traditione, & vniuersali Ecclesiæ consensu, sancti habeantur. *tom.* 2. *pag.* 143. *num.* 2.

3. Christus homo, id est, subsistens in natura diuina, & humana, adorandus est adoratione latriæ, qua Sanctissima Trinitas

Trinitas, & singulæ eius personæ adorantur: est enim verus Deus, & æqualis Patri, neque per assumptionem carnis desinit esse Deus cùm natura humana vnita sit Verbo. Quapropter anima Christi, & ipsius corpus in sepulchro adorandum erat cultu latriæ, quia anima, & corpus adhuc vnita erant Verbo. Non tamen colimus adoratione latriæ, naturam humanam per se, sed concomitanter quatenus est vnita personæ diuinæ, in se autem spectata, præcisâ diuini Verbi personâ adoranda est Christi humanitas cultu hyperduliæ; at in praxi Christum adoramus adoratione latriæ quæ est perfectissima adoratio, & debetur Christo ratione excellentiæ increatæ qua præditus est. *tom.2.pag.*144.*n.*5. *& seq.*

4. Illa quæ Christum tetigerunt, per ordinem ad Christum quem repræsentant, adorantur cultu latriæ: at præcisè, & in se spectata nullam adorationem admittunt. Eucharistiæ sacramentum, vt pote Christum verè, & realiter continens, adoranda est adoratione latriæ. Item caro, & sanguis quæ miraculosè aliquando in SS. Eucharistiæ Sacramento apparent, cultu latriæ adorari possunt; vel enim sunt caro, & sanguis Christi, vel illa saltem repræsentant. *ibid. num.*7. *&* 8.

5. Crux in qua Christus pependit, duplici titulo latriæ adorari potest; primò, ratione contactus; secundò, ratione repræsentationis; aliæ verò cruces adorandæ sunt quatenus Christum crucifixum repræsentant. Quamuis autem Christi contactus sit causa sufficiens adorationis; aliquando tamen non expedit, neque decet, omnia quæ Christum tegigerunt adorari: quare neque asina quæ Christum vexit, est adoranda; neque manus illa impia quæ Christum alapa percussit, cùm sit potius execranda: cætera verò instrumenta quæ Christum tetigerunt, adoranda sunt adoratione latriæ respectiua, propter Christum quem tetigerunt. *tom.*2. *pag.* 145. *num.* 6. *&* 7.

6. Sacra IESV, & MARIÆ nomina adoranda sunt adoratione respectiua, propter eum quem repræsentant, & ad quem diriguntur: quia licet res inanimatæ non sint adorandæ secundùm se, cum non habeant excellentiam dignam adoratione; tamen si spectentur vt subrogatæ in locum rerũ adorandarum, possunt adorari, sicut adoratur exemplar cum prototypo. *ibid. num.*9. Eodem modo imagines adoramus. *pag.* 144. *num.* 3. Reliquiæ autem Sanctorum eodem cultu adorari possunt qui tribuitur personis quarum sunt reliquiæ. *pag.*146.*n.*4. Vide tit. *Imago. Reliquiæ.*

Adulterium.

1. ADulterium nihil eſt aliud quàm acceſſus ad alienum torum, ſeu violatio alieni tori. Eſt autem grauiſſimum peccatum; quia violat charitatem, & iuſtitiam. Neque deſinit eſſe adulterium etiamſi coniux conſentiat, & iuri ſuo cedat; adhuc enim violatur obligatio vinculi matrimonij quod eſt indiſſolubile. *tom.1.pag.325 n.1.2.& 3.*

2. Adulterium multò grauius peccatum eſt, quando vterque qui copulam habet, eſt matrimonio iunctus; tunc enim duplex torus violatur, & duobus fit iniuria, conſequenter hæc circumſtantia eſt in confeſſione exprimenda. *ibid. numer.5.*

3. Pœnæ adulterij duæ potiſſimùm recenſentur. 1. vt vxor adultera amittat dotem, ab Eccleſiaſtico iudice marito adiudicandam. 2. vt fieri poſſit diuortium ab adultero. *ibid. nuuer.6.*

4. Copula Chriſtiani cum fœmina infideli coniugata, eſt adulterium; cum ſoluta verò eſt ſimplex fornicatio ſi alter eſt etiam ſolutus. *ibid.n.7.*

5. Adulter qui filium ex adulterio ſuſceptum, certò credit eſſe ſuum, tenetur in ſolidum cum matre, ad reſtitutionem damnorum quæ patitur verus maritus, & filij legitimi, vel hæredes; propterea tenetur ad reſtitutionem alimentorum, & ſumptuum quos fecit maritus adulteræ in educanda prole ſpuria, ſaltem poſt tertium natiuitatis annum; quia pater tenetur alere ſuam prolem donec ſibi alimenta procurare poſſit: ſi tamen dubitet an ſua ſit proles ex adulterio ſuſcepta, non tenetur ad reſtitutionem; quia melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. *ibid.n.8.*

6. Quando duo carnaliter cognouerunt mulierem ſolutam ex qua ſuſcepta eſt proles, ſed dubitatur cuiuſnam ſit, vterque tenetur ad reſtitutionem. Idem dicendum quando duo cognouerunt coniugatam quæ abſente viro concepit; altero autem nolente, tenetur alter in ſolidum ſatisfacere. *ibid. num. 10.*

7. Adulter tenetur ad reſtitutionem alimentorum quæ ſuppeditata fuerunt ab hoſpitali domo in alenda prole ſpuria, modò non laboret egeſtate; quia domus hoſpitalis inſtituta eſt ad alendos pauperes tantùm. Si autem filius ex adulterio ſuſceptus relictus eſt inter filios legitimos mariti adulteræ,

præter alimenta, tenetur etiam occurrere damno hæreditatis quæ filiis legitimis adimitur, vel damno dotis quam pater putatiuus tradit puellæ spuriæ, ratus eam esse suam. *ibid.n.*11.*&* 13. Idem dicendum de illo, aut de illa quæ partum supposuit cum præiudicio legitimorum hæredum. *n.*14.

8. Ob adulterium præcisè nulla debetur restitutio; quia ex se non est iniuria pecuniâ æstimabilis: tenetur tamen adulter marito adulteræ petenti, aliquam satisfactionem exhibere, putà per veniæ petitionem, &c. *ibid.n.*15.

9. Adultera quæ est honestæ conditionis, & passim pro tali habetur, non tenetur manifestare adulterium cum periculo vitæ, vel famæ, vt impediat quominus filij legitimi damnum in hæreditate patiantur, quamuis ampla hæreditas sit inter ipsos, & spurium diuidenda, etiamsi credat fore vt manifestatione adulterij obuiam iretur damno: quia vita, & fama sunt superioris ordinis bona, quæ non sunt exponenda pro conseruanda filiis hæreditate quæ est ordinis inferioris. Debet tamen conari pro viribus, damnum illud hæredibus compensare, vel filium adulterium inducere ad capessendam religionem, quæ non sit capax hæreditatis. *tom.*1.*pag.*326.*n.*17.

10. Filius debet credere matri asserenti ipsum esse spurium, nec potest se immiscere hæreditati filiorum legitimorum, quando mater ita probat vt filius conuincatur; quando verò filius non conuincitur, non tenetur credere matri etiam iuranti; quia melior est conditio possidentis bona fide. Non tenetur item filius abdicare se hæreditate quam bona fide possedit tanto tempore, quanto opus est ad præscriptionem; etiam si postea conuincatur, & certò credat se esse spurium. Quare Confessarius debet vti magna cautione, ne vltra modum vrgeat adulteram in articulo mortis, ad suum adulterium detegendum, neque tutum est post mortem adulteræ, detegi adulterium, ne ipse Confessarius detegens, aut proles adulterina occidatur. *ibid.n.*21. *& seq.*

11. Causa adulterij quando agitur de separatione quoad torum, est fori Ecclesiastici, quia est causa spiritualis; quando verò agitur de pœnis adulterio irrogandis, videtur esse mixti fori. *ibid.n.*24.

Aduocatus.

1. POtest quilibet Aduocati officium exercere, modò sit idoneus, & à iure non repellatur; quia actus patrocinandi liber est. *tom.*2.*pag.*333.*n.*1.

2. Aduocatus tenetur gratis patrocinio suo defendere inopem extrema, aut etiam graui necessitate oppressum, si nullus alius præstò sit. *ibid.n.2.*

3. Si ob culpabilem Aduocati negligentiam, vel inscitiam cliens causa cadat, Aduocatus peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem damni. Idem dicendum de Aduocato qui parti contrariæ secreta causæ manifestat, vnde fit vt cliens litem perdat, quam alioquin vincere iure potuisset. *ibid.pag.334. n.3.& seq.*

4. Aduocatus qui causam iniustam suscipit defendendam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ iniusto patrocinio parti contrariæ intulit. *ibid.n.4.*

5. Quando vtraque pars est probabilis, integrum est Aduocato tueri causam actoris, aut rei: etiamsi altera pars quam impugnat, probabilior videatur. *ibid n.8.*

6. Aduocatus, vel procurator accipere potest stipendium, à lege, seu consuetudine, seu iudicio prudentis viri taxatum; immò etiam maius, si liberaliter detur: non licet tamen pacisci de quota litis, vt de medietate, &c. Sed nihil vetat quominus paciscatur de pretio, siue causa obtineatur, siue non; nulla quippe fraus subest. Immò potest Aduocatus integrum stipendium sibi promissum, tuta conscientia accipere, etiamsi cliens inchoatam litem prosequi nolit. *ibid.n 9.& seq.*

7. Potest Aduocatus (modò sine damno eorum quorum suscepit patrocinium fieri possit) alium Aduocatum idoneum sibi substituere, assignata illi dimidia, vel tertia stipendij parte reliqua sibi retenta *ibid.pag.335.n.12.*

8. Aduocatus, seu procurator, cui notarius acta gratis confecit non in gratiam ipsius aduocati, aut procuratoris, sed quia ita visum est in honorem Dei, vel ob aliam causam, non potest petere à cliente salarium notario debitum, nec sibi retinere. *ibid.n.13.*

Agnus Dei.

1. GRegorius XIII. in constitutione quæ incipit, *Omni certè studio*, excommunicationem infert iis qui pingunt, vel inficiunt Agnos Dei à Summo Pontifice benedictos, vel qui retinent sic infectos, & venales proponunt. *disput.2. quæst.2.punct.29.pag.176.tom.3.*

2. Probabile est huiusmodi agnos Dei etiam pictos, & deauratos absque licentia Summi Pontificis retineri posse, modò non

non retineantur ad vendendum. Pictos autem, vel deauratos cum licentia, etiam vendi posse, modò solius ceræ, deaurationis, & materiæ, non verò benedictionis ratio habeatur. *ibid. n. 4. pag. 177. tom. 3.*

3. Ista constitutio Romæ vsu recepta est, & quibusdam aliis in locis vt Mediolani; in aliis autem locis spectanda est consuetudo. *ibid. n. 6.*

4. Agni Dei effigies in cera exprimi solita, coli, & adorari potest: est enim benedicta, & consecrata, simúlque cum Deo, cuius est imago, apprehendi potest. *tom. 2. pag. 147. num. 11.* Vide tit. *Adoratio.*

Appellatio, Appellans.

1. APpellatio est à minori iudice ad maiorem prouocatio. Prohibetur autem appellatio ab ordinationibus Summi Pontif. ob iniuriam quæ per huiusmodi appellationem Sedi Apostolicæ irrogatur: cum enim appellatio fiat à minori iudice ad maiorem, qui appellat ab ordinationibus Papæ ad futurum Concilium, videtur inducere schisma, & rebellionem in Ecclesiam. *disp. 1. quæst. 3. punct. 1. pag. 15. tom. 3.*

Appellantes ab ordinationibus Papæ quas pœnas incurrant.

2. Omnes & singuli cuiuscumque gradus, & conditionis sint, appellantes ab ordinationibus seu mandatis Papæ etiam iniustis ad futurum Concilium generale, aut fauorem vel auxilium illis præstantes ligantur vinculo excommunicationis 2. Bullæ Cœnæ. Vniuersitates autem, Capitula, vel Collegia ligantur interdicto, cùm excommunicari non possint. Si tamen Episcopus sit vnus ex Canonicis, & concurrat cum Capitulo ad appellandum, non est interdictus: quia licèt interdicto Capitulo Canonici censeantur interdicti; tamen Episcopus & alij maiores Prælati non ligantur interdicto nisi specialiter exprimantur. Sin Episcopus concurrat ad appellationem non tanquam vnus de Capitulo, sed vt singularis persona, ligatur excommunicatione. *Ibid. punct. 2. n. 1. 11. 12. pag. 17. tom. 3.*

3. Consulentes, aut approbantes appellationem, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia non exprimuntur: ligantur tamen excõmunicatione Papæ reseruata à Iulio II. & Pio II. quanquam illius absolutio conferri potest virtute priuilegio

uilegiorum, virtute quorum non licet absoluere à casibus Bullæ. *ibid. num. 9. pag. 16. tom. 3.*

Assassini.

1. ASsassini iure antiquo dicebantur quidam homines Syri infideles qui suorum dominorum iussu, seu aliorum à quibus pretio conducebantur, Christianos occidebant: Nunc autem Assassini dicuntur *publici latrones viarum*, qui ad prædandum, homines occidunt; vel qui pretio conducti aliquem occidunt, vel occidendum curant. *disp. 2. quæst. 2. punct. 23. pag. 180. tom. 3.*

2. In cap. *pro humani, de homicidio in 6.* habetur excommunicatio contra mandantes aliquem occidi per Assassinos, aut receptantes, defendentes aut occultantes huiusmodi Assassinos. *Ibid.* Hic autem sermo est de Assassinis primi generis; quare hæc excommunicatio hoc tempore non est in vsu. *ibid.*

3. Christianus per assassinos occidens infidelem, aut hæreticum, huius canonis excommunicationem non incurrit: quia hæc excommunicatio lata est in gratiam Christianorum, & fidelium; æquum autem non est, vt qui Ecclesiam impugnant, Ecclesiæ armis protegantur. *ibid. num. 6. & 7. pag. 181. tom. 3.*

Assecuratio.

1. ASsecuratio est contractus quo quis ob pretium, vel aliud interesse, vel gratis suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius compensationem si perierit, itavt teneatur ad compensationem totius, si tota res perierit, vel partis, si pars tantummodò perierit. Hic autem contractus reducitur ad contractum innominatum *do vt facias*, vel *facio vt des*, vel ad contractum emptionis, & venditionis. *tom. 2. pag. 590. n. 1.*

2. Assecurationis contractus non est vsurarius, sed licitus, modò iustum intercedat pretium pro ratione periculi, & adsint hæ quinque conditiones. 1. vt sit æqualitas inter pretium datum assecuranti, & obligationem quam in se suscipit. 2. vt qui petit assecuratorem, non cogat alterum ad contractum assecurationis secum ineundum, alioquin imponeret obligationem pretio æstimabilem, ad quam assecurator non tenetur.

3. Vt

3. Vt aſſecurator ab eo qui petit aſſecurationẽ, admoneatur de veris periculis quibus ſubiacet res aſſecuranda. 4. vt res, de qua contractus aſſecurationis initur, exiſtat; quare ſi aſ-ſecuretur plus mercium quàm re ipſa naui ſit impoſitum, aſ-ſecuratio non eſt valida. 5. vt res aſſecuranda ſit periculo ex-poſita, alioquin ſi aſſecurator ſciat ante contractum, rem, exempli gratia, perueniſſe ad portum, vel ad terminum quò erat deferenda, nihil poteſt accipere: *ibid.n.2.&* 3. Item qui ſciens nauim periiſſe, petit aſſecurationem, inualide contrahit. *num.*3.

4. Non eſt validus contractus aſſecurationis, quo quis aliquid aſſecurat fingens ſe bona habere quibus ſatisfaciat re pereunte, cum reuera non habeat, nec breui ſperet ſe habi-turum; quia dolus dat cauſam huic contractui: propterea aſſe-curator tenetur ad reſtitutionem damnorum inde prouenien-tium, & totius mercedis acceptæ pro aſſecuratione. At ſi ha-bet aliqua bona quibus poſſit, re pereunte, in partem ſatis-facere; poteſt eam mercedis partem retinere quæ reſpendet bonis quibus ſatisfeciſſet re pereunte. *tom.2.pag.*591.*n.*4.

B.

BAPTISMVS.

Baptiſmus quid, & quotuplex.

1. BAPTISMI nomen, ſi vertatur è Græco, *ablu-tionem* ſonat, ſeu *immerſionem in aquam*; Baptiſ-mus enim alicubi fit, & fieri poteſt, per immer-ſionem, ad repræſentandam Chriſti ſepulturam. Dicitur au-tem *ablutio*, quia Baptiſmus ſordes peccatorum abluit. *tom.*1. *pag.*27.

2. Quanquam, ſi propriè loquamur, vnus ſit tantùm Baptiſ-mus qui eſt ſacramentum; metaphoricè tamen loquendò tri-plex eſt Baptiſmus, *Flaminis, Fluminis*, & *Sanguinis* Baptiſmus *Flaminis* eſt dolor perfectus de peccatis ob Dei timorem; hic autem dolor vocatur Baptiſmus, eo quòd Baptiſmi defectum aliquando ſupplet. Baptiſmus *ſanguinis* eſt martyrium quo

peccata

peccata omnia delentur etiam ante Baptiſmi ſuſceptionem. Baptiſmus *fluminis* eſt verum ac propriè dictum ſacramentum quod in aqua confertur. *ibid.*

3. Baptiſmus eſt Sacramentum quod in externa corporis ablutione conſiſtit, ſub præſcripta verborum forma à Chriſto inſtituta ad regenerationem ſpiritualem, ſeu breuiùs. Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis in verbo. Fuit inſtitutus quando Chriſtus in Iordane baptizatus fuit à Ioanne; tunc enim indicata fuit materia Baptiſmi, aqua ſcilicet, & forma, nempe inuocatio SS. Trinitatis. *ibid. pag.* 30. *n.* 1. *&* 2.

4. Ille dicitur habere Baptiſmum in voto qui facit aliquid in quo continetur votum, ſeu propoſitum Baptiſmi ſuſcipiendi; vt contingit quando is qui non poteſt actu baptizari, elicit actum contritionis, ſeu amoris Dei ſuper omnia. Idem dicendum de martyrio, in quo Baptiſmi votum continetur. *ibid. pag.* 31. *n.* 2.

Baptiſmi Neceſſitas.

5. Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij, in re, vel ſaltem in voto. Quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, ſine quo ſalus non poteſt obtineri; atqui ſine Baptiſmo in re, vel in voto, ſalus obtineri nequit, ergo. Eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti: quia qui non aſſumit medium ſibi neceſſarium ad ſalutem, peccat contra Dei præceptum. *ibid. num.* 3. *&* 4.

6. Præceptum Baptiſmi obligat adultos, vt cùm primum commodè, & dignè poſſunt, baptiſmum ſuſcipiant, nec diu differant. Quare tenentur parentes curare vt filij, & domeſtici quamprimùm baptizentur; nam pueri infantes ſine actuali ſuſceptione Baptiſmi, aut ſine martyrio non ſaluantur, ſi eos morte præoccupari contingat. *ibid. n.* 5. *&* 8.

7. Catechumenus quamuis ſit in gratia conſtitutus per actum contritionis, tenetur tamen ſub peccato mort. ſuſcipere Baptiſmum, oblata opportunitate. Quia quando datur opportunitas ſuſcipiendi Baptiſmi, non tantum eſt neceſſarius in voto, ſed etiam in re, iuxta illud Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *ibid n.* 7.

8. Si detur caſus, vt aliquis, ex ſpeciali priuilegio, in vtero matris iuſtificetur; nihilominus tenetur ſic iuſtificatus ſuſcipere Baptiſmum, ſi poſſit. Quapropter Apoſtoli, & B. Virgo quamuis ante Baptiſmi inſtitutionem acceperint gra-

tiam;

tiam ; tamen post Euangelij promulgationem , tenebantur suscipere Baptismum vt fierent capaces reliquorum Sacramentorum , quorum ianua est Baptismus. *ibid n. 9.*

9. Baptismi suscipiendi obligatio non statim incepit post prædicationem Baptismi ; sed tantùm post Christi passionem, respectu eorum quibus Baptismus fuerat promulgatus : quia in Christi morte cessauit lex vetus , & incepit noua. Generaliter autem , & quoad omnes , incepit post sufficientem Euangelij promulgationem factam per vniuersum orbem. *tom.* 1. *pag.* 32. *n.* 10. 11. *& seq.*

10. Post Christi passionem , ante vniuersalem Euangelij promulgationem iis qui Baptismi legem ignorabant, potuit, & debuit adhiberi circumcisio, seu remedium legis naturæ ; nullum enim aliud remedium potest assignari : quippe Baptismus cùm non esset illis sufficienter promulgatus , nondum illos obligabat. *ibid. n.* 14.

11. Qui nunc existunt in partibus remotis quò nunquam Euangelium penetrauit ; cum inuincibili ignorantia Baptismi , saluari possunt si naturæ legem seruauerint ; nam credere par est Deum naturæ legem seruantibus daturum lumen , & speciale auxilium quo ad ipsum conuertantur. *ibid. numer.* 15.

Baptismi Materia.

12. Baptissimi materia est duplex , *proxima* , & *remota*. Proxima est aqua naturalis , & qui aliam adhibet , grauiter peccat , nec validè baptizat : Quocirca aqua rosacea , saliua, sudor , aqua manans è vite , & alij liquiores artificiales à materia Baptismi excluduntur. Aqua autem maris , pluuiæ , balnei , etiamsi ex sulfure , aut cinere defluat , item aqua quæ fluxit à niue , aut sale, videtur naturalis , ac proinde idonea ad Baptismum. Glacies verò nisi prius liquefiat , & dissoluatur, non est materia apta , quia non potest abluere. *ibid. num.* 1. *& seq.*

13. Qui vtitur aqua naturali ita alterata, & mixta cum alio corpore , seu liquore , vt iam non sit apta ad abluendum , non validè baptizat. Quis autem vtitur aqua naturali ita alterata, & fœda , vt adhuc simpliciter sit aqua , absque necessitate, grauiter quidem peccat contra reuerentiam sacramenti ; validè tamen baptizat. Porrò , seclusâ necessitate , non licet quamlibet aquam puram , & naturalem adhibere ; sed illa est

adhibenda quam Eccleſia præſcribit, nempe aqua ſacrorum fontium. *tom.* 1.*pag.*33.*n.*6.*& ſeq.*

14. In neceſſitate vti licet materia dubia, an ſit aqua naturalis; præſtat enim aliquem ſic baptizari quàm omnino non baptizari; at extra neceſſitatem non licet; quia periculum eſt ne fiat Sacramentum irritum,& inualidum. Præter aquam autem, non eſt ignis ad Baptiſmum adhibendus. *ibid. num.* 9. *& ſeq.*

15. Baptiſmi materia proxima eſt ablutio, quæ ſit contactus ſucceſſiuus quo aqua ſucceſſiuè contingat corpus: quia homo non poteſt dici ablutus niſi per contactum aquæ ſucceſſiuum. Sufficit autem ea aquæ quantitas qua pars aliqua corporis ablui poſſit: quare validus eſt Baptiſmus ſiue fiat per immerſionem, ſiue per infuſionem aquæ; vtraque enim eſt ablutio: Sacerdos tamen qui ex officio miniſtrat Sacramentum Baptiſmi, Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſeruare debet. *ibid.n.*13.*& ſeq.*

16. Ad Baptiſmum non ſufficit vna aut altera aquæ gutta, præſertim ſi per corpus non fluat; quia requiritur contactus ſucceſſiuus, & ea aquæ quantitas quæ ſufficiat ad partem corporis abluendam, itavt homo verè dici poſſit ablutus. Neque ſufficit, vt aqua contingat veſtes, aut aliquid extra carnem, vt ſi quis corio vel vtre contectus immergatur; quia non poteſt dici propriè ablutus. Secùs autem ſi baptizetur infans natus cum membrana, ſeu pelle poroſa, eaque inuolutus; poteſt enim aqua penetrare, & peruenire ad carnem infantis. Neque ſufficit vt aqua ſolos capillos attingat; neque enim capilli ſunt pars hominis; ſolius autem capitis ſufficit ablutio, quippe præcipua eſt hominis pars, qua abluta, dicitur homo ablutus. *tom.*1.*pag.*34.*n.*19. *& ſeq.*

17. Si ſolus pes, aut digitus abluatur, non videtur validus Baptiſmus; quia per illius partis ablutionem, non denominatur homo ſufficienter ablutus; quanquam in neceſſitate, Baptiſmus in qualibet corporis parte eſt adminiſtrandus,etiam in ſolo digito; ſi tamen infans ſuperuixerit,erit ſub conditione baptizandus, ſi dubitetur an pars aliqua fuerit ſufficienter abluta. *ibid.n.*24.

18. Infans in vtero matris exiſtens, baptizari nequit; conſequenter ſic baptizatus non poteſt in cœmeterio ſepeliri;quia non fuit ablutus, niſi fortè aqua ſic immitti poſſit vt perueniat ad infantem, eiuſque carnem contingat. *ibid, n.*25.

19. Validus eſt Baptiſmus quando infans incipit mori, & deſi-

deficiente aqua qua poſſit ablui, proiicitur in flumen, aut puteum prolatâ formâ Baptiſmi. Quamuis enim hoc non ſit faciendum; tamen ſi fiat, tenet Baptiſmus; nihil quippe deſideratur neceſſarium ad Baptiſmum. Denique per quamlibet ablutionem qua verè dici poſſit corpus ablutum, modò verba ſint ſufficienter prolata, perficitur Baptiſmi Sacramentum. Quamuis enim adhiberi ſoleat trina merſio, aut ablutio; poſt primam tamen Baptiſmus ſuum ſortitur effectum, modò forma ſit ſufficienter prolata. Niſi miniſter habeat directam intentionem non conficiendi Sacramentum ante trinam ablutionem; tunc enim non eſt validus Baptiſmus niſi poſt tertiam ablutionem, defectu ſolius intentionis. *ibid. num.* 27. *& ſeq.*

Baptiſmi Forma.

20. Hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, conficiunt formam Baptiſmi vt conſtat ex Matth. *cap.* 28. Exprimenda eſt autem perſona baptizanda; non tamen eſt neceſſarium directè exprimere perſonam miniſtri; quippe Baptiſmus Græcorum (vbi perſona miniſtri baptizantis directè non exprimitur) eſt validus. *tom.* 1. *pag.* 35. *num.* 1. 2. *&* 3.

21. Exprimenda eſt actio quæ exercetur circa baptizandum; quia in Sacramentis conſiſtentibus in vſu, exprimitur actio. Item exprimenda eſt vnitas diuinæ eſſentiæ: quamobrem qui diceret. *Ego te baptizo in nominibus Patris, &c.* inualidè baptizaret; imò, ex nonnullorum ſententia, qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, &c.* nihil conficeret, quia ſic non exprimeretur diuinæ eſſentiæ vnitas. Denique tres perſonæ SS. Trinitatis ſunt exprimendæ, neque ſufficit ad validitatem Baptiſmi hæc forma: *Ego te baptizo in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis*; quia requiritur explicita expreſſio trium perſonarum. *ibid. n.* 4. *& ſeq.*

22. Obiic. cum quæſitum eſſet à Nicolao I. quid agendum eſſet de iis qui baptizati eſſent à pagano, ſeu infideli: reſpondit Pontifex non eſſe rebaptizandos ſi baptizati eſſent in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti. *Reſp.* Pontificem rectè reſpondiſſe non eſſe rebaptizandos qui baptizati ſunt in nomine Trinitatis, expreſſis ſcilicet perſonis; aut tantùm in nomine Chriſti loco Filij, ſic dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti.* tom. 1. pag 36. n. 9.

23. Baptiſmus eſt inualidus quando contingit ſubſtantialis mutatio in verbis; ſecùs ſi mutatio ſit tantùm accidentalis. Grauiter tamen peccat qui vtitur aliis verbis quàm conſuetis, quia in re graui, Eccleſiæ ritum non ſeruat. *ibid. n. 9.*

24. Probabilius eſt eum inualidè baptizare qui dicit, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati.* Quia Chriſtus videtur inſtituiſſe vt Baptiſmus ſub his nominibus relatiuis *Patris, Filij, & Spiritus ſancti* conferatur. Hæc, inquam, ſententia eſt probabilior, & tutior in praxi, ne baptizandus periculo damnationis exponatur per mutationem formæ. *ibid. n. 12.*

25. Validus eſt Baptiſmus adminiſtratus vulgari lingua; neque mortaliter peccat qui ſic adminiſtrat. Immò expedit, vt quando miniſter non bene nouit exprimere verba Latino ſermone, exprimat vulgari, quia iuſtam habet cauſam ſic faciendi, neque facit contra ritum, aut conſuetudinem Eccleſiæ, cùm ſic vſus obtinuerit. *tom. 1. pag. 36. & 37 n. 17.*

26. Si puer moriatur nondum finita forma Baptiſmi, inualidus eſt Baptiſmus, neque videtur puer in loco ſacro ſepeliendus; quia non eſt integer ſubſtantialis ſenſus formæ. *ibid. num. 18.*

27. Baptiſmus collatus in nomine B. Virginis, aut Sanctorum, eſt invalidus, ſi baptizans intendat conferre Baptiſmum in virtute B. Virginis, aut Sanctorum. Secùs ſi intendat tantùm baptizare per interceſſionem B. Virginis, aut Sanctorum; tunc enim ſenſus formæ ſubſtantialiter non mutatur. *ibid. num. 19.*

28. Nullus ſeipſum poteſt validè baptizare; quia ſicut nemo poteſt ſeipſum naturaliter generare, ita neque poſt ſeipſum ſpiritualiter regenerare per Baptiſmum; neque ipſe Chriſtus à ſeipſo voluit baptizari: ad hæc ſolùm Euchariſtiæ ſacramentum poteſt quis ſibi miniſtrare. Duo tamen poſſunt, vrgente neceſſitate, ſe inuicem baptizare. *ibidem num. 20.*

29. Plures vnica aſperſione validè baptizari poſſunt dicendo, *Ego vos baptizo, &c.* modò ſingulos aqua contingat: & tunc dicuntur eſſe plura Baptiſmata, quia diſtinctio numerica baptiſmatum petitur à ſubiecto in quo recipitur Baptiſmus, & quamuis vnica proferatur forma; virtualiter tamen eſt multiplex *ibid. n. 21. & 22.*

30. Quando duo concurrunt ad baptizandum vnum, & eundum, & alter abluit, alter verò formam profert; vt ſi quis bapti

baptizandus ſit, nec alius adſit præter duos homines quorum alter ſit mancus, alter mutus, ſi mutus aſpergat infantem, & mancus proferat formam, non eſt validus baptiſmus: quia forma efficitur falſa: nam præferens verba dicit *Ego te baptizo*, cùm reuerà ipſe non baptizet, nec abluat infantem. *ibid. num.* 23.

31. Quandò plures ſimul baptizant infantem, ſi quilibet intendat baptizare independenter ab intentione alterius, validè baptizat modò ſimul perficiat verba, alioquin ille tantùm baptizat qui prior perficit formam, & abſoluit verba. Si verò quilibet intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non baptizat validè. *ibid. n.* 25.

32. Baptiſmus collatus alicui quem miniſter credebat eſſe maſculum, cùm ſit fœmina, aut eſſe filium huius, cum ſit illius, nihilo ſeciùs eſt validus: quia licèt miniſter ſpeculatiuè erret, non tamen errat practicè, cum dirigat intentionem ſuam in perſonam præſentem. At ſi habeat intentionem baptizandi tantùm hunc v. g. qui eſt filius Titij; ſi autem ſit alius, nolit baptizare, inualidus erit baptiſmus defectu intentionis: alioquin per errorem perſonæ baptiſmus non ſit irritus. Porrò is qui pro fœmina baptizatus eſt, accepitque nomen quod fœminis imponi conſueuit, non eſt rebaptizandus, ſed ſolùm nomen commutandum in nomen viri, ſi poſtea in virili ætate promineant membra virilia, quæ in infantia ita latebant vt fœmina crederetur. *tom.* 1. *pag.* 38. *n.* 26. *& ſeq.*

Baptiſmi Miniſter.

33. Miniſter Baptiſmi ex officio eſt Sacerdos, cui ſoli competit ſolemniter baptizare; vnde ſequitur eum qui ſolemniter baptizat cum non ſit Sacerdos, illicitè baptizare, cum ſibi alienum officium vſurpet. In neceſſitate autem quiuis habens vſum rationis, etiam infidelis, & ethnicus, modò intentionem habeat faciendi quod facit Eccleſia, debitamque formam proferat, & materiam applicet, poteſt Baptiſmum miniſtrare. *ibid. pag.* 38. *n.* 2. *& ſeq.*

34. Qui extra neceſſitatem baptizat cùm non ſit Sacerdos, grauiter peccat; quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui. Parochus item, aut alius Sacerdos baptizans ſolemniter infantem alterius parœciæ ſine neceſſitate, abſque licentia Epiſcopi, vel proprij Parochi, peccat; non tamen incurrit excommunicationem, vel irregularitatem;

quia hæc pœna nuspiam inuenitur expressa. *tom.* 1. *pag.* 39. *num.*9 *&* 10.

35. In Baptismo, tempore necessitatis administrando, hic ordo seruandus est, vt præsente viro fœmina non baptizet, nec laicus præsente clerico, nec diaconus præsente Sacerdote, etiamsi sacerdos vrbanitatis causa cedat; huius tamen ordinis peruersio non est peccatum mort. nisi adsit sacerdos, quo præsente, nemo potest sine peccato mort. baptizare; nisi ignorantia aut necessitas (sacerdote nolente baptizare) excuset. *ibid. n.*11.

36. In ministro Baptismi requiritur 1. intentio baptizandi, sine qua nullus est Baptismus. 2. vt minister adhibeat debitam materiam, & formam, illamque ritè applicet. 3. vt solemniter baptizans sit in gratia, alioquin grauiter peccat; qui verò vrgente necessitate baptizat sine solemnitate, non peccat grauiter, tametsi peccati mort. sibi sit conscius, aut excommunicatus. *ibid. n.*12.

37. Cùm Baptismus imprimat characterem, indebiliter in anima inhærentem, non potest iterari, si moraliter constet semel ritè collatum fuisse; in dubio verò an validè collatus fuerit, iterùm conferendus est sub conditione quam non necesse est exprimi, sed sufficit mente retineri. *ibid. n.*20.

38. Patrini officium est infantem de sacro fonte leuare, & pro eo solemniter spondere, contrahitque obligationem illum instruendi de rebus fidei, quando parentes, aut parochus desunt, qui id præstent. *ibid. n.*18.

Baptismo quis initiandus.

39. Quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, siue infans, siue adultus, siue vir, siue fœmina, est Baptismi capax. Vnde sequitur monstrum ex viro & fœmina genitum, baptizandum esse, quia est homo. Immò si constet habere duplicem animam, vt si habeat duo capita, & duo corpora, bis baptizandum esse, semel in vnoquoque capite, aut vnico actu, prolata forma in numero multitudinis *Ego vos baptizo.* Sin dubitetur an constet duplici anima rationali, vt si habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora sub vno capite, duplex Baptismus conferendus est, vnus absolutè in ea parte in qua est perfectius caput, aut pectus, alter sub conditione in alia parte. *tom.*1. *pag.*40. *n.*2. *& seq.*

40. In dubio an monstrum genitum sit ex viro, & fœmina,

na, vel ex fœmina, & bruto, baptizari poteſt ſub conditione, niſi conſtet eſſe animal irrationale. Quare ſi naſcatur monſtrum habens caput ferinum, & reliqua membra humana, & adhibita debita diligentia, ſciri non potuit an eſſet homo, an bellua, non poteſt abſolutè baptizari, ſed ad ſummum, ſub conditione; alioquin eſſet periculum conferendi baptiſmum ſubiecto illius incapaci. *ibid.n.*5.

41. Exiſtens in vtero matris baptizari non poteſt; quia non eſt homo natus; neque renaſci poteſt per Baptiſmum qui nondum eſt corporaliter natus, cùm ablui non poſſit. At ſi mater moriatur, & filius in vtero credatur viuere; aperienda eſt mater, vt infans extrahatur, & baptizetur. Quandiu verò mater viuit, non eſt ſcindenda, etiamſi ob partum moritura ſit. *ibid.n.*9.

41. Si mulier grauida per ſententiam iudicis damnetur ad mortem, differenda eſt executio ſententiæ donec pepererit: niſi ex illa dilatione damnum immineat reipublicæ; tunc enim poteſt viuentis vterus aperiri, vt infans extrahatur, & baptizetur. *ibid.n.* 10.

42. Baptiſmus collatus infanti abſque parentum conſenſu, validus eſt; quia ad valorem baptiſmi requiritur tantùm materia, forma, & intentio miniſtri. *ibidem, numero* 11.

43. Si filius habeat vſum rationis, & petat Baptiſmum, etiam inuitis parentibus baptizandus eſt, quia in iis quæ ad ſalutem animæ ſpectant, eſt ſui iuris; quare poteſt etiam parentibus infidelibus ſubtrahi ad vitandum periculum peruerſionis. Sin dubitetur an vſu rationis polleat, eſt etiam baptizandus; quia in dubio iudicandum eſt in fauorem fidei, præſertim ſi iam compleuit ſeptennium; illa enim ætas præſumitur capax rationis. At ſeptennio nondum completo, non eſt inuitis parentibus baptizandus. Filij autem infidelium non baptizatorum, carentes vſu rationis, non poſſunt inuitis parentibus baptizari. *tom.*1.*pag.*41.*n.*12.

44. Filij infidelium baptizatorum, vt hæreticorum, aut aliorum apoſtatarum à fide, poſſunt inuitis parentibus baptizari; quia ipſi parentes ſunt Eccleſiæ ſubditi. *ibid.*

45. Filij infidelium etiam non baptizatorum quando verſantur in euidenti mortis periculo, poſſunt inuitis parentibus baptizari; quia tunc ceſſat periculum ſubuerſionis. Infans autem ex vno ſaltem parente Chriſtiano natus, baptizandus eſt etiam inuitis parentibus; quia hic ex vi ſuæ originis

subditus est Ecclesiæ, & imitari, ac sequi debet parentem Christianum. *ibid.*

46. Filij infidelium qui non sunt serui, sed tantùm tributarij, & vasalli Principum Christianorum; cuiusmodi sunt Iudæi commorantes, ex concessione Principum, in aliquibus ciuitatibus, non possunt inuitis parentibus baptizari; quia huiusmodi parentes, cum non sint serui, ius in filios non amittunt. Filij verò seruorum possunt de consensu dominorum, inuitis parentibus, baptizari: quia Domini ius habent in parentes, & filios, ita vt iis vti possint, in quem voluerint rationabilem vsum non repugnantem legi naturali; neque imminet periculum peruersionis, facta separatione de dominorum consensu. Porrò nomine seruorum intelliguntur illi qui emuntur à veris dominis, aut iusto bello capiuntur, fiuntque serui iure belli. *ibid.*

47. Possunt domini parentibus, aut aliis vendere seruos nondum baptizatos, accepta pecunia, aut facta permutatione cum Christianis captiuis; quia tenentur tantùm ex charitate illos baptizare; sed charitas non obligat cum tanto incommodo; nisi enim redderent filios parentibus, magnum subirent incommodum in iis alendis, & educandis; & nisi parentes infideles spem haberent redimendi filios captiuos, magis sæuirent in Christianos. *ibid. n.* 14.

48. In adulto baptizando requiritur saltem triplex dispositio. 1 est intentio actualis, aut virtualis suscipiendi Baptismum. 2. est fides supernaturalis. 3. est attritio; non tamen est necessaria confessio sacramentalis ante Baptismum, cum ipse sit ianua omnium sacramentorum; neque ipsis post Baptismum imponenda est aliqua satisfactio; quia per Baptismum remittitur culpa, & pœna. Notandum autem eum qui suscipit Baptismum absque attritione, & fide, suscipere quidem Baptismum quoad characterem; sed non quoad gratiam, & remissionem pœnæ; qui autem suscipit absque intentione, ne quoad characterem quidem suscipere Baptismum. *tom.* 1. *pag.* 41. 42. *n.* 15. 24 25. *& seq.*

49. Validus est Baptismus collatus dormienti, si Baptismum petiit ante somnum; habet enim intentionem habitualem. Idem dicendum de furioso qui dum haberet lucida rationis interualla, petiit Baptismum. Tamen quando quis incidit in amentiam, si spes sit resipiscentiæ, expectandum est vt ad se redeat; sublata verò spe resipiscentiæ baptizandus est. Item validus est Baptismus collatus ei qui per metum grauem

illum ſuſcepit cum intentione ſuſcipiendi: quia metus non tollit voluntarium ſimpliciter. *ibid. pag. 42. n. 19. & ſeq.*

50. Fieri poteſt, vt quis ſuſcipiat verum Baptiſmum, & characterem, etiamſi non habeat fidem infuſam, ac proinde non recipiat gratiam; vt ſi quis ab hæretico inſtructus, habeat intentionem ſuſcipiendi id quod fuit inſtitutum à Chriſto, quidquid illud ſit; hic enim valide ſuſcipit Baptiſmum, ſed non recipit gratiam, quia non habet fidem *ibid. n. 24.*

51. Tres ſunt præcipui effectus Baptiſmi. 1. eſt gratia habitualis. 2. remiſſio totius pœnæ. 3. character. Igitur Baptiſmus confert gratiam cum reliquis virtutibus, & donis quæ gratiam conſequuntur, modò ſuſcipiens non ponat obicem: Gratiam autem confert pueris quidem æqualem, adultis verò inæqualem, iuxta cuiuſque diſpoſitionem. Porrò hæc gratia remittit peccatum originale, & actualia omnia ante Baptiſmum commiſſa. Peccata verò commiſſa in ſuſceptione Baptiſmi, aut poſt Baptiſmum, non delentur per Baptiſmum, ſed Sacramento Pœnitentiæ ſunt ſubiicienda. *tom. 1. pag. 43. num. 1. & ſeq.*

52. Per Sacramentum Baptiſmi remittitur etiam omnis pœna peccatis debita; vnde baptizatis nulla iniungitur pœnitentia. Non auferuntur tamen pœnalitates in hac vita, cuiuſmodi ſunt concupiſcentia inordinata, ægritudines, mors, &c. quanquam Baptiſmus habet etiam virtutem eas auferendi, & re ipſa auferet à iuſtis in reſurrectione. *ibidem num. 5. & ſeq.*

53. Baptiſmus imprimit characterem in anima indelebilem, propter quem non poteſt iterari; quia ſicut homo non poteſt bis naſci, ita nec bis renaſci per Baptiſmum. In dubio tamen poteſt iterari ſub conditione. Infans inter Chriſtianos expoſitus, regulariter loquendo, præſumendus eſt baptizatus. *ibid. n. 9. & ſeq.*

54. Præter effectus commemoratos Baptiſmi, ſunt alij nonnulli ſecundarij, vt ſanitas quam Baptiſmus aliquando confert, vt dicitur de lepra Conſtantini Imperatoris; ablatio irregularitatis ex delicto, & obligatio ſeruandi Eccleſiæ præcepta. *tom. 1. pag. 44. n. 12.*

55. Baptiſmus cum fictione ſuſceptus, recedente fictione, ſuum effectum producit: cùm enim proprium Baptiſmi ſit regenerare per remiſſionem peccati orig. & nullo alio Sacramento id fieri poſſit, neceſſe eſt ſublata fictione, hunc effectum per Baptiſmum conferri. Hæc autem fictio, ſi fuit ſine peccato,

vt si suscipiens Baptismum, nesciuit se debita dispositione carere, tollitur per actum fidei, & attritionis; si verò fuit cum peccato, quia scilicet suscipiens sciebat se non habere debitum dolorem, requiritur contritio vel Sacramentum Pœnitentiæ ad eam fictionem tollendam, & effectum Baptismi recipiendum. *ibid.n.*13.*&* 14.

56. Peccata ante Baptismum commissa non sunt in confessione aperienda; quia per Baptismum sufficienter delentur. Suscipiens autem Baptismum cum peccati venialis complacentia; recipit quidem gratiam, & remissionem aliorum peccatorum; non tamen illius venialis. *ibidem, numer.* 15. *&* 16.

57. Ritus Baptismi, quamuis accidentales, omitti non possunt absque peccato, ex suo genere mortali, nisi paruitas materiæ excuset. Quare grauiter peccat in aqua non benedicta, vel cum chrismate alterius anni, absque necessitate baptizans. Porrò quando quis fuit domi baptizatus sine cæremoniis; supplendæ sunt à Parocho in Ecclesia. *ibid. num.* 18. *& seq.*

Beguini, seu Bizochi.

1. IN Extrauag. *Sancta Romana.* Ioannis XXII. *de religiosis domibus.* fertur excommunicatio contra eos qui fictam Fraticellorum, Bizochorum, seu Beguinorum religionem profitentur, & contra Prælatos qui eos sine Summi Pontif. facultate admittunt. *disp.*2.*quæst.*2. *punct.*27.*pag.*176. *tom.*3.

2. Nouum habitum & nouam religionem hoc tempore assumens, seu nouum vitæ genus sine Summi Pontif. auctoritate instituens, huic excommunicationi non subiicitur: quia lex pœnalis vltra suos terminos non est extendenda; grauiter tamen peccaret, & grauibus pœnis afficiendus esset. *ibid.n.*2. *tom.*3.

Beguinæ.

1. IN Clementina 1. *de religiosis domibus.* excommunicantur quædam fœminæ statum Beguinarum assumentes, aut in eo perseuerantes. Beguinæ autem fuerunt quædam mulieres quæ nullam regulam approbatam profitebantur, habitum tamen deferebant peculiarem, & quibusdam religiosis ad-

hærebant

hærebant; de Trinitate, & diuina essentia disputabant, prædicabant, & multas opiniones fidei contrarias inducebant. *disp.2.quæst.2.punct.26.pag.*176.*tom.*3.

2. Eadem excommunicatio extenditur ad religiosos qui præfatas Beguinas admittunt, ipsis consilium, auxilium, vel fauorem præbent. *ibid.*

3. Non sunt damnandæ Tertiariæ S. Francisci, S. Dominici, aut Vrsulinæ, vel similes aliæ quæ sub regula tolerata viuunt, & continentiæ votum emittunt; Immò gaudent priuilegiis ordinis cuius habitum susceperunt, & ab ordinarij iurisdictione sunt exemptæ, etiamsi in propriis domibus vel seorsim habitent: sic enim declarauit sacra Cardinalium Congregatio. *ibid. n.*3.

4. Fœminæ quæ sine vlla regula in suis domibus, aut parentum, obsequio Dei se mancipant, nullam pœnam incurrunt; hoc enim ipsis permittitur in præfata Clementina. *ibid. n.*4.*tom.*3.

Bellum.

1. Bellum est conflictus armorum, seu professio nocendi parti contrariæ, vi, & armis. Duplex est, vnum *offensiuum*, quod etiam *vindicatiuum* appellatur; alterum *defensiuum*, quo quis se tuetur contra aggressorem. *tom.*2.*pag.*466. *num.* 1.

2. Licitum est bellum apud Christianos; quia iure naturæ licet iniurias propulsare, quod sine bello interdum fieri nequit. Vt autem sit licitum bellum offensiuum, tres conditiones requiruntur. 1. est auctoritas indicentis, quæ est penes Principem, aut Magistratum, aut Senatum qui in sua iurisdictione non agnoscit superiorem. 2. est recta intentio, quæ tunc est recta cùm bellum suscipitur ob bonum commune: tamen deficiente hac conditione, bellum potest esse iustum. 3. est iusta causa; dicitur autem *iusta*, quandu bellum suscipitur ad iustè impediendam, aut vindicandam, aut compensandam iniuriam. *ibid.n.* 2.*&* *seq.*

3. Ante diligentem inquisitionem an causa sit iusta, non potest bellum indici, immò neque post inquisitionem, manente adhuc dubio: nam in dubio melior est conditio possidentis. At quando res à neutra parte possidetur, vt quando oritur controuersia quisnam, mortuo Rege, debeat succedere, & dubitatur cuinam de iure contingat regnum, neutra pars po-

test arma capere ad occupandum totum regnum; sed tantùm ad partem æqualem, vel inæqualem, pro ratione dubij ex vtraque parte. *tom.2.pag.467.n.8.*

4. Positâ iustâ causâ non licet Bellum indicere, nisi priùs petita ab aduersario condigna satisfactione, qua oblata, non licet indicere. Debet etiam bellum ex charitate intermitti, si ex eo sequutura sint scandala, & damna Reip. grauissima; minus enim damnum posthabendum est maiori. *ibidem num. 9.*

5. Milites non tenentur examinare an bellum sit iustum, si sint subditi aut stipendiarij Principis bellum indicentis; sufficit eos scire causam belli non esse iniustam: nam in dubio præsumendum est in fauorem Principis. Qui verò non sunt subditi, nec stipendiarij, non possunt ad bellum accedere cum dubio de iustitia belli. At si adhibita debita diligentia, dubium illud deponant, & sibi persuadeant bellum esse iustum, possunt sua nomina huic militiæ dare. *ibid.n.10.*

6. Quamuis à parte rei ius competat vni soli; fieri tamen potest vt bellum ex vtraque parte sit iustum, si vtraque habeat opinionem probabilem, aut altera pars laboret ignorantia inuincibili, aut vtraque stet iudicio prudentum iudicantium causam belli indicendi esse iustam. *ibid.n.11.*

7. Iustâ causâ interueniente licet bellum inferre infidelibus, qui sunt subditi Principibus Christianis de iure, & de facto; consequenter possunt à Princibus priuari bonis, aut vita, propter delicta, vel ob commune bonum. Item potest bellum indici infidelibus occupantibus terras Christianorum; neque tenentur ad restitutionem qui illorum, v. g. Turcarum, bona capiunt, obtenta à Principibus generali facultate. Infidelibus verò qui neque de iure, neque de facto sunt subiecti vlli Principi Christiano, non licet bellum inferre, nec eos priuare bonis, nisi Euangelij prædicationem impediant, aut Christianis iniuriam inferant, aut ferarum more, humanis carnibus vescantur. *tom.2.pag.468.n.12.*

8. Licitè fit in bello quidquid fit vel ad rem ablatam recuperandam, vel ad compensationem faciendam, vel ad vindictam sumendam pro ratione iniuriæ, vel ad pacem componendam, & stabiliendam. Sic vti licet stratagematis, dolis, & insidiis, inferre damnum hostibus, adhibitis conditionibus requisitis. At milites tenentur ad restitutionem damni illati contra expressam, vel tacitam superioris prohibitionem; censetur enim iniustè illatum, nisi superior id prohibuerit tantùm ad

ad seruandam disciplinam militarem; in hoc enim casu damnum illatum, non est per se contra voluntatem superioris, sed tantùm per accidens. *ibid.n.*14.*& seq.*

9. In pugna, aut post pugnam non licet occidere eos quos constat esse innocentes, iuxta illud Exod. 23. *Insontem, & iustum non occides*, cuiusmodi sunt infantes, mulieres, clerici, religiosi, legati, oratores, mercatores transeuntes, &c. nisi occidantur præter intentionem. Licet tamen spoliare innocentes bonis, vt nauibus, frumento, equis, &c. ne hostes adiuuent. *ibid.num.*17.

10. Clerici, & Ecclesiæ, propter immunitatem qua gaudent, non possunt tempore belli spoliari, aut diripi, nisi forte per accidens, si victoria non possit aliter obtineri, in quo casu possent hostes ab Ecclesia extrahi, vel in ea occidi, aut ipsa etiam Ecclesia incendi. Non tamen potest Ecclesia more castri muniri ad oppugnandos hostes; ad defensionem verò Ecclesiasticorum, & laicorum innocentum, muniri nulla religio vetat. *ibid.num.*18.

11. In grauissimis causis possunt aliquando dari vrbes militibus in prædam. Non tamen licet pro exiguo damno, inferre damnum longè excedens. Hostes iniustè pugnantes possunt aliquando partâ victoriâ affici pœnis. Obsidés innocentes, etiamsi ij à quibus missi sunt, fidem datam non seruauerint, occidi non possunt. Christiani, & eorum filij non possunt in seruitutem redigi; Apostatæ à fide possunt; eorum tamen filij, si sint baptizati non possunt. *ibid.n.*20.*&* 21.

12. Res mobiles iusto bello captæ, acquiruntur militibus, iure belli; si sint hostium. At si sint ereptæ è manibus Turcarum, aut piratarum, qui eas abstulerant christianis, restituendæ sunt prioribus dominis; neque enim piratæ acquisierant illarum dominium, detracta æstimatione laboris, & industriæ positæ in iis recuperandis. *tom.* 2.*pag.* 469. *num.*22. *&* 23.

13. Hostes qui se dediderunt, si sunt innocentes, occidi non possunt. Secùs si nocentes; nisi se dediderint cum hac conditione, *ne læderentur.* Iusto bello capti, possunt fugere ad suos; modò non iurauerint se non arrepturos fugam; nec postea recidunt in seruitutem, si tempore pacis redeant ad hostes ob negotiationem, vel aliam causam. At serui emptitij peccant fugiendo, quia priuant dominos re sua. *ibid. numer.* 25. *&* 26.

14. Peccant mortaliter duces qui bello repræsentant plures

res personas, vt plura stipendia accipiant. Item qui concedunt officia famulis, aut suis familiaribus, illisque minuunt stipendia vt sibi reliquum retineant. Item grauiter peccant milites grauando rusticos, eosque compellendo ad ea ad quæ non tenentur, neque per hoc excusantur quòd duces non soluant stipendia; milites enim alendi sunt de publico: Extrema tamen necessitas excusat, & tunc Princeps tenetur rusticis damnum compensare. *ibid. n.27.*

15. Clericis minorum Ordinum licet pugnare in bello propria manu: clericis verò qui sacris Ordinibus sunt insigniti, prohibitum est iure Ecclesiastico; possunt tamen hortari ad pugnam. Possunt etiam pugnare ad defensionem sui, vel sociorum, quando mors aliter vitari nequit. *ibid. num. 29.*

16. Tempore induciarum, & die festo abstinendum est à prælio, nisi necessitas vrgeat. Tamen quia bellum non videtur opus seruile, cum ab ipsis etiam Principibus exerceatur, multi censent pugnare in die festo etiam absque necessitate, vel reip. vtilitate, non esse peccatum saltem mortale, modò Missa audiatur. *ibid. n.30.*

BENEFICIVM, BENEFICIARIVS.

Fructuum Beneficij dominium, & dispositio.

1. Beneficiariorum bona sunt aut patrimonialia, aut quasi patrimonialia, aut mere Ecclesiastica. Beneficiarius dominium habet absolutum bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium; necnon fructuum, & prouentuum beneficij; licet enim non habeat dominium beneficij, est tamen vsufructuarius. *tom. 1. pag. 750. num. 1 & seq.*

2. Fructus, & prouentus beneficij alij sunt necessarij ad congruam sustentationem, alij superflui. Necessarios potest beneficiarius dispensare ad libitum, sicut potest bona patrimonialia, neque tenetur illos in pia opera erogare magis quàm bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia: hi enim fructus dantur tanquam merces, & stipendium laboris exhibiti. *tom. 1. pag. 751. n. 1.*

3 Fructus beneficij qui ad congruam sustentationem necessarij non sunt, sed superflui, in pios vsus erogandi sunt; sic enim decernit Conc. Trid. *sess. 25. c. 1.* quia sunt patrimonium Christi, pauperibus distribuendum. Pauperum autem nomine

Domine intelligendi sunt non tantum ij qui ostiatim stipem mendicant, verùm etiam qui vitam ex suo patrimonio commodè, & honestè iuxta sui status conditionem sustentare non possunt; intelliguntur etiam animæ in Purgatorio existentes, ipsæ enim ope nostra indigent. *ibid. n. 2. & seq.*

4. Pro congrua beneficiarij sustentatione ea pars fructuum constituenda est quæ ad beneficiarij, ipsiusque familiæ sustentationem necessaria iudicatur habita ratione scientiæ, & literaturæ, nobilitatis, aut dignitatis quam obtinet, aut loci in quo beneficium habet: cùm enim non sit par omnium conditio, æquum non est vt eadem portio omnibus assignetur. *ibid. n. 7.*

5. Qui fructus beneficij suæ sustentationi superfluos in profana opera expendit v. g. ad ditandos amicos, vel consanguineos, equos & canes alendos, grauiter peccat: est enim graue peccatum Christi patrimonium in profanos vsus profundere. Potest tamen parentibus, & consanguineis indigentibus largiri titulo paupertatis, sororem, vel neptem dotare, fratrem, nepotem, aut cognatum in studiis alere, &c. hæc enim inter pia opera numerantur. Licet etiam aliquos beneficij fructus in ludos, & honestas, ac moderatas animi recreationes insumere, spectata clericali conditione. Item potest beneficiarius ex fructibus beneficij alere filios non tantùm legitimos, sed etiam spurios, moderatam, & rationabilem dotem filiæ spuriæ tradere, &c. si non possit aliunde illis prospicere. *tom. 1. pag. 752. n 9. & seq.*

6. Beneficiarius potest distributiones pro suo arbitratu impendere; quia est illarum dominus, & distributiones dantur ob ministerium personale, tanquam stipendium laboris, consequenter sunt bona quasi patrimonialia, quorum beneficiarius est absolutus dominus; vnde patet quid sit discriminis inter fructus beneficij, & distributiones. Item cappellanus potest ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, confessionibus audiendis, concionibus habendis & id genus aliis functionibus; hæc enim non sunt bona beneficij, sed quasi patrimonialia, & fructus propriæ industriæ. *tom. 1. pag. 753. num. 18. 19.*

7. Beneficiarius non potest ad libitum insumere bona quæ ipse emit ex pecuniis Ecclesiæ, aut nomine Ecclesiæ; sunt enim bona Ecclesiæ quorum dominium non habet, & eiusmodi bona ex pecuniis, & fructibus beneficij empta addicuntur Cameræ, & fisco Apostolico; ergo non fiunt bona quasi patrimonialia ipsius beneficiarij. *ibid. n. 20. 21.*

8. Cleri

8. Clericus qui beneficium in perpetuam commendam accepit, poteſt de fructibus illius diſponere ea solùm ratione qua beneficiarius. Qui autem beneficium accepit in commendam temporalem, licèt fructus ſibi aſſignatos poſſit ſuo arbitratu expendere; reliquos tamen non poteſt diſtrahere; quia eſt illorum duntaxat procurator. *ibid.n.22.*

9. Religioſi habentes beneficia Eccleſiaſtica, v. g. Abbatiam, Prioratum, Commendam, &c. non poſſunt ad libitum de fructibus diſponere, excepta ea parte quam parciùs viuendo ſibi ſubtraxerunt: religioſi enim non ſunt domini fructuum, ſed adminiſtratores. At milites Commendatarij vt ſunt Equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, &c. peccant quidem fructus ſuarum commendarum profanè inſumendo; hoc tamen peccatum non videtur excedere grauitatem culpæ venialis, niſi fortè ratione praui finis: quia hi prouentus non ſunt bona ſimpliciter Eccleſiaſtica, dantur enim titulo ſæculari, nempe militari. Secùs ſentiendum de Equitibus Melitenſibus, ſeu commendatarij S. Ioannis Bapt. ſunt enim verè religioſi: non poſſunt igitur de redditibus commendarum quod congruæ ſuæ ſuſtentationi ſupereſt, in vſus inutiles expendere; cùm enim dentur cum onere officij recitandi, dantur titulo ſpirituali, ſuntque redditus Eccleſiaſtici. De aliis verò pecuniis, & lucris aliunde perceptis, poſſunt liberè inter viuos diſponere; habent enim illorum dominium; de illis tamen, ob votum paupertatis, teſtari non poſſunt. *tom.1.pag.753.754.n.24.& 25.*

10. Licèt beneficiarius, de iure communi antiquo non poſſit de fructibus beneficij teſtari, & diſponere ad cauſas profanas; ex priuilegio tamen, vel conſuetudine multis in locis recepta, id poteſt. Igitur beneficiarius, attenta loci conſuetudine, in quo non eſt vſus ſpoliorum, poteſt beneficij fructus conſanguineis teſtamento relinquere; immò ipſi conſanguinei beneficiario decedenti ab inteſtato, poſſunt in huiuſmodi bonis ſuccedere; quia illorum dominium beneficiarius habebat. *tom.1.pag.754.n.2. & 3.*

11. De bonis autem patrimonalibus, vel quaſi patrimonialibus, & de fructibus beneficij ad congruam ſuſtentationem neceſſariis beneficiarius poteſt licitè, & validè teſtari, vbi conſuetudo obtinuit vt beneficiarij teſtentur: at de fructibus ſuperfluis non item. *ibid.n.4.*

12. Hæres qui beneficiario teſtato, vel inteſtato decedenti ſuccedit; in eam fructuum partem ſuccedit quæ beneficiario vſque ad mortem competebat: beneficiarius autem ius habebat

bat ad eos fructus, qui vsque ad tempus mortis, à solo separati erant, licet forte nondum reconditi, nec in horreum translati essent, iuxta decisionem Rotæ; fructus autem pendentes, nec dum à solo separatos, non dubium est ad successores in beneficio pertinere. At si sermo sit de bonis locatis pro certa pensione singulis annis soluenda, vel pensio exigitur pro vsu rei, vel pro fructibus. Si exigitur pro vsu rei v.g. pro locatione domus, hæres habet ius ad ratam temporis quo prædecessor vixit, durante locationis contractu. Sin exigitur pro fructibus, titulo simplicis locationis, hæredi competit ius in fructus qui à solo separati erant eo tempore quo beneficiarius decessit; ideoque illi debetur pensio quæ hisce fructibus respondet. *tom.*1,*pag.*755.*n.*6. *&* 8.

13 Beneficiarius qui fructus beneficij sibi superfluos, in profanos vsus expendit, non tenetur ad restitutionem; quia est illorum dominus: neque is qui huiusmodi fructus à beneficiario accepit. Adde excusari hæredem à culpa qui capit fructus, seu bona beneficiarij cui ex testamento, seu ab intestato succedit: nam obligatio expendendi illos fructus in pios vsus est personalis, pertinens ad solum testatorem; ergo hæres non peccat illos capiendo, licèt forte peccauerit beneficiarium inducendo ad testandum de fructibus superfluis ad profanas causas. *tom.*1.*pag.*756.*n.*1.

Beneficiariorum Residentia.

14. Residentia est persistentia in loco, in quo quis habet beneficium. Vnde patet discrimen inter absentiam à choro, & non residentiam: nam ille dicitur non residere, qui non habitat in loco vbi est Ecclesia in qua possidet beneficium; ille verò dicitur abesse à choro, qui licèt in eodem oppido versetur, diuinis tamen officiis non interest, nec inseruit. *tom.*1. *pag.*757.*n.*1.

15. Parochus qui à parœciæ terminis adeo distat, vt facilis ad ipsum aditus non pateat, non dicitur residere. Secùs si ad eum locum diuertat quò facilis sit accessus parochianis, vt in spirituali necessitate ad illum recurrant. Satius tamen est, Parochum prope Ecclesiam habitare, iuxta declarationem Sacræ Congregationis. Potest tamen Parochus recreationis vel negociorum causa, extra parœciæ ambitum se conferre, statim reuersurus. *ibid n.*2.*&* *seq.*

16. Omnes, & singuli beneficiarij, qui onus per se ipsos

in loco beneficij exercere debent, ad residentiam obigantur vt Parochi, & Canonici. Habentes autem præstimonia, aliaque simplicia beneficia, residere non tenentur. *ibid.n.*1.

17. Parochus qui intra parœciæ ambitum commoratur quidem, sed Parochi munus non exercet, non satisfacit præcepto residendi; quia perinde est ac si non resideret; consequenter ad restitutionem fructuum eo tempore perceptorum obligatur. Qui verò per alium exercet, regulariter loquendo, non satisfacit suæ obligationi; quia munus administrandi sacramenta Parocho quoad fieri potest, personaliter incumbit: potest tamen aliquando vti opera alterius sacerdotis in confessionibus excipendis, Eucharistia ad infirmos deferenda, &c. modò subditi non repugnent, nec quidquam detrimenti inde patiantur. *tom.*1.*pag.*757.758. *n.* 2. *&* 3.

18. Habens Ecclesiam parochialem in qua Vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, non tenetur eo viuente residere, modò tota cura animorum translata sit in coadiutorem, abdica a à Parocho administratione; alioquin non est adhuc liber à residentia. Ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio. *pag.*758.*n.*5.

19. Ille Parochus potest beneficij fructus percipere, & retinere qui ita per Capellanum deseruit, vt oues nullum graue detrimentum inde patiantur: modò habitet intra terminos parœciæ; sic enim dicitur residere, & suas oues cibo spirituali non fraudat, dum parochiæ munus per alium exercet. *ibid. n.6.*

20. Beneficiarij curam animarum gerentes, vt Episcopi, & Parochi, residere tenentur iure diuino, naturali, & canonico: vnde grauiter peccant non residendo. Parochus tamen, seu alius curam animarum gerens, qui per bimestre in anno, sine licentia, à sua parochia recedit, non peccat mort. si ex legitima causa, & sine ouium damno recedat: bimestris enim absentia modica reputatur, & permittitur à Concilio Trident. Nihilominus valida est constitutio Episcopi prohibentis Parocho ne absque licentia, vltra biduum à parochia recedat; quanquam Parochus ob bidui, aut tridui absentiam, excommunicari non potest; est enim res leuior quàm vt esse possit materia censuræ. *tom.*1.*pag.*758.759.*n.*1. *& seq.*

21. Beneficiarij non habentes curam animarum, radicaliter, & quasi principaliter tenentur ex iure Ecclesiastico, in loco beneficij residere, & onus per se ipsos persoluere: secundariò verò ex iure naturali; posita enim institutione recitandi

di in choro, & persoluendi diuina officia in tali Ecclesia, cõsurgit naturalis obligatio residendi in loco beneficij, vt suo oneri satisfaciant. Habentes igitur beneficia quibus annexum est onus persoluendi diuina officia per se ipsos in Ecclesia, tenentur residere: habentes verò beneficia simplicia quæ nullam habent obligationem præter onus recitandi priuatim diuinum officium, non tenentur. *tom.* 1. *pag.* 760. *n.* 9. *& seq.*

22. Capellanus cui ex fundatione capellaniæ simpliciter impositum est onus celebrandi, non peccat grauiter non residendo; satisfacit enim celebrando per alium; nisi in fundatione caueatur vt per seipsum celebret; tunc enim non potest per alium celebrare, consequenter tenetur in loco beneficij residere vt oneri satisfaciat. *ibid. n.* 13.

23. Beneficiarius qui non residet dum residere tenetur, præter culpam, fieri potest vt incurrat aliquam censuram, vel beneficij priuationem, aut aliam pœnam, quam Ordinarius loci, pro qualitate contumaciæ, à non residentibus incurrendam iniunxerit: hanc enim facultatem Episcopis concedit Concilium Trident. *sess.* 23. *c.* 1. & præter illas pœnas incurrit priuationem fructuum pro rata absentiæ, ita decernente eodem Concil. *ibid.* etiam ante vllam iudicis sententiam. Tridentinum enim dicit non residentem non facere fructus suos, nec tuta conscientia illos sibi retinere posse, sed teneri fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci illos erogare, alia etiam declaratione non sequuta. Non tenetur tamen ad illam restitutionem nisi vltra bimestre absit. *tom.* 1. *pag.* 761. *num.* 2. *& seq.*

24. Parochus qui de Episcopi licentia vltra bimestre abest à sua parœcia, facit fructus suos, nec tenetur ad restitutionem, modò idoneum substituat ministrum, qui vices suas gerat: quia carens culpa, carere debet pœna; nulla autem est obligatio restitutionis; hæc enim obligatio consurgit ex violatione iustitiæ, cum damno alterius; at hic nullus patitur damnum, quia hic Parochus per alium præstat quod per se præstitisset. *tom.* 1. *pag.* 762. *num.* 10.

25. Abbates, vel Priores, aliíve habentes beneficium curatum regulare, sine cura sæcularium, non tenentur ad restitutionem fructuum, si suum munus per alium sufficienter suppleant; quia Concilij Trid decretum ad ipsos non extenditur. Non negandum tamen illos ex præscripto suarum regularum teneri residere. *ibid. n.* 14.

26. Canonicus qui non residet, amittit quidem distribu-

tiones quæ respondent oneri assistendi choro; præcisè tamen ob non residentiam, priuationem fructuum non incurrit. Decretum autem Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. quo Canonici non residentes priuantur fructibus, est decretum pœnale, quod non obligat ante iudicis sententiam; quamobrem Canonicus qui diuinis officiis nunquam assistit, neque in loco beneficij residet, non tenetur beneficij fructus restituere, nisi legitimi superioris auctoritate, per sententiam priuetur; quia decretum Concilij est comminatorium tantùm. *tom.* 1. *pag.* 763. *num.* 16.

27. Legitima causa obtinendæ licentiæ ad non residendum, ad aliquod tempus, est quadruplex, Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ, vel Reip. vtilitas. *Obiic.* residentiam, cùm sit de iure diuino, nullam admittere dispensationem. *Resp.* dispensari posse in iis quæ formaliter sunt de iure diuino; radicaliter verò, & fundamentaliter de iure Ecclesiastico, cuiusmodi est residentia. *ibid. num.* 1.

28. Parochus tutus est in conscientia qui non residet ob inimicitias cum periculo vitæ, Episcopo consentiente, & substituto alio idoneo; sic enim declarauit Sacra Cardinal. Congregatio. Item qui ob pestem, vel morbum non perpetuum, non potest sine vitæ periculo residere; ob morbum verò perpetuum, aut senectutem, non videtur excusandus à residentia; si autem per se ipsum non potest munus suum obire, coadiutorem assumat. *ibid. n* 2. *& seqq.*

29. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, vel etiam Collegiatarum saltem insignium, non excusantur à residentia, non obstante quauis consuetudine etiam immemorabili, vt sacra Cardin. Congregatio censuit. Tamen absentes ad dirimendas controuersias, vel ad alia opera charitatis; item inseruientes Papæ in vtilitatem Ecclesiæ; item qui absunt causa litis prosequendæ super iuribus, & bonis sui beneficij; item qui ad quinque annos Theologiam, aut ius canonicum in vniuersitatibus audiunt, vel qui publicè Theologiam, vel ius canonicum docent cum Episcopi facultate, à residentia legitimè excusantur. Porrò licentia obtinenda est in scriptis quoad Prælatos, Parochos, aliosque animarum curam gerentes; sic enim præscribitur à Trident. sess. 23. cap. 1. *tom.* 1. *pag.* 764. 765. *num.* 6. *& seq.*

40. Episcopus non potest vti opera Parochi in visitanda Ecclesia, aut pro seruitio Ecclesiæ Cathedralis, vel pro secretario,

cretario, aut in exercendo Vicarij foranei exercitio, itavt Parochus excusetur pro eo tempore à residentia (excipe grauem causam, & absentiam duorum mensium à Tridentino concessam) sic enim Sacra Cardin. Congregatio declarauit. *pag.765.num.14.*

Bestialitas.

1. BEstialitas est coniunctio carnalis cùm re alterius speciei, v. g. cum bruto, vel cum dæmone comparente in forma bruti, vel hominis, vel fœminæ, ob id dici solet fieri congressus vel cum dæmone incubo, vel cum dæmone succubo. Quod quidem peccatum cum dæmone commissum, præter malitiam bestialitatis, habet etiam malitiam superstitionis, quatenus includit societatem cum dæmone: committitur etiam species aliqua fornicationis si recipiatur à fœmina semen humanum translatum à dæmone, vnde fœtus generari potest. *tom.1.pag 322.n.1.& seq.*

2. Peccatum bestialitatis non habet species diuersas pro diuersis speciebus brutorum cum quibus habetur congressus; est enim turpitudo eiusdem rationis, cùm sit concubitus cum re alterius generis, vel speciei. Quare nihil est necesse in confessione exprimere speciem bruti; sed sufficit dicere se congressum habuisse cum bruto. *ibid n.4.*

3. Hoc peccatum non est ex eo reseruatum, quòd est affine Sodomiæ quæ est reseruata: quia bestialitas licet sit peccatum grauius Sodomia; non tamen est Sodomia, cùm non fiat cum persona eiusdem sexus; reseruatio autem cùm sit odiosa, strictè accipienda est iuxta proprietatem verborum. *ibidem num.5.*

Blasphemia.

1. BLasphemia est verbum contumeliosum, seu conuitium quod iacitur in Deum, vel Sanctos. Alia est *cordis*, alia *oris*. Alia est *simplex*, alia *hæreticalis*, qua aliquid asseritur fidei contrarium, estque non tantùm blasphemia, sed etiam hæresis, si adsit assensus intellectus, cum pertinacia. *Simplex* autem blasphemia non continet directè falsitatem contra veritatem fidei, ac proinde ad fidei Inquisitores non pertinet: at blasphemia *hæreticalis* Inquisitoribus, vel Episcopis est deferenda, si blasphemus non resipuerit per corre-

ctionem, nam ordo Euangelicus postulat vt ante denunciationem præmittatur correctio. *tom.2.pag.* 209. 210. *num.* 1. *& seq.*

2. Duobus præcipuè modis blasphemiæ peccatum committitur. 1. tribuendo aliquid Deó per contumeliam quod eius bonitati repugnat, vt vocando Deum iniustum, crudelem, &c. 2. auferendo aliquid Deo quod ei conuenit, vt dicendo nullam esse prouidentiam. *p.*210.*n.*1.

3. Blasphemia committitur à detestante diuina, vel maledicente Deum, vel illi malum imprecante; tribuit enim Deo quod non habet. Item blasphemus est qui iurat per vitam, vel caput Dei, vel Sanctorum. Item qui exprobrat Deo, aut ei tribuit irreuerenter quæ habet, vt qui iurat per corpus, aut sanguinem Dei, ex indignatione, vel ira contra Deum, vel contemptu; grauis enim contumelia irrogatur Deo. Seclusa autem ira, aut contemptu in Deum, non committitur blasphemia iurando per corpus aut sanguinem Dei, sed potius iuramentum, quia id non dicitur per modum conuitij in Deum. *ibidem num.*2.*& seq.*

4. Blasphemiam committit qui maledicit creaturis, vt creaturæ Dei sunt, aut qui blasphemat res sacras, vt qui spernit Sanctos; aut qui tribuit creaturis quæ sunt Dei propria, quasi non sit ipse solus Deus. Hoc scelere se obstringunt qui fœminas quas efflictim amant, Dei nominibus propriis audent appellare. Item qui iurant per falsos Deos, cùm illis tribuant infallibilem veritatem; si illud iuramentum seriò fiat. *ibid. n.*5. & *seq.&* 211.*n.*7.

5. Blasphemus est qui dicit se velle aliquid facere etiamsi Deus nolit, vel in despectum Dei; nam diuinam omnipotentiam minuit, quasi Deus impedire non possit. Qui verò dicit, *volo hoc facere quamuis sit peccatum*, non videtur blasphemiam proferre, non enim censetur Deum conuitiis afficere. *ibid.num.*9.

6. Non committit blasphemiam qui dicit, *hoc ita verum est, sicut est verum Deum esse*, vel, *sicut est verum Euangelium,&c.* quia nihil Deo tribuit per contumeliam, nec illi aliquid aufert; modò tamen proferens non intendat veritatem humanam coæquare diuinæ, sed tantùm indicare similitudinem quandam. *ibid.n.*13.

7. Blasphemia opponitur virtuti religionis ad quam spectat tueri honorem, & laudem Dei; estque peccatum ex suo genere mortale; potest tamen fieri veniale ex indeliberatione, & inaduer-

inaduertentia,non autem ratione paruitatis materiæ,quia blasphemia nulla est leuis, neque vlla est quæ grauem Deo iniuriam non inferat.*ibid.n.*1.*&* 2.

8. Qui blasphemat ex habitu, peccat mortaliter, quando aduertit ad prauam illam consuetudinem, illamque non conatur euellere: quia voluntariè persistit in occasione proxima blasphemandi. Qui verò blasphemat absque sufficienti aduertentia, non committit nouum peccatum, sed solùm peccauit in causa, quatenus non abstulit prauam consuetudinem; quia blasphemia prolata absque aduertentia, non est in se voluntaria, vt patet in peccatis quæ per ebrietatem committuntur.Hinc patet non esse necesse periuria inaduertenter prolata ex habitu, exprimere in confessione, sed sufficere vt exprimatur causa.*ibid.n.*3.

9. Qui proximum blasphemat, idest, qui proximo maledicit, non peccat peccato blasphemiæ propriè acceptæ, nisi ei maledicat in ordine ad Deum,quatenus est res Dei; tunc enim committit blaspheniam, quia videtur imprecari malum Deo, in rebus ab eo factis. Qui tamen maledicit proximo fine respectu ad Deum,licet propriè non blasphemet,peccat mortaliter si ei maledicat cum desiderio notabilis damni: quia facit contra charitatem proximi: qui verò solùm ex passionis impetu imprecatur alicui graue malum, quod tamen nollet euenire, non peccat mort. quia non lædit grauiter charitatem. Hinc excusari possunt parentes qui ex subito iracundiæ motu,malum filiis imprecantur. *tom.*2.*pag.*212.*n.*4.

10. Qui maledicit creaturis irrationabilibus, non peccat mort. si maledicat illis secundùm se, & propter ipsas; quia possumus illas occidere absque peccato: neque tenemur ex præcepto charitatis illas diligere. At qui illis maledicit in ordine ad creaturam rationalem, seu vt sunt bona hominis, mortaliter peccat: modò maledictio non coniiciatur ex motiuo licito. Sic excusari potest à mortali, qui filiis mortem imprecatur ne in futurum peccent. *ibid n.*5.*&* 6.

11. Blasphemia in Deum,vt sic,non differt specie à blasphemia in Sanctos; illi tamen addi potest diuersa specie malitia, pro ratione diuersarum circumstantiarum,vt patet in blasphemia prolata ex odio Dei, cui circumstantia odij Dei, peculiarem addit malitiam;aut in blasphemia hæreticali prolata cum assensu,& pertinacia, quæ habet hæresim,& excommunicationem adiunctam.*ibid.n.*1.

12. Qualitas blasphemiæ explicanda est in confessione,

ſicut explicanda eſt quantitas damni, & furti: quia hæc non ſolùm eſt circunſtantia peccati, ſed aliquid ſpectans ad obiectum, & ad conſtitutionem actus in ſuo eſſe indiuiduali. vnde patet à fortiori explicandum eſſe an blaſphemia fuerit in Deum, vel in Sanctos, in B. Virginem, an in alios: non tamen neceſſe eſt exprimere Sanctum in quem prolata eſt; quia omnes blaſphemiæ in Sanctos ſunt eiuſdem ſpeciei. *ibidem num.* 2.

Bullæ Cœnæ.

1. DIcitur Bulla à plumbea bulla illi appenſa in qua SS. Petri, & Pauli capita viſuntur impreſſa, ad differentiam Breuium Apoſtolicorum quibus plumbum non apponitur, ſed cera, ſignata annulo Piſcatoris. Vocatur autem *Bullæ Cœnæ*, quia feria quinta hebdomadæ ſanctioris in qua Chriſtus Dominus cœnam Diſcipulis fecit, editur, & promulgatur coram ſummo Pontif. frequenti populo, vno ex Cardinalibus publicationenem faciente. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *pag.* 1. *& punct.* 3 *pag.* 4. *tom.* 4.

2. Reges ſeu Principes etiamſi nullum in temporalibus ſuperiorem agnoſcant, impedire non poſſunt quin hæc Bulla in ſua ditione publicetur, acceptetur & obſeruetur; quia ipſi ſubſunt poteſtati ſpirituali ſummi Pontif. atque adeo fulminationi cenſurarum, proindeque illarum promulgationem impedire non poſſunt. *ibid. pag.* 4.

3. Finis huius Bullæ eſt triplex. 1. vt fides Catholica pura, atque integra ſeruetur ab omni labe hæreſeos. 2. ne violetur vnio fidelium cum Chriſto. 3. vt inter ipſos fideles ſocietas, & concordia foueatur. *Ibid. punct.* 4 *pag.* 5.

4. Hæc Bulla vim habet donec alia de nouo edatur, & promulgetur: vnde ſequitur cenſuras in ea contentas dici potius debere latas à iure quàm ab homine; quia habent propriam legis, & conſtitutionis à iure latæ naturam, vt ſcilicet non extinguantur morte conditoris, ſed eo extincto adhuc perſeuerent donec alia Bulla promulgetur. *ibid. punct.* 5. *pag.* 5.

Bullæ Cœnæ Publicatio.

5. Huius Bullæ publicatio Romæ fieri debet vbi eſt Curia Summi Pontif. Facta autem Romæ publicatione, Bulla obligat etiam extra vrbem degentes Chriſti fideles, ita vt omnes con-

traue

trauenientes in pœnas incurrant in Bulla contentas, nisi inculpabilis ignorantia excuset, quanquam ignorantia in foro externo non præsumitur nisi probetur. *disp.*1. *quæst.* 22. *punct.* 6. *pag.*150.151.*tom.*3.

6. Extra Vrbem autem publicanda est à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis vbilibet constitutis, quoties expedire iudicauerint, non solum in Ecclesiis Cathedralibus, sed in aliis etiam suæ iurisdictioni subditis vel per se, vel per alios. Qui autem hanc publicationem omittunt, grauiter peccant; faciunt enim contra præceptum in re graui obligans sub peccato mort. nisi grauis metus excuset, aut nullus inde speretur fructus. *ibid.*

Bullæ Transumptum.

7. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati; præterea Parochi, aliique curam animarum habentes, necnon confessarij tam regulares, quàm sæculares, tenentur sub mortali ex vi Bullæ, transumptum illius apud se habere, idest, domi suæ, vel in Ecclesia; vnum autem exemplar in singulis monasteriis sufficit, modò proponatur in loco publico ad quem pateat omnibus accessus. *ibid.punct.*7 *pag.*152.*tom.*3.

8. Transumptis Bullæ Notarij manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides adhibenda est quæ ipsimet originali Summi Pontif. adhiberetur. Qui verò ipsum Bullæ exemplar materiale perfringit, lacerat, inquinat, aut delet per contemptum, aut prauum alium affectum; vel qui ab Ecclesiæ valuis refigit, aut è manibus Sacerdotis Bullam publicare volentis abstrahit ne publicetur, peccat mortaliter: Quia id vetitum est in Bulla sub indignatione omnipotentis Dei, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli; indignatio autem Dei non incurritur nisi ob grauem culpam. *ibid.pag.*152.153.*tom.*3.

Bullæ Obseruatio.

9. Nullus excusari potest ab obseruatione eorum quæ in Bulla præcipiuntur, protextu consuetudinis etiam immemorabilis, vel præscriptionis quamuis longissimæ, aut prætextu priuilegij sub quacumque forma, vel cuiuscumque personæ

conceſſi: quia omnia priuilegia cuicunque conceſſa, & ſub quacumque forma in Bulla reuocantur; quoad ea ſolùm quæ in Bulla prohibentur; vtile enim per inutile non vitiatur. *ibid. punct.* 5. *pag.* 150.

C.

CAMBIVM, CAMPSOR.

1. NOMINE cambij intelligitur contractus quo pecunia pro pecunia permutatur, ad differentiam permutationis propriè dictæ, & aliorum contractuum: nam in permutatione traditur vna res pro alia diuerſæ rationis, vt veſtis pro equo; in venditione traditur res pro pecunia; in mutuo traditur pecunia præſens cum dilatione ad ſoluendum, quod non accidit in cambio in quo de præſenti traditur vnum genus pecuniæ pro alio. *tom.* 2. *pag.* 543. *n.* 1

2. Cambium eſt duplex, alterum *verum, & reale* quo vna pecunia re vera cum alia commutatur; alterum *ſiccum*, quod non eſt verum, ſed fictum; eſt enim mutuum ſub imagine cambij realis; vt accidit quando campſor pecuniam tradit campſario ſoluendam in eodem loco in quo eam tradit, confictis litteris ad locum diſtantem ad quem reuera literæ non mittuntur, aut ſi mittuntur, nihil operantur, eò quod campſor ſciat campſarium non habere pecuniam actu, aut poteſtate in eo loco ad quem literæ mittuntur. Vocatur autem cambium *ſiccum*, quia caret iuſto titulo accipiendi lucrum. *ibid.*

3. Cambium *reale* eſt duplex; *minutum*, quo minora numiſmata permutantur cum maioribus, aut contra; & *locale* ſeu *per litteras*, quo hìc v.g. Lugduni accipitur pecunia, Romæ ſoluenda; vocatur autem cambium *per litteras*, quia mitti ſolent literæ ad locum vbi pecunia accipienda, vel ſoluenda eſt. *ibid.*

4. Cambium *ſiccum*, eſt illicitum, & vſurarium; quia in eo accipitur lucrum ob mutuum, nempe ob ſolam dilationem ſolutionis, & non ob alium verum titulum. Cambium *reale minutum* non eſt illicitum, nec vſurarium; nam multas

multas ob cauſas poteſt aliquid exigi ſupra ſortem. 1. ratione officij cambiendi, quia campſor permutat pecuniam in fauorem alterius cum ſuo labore, & onere. 2. ratione lucri ceſſantis. 3 propter laborem numerandi. 4. propter facilitatem, ſeu commoditatem vnius monetæ in numerando, & transferendo. 5. ob antiquititatem monetæ;pluris enim æſtimatur antiqua moneta quàm noua ob antiquitatem, & materiæ puritatem. *ibid.n.2. & 3.pag.*544.

5. Qui ſcienter, vel ex inaduertentia exigit pecuniam adulterinam, non poteſt illam expendere, quia vitioſa eſt: neque ex eo quod quis fuit deceptus, poteſt alios decipere, ſed rei notabiliter vitioſæ tenetur vitium aperire. *tom.2. pag.* 544.*n.*4.

6. Procurator, vel famulus, qui à ſuo domino accepit pecunias aureas, vel argenteas ad ſoluendum creditoribus,vel ad neceſſaria emenda, ſi eas permutet cum vilioribus, aut det ad cambium, poteſt lucrum inde acceptum ſibi retinere,tanquam fructum induſtriæ ſuæ. Vnde patet eum qui aliena pecunia vtitur ad negotia, vel ad cambia, non teneri domino pecuniæ reſtituere lucrum inde perceptum, quia eſt fructus induſtriæ, concurrente pecunia tanquam inſtrumento quod ex ſe infœcundum eſt: modò tamen pecuniæ dominus nullum inde damnum patiatur; alioquin tenetur famulus ad reſtitutionem. *ibid. n.*5.

7. Licitum eſt cambium *reale locale*, ſeu *per litteras*, quo campſor dat mihi v. g. centum hìc, recepturus Romæ centum, & aliquid ſupra, ſine exceſſu tamen Quia quando campſor tradit hìc mihi pecuniam prior vt eam Romæ recipiat, virtualiter meam pecuniam Româ huc transfert, ſine periculis, & expenſis, quod ſanè pretio eſt æſtimabile: ſic enim campſarius ſubleuatur onere eam transferendi; & quo maior eſt diſtantia, eo maius ſtipendium exigi poteſt. *tom.2. pag.*544.545.*n.6.*

8. Licitum eſt item cambium *locale reale*, ſeu *per literas*, quo campſor accipit hìc pecuniam cum certo lucro, alibi ſoluendam, v.g. accipit hìc Lugduni centum, & quinque, vt mihi Romæ ſoluat centum. Quia campſor virtualiter transfert pecuniam meam ad locum vbi volo eam mihi perſolui, & me ſubleuat onere, & periculo in transferenda pecunia mihi ſubeundo, quod eſt pretio æſtimabile. Vnde colligitur campſorem accipientem hìc 100. aureos nummos vbi pluris æſtimantur, vt totidem mihi ſoluat Romæ vbi minoris valent,

lent, posse hoc lucrum quo pluris hic æstimantur sibi retinere. *pag.*545.*n.*7.

9. Non videtur vsurarium, nec illicitum cambium *reale per literas* cum recambio, quo litteræ mittuntur ad locum præfixum v. g. Mediolanum, ibique suum sortiuntur effectum, deinde Mediolani aliæ literæ conscribuntur, quibus pecunia Romam recambitur. Quia non est mutuum, nec cambium siccum, sed reale, in quo pecunia præsens permutatur cum absente. *ibid.n.*8.

10. Ad cambium *reale*, ex constitutione Pij V. hæ conditiones requiruntur. 1. vt campsarius literas scribat quæ mittantur, nec referantur inanes. 2. ne pactum fiat de certo, & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, soluendo à campsario, si non soluat tempore præstituto; potest tamen exigi si cāpsarius fuerit in mora, licet non deducatur in pactum. 3. ne campsor protrahat terminum solutionis, ob pactum recipiendi lucrum. 4. ne detur ad cambia, nisi pro nundinis proximis, iuxta consuetudinem, & vsum locorum. 5. ne termini ad soluendum longiores statuantur, quàm exigat distantia locorum. Cum his conditionibus cambium reale est licitum. *ibid n.*9.

11. Pretium cambij augeri potest, vel minui, ob maiorem, vel minorem pecuniæ æstimationem quæ oritur ex copia, vel inopia pecuniæ, aut ex multitudine, vel paucitate cambientium. Quia pecuniæ in cambio non considerantur vt pecuniæ, sed potius vt quædam merces; pretium autem mercium crescit, aut decrescit ob multitudinem emptorum, & pecuniæ, & ob raritatem venditorum, aut contrà; ergo æstimatio pecuniæ in cambiis eodem modo augeri potest, aut minui; atque hæc est praxis; & consuetudo recepta inter campsores, etiam timoratos, neque facilè damnanda. *tom.*1.*pag.* 546.*n* 15.

12. Qui tradit pecuniam ad cambium alicui cui non fidit, potest exigere pignus, vel fideiussorem; pro crediti securitate, modò fructus pignoris computentur in sortem, si pignus sit frugiferum. *tom.pag.*547.*n.*21.

13. Campsor non potest pactum inire cum campsario vt si non soluat termino constituto, vel in loco præfixo, accipiat eandem pecuniam ad cambia, & recambia, donec persoluerit sortem: nam hoc onus est nimis graue, nisi certò moraliter constaret campsorem tantum lucri percepturum ab aliis, si solutio sibi fieret statuto loco, & tempore; tunc

tunc enim ratione lucri cessantis, huiusmodi pactum esset licitum.*ibid.n.*22.

14. Campsor qui bona fide dedit pecuniam Titio ad cambium soluendum v.g. Romæ, sed postea comperit Titium non habere pecuniam actu, vel potestate, neque vllum correspondentem Romæ, non potest exigere tantum lucri, quantum percepisset si Titius Romæ soluisset, secluso tamen lucro cessante, vel damno emergente; quia non potest illud exigere vi contractus, cùm non sit verus contractus, sed potius deceptio. *ibid.num.*24.

15. Quando vterque cambientium reportat ex cambio æquale commodum, ille qui præuenitur ab altero, potest ab illo lucrum cambij recipere; v.g. ego egeo pecuniâ hîc Lugduni, quam habeo Mediolani, tu verò Mediolani indiges pecunia quam hîc habes Lugduni; si ego à te præueniar, possum à te aliquid lucri pro cambio recipere. Quia ego subeo onus in tui gratiam, pretio æstimabile, & libero te onere, periculis, & expensis transmittendi pecuniam, quod non est minus pretio æstimabile quàm si ego pecunia non indigerem. *ibid.num.*25.

CARDINALIS.

Cardinales in Conclaui.

1. IN cap. *Vbi periculum*, *de elect.in 6.* fertur excommunicatio contra eos qui Cardinalibus in conclaui existentibus literas, vel nuncium mittunt, vel secretò loquuntur. *disp.* 2.*q.*2. *punct.*34.*pag.*181.*tom.*3.

2. Hanc excommunicationem non incurrit qui literas alicui Cardinali in conclaui existenti scripsit, sed illæ ad Cardinalem non peruenerunt; etiamsi fortè is qui eas intercepit, eidem Cardinali significauerit quid in ipsis contineretur; quia effectus ex parte mittentis non est consummatus. *ibid. num.* 3.

3. Possunt tamen Cardinales in conclaui existentes de consensu omnium, admittere aliquem circa ea quæ pertinent ad electionem tunc instantem; in quo casu is qui accedit cum illis colloquuturus, hanc censuram non incurrit. *ibid.num.*5.

4. Ipsi Cardinales accipientes literas, vel nuncium, vel

colloquentes cum ſecretò loquentibus, non ſubiiciuntur huic excommunicationi; quia non eſt lata in ipſos Cardinales accipientes, vel colloquentes; ſed in mittentes, aut ſecretò loquentes. *ibid. pag.* 182. *n.* 7. *tom.* 3.

5. Secretò loquens cum famulis Cardinalium in conclaui exiſtentibus non incidit in hanc cenſuram, niſi illis iniungat vt illud referant Cardinalibus; tunc enim excommunicatur vt mittens nuncium. *ibid. n.* 8.

6. Præter hanc excommunicationem, alia inuenitur in Bulla 63. quæ incipit, *Intelligendis Eccleſiarum Prælatis* §. *literas.* in qua Pius IV. ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſeruata, prohibet literas, aut ſcripta cuiuſuis generis, ſeu nuncium, vel notam, aut ſignum, ad eos qui in conclaui ſunt mittere, ſeu recipere, aut contrà è conclaui ad eos qui foris erunt. *ibid.* vnde patet diſcrimen inter hanc, & ſuperiorem excommunicationem. *tom.* 3.

Cardinalium violatores.

7. In cap. *fœlicis*, *de pœnis in* 6. lata fuit excommunicatio contra offendentes Cardinales, illos hoſtiliter inſequentes, percutientes, capientes; necnon contra mandantes, aut ratum habentes huiuſmodi delictum, conſulentes, fauentes, receptantes, & ſcienter defendentes huius criminis reos. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 7. *pag.* 199. *tom.* 3.

8. Huic excommunicationi ſubiicitur is qui præfatas actiones facit in Summum Pontificem; quia is non eſt deterioris conditionis quàm Cardinales. *ibid. n.* 5.

9. Hæc excommunicatio eſt Papæ reſeruata.

10. In eodem cap. & in Bulla 93. Pij V quæ incipit, *Infœlicis ſæculi*, fertur excommunicatio in eos qui quouis pacto conſpirationem in Cardinalem ſciuerint niſi reuelauerint Summo Pontifici, vel Ordinario loci. *ibid. punct.* 8. *pag.* 200. Vide titul. *Prælatus.*

Cardinalium bona occupantes.

11. In Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 41. in decreto, *Omnis ætas*, lata fuit excommunicatio contra violenter occupantes bona electi in Papam, aut Cardinalium electorum, aliorumque in conclaui exiſtentium. Deinde Leo X. extendit hanc excommunicationem ad eos qui domum alicuius Cardinalis

armata

armata manu inuadunt, hostiliter diripiunt, aut aliquem ibi existentem vulnerant, aut ad huiusmodi delictum mandato, vel consilio cooperantur, aut ratum habent. *disp. 2. quaest. 3. punct. 9. pag. 200. tom. 4.*

12. Ad hanc excommunicationem incurrendam non satis est vt quis armata manu domum Cardinalis inuadat, nisi etiam aliquid violenter tanquam hostis rapiat. Quia Summus Pontif. vtrumque coniungit. Neque excommunicationem incurrit qui titulo lætitiæ Cardinalis in Papam electi diripit; quia id non facit animo hostili. *ibid. num. 3.*

13. Præter excommunicationem Papæ reseruatam, sunt aliæ pœnæ contra delinquentes statutæ, vt exilium, infamia, publicatio bonorum, priuatio beneficiorum, &c. *ibid. n. 8.*

Cardinales Consistorij secreta reuelantes.

14. Leo X. Bulla 7. quæ incipit, *Supernæ dispositionis arbitrio*, edita in Concilio Lateran. statuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne quis Cardinalium vota seu suffragia in consistorio data, & quæcumque ibi gesta, aut dicta quæ in odium, aut scandalum alicuius redundare possint, scripto, aut verbo aut quouis alio modo reuelet, & quoties indictum fuerit à Rom. Pontifice super aliqua re silentium. *disp. 2. quaest. 7. punct. 2. pag. 273. tom. 3.*

15. Non tantùm Cardinales, sed alij etiam qui audita à Cardinalibus vel ab alio qui ea à Summo Pontifice acceperit, reuelant iniuncta expressè obligatione secreti, in eandem censuram videntur incidere; nonnulli verò censent solis Cardinalibus eam silentij obligationem sub excommunicatione impositam fuisse. *ibid. num. 7.*

16. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata.

CENSVRA.

Censura quid, & quotuplex.

1. CEnsura est pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium, in ordine ad salutem. Triplex est: *Excommunicatio*, *Suspensio*, & *Interdictum*. Nam irregularitas non est censura, cùm incurri possit absque delicto. *tom. 1. pag. 337. 338. n. 1. & seq.*

2. Censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti alia est *à iure*, alia *ab homine*. Censura *à iure* dicitur ea quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem, seu statutum generale perpetuum, iniuncta transgressoribus pœna cẽsuræ. Censura *ab homine* est ea quæ fertur à superiore aliquid præcipiente, intentione ferendi præceptum temporale, & transitorium, sub pœna censuræ. Rursus censura alia est *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur, absque iudicis sententia; alia est *sententiæ ferendæ*, quæ tantùm est comminatoria, neque ipso facto incurritur. Cognosci autem potest censura esse latæ sententiæ, quando in lege apponuntur istæ particulæ, *ipso facto*, *ipso iure*, aut quando adduntur hæc aduerbia, *confestim*, *statim*, *illico*, &c. aut quando censura fertur per verbum præsentis temporis, aut imperantis modi. Quando verò fertur per verbum futuri temporis, argumento est, esse tantùm ferendæ sententiæ. In dubio autem an censura sit latæ, an ferendæ sententiæ, iudicandum est esse ferendæ tantùm; nam odia sunt restringenda, & in mitiorem partem interpretenda. *tom.* 1. *pag.* 338. *n.* 5. *&* 6.

Censura à quo ferenda.

3. Potestas ferendi censuras est de iure diuino, vtpote ab ipso Christo Ecclesiæ collata Matth. 18. *Quodcumque ligaueritis super terram*, &c. Nulla tamen censura imposita est à iure diuino: nulla enim legitur pœna, vel priuatio à iure diuino præscripta: quippe Matth. 18. vbi dicitur, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, non fertur excommunicatio; sed tantùm ostenditur quàm grauiter peccent ij qui Ecclesiæ non obediunt, quos Christus monet esse vitandos, nõ tanquam excommunicatos, sed tanquam peccatores. *ibid. n.* 1. *&* 2.

4. In ferente censuras hæ conditiones requiruntur. 1. vt sit homo viator. 2. vtens ratione. 3. baptizatus. 4. vt non sit laicus, quia laicus non habet iurisdictionem Ecclesiasticam. 5. vt non habeat iurisdictionis vsum impeditum, vt accidit quando iudex est excommunicatus vitandus, aut quando interposita fuit legitima appellatio. 6. vt censuram non ferat in causa propria: nullus enim potest esse actor, & iudex. Excipitur casus defensionis; potest enim per censuram vis, & iniuria propulsari; iuxta illud, *Vim vi repellere licet.* tom. 1. *pag.* 338. 339. *n.* 3. *&* 4.

5. Præter

5. Præter Summum Pontificem qui ius habet in omnes chriſtianos, poteſtas ferendi cenſuras competit Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis reſpectu ſibi ſubditorum. Eandem habet poteſtatem Capitulum Sede vacante, necnon Vicarius Capituli, aliique quibus ex officio, & ſtatuto Eccleſiæ hæc poteſtas competit, vt ſunt Abbates, Priores Eccleſiarum habentes iuriſdictionem in foro externo, Prælati religionum, vt Prouinciales, & Guardiani, item Cardinales in Eccleſiis in quibus quoad forum externum habent iuriſdictionem. Parochus vero hanc poteſtatem non habet, cùm careat iuriſdictione in foro externo. Poteſt tamen per conſuetudinem, aut præſcriptionem acquirere poteſtatem ferendi vnam aliquam cenſuram in ſuos ſubditos. Item Clericus poteſt ex commiſſione ſibi data à legitimo ſuperiore, vel ex conſuetudine legitimè introducta ferre cenſuras: qui verò non eſt clericus, licèt ſit religioſus, non poteſt, niſi de abſoluta Summi Pontificis poteſtate, validè ferre cenſuras, defectu iuriſdictionis cuius, de iure ordinario, eſt incapax. *tom.* 1. *pag.* 339. *numer.* 5. *&* 6.

6. Collegium Eccleſiaſticum eſt capax iuriſdictionis ad ferendas cenſuras; laicum verò, & ſæculare eſt incapax. Illud autem Collegium cenſetur Eccleſiaſticum, in quo ſunt plures Eccleſiaſtici, quàm laici; at ſi numerus ſit æqualis, probabile eſt Collegium cenſendum eſſe Eccleſiaſticum, quia nobilius trahit ad ſe minus dignum. *tom.* 1. *pag.* 340. *n.* 7.

Cenſura propter quid ferenda.

7. Cenſura non incurritur niſi ob peccatum aliquod exterius: nam de internis ſolius Dei eſt iudicare. Cenſura autem excommunicationis non incurritur niſi ob peccatum proprium; ob id cautum eſt ne excommunicatio feratur in communitatem; at cenſura ſuſpenſionis & interdicti ferri poteſt ob peccatum alterius; fertur enim in totam communitatem ob delictum alicuius ex illa communitate. *ibid. n.* 2. *& ſeq.*

8. Quæres vtrùm faciens actum externum ſine interno incurrat cenſuram, v.g. vtrùm recitans officium, vel audiens Miſſam ſine vlla attentione incurrat cenſuram, ſi quæ lata eſſet contra non recitantes officium, vel non audientes Miſſam. *Reſp.* affirmatiuè, quando actus internus eſt de ſubſtantia actus externi præcepti, qualis eſt attentio reſpectu diuini officij, aut Miſſæ audiendæ. Secùs ſi ſubſtantia actus externi poſſit

subsistere absque actu interno ; tunc enim non incurritur censura , si omittatur internus ; vnde communicans indignè in Paschate, satisfacit præcepto Ecclesiæ : at audiens Missam sine attentione non satisfacit, quia Missam non audit. *ibid. num.* 5.

9. Non potest ferri grauis censura nisi ob peccatum mortale : quippe pœna debet esse proportionata delicto. Quocirca maior excommunicatio lata ad peccatum veniale est nulla. Non tamen pro quolibet mortali ferenda est grauis censura ; sed pro eo tantùm quod alia ratione emendari, aut impediri non potest. *tom.* 1.*pag.* 341.*n.* 6. *& seq.*

10. Potest Superior sub censura prohibere aliquid, quod licèt secundùm se sit leue, & indifferens, nihilominus fit graue ob circumstantiam, vel ob finem à superiore intentum ; vt quando superior præcipit clerico ne arma ferat, aut ne comam alat : hæc enim licèt in se spectata sint leuia, tamen ratione status, & scandali fiunt grauia. At si superior prohibeat sub excommunicatione proferri verbum otiosum, non incurritur excommunicatio à delinquente ; quia hoc peccatum, seu spectetur in se, seu in ordine ad finem, est leue. *ibid. num.* 8. *&* 9.

11. Potest ferri excommunicatio ob rem leuem furto ablatam, si ex eo furto, graue damnum alicui sequatur, v. g. ob acum sartori ablatam ; non ratione furti, quia non est materia sufficiens ad peccatum mortale furti, sed ratione damni quod inde passus est sartor ; atque ex hoc capite est peccatum mortale. *ibid. n.* 10. *&* 11.

12. Non incurritur censura, nisi effectus, quem legislator prohibet sub censura, sit completus, nisi sub censura principaliter prohibeatur ipsa actio, vel conatus. Aut nisi actus exterior habeat malitiam quæ sub censura prohibetur; quare qui exteriùs profert hæresim, sed interiùs bene sentit, non subiacet excommunicationi latæ contra hæreticos ; hæc enim censura fertur ob actum externum habentem malitiam hæreseos. *tom.* 1. *pag.* 342.*n.* 12. *& seq.*

13. Mandantes, & consulentes non incurrunt censuram nondum sequuto effectu, quandò effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò, vel consilium tantùm accessoriè ; quare qui mandauit v. g. percuti clericum, nisi sequatur percussio, non contrahit excommunicationem. At quando mandatum, vel consilium principaliter prohibetur, vt in excommunicatione lata contra mandantes homicidium per

assassi

aſſaſſinos, incurritur excommunicatio ante ſequutum effe-ctum. *ibid.n.*15.

14. Qui actionem aliquam exercet de ſe inſufficientem ad effectum prohibitum ſub cenſura, non incurrit cenſuram. Vt ſi lata eſt excommunicatio contra homicidas, Titius qui vulnerauit Caium vulnere non lethali, cenſuram non incurrit, licèt ob aliam cauſam contingat vulneratum mori: quia ſub cenſura prohibetur actio lethalis, ſeu de ſe illatiua mortis; non autem quælibet vulneratio. *ibid.n.*16.

15. Cenſura lata ſub conditione non incurritur ante conditionis euentum; neque incurritur ſemper ob quodlibet voluntarium; ſed expendenda ſunt verba legis. Nam quando lex prohibet abſolutè aliquod delictum ſub cenſura v.g. homicidium, ad incurrendam cenſuram requiritur illud voluntarium quod ſufficit ad mortale peccatum, & ad contumaciam contra cenſuram. Quando verò verba legis non prohibent abſolutè aliquod delictum ſub cenſura, ſed poſtulant perfectum, & directum voluntarium, certum eſt cenſuram non incurri per quodlibet voluntarium ſufficiens ad peccatum mort. Vt quando lex dicit: *Qui temere hoc fecerit, qui auſus fuerit, aut præſumpſerit, anathemate feriatur*; ad cenſuram incurrendam non ſufficit voluntarium, quod ſufficit ad peccatum mort. (nam negligentia, aut ignorantia craſſa ſufficit ad mort.) ſed requiritur temeritas, audacia, & contemptus. *ibid. num.* 17.18.

16. Pro peccato præterito commiſſo non poteſt ferri cenſura, ſed requiritur contumacia: tum quia ad incurrendam cenſuram requiritur admonitio præuia, tum quia cenſura fertur in rebelles, & contumaces: at qui iam commiſit peccatum non prohibitum ſub cenſura, vt ſuppono, non eſt contumax, nec rebellis, ergo, &c. Non negandum tamen poſſe pro peccato præterito imponi aliquam pœnam v.g. priuationem officij, dignitatis, vel accedendi ad ſacram ſynaxim ad aliquod tempus. *ibid.n.*19.

Cenſura in quem ferenda.

17. Quinque conditiones requiruntur, in eo qui ligandus eſt cenſura; 1. vt ſit viator, ideſt, viuens in hoc mortali corpore; nam in defunctum nulla eſt Eccleſiæ iuriſdictio, niſi indirecta. 2. vt ſit baptizatus: nam, vt ait Paulus 1. Cor. 5. *De iis qui foris ſunt nihil ad nos.* 3. vt ſit adultus, & doli capax,

quia censura supponit peccatum: quare impubis doli capax ligari potest censura validè, non tamen licitè ante annum 14. si sit masculus, & 12. si fœmina. 4. vt sit homo determinatus; nam tota vniuersitas, aut collegium excommunicari nequit: aliæ tamen censuræ suspensionis, & interdicti, ferri possunt in communitatem, capitulum, aut collegium. 5. vt sit inferior, & subditus ferenti censuram; quia iurisdictio coërcitiua non potest nisi in inferiores, & subditos exerceri. *tom.* 1. *pag.* 343. *n.* 1. *& seq. pag.* 344.

18. Censura generaliter lata à Summo Pontifice, si est excommunicatio, Episcopos ligat, nisi excipiantur: si est suspensio, vel interdictum, Episcopos non ligat nisi expressa illorum mentio fiat. *pag.* 344 *n.* 15.

19. Nemo potest propria potestate censuram in seipsum ferre; quia nemo est seipso inferior. Vnde fit, vt accipiens à Summo Pontif. potestatem ferendi excommunicationem contra omnes surripientes rem alienam in notabili quantitate, non incurrat ipse excommunicationem surripiendo. Secùs dicendum si ipse non ferat, sed illam denunciet latam à superiore: tunc enim denuncians incurrit censuram si delinquat contra præceptum superioris. *ibid. n.* 17.

20. Superior interdicens aliquem locum, tenetur ipse seruare interdictum, & subiacet pœnis à iure communi latis contra violantes interdictum; non tamen incurrit has pœnas quasi à se latas, sed vt latas à iure communi præcipiente interdictum inuiolabiliter seruari. *tom.* 1. *pag.* 345. *n.* 17.

21. Æqualis non potest in æqualem censuram ferre auctoritate propria; quia par in parem non habet imperium: ex commissione verò, & potestate delegata potest; quia per delegationem factus est superior; sic Episcopus accepta à Summo Pontifice potestate, potest alium Episcopum excommunicare. *ibid. n.* 18.

22. Habentes priuilegium à Summo Pontif. per quod eximuntur ab Episcopi iurisdictione, vt Reges, & Imperatores, non ligantur censuris ab Episcopo latis. Idem dicendum de religiosis exemptis quoad eos casus in quibus sunt exempti. *ibid. n.* 19. *&* 20.

23. Ligatus vna censura, potest adhuc ligari alia non modò diuersæ, verùm etiam eiusdem rationis: quare qui semel contraxit excommunicationem ob clericum percussum, potest nouam contrahere si alium, vel eundem iterum percutiat. Tot enim incurruntur censuræ, quot sunt moraliter, & formaliter actus

actus contra præceptum, seu quot sunt transgressiones legis. Hinc sequitur furantem in Ecclesia incurrere duplicem excommunicationem, si lata esset contra fures, & contra sacrilegos: hæc enim actio licet sit vna numero, & physicè, nihilominus est multiplex formaliter, & moraliter. *ibid. num.* 1. *& seq.*

24. Probabiliter defendi potest eum qui percutit, vel occidit vno actu plures Clericos, vnam tantùm incurrere excommunicationem; quia est vnum tantùm numero peccatum, & vna transgressio; ergo vna tantùm censura, vt qui profert blasphemiam in 12. Apostolos, vno tantùm blasphemiæ peccato se obstringit: contraria tamen sententia est tutior. *tom.* 1. *pag.* 346. *num.* 7.

25. Ille contrahit plures censuras qui committit vnum actum habentem plures circumstantias mutantes speciem actus moralis, singulas sub censuris prohibitas. Secùs quando circumstantiæ non mutant speciem, sed sunt eiusdem speciei; tunc enim est vnica moraliter actio, vnica transgressio, consequenter vna censura. Vnde sequitur eum non incurrere plures excommunicationes qui percutit Sacerdotem qui simul est diaconus, & subdiaconus; quia hæ circumstantiæ speciem non mutant. At qui percutit monachum sacerdotem, duplicem irreuerentiam committit, alteram in statum religiosum, alteram in clericalem, ac proinde hæc percussio est duplex transgressio. *ibid. n.* 8. Vnde fit, vt sepeliens in loco sacro vsurarium excommunicatum, & nominatim interdictum, tres excommunicationes incurrat; quia triplicem inobedientiam committit contra tres prohibitiones diuersas factas sub excommunicatione. *tom.* 1. *pag.* 347. *n.* 10.

26. Qui facit aliquem actum prohibitum à multis habentibus eandem potestatem, vnam tantummodò censuram incurrit; quia illi plures quoad potestatem formaliter sunt vnus, ac proinde est vna tantùm contumacia. Quando verò actus prohibitus est ab habentibus diuersam potestatem, tot incurrentur censuræ, quot sunt superiores, modò quisque tulerit censuram tanquam suam, & intenderit condere nouum ius; sunt enim contumaciæ formaliter plures. Hinc fit, vt is duplicem excommunicationem incurrat qui facit aliquid sub excommunicatione prohibitum à Papa, & ab Episcopo modò Episcopus intenderit nouum ius ferre. *ibidem, numer.* 11. *& seq.*

27. Censura lata contra facientes aliquid, non ligat man-

dantes, vel consulentes, nisi in sententia exprimantur. Quare si lata esset excommunicatio contra furantes, mandans, vel consulens furtum non incurreret excommunicationem: quia mandans, & consulens non dicuntur propriè furari. Quando autem mandantes, vel consulentes exprimuntur in sententia censuræ, non ligantur censura nisi verè influant in effectum prohibitum, aut si reuocauerunt mandatum, eiusque reuocatio innotuit iis qui illud mandatum acceperant; sic enim non censentur influere in effectum prohibitum sub censura. At consulentes etiamsi reuocauerint consilium, & illius reuocatio innotuerit iis quibus fuerat datum, nihilo seciùs secuto effectu censuram incurrunt; quia non censentur reuocasse influxum. *tom. 1. pag.* 347. 348. *n.* 1. *& seq.*

Censura quomodo ferenda.

28. Censura non incurritur antequam lata fuerit à iudice per signa externa, & non per solam voluntatem internam; cùm nullus censuram incurrat nisi ob contumaciam, nullus autem dici possit contumax contra superiorem, nisi eius præceptum innotuerit; ignorantia quippe excusat à contumacia. Sufficiunt autem ad ferendam censuram quæcumque verba modò sint determinata ad aliquam particularem censuram, aut etiam quælibet scriptura quæ intentionem iudicis sufficienter exprimat: quia nullo iure præscribitur certa excommunicationis formula *pag.* 348. *n.* 1. *& seq.*

29. Valida est censura lata sub forma disiunctiua, cuiusmodi est hæc: *Clericus qui tulerit arma, sit suspensus ab officio, vel beneficio*: quia confusè saltem est definita, & determinata ad vnam partem: nam iudicis intentio est vt delinquens alteram earum incurrat, & liberum ei relinquit vt sese applicet ad vtram ipse maluerit. At si delinquens nolit alteram partem eligere, videtur vtrique pœnæ subiacere. *ibid. n.* 4. *&* 5.

30. Verba quibus fertur censura, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando, vel designando in ordine ad delictum, vt si dicatur: *Clericus qui gestauerit arma, incidat in excommunicationem.* Quia verba censuræ faciunt id quod significant, igitur quando nullam personam significant, aut designant, nullam afficiunt. Quare inualida est excommunicatio, quæ fertur in hæc verba: *Excommunico vnum ex furibus*, quando sunt plures; quia non constat in quem feratur iudicis intentio, *tom.* 1. *pag.* 349. *n.* 6.

31. Qui

31. Qui verbo tenus sine scriptura fert censuram, peccat mortaliter, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à diuinis: eandemque suspensionem incurrit ferens censuram sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur. Vt hac ratione iudex sit cautior in ferenda censura. Ab hac tamen pœna suspensionis eximuntur Episcopi ferentes censuram solo verbo, vel qui hoc faciunt ob vrgentem, & grauem aliquam causam, vel ex quadam inaduertentia, bona fide. Eximuntur item Prælati religiosorum ferentes sine scripto censuram contra suos: durius enim illis esset seruare hunc ordinem iuris. Cæterùm censura lata sine scriptura, & sine expressione causæ, non est irrita nec inualida: quia hoc non pertinet ad substantiam censuræ, sed est tantùm quid accidentale. *ibid.n.* 1.2. *&* 3.

32. Non incurritur censura nisi præcesserit admonitio facta auctoritate illius qui laturus est censuram: quia non potest esse contumacia nisi præsupponatur admonitio. Censura tamen lata pro futuris delictis non requirit admonitionem distinctam ab ipsa lege prohibente; lex enim ipsa non ignorata admonet. Quando autem declarandum est aliquem incidisse in censuram, necessaria est citatio vt audiatur reus, alioquin sententia declaratoria est irrita: nemo quippe condemnandus est inauditus. *tom.*1.*pag.*349.350.*n.*1.*&* *seq.*

33. Triplex admonitio præmittenda est formaliter, aut virtualiter, idque colligitur ex Matth. 18. vbi Christus præcipit peccantem prius corrigi secretò, deinde adhiberi testes, vltimò dici Ecclesiæ. Vrgente tamen necessitate vna sufficit: absque necessitate autem censuram ferens sine triplici admonitione grauiter peccat. Inter singulas admonitiones requiritur saltem duorum dierum interuallum. At quando censura ferenda est contra personam aliquam particularem, admonitio facienda est coram illa; quando autem generaliter fertur, sufficit admonitionem fieri in loco publico. Si suspensio, vel interdictum ferendum est contra communitatem; admonitio facienda est delinquenti, ob cuius delictum fertur suspensio; seu interdictum. *tom.* 1. *pag.* 350. 351. *numer.* 1. *&* *seq.*

34. Quando ferenda est censura in aliquem particularem, in quatuor casibus sufficit admonitionem fieri ad domum illius. 1. quando reus per dolum se abscondit, vel per vim impedit ne moneatur. 2. quando semel facta est personalis ad-

monitio. 3. quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti. 4. quando quis malè absolutus est ab excommunicatione,& agitur de ipso ad priorem excommunicationem reuocando. *pag.*351.*n.*9.

35. Censura ex odio, vel inuidia lata, valida est si seruatus fuit ordo iuris (alioquin est nulla) etsi iustam ob caussam lata est: nam si causa propter quam fertur, non subsistit, censura est inualida, vt pote iniusta: quia nemo ligari potest censura nisi propter grauem culpam. Vnde sequitur innocentem iniustè excommunicatum non priuari suffragiis Ecclesiæ, neque teneri, secluso scandalo, gerere se tanquam excommunicatum. *ibid.n.*1.*& seq.pag.*352.

36. Sententia continens errorem intolerabilem est inualida; quando scilicet iudex eam laturus non habet, neque iudicat se habere rationem, aut causam iustam ad censuram ferendam. Vnde patet sententiam seu legem præcipientem aliquid turpe, aut communi bono contrarium, aut inutile, non obligare in conscientia nec inducere censuram. *tom.*1.*pag.*352. *n.*8. *&*9.

37. In dubio an censura lata sit ob causam legitimam,reus tenetur se gerere tanquam obstrictum censura: quia in dubio standum est iudicio superioris, illique obtemperandum. At quando probabilius, & vero propius est causam propter quam lata est censura,esse iniustam, valde probabile est, reum non ligari censura. *ibid.n.*11.

38. Censura ferri non potest extra proprium territorium, quando ad illam ferendam opus est iurisdictione contentiosa, absque licentia Ordinarij. Quare Episcopus extra suam diœcesim, non potest validè ferre censuram sedens pro tribunali, & cùm cognitione causæ. *ibid.n.*3.*&* 4.

39. Contra delinquentes in alieno territorio superior non potest censuram ferre per modum statuti; quia extra proprium territorium non habet iurisdictionem. Quod vt intelligatur, obserua hoc esse discrimen inter censuram latam *per modum sententiæ*, & latam *per modum statuti*, quòd lata *per modum statuti* obligat tantùm delinquentes in territorio legislatoris; nam statutum dicitur lex territorij: Censura verò lata *per modum sententiæ*, afficit personam subditam vbicumque sit. *tom.* 1.*pag.*353.*n.*6.

40. Clericus non residens, existens extra diœcesim potest à proprio Episcopo excommunicari, etiam per statutum: quamuis enim sit extra diœcesim, tamen consummat actû non residen

residendi in diœcesi, & censetur peccare in diœcesi, quia in ea non residet. Item clerici vocati ab Episcopo ad synodum sub censura, possunt etiam absentes à diœcesi ligari censura; quia delictum omissionis censetur ibi committi, vbi actus præceptus exercendus erat. *ibid.n.7.*

41. Censurâ latâ in aliquo territorio contra stupratores, qui virginem inde abduxit, & in alio territorio eam constuprauit, hanc censuram non incurrit: quia licèt delictum sit inchoatum in eo territorio in quo lata est censura; tamen est alibi consummatum. Idem esto iudicium de eo qui existens in Ecclesia, ictu sagittæ occidit hominem existentem extra Ecclesiam: at lethaliter alium vulnerans in Ecclesia, censuram incurrit latam contra occidentes in Ecclesia, licèt vulneratus, extra Ecclesiam moriatur; nam delictum censetur in Ecclesia perpetratum. *ibid.num.* 10.

42. Censura lata propter actum præteritum patratum eo tempore quo delinquens erat in territorio ferentis censuram, ligat etiam extra illud territorium existentem, v. g. Archiepiscopus Lugdunensis fert excommunicationem contra Titium sibi subditum qui furtum commisit, nisi restituat intra mensem, Titius ligatur excommunicatione non restituendo intra mensem, quamuis nondum elapso mense domicilium mutet; remanet enim subditus ratione delicti in illius territorio commissi. *ibid.n.*13.

43. Censura ab Episcopo lata *per modum sententiæ* ligat subditos in alieno territorio existentes: quia statutum (vt dictum est supra) respicit territorium, sententia verò respicit personam delinquentis vbicumque sit, vt illius contumacia coërceatur. *tom.* 1.*pag.*354.*n.*14.

44. Censura ab Archiepiscopo lata non extenditur ad Suffraganeos, eorumque subditos, nisi lata sit in Concilio prouinciali, aut nisi in territorio ipsius Archiepiscopi delinquant: quia Archiepiscopus non habet iurisdictionem ordinariam in Suffraganeos extra suum territorium versantes, exceptis quibusdam casibus infra recensendis. *ibid.n.*19.

45. Extraneus non ligatur censura lata à superiore loci, in quo ad breue tempus versatur: quia extraneus qui non decreuit maiori anni parte in aliquo loco manere, non censetur subditus illius loci. *ibid.n.*20.

46. Censura per metum incussum iudici extorta valida est, quia metus non tollit voluntarium simpliciter, quod sufficit ad ferendam censuram. *ibid.n.*1.

47. In ferenda censura, habenda est ratio temporis, ne scilicet feratur, die feriato qui dicatus est cultui diuino: quia eo die cognitio causæ fieri nequit: si tamen eo die feratur, valida erit; quia censura non postulat necessariò causæ cognitionem. *ibid. num* 3.

48. Qui censuram contraxit, denunciandus est de auctoritate legitimi superioris; sic enim faciliùs resipiscet ne à cæteris fidelibus vitetur. Hæc autem denunciatio facienda est publicè in Ecclesia, & postea in scriptis ad valuas affigenda cum expressione causæ. Qui autem censuram ipso iure contraxit, non est denunciandus statim post delictum, ante sententiam criminis declaratoriam, etiamsi delictum notorium sit, & publicum, sed præmittenda est citatio, & sententia declaratoria: fieri enim potest vt reus probet suam innocentiam, & probabilem sui facti excusationem afferat. *tom.* 1. *pag.* 355.

Censuræ finis, & effectus.

49. Is est finis censuræ quem superior in ferenda censura intendit, sibique proponit, nempe salus, vel emendatio, seu resipiscentia delinquentis contra quem censura fertur, iuxta illud 1. Cor. 1. *Vt resurgat à peccato, & saluus fiat in die Domini.* Quare si Prælatus moraliter est certus delinquentem non obtemperaturum, non debet excommunicationem ferre, cum enim excommunicatio sit quædam medicina, non est sine spe fructus adhibenda, nisi feratur ad terrorem aliorum. *ibidem num.* 1. *&* 2.

50. Censuræ effectus est priuatio aliquorum bonorum spiritualium. Potest tamen Summus Pontif. illum effectum suspendere: Quia censura instituta est iure humano; Summus autem Pontif. habet potestatem supra ius humanum. Vnde sequitur posse Summum Pontificem validè conferre beneficium excommunicato. Episcopi verò, aliique Prælati non possunt, nisi ex speciali priuilegio, aut consuetudine. *ibidem num.* 3. *& seq.*

A Censura incurrenda quæ causæ excusent.

51. Præmittendum ignorantiam aliam esse *iuris*, quæ contingit quando nescitur lex, seu prohibitio; aliam *facti*, quando ignoratur factum lege prohibitum; aliam *pœnæ*, quando ignoratur pœna lata contra delinquentes. Rursus ignorantia alia est

est *probabilis*, seu *inuincibilis*, quæ nulla adhibita diligentia vinci potuit, ac proinde est inculpabilis; alia *improbabilis*, seu *vincibilis*, quæ vinci potuit, sed non est adhibita sufficiens diligentia, ideoque est culpabilis. Hæc autem alia est *affectata*, cum qui vult ignorare præceptum vt liberiùs peccet; alia *crassa*, & *supina* quæ summam negligentiam habet adiunctam. Denique ignorantia alia est *antecedens*, sine qua non fieret actus malus; alia *concomitans*, quæ si non adesset, actus nihilominus fieret; alia *subsequens*, quæ quouis modo est voluntaria, & culpabilis. *tom.* 1. *pag.* 356. *n.* 1. *& seq.*

52. Ignorantia *probabilis*, tam iuris quàm facti, aut qualitatis facti excusat à censura. Ignorantia autem *vincibilis*, *& culpabilis* seu iuris, seu facti, quæ crassa est, & supina, non excusat à censura, vel irregularitate proueniente ex delicto, modò sufficiat ad peccatum mortale; quando verò ignorantia ita leuis est vt excuset à mortali, excusat etiam à censuris. At si ad incurrendam censuram requiritur scientia, præsumptio, vel temeritas insignis, neque ignorantia *affectata*, neque *crassa* sufficit ad incurrendam censuram. *tom.* 1. *pag.* 356. 357. *numer.* 6. *& seq.*

53. Ignorantia *pœnæ*, idest, *censuræ*, excusat à censura incurrenda. Quare qui committit aliquod delictum, quod nescit prohibitum fuisse ab Ecclesia sub censura, non incurrit censuram, neque irregularitatem prouenientem ex delicto: nam pœna debet proportionari delicto; minus autem delinquit qui ignorat pœnam, quàm qui illam nouit; ergo, &c. *pag.* 357. *num.* 13.

54. Ignorantia *comitans* excusat à censura, & irregularitate proueniente ex delicto; quia censuræ incurruntur ob peccatum externum, opus autem externum factum cum ignorantia comitante non est peccatum; neque enim potest esse peccatum nisi sit voluntarium, voluntarium autem cum ignorantia esse nequit. *ibid. num.* 14. Propterea occidens hominem quem credebat esse feram, non tenetur ad restitutionem ratione homicidij, etiamsi commisisset homicidium, si cognouisset illum esse hominem: quia obligatio restituendi oritur ex actu externo iniusto, non verò ex affectu, & desiderio. *tom.* 1. *pag.* 358. *num.* 19.

55. Percutiens laicum, credens ex percussione laici incurri censuram, non afficitur censura; quia conscientia erronea licèt inducat peccatum, non tamen inducit censuram; neque incurritur censura ob sacrilegium internum, sed tantùm ob externum consummatum. *ibid. n.* 22.

56. Legi

56. Legitima appellatio excusat ab incurrenda censurâ lata sub conditione, modò appellatio fiat antequam ponatur conditio: quia per appellationem causa deuoluitur ad alium iudicem, & prioris iurisdictio suspenditur. Censura autem purè & absolutè lata, suum sortitur effectum, & statim mandatur executioni; quare ab huiusmodi sententia non datur appellatio. Item absolutio ab excommunicatione collata absolutè, & sine conditione de futuro, non suspenditur per appellationem: pars tamen in cuius damnum lata est absolutio, habet ius exigendi reparationem damni illati. *ibid. num.* 2. *& seq.*

57. Appellatio à sententia lata sub conditione excusat ab incurrenda pœna, etiamsi postea appellatio fuerit derelicta, v.g. si Titius citetur à iudice, ad comparendum, vel restituendum intra mensem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ipse interponat appellationem, excusatur à censura, etiamsi postea appellationem non prosequatur. *tom.* 1. *pag.* 359. *num.* 4. *& seq.*

58. A sententia iudicis declaratoria datur appellatio: fieri enim potest vt iudex iniustè declarauerit, consequenter competit reo ius se defendendi per appellationem. Interposita autem appellatione excommunicatus declaratus, & denunciatus non est vitandus; quia appellatio suspendit declarationem, ac proinde impedit denunciationem. *ibid. n.* 7. *&* 8.

59. Ad legitimam appellationem duo requiruntur. 1. est vt appellatio fiat cum probabili, & sufficienti causa, vel saltem vt appellans, bona fide appellet, ratus se habere sufficientem causam. 2. vt appellatio fiat debito tempore; debitum autem tempus, in iure, est spatium decem dierum, seu potius est quodlibet tempus intercedens ante conditionis euentum. *ibid. n.* 9.

60. Impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excusat ab incurrenda censura, quemadmodum excusat à peccato, & contumacia: quare qui per impotentiam non restituit, non non afficitur excommunicatione lata contra detentores rei alienæ, aut contra non restituentes. At debitor cui mensis, v.g. constitutus fuerat ad soluendum sub pœna excommunicationis, incurrit excommunicationem si initio mensis soluere poterat, præuidens fore vt reliquo tempore fieret impotens ad soluendum: quia est sufficiens contumacia contra præceptum. *ibid. num* 1.

61. Metus grauis cadens in constantem virum excusat à censura,

censura, cùm excuset à transgressione, & contumacia contra legem. Sic Christiani capti à Turcis non incurrunt censuram cùm remis nauim impellunt contra Christianos; nam ad id metu mortis adiguntur. *tom.*1. *pag.*360.*n.*2.*& seq.*

62. Voluntas, seu consensus illius, in cuius fauorem concessa fuit censura, sufficit ad eam suspendendam ne incurratur. Quare si Titius v. g. obtenta à Summo Pontif. excommunicatione contra suos debitores non restituentes intra sex menses, proroget inscio Pontifice tempus vsque ad annum, debitores elapsis primis sex mensibus non incurrunt excommunicationem. Quia si Titius condonaret absolutè debitum, censura cessaret, deficiente materia; ergo si suspendatur obligatio debiti, suspenditur etiam ipsa censura. *ibidem*, *numer.* 1.

63. Debitor elapso termino sibi à creditore prorogato, ligatur censura: quia terminus præfixus à iudice non fuerat, ad finiendam obligationem solutionis, sed potius ad eam vrgendam, & sollicitandam; quare elapso termino non cessat obligatio; sed debitor adhuc tenetur soluere, & nisi soluat, censuram incurrit. *tom.*1.*pag.*361.*n.*2.

A censuris absoluere quis possit.

64. Censura reseruata lata ab homine, iure communi, tolli potest ab eo qui eam tulit, vel ab eius superiore, vel à successore, vel ab eo cui specialis facultas fuerit delegata: quia eiusdem potestatis est ferre censuram, & auferre. Quare mortuo, vel excommunicato, vel capto Episcopo, potest Capitulum absoluere, cùm succedat in iurisdictionem Episcopi, Sede vacante. *ibid.n.*1.*&* 2.

65. Censura non reseruata, per sententiam generalem lata, iure communi tolli potest à quocunque qui potest absoluere à mortalibus: nam eo ipso quòd superior censuram reseruauit, censetur aliis concessisse facultatem absoluendi. At censura lata per sententiam particularem contra particularem aliquam personam, auferenda est ab eo qui eam tulit, vel ab eius superiore, vel à successore, vel ab habente potestatem delegatam. *tom.*1.*pag.*362.*n.*6.

66. A censuris iuris reseruatis potest absoluere qui eas tulit, vel eius successor in dignitate. A censuris verò iuris nemini reseruatis absoluere possunt omnes Prælati iurisdictionem habentes in foro externo: immò etiam Parochus, &

quiuis

quiuis alius approbatus. Quando enim superior non reseruat absolutionem, censetur cuicunque confessario concedere facultatem absoluendi. *ibid.n.*10.

67. Summus Pontif. concedens priuilegium absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, non censetur concedere facultatem absoluendi à censuris, & casibus quos sibi Episcopi reseruarunt: quippe Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Sacra Congregatio*, decreuit ne vllus prætextu cuiuscunque priuilegij absoluat à casibus Episcopo reseruatis. *ibid.n.* 11.

68. Qui obtinuit facultatem absoluendi à casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, non potest absoluere ab excommunicatione ob hæresim contracta. Alij tamen secùs sentiunt, eo quod beneficium Principis sit latè explicandum. *ibid.n.*14.

69. Obtinens facultatem absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis, potest etiam absoluere à censuris illi reseruatis: quia nulli casus Pontifici reseruantur nisi ratione censuræ, quare sublata censura, quilibet approbatus potest ab illis absoluere. At obtinens ab Episcopo facultatem absoluendi à casibus reseruatis, non propterea potest absoluere à censuris; nam casus & censuræ apud Episcopum distinguuntur; à diuersis autem non fit illatio. *ibid.n.*15.

70. Episcopus non solùm potest absoluere à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus; verùm etiam ab omnibus censuris, & casibus Summo Pontifici reseruatis; occultis tamen, neque ad forum contentiosum deductis, idque in propria diœcesi, & in foro conscientiæ tantùm, vt patet ex Concilio Tridentino *sess.*24.*cap.*6. Si tamen delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed reus non fuit conuictus, sed potius se purgauit; potest Episcopus absoluere à censura ob illud delictum contracta. *tom.*1.*pag.*363.*n.*1.*&* 2.

71. Non potest Episcopus illum absoluere qui hîc, v.g. vbi morabatur, commisit delictum notorium, & Papæ reseruatum, & postea aliò se transtulit, vbi delictum est occultum; quia sic confunderentur iurisdictiones. *tom.*1.*pag.*364.*n.*3.

72. potest Episcopus ab excommunicatione publica, & alia quacumque Papæ reseruata absoluere excommunicatum habentem legitimum impedimentum quominus possit Pontificem adire; vt accidit quando excommunicatus laborat longa infirmitate, aut senectute, aut paupertate, vel si sit fœmina, vel impubis, &c. tamen postea, cessante impedimento, tenetur Pontificem adire. *ibid.n.*4.

73. Archie

73. Archiepiscopus non potest à censuris latis à suffraganeis, vel à Sede Apostolica, absoluere subditos suffraganeorum; quia non habet in ipsos iurisdictionem, his casibus exceptis. 1. quando appellatum est ad Archiepiscopum, & cognitum fuit de appellatione. 2. quando Episcopus suffraganeus per malitiam, aut negligentiam differt absolutionem. 3. quando Archiepiscopus visitat diœcesim. *ibid n.7.*

74. In articulo mortis quilibet Sacerdos licèt degradatus, vel excommunicatus, vel etiam hæreticus potest à censuris, & casibus reseruatis absoluere, quando non est alius qui absoluat. Præter sacerdotem nemo, etiam clericus. At si pœnitens potest recurrere ad superiorem per confessarium, vel per literas, quilibet Sacerdos non potest tunc absoluere; quia in hoc casu non censetur deesse copia superioris, cùm ad illum pateat aditus per literas; modò id fieri possit absque infamiæ nota, aut alio graui periculo. *tom.1.pag.365.n.1.& seq.*

75. Existenti in articulo mortis potest quilibet Sacerdos absolutionem impendere ab iis censuris quæ obstant susceptioni sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, cuiusmodi sunt excommunicatio, interdictum personale, suspensio ab vsu sacramentorum, & ab Ecclesiastica sepultura: hæc enim est mens Concilij Tridentini. Ab irregularitate verò, aut suspensione ab ordine, officio, vel beneficio, non potest simplex Sacerdos absoluere in articulo mortis; quia hæc non retardant à consecutione gloriæ. *tom.1.pag.366.n.8.*

76. Sacerdos qui in articulo mortis absoluit pœnitentem adultum ab excommunicatione à qua aliàs absoluere non potest, debet ab eo extorquere iuramentum, si fieri potest, præsentandi se, cùm primum poterit, superiori; alioquin pœnitens in eandem censuram reincidit. In grauioribus autem delictis, vt in casibus Bullæ Cœnæ, extorquenda est etiam cautio pignoratitia, vel fideiussoria, quando pœnitens tenetur ad pecuniariam satisfactionem, quam tunc præstare non potest; at si non tenetur ad satisfactionem pecuniariam, sed ad aliam, sufficit ab eo exigere iuramentum. *ibid.n.11.& pag.367.*

77. Pœnitenti in articulo mortis constituto imponitur onus præsentandi se, si possit, superiori, non vt ab eo absoluatur iterũ; iam enim est absolutus, sed vt se præbeat obedientem: ab hac tamen obligatione eximi potest, si postquam cõualuerit adeat confessarium habentem facultatem absoluendi à reseruatis extra mortis articulum, ab eoque obtineat absolutionem nouam, absque vllo onere. *tom.1.pag.367.n.13.*

78. Illa dicitur absolutio ad reincidentiam qua posita iterũ inciditur in censuram nisi præstentur ea quæ præscribuntur. Talis est absolutio data à Legato, vel Nũcio Summi Pontif. vel à supremo Pœnitentiario cum onere præsentandi se suo Ordinario, vel alteri; quare si pœnitens, data opportunitate, id non præstet, reincidit in excommunicationem. Porrò excommunicatus vitandus, in articulo mortis sic absolutus ad reincidentiam, si data opportunitate superiori se præsentare neglexerit, remanet excommunicatus vt antea, ac proinde vitandus. *ibid. n.* 17. *&* 18.

79. In absolutione à casibus reseruatis in articulo mortis non est exigenda cautio præsentandi se superiori, nisi casibus reseruatis adnexa sit excommunicatio: quia nullo iure constat imponendum esse huiusmodi onus præterquàm in absolutione à reseruatis habentibus excommunicationem adnexam. *ibid. n.* 19.

80. Absolutio à censura potest conferri inscio, immò & inuito, modò contumaciam deposuerit: quia sicut potest censura ferri in inuitum, ita potest ab inuito auferri. Potest etiam conferri absenti; hæc autem absolutio statim suum sortitur effectum, si absolutè, & sine conditione de futuro collata fuit. *tom.* 1. *pag.* 368. *n.* 3. *& seq.*

Forma absolutionis à Censura.

81. Nulla est certis verbis concepta formula absolutionis à censuris; licet quibuslibet vti seu scriptis, seu ore prolatis quibus absolutio sufficienter exprimatur. Potest igitur absolutio à censuris concipi his verbis, *Te absoluo*, vel iisdem quibus datur absolutio à peccatis. Certior tamen formula hæc est, *Ego te absoluo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.* ibid. n. 1. & seq.

82. Potest vna censura auferri, alia remanente; quia inter censuras non est necessaria connexio. Tamen qui confitetur sacerdoti habenti facultatem absoluendi à censuris, remanet absolutus ab omnibus etiam reseruatis quas tacuit ex obliuione, modò generalem obtineat absolutionem ab omnibus iuxta hanc solemnem formam, *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & indiges.* Consequenter si pœnitens post confessionem recordetur alicuius peccati obliti habentis adnexam censuram, tenetur tantùm confiteri peccatum obli-

tum; iam enim sublata est reseruatio; & censura, ac proinde poterit ab eo absolui per quemlibet approbatum, quamuis non habeat facultatem absoluendi à reseruatis. *tom.* 1. *pag.* 369. *num.* 1. *&* *seq.*

83. Absolutio à censuris potest extra confessionem conferri ab eo qui habet ordinariam iurisdictionem. Habens verò iurisdictionem delegatam, potest absoluere iuxta facultatem sibi concessam: quare si concessa est facultas absoluendi absolutè, potest absoluere extra confessionem; qui verò limitatam habet potestatem absoluendi à censuris in sacramentali confessione tantùm, vt ferè vsu venit in Iubilæis, non potest absoluere extra confessionem. *ibid.n.*7.

84. Qui habet facultatem absoluendi à censuris in foro conscientiæ, potest ab illis absoluere etiam extra confessionem, tametsi non absoluat à peccatis: aliud enim est forum conscientiæ, aliud forum sacramenti Pœnitentiæ, vt patet in Parocho nondum Sacerdote, cui concedi potest facultas absoluendi suos subditos à censuris in foro conscientiæ. *tom.* 1. *pag.* 370. *num.* 8.

85. Absolutio à censuris, potest validè conferri, non solùm sub conditione de præsenti, & præterito, sed etiam de futuro. Potest etiam dari ad cautelam, quando nescitur, aut dubitatur an censura fuerit contracta: Immò huiusmodi absolutio communiter præmitti solet antequam pœnitens absoluatur à peccatis, vt tollatur impedimentum, si quod fortè subest, ad recipiendum sacramentum. *ibid. num.* 1. *&* *pag.* 371. *n.* 2.

86. Extorquens absolutionem à censura per dolum versantem circa causam finalem, non remanet absolutus. Quia superior non intendit absoluere nisi iuxta causam sibi propositam; propterea qui mentiendo dicit iudici se satisfecisse parti læsæ, vel qui confessario dicit se non posse satisfacere, cùm reuera possit, inualidè absoluitur. Absolutio verò extorta per dolum versantem circa causam tantùm impulsiuam, valida est. *tom.* 1. *pag.* 371. *n.* 2.

87. Absolutio data per vim, vel metum iniuriosum cadentem in constantem virum, inualida est: huiusmodi enim absolutio irritatur à iure. Immò tantum abest, vt extorquens absolutionem per vim, vel metum remaneat absolutus, vt potius nouam contrahat excommunicationem, vt habetur in cap. vnico in 6. *ibid.n.*4.

88. Qui habet potestatem ordinariam absoluendi, potest

validè absoluere pœnitentem qui nondum satisfecit parti læsæ, quamuis antea potuerit satisfacere, aut cautionem satisfaciendi exhibere: quia ordinarius non habet iurisdictionem limitatam; grauiter tamen peccat absoluens pœnitentem ante realem satisfactionem, quam præstare poterat. Validè item absoluit à censura pœnitentem, qui nondum satisfecit, ille qui habet priuilegium absoluendi absque limitatione. Qui verò habet priuilegium limitatum sub conditione satisfactionis, non potest validè absoluere ante exhibitam satisfactionem: quia priuilegium non extenditur vltra limites præscriptos. Notandum tamen nisi in priuilegio addatur particula expressè irritans absolutionem à censura nondum satisfacta parte, validam esse absolutionem collatam ante satisfactionem, etiamsi priuilegium concessum sit sub hac forma, *satisfacta parte*, vel, *de consensu partis*: nam superior apponens huiusmodi clausulas, non intendit limitare iurisdictionem, sed tantùm admonere confessarium vt seruet formam iuris communis, vt videlicet non absoluat pœnitentem antequam exhibeat satisfactionem, aut condignam cautionem. *tom.* 1. *pag.* 372. *num.* 1. 2. *&* 3.

89. Quando pœnitens non potest satisfacere, nec absolutio differri potest tamdiu sine graui damno pœnitentis, potest confessarius absoluere, exhibita à pœnitente ea satisfactione quam potest, aut cautione pignoratitia, vel fideiussoria, vel saltem iuratoria, promittendo se satisfacturum, primâ datâ opportunitate. *ibid. n.* 5.

90. In dubio an pœnitens teneatur ad satisfactionem, in foro externo absolui potest à censura, ante præstitam satisfactionem. In foro verò interno, non ita absolutè loquendum, quia forum internum non nititur præsumptione, sed verbis ipsius pœnitentis: igitur debet confessarius ferre iudicium ex verbis pœnitentis, & si ex ipsius verbis iudicet ipsum teneri ad satisfactionem, non debet absolutionem impendere ante præstitam satisfactionem. Secùs si iudicet non teneri. *tom.* 1. *pag.* 363. *n.* 9.

91. Satisfactione, vel restitutione facta, non statim aufertur excommunicatio, quando quis excommunicatus fuit ob delictum: sed adhuc requiritur absolutio. Quare sensus excommunicationis in hunc modum latæ, *Sis excommunicatus donec satisfacias*, hic videtur esse, vt excommunicatus non possit absolui ante satisfactionem; eâ verò positâ possit. *ibidem num.* 10.

92. Ille dicitur absolui in foro interno, seu in foro conscientiæ qui absoluitur ab eo cui superior concessit facultatem absoluendi, saluo tamen iure cognoscendi de delicto in foro exteriori. Quando verò facultas absoluendi conceditur, nullâ additâ limitatione, videtur concessa in vtroque foro; modo priùs satisfiat parti. *ibidem numero* 1. *&* 2.

93. Qui fuit absolutus à censura in foro conscientiæ, non indiget noua absolutione vt possit cum cæteris communicare, aut actus per censuram prohibitos exercere, modò aliis constet ipsum fuisse absolutum, ne subsit periculum scandali; hoc autem constare potest etiam in iudicio per attestationem confessarij; caueat tamen confessarius ne faciat prædictam attestationem, antequam obtinuerit à pœnitente facultatem. At si famâ publicâ constabat pœnitentem fuisse excommunicatum, debet etiam publicè constare de eius absolutione, antequam cum cæteris communicet, ad vitandum scandalum. *ibid.n.*3.*&* 4.

94. Ante absolutionem à censura, regulariter loquendo, debet reus petere vt absoluatur, non quidem ex necessitate, sed ex congruitate: sic enim indicat se contumaciam deposuisse. Quando delictum est enorme, cuiusmodi est percussio clerici, extorquendum est iuramentum à delinquente, se non amplius tale delictum perpetraturum, nisi delinquens in foro pœnitentiæ absoluatur, tunc enim nihil est necesse exigere hoc iuramentum.*ibid.n.*6.*& pag.*374.

95. In absolutione ab excommunicatione quæ in foro externo impenditur, seruandæ sunt cæremoniæ præscriptæ in cap. *à nobis, de sentent. excommunicat.* nisi in desuetudinem abierint. Igitur absoluendus, super nudatos humeros (nisi sit fœmina) leuiter cædendus est virga, aut fune, aut flagello dum recitatur Psalm. *Miserere*, deinde præmissa oratione. *Deus cui proprium, &c.* subiunguntur verba absolutionis, *Auctoritate qua fungor, absoluo te à vinculo excommunicationis quod incurristi ob hanc, vel illam causam, restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium. In nomine Patris, &c.* Istæ tamen cæremoniæ non sunt de essentia absolutionis, neque necesse est eas adhibere, dum pœnitens in foro conscientiæ absoluitur. *tom.* 1. *pag.* 374. *n.* 5.

CENSVS.

Contractus Census sitne licitus, & quomodo.

1. CEnsus nomine intelligitur ius percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, siue ea pensio sit fructuaria, siue pecuniaria. Ideo si Caius obliget se ad dandam Titio certam tritici quantitatem ex proprio agro, singulis annis, dicitur constituere censum in suo agro, & Titius acquirit ius percipiendi eam pensionem, quod ius appellatur *census*; Caius verò qui se obligat ad soluendam pensionem, dicitur, *censuarius*, & Titius qui acquirit ius percipiendæ pensionis, dicitur *censualista*, seu *censitor. tom.2. pag. 536. num.1.*

2. Census est duplex, *resignatiuus*, & *consignatiuus. Resignatiuus* est contractus quo quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, vel vtile, reseruata sibi annua pensione, & potest in eo apponi pactum legis commissoriæ, itavt si censuarius non soluat biennio, vel triennio pensionem, res super qua constitutus est census, reuertatur ad censualistam, id est, ad eum qui sibi pensionem reseruauerat. Census *consignatiuus* est contractus, quo quis alteri vendit ius percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona. Et rursus hic census est triplex; *realis*, qui fundatur in re ipsa; *personalis*, qui fundatur in persona, quæ se obligat ad soluendam pensionem, quatenus potest aliquid acquirere proprio labore, & industria; & *mixtus*, qui fundatur super re, & persona, itavt si res pereat, persona maneat obstricta ad soluendam pensionem. Rursùs census alius est *fructuarius*, quo quis se obligat ad soluendos certos fructus; alius *pecuniarius*, quo se obligat ad soluendam certam pecuniam. Præterea census alius est *perpetuus*, qui constituitur ad soluendos reditus in perpetuum, & appellatur *irredimibilis* quia redimi non potest, si emptor nolit; alius *temporalis* qui non constituitur ad perpetuos reditus, & redimi potest à censuario, etiam inuito censualista. Denique census temporalis si constituatur ad exigendam pensionem quandiu alter, vel vterque vixerit, dicitur *vitalitius*; *non vitalitius* verò si ad certum aliquod tempus constituatur. *ibid.n.3.*

3. Censualis contractus celebrandus est iuxta conditiones præscriptas à Pio V. vbi eius Bulla recepta est. Vbi verò non

est

est recepta, sufficit vt celebretur iuxta legem, & consuetudinem locorum, modò ea consuetudo iuri naturali, aut diuino non repugnet. *ibid. n.* 4.

4. Ad contractum census hæ conditiones requiruntur. 1. vt adsit intentio vendendi, & emendi. 2. vt adsit iustum pretium habita ratione oneris impositi: pretium tamen census non debet æquare pensiones soluendas; sed debet esse æquale iuri exigendi certam pensionem. 3. vt constituens censum super re aliena, liberam habeat illius rei disponendæ facultatem. 4. vt census fundetur in re frugifera. 5. vt si res censita pereat, vel fiat sterilis absque culpa censuarij, cesset census ad ratam; res enim domino perire debet. 6. vt si aliquod onus imponatur venditori, ad quod natura contractus non obligetur, debitâ mercede compensetur. *tom.*1. *pag.*536.537.*num.*5. *& seq.*

5. Qui soluit censum ex suo fundo, potest in eodem fundo alium censum constituere, si fundus vtrumque censum ferre possit; nulli enim fit iniuria. *pag.* 537.*n.*9.

6. Maritus non potest constituere censum in fundo dotali, absque vxoris consensu; nullus enim transferre potest ius in alterum quod ipse non habet; fundus autem dotalis non est mariti quoad dominium, sed solùm quo ad vsumfructum, qui morte ipsius mariti cessat. *ibid. n.*11.

7. Clericus non potest constituere censum super beneficio, quia non habet dominium bonorum beneficij, & sicut non potest bona Ecclesiastica vendere, ita neque censum in ipsis constituere. *ibid. n.*12.

8. Feudatarius, & emphyteuta non possunt constituere censum super re accepta in feudum, aut in emphyteusim: fieri enim potest vt res transeat in commissum, & consequenter emptor census patiatur damnum; cùm enim res debeat ad dominum directum redire, dominus rei, seu fundi, non tenebitur soluere censum, consequenter emptor census damnum patietur. *ibid. num.* 13.

9. Census realis licitus est cum hisce conditionibus in Bulla Pij V. præscriptis, in iis locis in quibus Bulla recepta est. 1. vt census non instituatur, nisi super re immobili, sua natura frugifera, & certis finibus designata. 2. vt contractus non celebretur nisi numerata pecunia in actu celebrationis instrumenti coram notario, & testibus. 3. ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum, id est, ne is qui emit censum, cogat censuarium, vt sibi censum anticipatè soluat. 4. ne vendi-

tor census obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera præter naturam contractus. 5. vt non fiat pactum restringens libertatem censuarij, ne alienet rem censui subiectam; ne fiat item pactum soluendi censitori *laudemium*, id est, quinquagesimam, vel aliam partem rei alienatæ, pro facultate alienandi ab ipso obtenta. 6. vt dominus rei censitæ volens eam vendere, admoneat censualistam, num ipse velit eam emere eodem pretio, eúmque aliis præferat. 7. ne fiat pactum quo censuarius existens in mora, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad expensas, aut ad aliquam pœnam. 8. ne census anteà constitutus augeatur ex pensionibus debitis, & non solutis. 9. vt semper liberum sit censuario redimere censum, quoties voluerit, reddito eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quauis præscriptione, aut pacto; quare damnantur sensus perpetui, qui hoc pacto emuntur vt nunquam redimantur. 10. vt censuarius non cogatur ad redimendum censum. 11. vt pretium census semel constitutum, non possit augeri, vel minui ex aliqua circumstantia superueniente, sed æquale pretium reddendum sit quo census ab initio fuit emptus, id est, vt venditor extinguere possit censum reddito eodem pretio quod accepit. *tom.1.pag.537 & seq. vsque ad 543. à n.14.*

10. Census fundari potest super alio censu etiam redimibili; quamuis enim huiusmodi census non sit res immobilis; nihilominus habetur pro immobili. Secùs dicendum de iure ad exigenda debita quæ non sunt census, v. g. ad exigendam pecuniam: nam huiusmodi ius non censetur inter immobilia. *tom 1.pag.538.n.17.*

11. Census vitalitius, ad ementis, aut vendentis vitam, vel ad alium annorum numerum incertum, licitus est, iusto pretio interueniente. Quare potest quis emere ius certæ pensionis sibi soluendæ donec vixerit, ita vt eo mortuo, census extinguatur, & capitale non restituatur. Quia concurrente iusto pretio, tam censuarius, quàm censualista, æquale periculum subit lucri, aut damni. Census autem vitalitij pretium taxandum est, attendendo ad vltimum terminum ad quem moraliter peruenire potest vita eius in quo fundatur census, & sumendo medietatem illorum annorum, ita vt pretium census adæquet pensiones totius medietatis illorum annorum; sic enim seruatur æqualitas, & vterque contrahens æqualem aleam subit, cùm fieri possit vt censualista non perueniat ad illam medietatem, aut illam excedat. *ibid.n.18. & 19.*

12. Qui emit censum modico, & diminuto pretio, potest

test percipere integram pensionem, modò lex quæ pretium taxauit, non irritet contractum diminuto pretio celebratum. Quia sicut emens fundum diminuto pretio, acquirit dominium fundi, & potest ex eo fructus percipere; quamuis teneatur contractum reducere ad æqualitatem, & damna venditori resarcire: ita emens censum iniusto, & diminuto pretio, acquirit ius, & dominium; consequenter potest integram pensionem exigere, reducendo contractum ad æqualitatem, & resarciendo damna quæ passus est censuarius ex pretij diminutione. *tom.1.pag.539.n.23.*

13. Censuarius tenetur soluere pensionem iis annis quibus nulli fructus percipiuntur ex re censui subiecta, etiamsi census sit fructuarius, non pecuniarius: quia census non imponitur super ipsis fructibus rei, sed super ipsa re; nec venditur ius ad ipsos numero fructus percipiendos ex eadem re; sed venditur ius ad certam pensionem percipiendam ex re censita, quod ius perseuerat, etiamsi res aliquibus annis fructus non ferat. *tom.1.pag.540.n.28.*

14. Quando constitutus est census super aliqua domo, aut molendino; si sensim destruitur, & reædificatur per partes, remanet obligatio soluendi censum: quia censetur manere idem molendinum, seu domus. Si verò domus, aut molendinum fuit planè dirutum, aut combustum, & postea reædificatur in totum, non est obligatio soluendi censum; quia iam non censetur idem ædificium; census autem extinguitur pereunte, & destructa re in qua fundabatur. *ibid.n.29.*

15. Onus soluendi tributum, quod ex fundo solui consueuit Principi, vel fisco, pertinet ad censuarium: quia cùm tributum sit onus impositum fundo, seu prædio, & dominium prædij apud censuarium perseueret, sequitur ad ipsum pertinere onus soluendi tributum. *ibid n.31.*

16. Expensæ faciendæ pro scriptura census, & eius expeditione, pertinent ad emptorem: ad illum enim pertinet onus expensarum, ad quem pertinet commodum: at commodum scripturæ pertinet ad emptorem ad ostendendum, & probandum ius suum: ergo &c. *ibid.n.32.*

17. Emptor census potest pactum apponere, vt quando censuarius voluerit redimere censum, non redimat nisi eadem monetâ: modò probabiliter credat valorem monetæ non esse augendum, alioquin peccat obligando censuarium vt eandem specie monetam restituat. *ibid.n.36.*

18. Census perpetuus, & irredimibilis, pluris valet, quàm

redimibilis: nam redimibilis venditur absque onere retrouendendi, & redimibilis cum onere; res autem sine onere, plus valet, quàm cum onere. *tom.1.pag.541.n.41.*

19. Censuarius qui vult redimere censum, debet duobus mensibus antequam redimat, denunciare censitori se velle redimere: qua denunciatione facta, censitor potest intra annum repetere pretium census à censuario, licet inuito; elapso verò annno, non potest pretium exigere. Verum si censuarius post admonitionem non redimat intra bimestre, nec censitor exigat pecuniam intra annum, censuarius adhuc potest redimere, præmissa noua denunciatione, etiamsi pluries denunciauerit, nec secuta fuerit redemptio census. *ibid.*

20. Ad redemptionem census non requiritur vt censuarius illud redimat numerata pecunia, sed sufficit vt redimat per compensationem debiti: quare si censuario tantum debeatur à censitore quantum valet census, potest censuarius compensationem facere admonendo censitorem vt censum habeat pro extincto, ratione æqualis summæ quæ sibi debetur. *tom.1.pag.542.n 40.*

21. In contractu census potest apponi pactum, vt censuarius si velit redimere censum, redimat in totum, non in partem: quia alioquin censitor damnum pateretur, recuperando pretium per partes, tum quia solutio debiti non potest diuidi inuito creditore. Secùs dicendum de pensionibus iam decursis; tunc enim si debitor offerat integram solutionem alicuius termini, creditor non potest illam repudiare, nam huiusmodi solutio diuidua est, & separata à principali. *ibid.*

CESSATIO A DIVINIS.

Quid & quotuplex sit.

1. Cessatio à diuinis ita vocatur, quia ministri Ecclesiæ pro tempore quo cessatio durat, cessant à publica celebratione diuinorum officiorum, & administratione sacramentorum. *tom.1.pag.455.n.1.*

2. Cessatio est omissio, seu desistentia à diuinis officiis, ab administratione Sacramentorum, & sepultura laicorum: potest etiam hoc modo definiri. Cessatio est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persoluere diuina officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro. Est au-

tem

tem duplex; alia *generalis* qua prohibetur celebratio diuinorum in loco vniuersali, vt in regno, ciuitate, &c. alia *particularis*, qua prohibetur in loco particulari, vt in hac, aut illa Ecclesia. *ibid.n.2.& 3.*

3. Cessatio à diuinis non est censura; quia fertur per modum simplicis prohibitionis, eamque violanti non est imposita pœna irregularitatis. Præterea cessatio à diuinis nunquam incurritur ipso facto; sed tantùm comminatoriè fertur, in quo differt ab interdicto, quod ipso facto incurritur. Vnde licet inferre quando conceditur priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, non censeri concessum ad audiendam tempore cessationis à diuinis, & contrà. *ibid.n.4.*

Cessatio à quo, quomodo, & cur ferenda.

4. Præter Summum Pontif. Episcopus, & Capitulum Sede vacante, item Concilium diœcesanum possunt imponere cessationem à diuinis. Alij etiam possunt iuxta facultatem sibi delegatam, vel obtentam per consuetudinem. *tom. 1. pag. 456. num.1.*

5. Cessatio à diuinis in hæc maximè verba ferri potest, *Nos ob talem causam, ciuitatem, vel Ecclesiam abstinere præcipimus à diuinis officiis.* In ferenda autem cessatione quatuor hæ conditiones seruandæ. 1. vt Capitulo indicente cessationem, conuocentur omnes canonici etiam absentes. 2. vt delictum propter quod imponitur, sit manifestum, & notorium. 3. vt admoneatur is ob cuius culpam ferenda est cessatio, vt pareat. 4. vt ferens cessationem, & ille contra quem fertur, nisi intra mensem se componant, adeant Summum Pontif. per se, vel per alium, ne Ecclesia tantum grauamen diu patiatur. *ibid.num 2.*

6. Grauior esse debet culpa ob quam imponitur cessatio, quàm sit ea ob quam fertur interdictum: neque sufficit vt culpa probabilibus tantum coniecturis cognita sit; sed debet esse manifesta, & expressa in ipsis literis quæ sententiam continent: est enim cessatio valdè publica, & onerosa Ecclesiæ. Præterea literæ sunt sigillo publico muniendæ, & tradendæ illi contra quem fertur cessatio, monendo illum, num velit ante cessationem emendari; nam finis cessationis est resipiscentia illius cuius causa lata est. *ibid.n.5.& 6.*

Cessationis à diuinis effectus.

7. Tres sunt præcipui cessationis effectus. 1. est omissio diuinorum officiorum publicè recitandorum, & à Missa celebranda. 2. est priuatio sacramentorum; nam tempore cessationis sacramentum Ordinis, aut Extremæ vnctionis non confertur clericis, aut laicis. 3. est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ pro laicis. *ibid.n.*1.*& pag.*457.*n.*5.*&* 8.

8. Tempore cessationis non licet pulsare campanas ad diuina officia cùm sint prohibita; ad concionem autem, orationem Angelicam, & alia quæ non sunt diuina officia, videntur posse pulsari campanæ, nisi consuetudo id non ferat. *tom.*1. *pag.*456.*n.*2.

9. Indicta cessatione à diuinis licet 1. semel in hebdomada celebrare cum vno ministro ad renouandam Eucharistiam ob necessitatem infirmorum, ne species corrumpantur. 2. licet recitare priuatas orationes, etiam in Ecclesia; non eximuntur autem beneficiarij ab horis canonicis priuatim persoluendis.*ibid.n.*3.

10. Sacramenta Baptismi, & Pænitentiæ, vtpote maximè necessaria, tempore cessationis licitè administrantur cum solita solemnitate; item Sacramentum Confirmationis, quod censetur Baptismi complementum, Sacramentum verò Eucharistiæ solis ægris confertur per modum viatici, cùm pompa necessaria; quare licet tunc celebrare pro ægro communicando, quando deest hostia consecrata: nam Eucharistia in articulo mortis est de iure diuino. Matrimonium autem contrahere tunc non licet.*tom.*1.*pag.*457.*n.*5.*&* 6.

11. Quamuis Episcopus possit tollere cessationem, quoad omnes effectus; non tamen potest tollere quoad aliquem tantùm, vel vnum auferre, aliis remanentibus: quia sunt inter se necessariò connexi.*ibid.n.*8.

12. Violans cessationem grauiter peccat, non tamen incurrit irregularitatem. Religiosi ex decreto Concilij Trid. tenentur in suis Ecclesiis publicare, & seruare cessationem. Licèt autem non seruetur ab eo propter quem lata est; tamen à cæteris seruanda est. Porrò qui causam dedit iustæ cessationi, tenetur ad omnia damna sarcienda clericis qui distributiones amiserunt, vel alia incommoda passi sunt. *ibid. num.*9. *& seq.*

Chari

CHARITAS.

Charitas in Deum, & in proximum.

1. CHaritas est virtus supernaturalis, omnium virtutum præstantissima qua Deus super omnia diligitur, proximus auté propter Deum. Potest auté Deus amari super omnia dupliciter. 1. *intensiuè*; quandò actus amoris Dei est vehementior omni alio amore. 2. *appretiatiuè*, quando Deus pluris æstimatur quàm cætera omnia, vt contingit quando homo est ità affectus erga Deum, vt paratus sit pati potius omniã mala, vel omnia perdere, quàm Deum offendere. Tenemur Deum amare super omnia *appretiatiuè*, non autem *intensiuè*: Deus enim est summum bonum, super omnia diligendum; quia verò nobis constare non potest de intensione amoris nostri, maximis angeremur scrupulis si teneremur Deum amare super omnia intensiuè. Ex dictis patet Deum amandum esse tanquam vltimum rerum omnium finem; alioquin si dilectio Dei aliò referretur, Deus super omnia haudquaquam diligeretur. *tom.* 2. *pag.* 161. *n.* 1. 2. & 3.

2. Charitatis præceptum *negatiuum*, semper obligat. Dicitur autem præceptum charitatis *negatiuum* quo tenemur Deum non odisse. *Affirmatiuum* verò per se obligat. 1. cùm insurgunt tentationes incitantes ad odium Dei, & est periculum illis consentiendi. 2. quando eliciendus est actus contritionis; contritio quippe est actus charitatis. *ibid. num.* 1. & *pag.* 162. *num.* 2.

3. Certum est de fide proximum diligendum esse, seu pium, seu impium, nec amicos solùm, verùm etiam inimicos: sunt enim noster proximus. Non tenemur tamen, per se loquendo, inimicum obuium salutare: quia illud est speciale beneuolentiæ signum, quod non tenemur aliis qui non sunt inimici, exhibere. Verùm fieri potest vt aliquando teneamur inimicum salutare, aut familiariter cum ipso versari, vel vt scandalum vitetur, vel cum speratur fore vt reconcilietur, & odium deponat. Hinc patet quomodò se gerere debeant confessarij erga pœnitentes qui inimicum alloqui, vel salutare nolunt: possunt enim ipsis beneficium absolutionis impendere, modò non adsit odium, aut scandalum. Consulendum tamen pœnitenti vt salutet inimicum. *tom.* 2. *pag.* 162, *num.* 1. & *seq.*

4. Quæres

4. Quæres an resalutare teneamur inimicum, nos salutantem. *Resp.* cum distinctione: nam si is qui salutatur ab inimico, est longè superioris conditionis, non videtur peccare mort. non resalutando; quia ante inimicitias ad id non tenebatur. At si non est longè superioris conditionis, videtur, per se loquendo, grauiter peccare: hinc enim sequi solet scandalum, & grauis offensio illius qui se videt contemni. *ibidem num.4.*

5. Quando inimicus veniam petit, debemus 1. odium deponere. 2. signa reconciliationis, & beneuolentiæ ex animo exhibere spectata conditione personæ: non tamen tenemur iniuriam ita condonare quin possimus exigere satisfactionem; immò possumus contra inimicum in iudicio agere, vt secundùm leges puniatur: cauendum tamen ne ex odio, aut studio vindictæ id fiat. *ibid.n.5.*

6. Volens aliquibus conferre beneficia, potest ab illis excludere inimicum, modò illa conferat ex mera liberalitate: fieri tamen potest vt ad vitandum scandalum, inimicum excludere non debeat. *tom.2.pag.163.num.6.*

7. Tenemur ex charitate, extremæ necessitati, spirituali proximi, cum facultatum, ac vitæ periculo subuenire; hinc 1. Ioan. 3. dicitur *Et nos debemus pro Fratribus animas ponere:* proptered si infans morti proximus indigeat baptismo, illique baptismum absque vitæ periculo conferre non possimus, tenemur illud periculum adire. Si hæreticus populum prauis dogmatibus peruertat, tenemur, cum vitæ periculo, huic incommodo occurrere. Vt autem aliquis dicatur in extrema necessitate versari, duo moraliter constare debent. 1. proximum in æternum damnandum, nisi ei subueniatur. 2. neminem esse à quo subleuetur. *ibid.n.2.*

8. Extra extremam necessitatem spiritualem proximi non tenemur ex charitate, proximo subuenire cum periculo vitæ, aut cum graui damno famæ, aut facultatum. At si sermo sit de necessitate spirituali communitatis, licèt non sit extrema, subueniendum ei est cum periculo vitæ: quia bonum spirituale communitatis præponderat bono temporali priuato. Hac de causa concionator tenetur inuehi grauiter in peccata publica, etiam cum vitæ periculo, quando communitas ruinæ periculum subit. *ibid.n.4.& 5.*

9. Quibus ex officio incumbit onus procurandæ salutis proximi, tenentur cum vitæ periculo, non tantùm extremæ, sed etiam graui illius necessitati spirituali subuenire. Vnde

colligitur pastores non posse à suo grege recedere, grassante peste, sed teneri illis Sacramenta, cum vitæ periculo ministrare, nisi alios ministros idoneos substituant. *tom.* 2. *pag.* 163. 164. *n.* 5.

10. Non tenemur, sed possumus vitam exponere periculo, pro salute temporali amicorum, modò damnum aliis inde non proueniat, sic licet peste infectis inseruire; possum tabulam in naufragio mihi necessariam alteri cedere, nisi habeam familiam quæ sine me sustentari non possit, aut nisi sim Reip. vtilior quàm ille alius. &c. *tom.* 2. *pag.* 164. *n.* 6.

11. In dilectione proximi hic ordo seruandus est vt diligatur primo loco Pater, secundo mater, tertio vxor, quarto filij, quinto cæteri consanguinei, sexto cæteri non consanguinei; & cæteris paribus, præferendus est vir iustus peccatori, item persona publica priuatæ est anteponenda. *ibid. num.* 2. *& seq.*

Odium in Deum, & proximum.

12. Odium Dei est peccatum grauissimum charitati contrarium, quo Deo malum cupimus. Neque videtur ob paruitatem materiæ fieri posse peccatum veniale: quodlibet enim odium Dei, vel minimum, summæ Dei bonitati maximè repugnat. *Quæres*, an possit Deus odio haberi? *Resp.* Deum quatenus est Summum bonum, odio haberi non posse; quia in Deo sic spectato nulla esse potest ratio, seu species mali. Quatenùs verò est peccatis infensus, & peccantibus pœnas infligit, posse odio haberi; quia odium est actus quo aliquem tanquam infestum, & odiosum detestamur. Et sic dæmones Deum odio prosequuntur. Cæterùm in omni peccato reperitur odium Dei generale quod consistit in auersione à Deo, quatenus peccator auertit se à Deo, & conuertit se ad creaturam *tom.* 2. *pag.* 172. *n.* 1. *& seq.*

13. Odium proximi est peccatum mortale oppositum charitati. Fieri tamen potest veniale, vel ob consensum imperfectum, vel ob materiæ leuitatem. Sic excusantur à mortali qui leuem quandam displicentiam, aut auersionem erga proximum concipiunt; item qui concionatores, & spiritualia consulentes, aliquo modo fastidiunt. *ibid. n.* 6.

14. Peccat grauiter contra charitatem, qui alicui malum optat, ex displicentia personæ, aut cui displicet persona alterius tanquam infesta & odiosa, & eam non esse cuperet. Qui

ex bono motiuo gaudent de malo,aut triſtantur de bono alterius à mortali excuſantur; vt qui dolent dignitates indignis conferri,aut qui hæreticis,niſi velint conuerti,mortem optant, ne alios inficiant. Idem dicendum de matre, quæ mortem filiarum optat eò quòd ob deformitatem, aut inopiam nequeat eas,iuxta ſuum ſtatum,nuptui tradere; quia hoc non eſt odium perſonæ,ſed deformitatis, aut inopiæ, aut proprij incommodi. *ibid. n.* 7.

15. Grauiter peccat contra charitatem qui actionem iniuriarum in iudicio proſequitur contra inimicum,ex prauo affectu, & non ex honeſto fine: quamuis enim liceat petere à iudice vt pœnam infligat delinquenti, nihilominus eam petere non licet, aut de ea gaudere ex diſplicentia perſonæ, ſeu vt malum ipſius eſt. *tom.* 2. *pag.* 173. *n.* 7.

16. Odium, ira,& indignatio hoc differunt, quòd *Odium* cõtingit cùm quis alteri malum cupit ex diſplicentia perſonæ, etiamſi nullam ab eo iniuriam acceperit: *Ira* verò contingit, dum quis vult alteri malum, ob iniuriam aut læſionem ab eo ſibi illatam, quam cupit vindicare. *Indignatio* denique committitur, dum quis dolet bona indignis conferri, videturque tantùm peccatum, ex ſuo genere, veniale. *ibid. n.* 8.

17. Qui rebus alienis malum optat ex indignatione, ſeu prauo affectu in ipſas, non peccat peccato odij; quia animalia, & res alienas per ſe ſpectatas non tenemur diligere. At qui rebus alienis malum cupit ex diſplicentia perſonæ ad quam pertinent, verè peccat peccato odij; quia non tàm res alienas quàm perſonam cuius ſunt auerſatur. *ibid. n.* 9.

18. Non opus eſt in confeſſione explicare mala ipſa quæ quis proximo optauit, ſed ſufficit dicere ſe toties graui odio proſequutum fuiſſe proximum, illique graue malum optaſſe: diuerſitas enim malorum in actu odij materialiter ſe habet; quippe omnia eandem induunt rationem formalem, nempe vt ſunt malum proximi. *ibid. n.* 10.

19. Poteſt quis ex bono motiuo ſibi malum optare, aut ob honeſtum aliquem finem: hoc enim non eſt velle ſibi malum, ſed potius nolle aliquid ex affectu alicuius boni honeſti. Non tamen licet ſibi malum contra vitam inferre, aut mortem procurare ex deſiderio maioris boni, puta cæleſtis gloriæ potiundæ: hic enim eſt actus efficax qui non ſumit ſpecificationem à motiuo, ſed ab actu, & obiecto externo. *ibidem, numer.* 11.

CHORVS.

Aſſiſtentia in Choro.

1. IN Eccleſia extat obligatio recitandi preces canonicas in choro: quia diuinum officium inſtitutum eſt non ſolùm in vtilitatem recitantium, verùm etiam populi, ideſt, fidelium: populus autem non poteſt diuino officio frui, niſi in loco publico ad id deputato recitetur; ergo. Clerici autem Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum obligantur ad officium in choro ſingulis diebus perſoluendum, niſi aliud ferat conſuetudo; ob id enim accipiunt ſtipendia, & diſtributiones. *tom.* 1. *pag.* 546. *n.* 1. *&* 2.

2. Munus canendi diuinum officium in choro non ita eſt proprium Clericorum, & Eccleſiaſticorum, quin etiam laici poſſint ad id adhiberi ab iis qui ad chorum deputati ſunt: quia nullum ius, vel conſuetudo in contrarium extat. *tom.* 1. *pag.* 547. *n.* 8.

3. Religioſi choro deputati, tenentur in choro diuinum officium recitare, tantùm ex regulis, & conſtitutionibus religionis: ipſi enim nullum acceperunt beneficium propter officium, nec ipſis dantur eleemoſynæ cum hac conditione vt officium publicè recitent, ſed vt vitam religioſam ducant iuxta cuiuſque religionis inſtitutum. Quare beneficiarij arctiori obligatione tenentur choro intereſſe quàm religioſi: illi enim tenentur ex officio, atque adeo ex iuſtitia; hi verò vi ſolius regulæ quæ regulariter non obligat ſub mortali, modo priuatim officium recitent. *ibid. num.* 9.

4. Qui vltra tempus à Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. permiſſum, à choro notabiliter abſunt, per ſe loquendo, mortaliter peccant. Neque poſſunt alium in ſuum locum ſubſtituere, ſaltem præciſa conſuetudine, vel priuilegio: quia hæc obligatio diuini officij in choro perſoluendi eſt perſonalis. Legitima tamen conſuetudine, præſertim immemorabili, induci poteſt vt quis per alium choro aſſiſtat: conſuetudo enim legem abrogare poteſt; quando à iure non reprobatur; ſicque vſu receptum eſt in nonnullis Eccleſiis vrbis Romæ. *tom.* 1. *pag.* 547. 549. *num.* 50.

Clericus.

1. CLericus fit per ſuſceptionem primæ tonſuræ, quæ conferenda eſt à proprio Epiſcopo per tonſionem capillorum, vel ab alio, de licentia proprij Epiſcopi; ſi tamen confeꝛatur ab alio, abſque licentia proprij Epiſcopi, valida eſt, nec iteranda. Dicitur autem *prima tonſura*, eò quod per tonſionem capillorum conferatur, dùm Epiſcopus illa verba pronunciat, *Dominus pars hæreditatis meæ*; quibus tamen omiſſis, validè conferretur tonſura, quia non eſt propriè Ordo, neque Sacramentum. *tom.*1. *pag.*231.*n.*1.

2. Clerici obligationes ſunt hæ. 1. vt geſtet habitum, & tonſuram; vnde ſequitur Clericum initiatum maioribus Ordinibus, aut habentem beneficium, peccare mort. non geſtando habitum, vel tonſuram ad longum tempus ſine iuſta cauſa. Exiſtentes verò in minoribus Ordinibus, excuſari poſſunt faciliùs à peccato, cùm illis liceat ad ſtatum laicalem tranſire. *tom.*1 *pag.*232.*n.*2.*&* 3.

3. Non licet Clericis arma ferre abſque iuſta, & rationabili cauſa, vel abſque legitima conſuetudine, vel abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; nam Epiſcopus id concedere non poteſt, cùm ſit vetitum iure communi: neque enim arma decent ſtatum clericalem. *ibid. n.*5.*&* 7.

4. Altera Clericorum obligatio eſt, vt ſacris Ordinibus initiati recitent horas canonicas. Tertia, vt caſtitatem ſeruent: nam Eccleſia voluit ſacris Ordinibus annexum eſſe caſtitatis votum, quod tacitè cenſetur emitti, per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum: qui enim vult aliquem ſtatum, vult etiam onera illi ſtatui annexa. *ibid. n.*8.

5. Clerici ſunt exempti à laica poteſtate, necnon à tributis, & vectigalibus ſoluendis. Qui verò ſuſcipit primam tonſuram eo tantùm fine, vt fruatur priuilegio clericali; vel vt gaudeat exemptione fori, non verò intentione ſeruiendi Eccleſiæ, non peccat mortaliter. *ibid.n.*9.*&* 10.

6. Clericis ſacris Ordinibus initiatis, vel habentibus beneficium, non licet, per ſe loquendo, negotiationem per ſeipſos exercere: eſt enim illis negotiatio interdicta vt pote quæ ipſorum ſtatum dedecet; idem ſentiendum de religioſis. Clericus tamen qui per alium negotiatur, nullam culpam incurrit, modò non adſit turpis aliqua circumſtantia, aut ſcandalum: quia clericis, & religioſis interdicta ſolùm videtur negotiatio

negotiatio personalis, ob indecentiam, & distractionem ad terrena; vtraque autem cessat si per alios negotientur. Clerici verò minoribus Ordinibus initiati videntur à mortali excusandi si per seipsos negotiationem lucratiuam exerceant. *tom.2.pag.*489. *num.*18.*&* 19.

CLERICVS.

Clericorum percussores.

7. IN cap. *Si quis suadente diabolo* 17. *quæst.* 4 fertur excommunicatio contra percutientem clericum, vel monachum, quæ reseruata est Summo Pontifici nisi in articulo mortis. *disp.*2.*quæst.*3.*punct.*6.*pag.*190.*tom.*3.

8. Qui clericum percutit ita leuiter vt illa percussio non censeatur sufficiens ad mortalem culpam omnibus consideratis, non afficitur excommunicatione, quamuis mortaliter peccauerit in intentione, intendens grauiter percutere. At qui leuiter percutit quidem, ita tamen vt illa percussio censeatur valdè iniuriosa clerico, incurrit excommunicationem, vt accidit quando quis percutit clericum virga, aut in illum conspuit, &c. *ibid.sect.*1.§.1 *n.*4.

9. Qui aliquid violenter eripit è manibus clerici, aut violentiam facit rebus illi adhærentibus, v.g. violenter iniiciens manus in frænum equi cui clericus insidet, aut lacerans vestem illius, aut percutiens equum, aut ita persequens clericum vt cogatur se præcipitem dare in fluuium; censetur excommunicatus. Item qui clericum occidit veneno; hæc enim actio est violenta. *ibid.num.*5.*pag.*191.*tom.*3.

10. Iudex sæcularis incidit in excommunicationem detinendo clericum in custodia, vel in domo, aut ponendo custodes ad domum qui clericum exeuntem capiant, ita vt non possit liberè exire; sic enim clerico vis infertur. *ibid.n.*9.

11. Ille subiacet excommunicationi qui sclopetum displodit in clericum qui ob terrorem moritur, quamuis pila ne leuiter quidem tactus fuerit; hæc enim est actio violenta, & iniuriosa in clericum. *ibid.*n.13.

12. Clerici impuberes inter se rixantes, séque percutientes, non incurrunt excommunicationem quando illa actio attenta qualitate personarum, & quantitate nocumenti, non pertingit ad peccatum mortale; excommunicatio enim supponit peccatum mort. *ibid.num.*14.

13. Consulens vel mandans clericum percuti subiacet huic excommunicationi modò sequatur percussio, & consilium, vel mandatum influat in percussionem. Ratio petitur ex cap. *Quanta, de sentent.excommunicat.* vbi habetur non solum eos subiici excommunicationi qui percutiunt, verùm etiam qui consentiunt. *ibid.* §.2.*n.*1.*& seq.tom.*3.

14. Qui postquam mandauit clericum percuti, reuocauit mandatum; qua reuocatione non manifestata ei qui mandatum accepit, sequuta est percussio; non excusatur ab excommunicatione; quia suo mandato fuit causa efficax percussionis. *ibid.num.*4.

15. Quæres vtrùm mandans percuti clericum incurrat excommunicationem si sit in gratia, dùm mandatarius exequitur mandatum. *Resp.* affirmatiuè: quia licèt ad incurrendam excommunicationem prærequiratur peccatum mortale; non tamen necesse est vt peccatum mort. tunc committatur quando censura incurritur. *ibidem pag.* 192. *numero* 5. *tom.*3.

16. Quando executor mandati inuincibiliter ignorat illum quem percutit esse clericum, aut latam esse excommunicationem contra percutientem clericum; non incurrit excommunicationem percutiens; at mandans incurrit. *ibid.n.*6.

17. Qui non impedit percussionem clerici quam ex sola charitate tenetur impedire cùm possit; mortaliter quidem peccat, non tamen incurrit excommunicationem: quia illi non imputantur cætera damna, nec iniunguntur aliæ pœnæ; ergo neque debet imponi pœna excommunicationis. Ad hæc excommunicatio non fertur ob omissionem, sed ob actionem. *ibid.num.*7. Qui verò ex officio tenentur impedire, rei sunt excommunicationis si non impediunt; illis enim imputatur percussio. *num.*8. *&* 9.

18. Qui approbat, & ratam habet percussionem Clerici suo nomine factam quamuis non dederit mandatum, incidit in excommunicationem; quia ratihabitio fictione iuris retrotrahitur, & æquiparatur mandato: cùm his tamen conditionibus. 1. vt qui ratam habet percussionem clerici, potuerit eam mandare tunc temporis cùm facta est; quare approbans percussionem clerici factam cum esset infans vel amens, excommunicationem non incurrit. 2. vt ratam habeat percussionem per aliquod signum externum; quia actus merè internus non subiacet excommunicationi. 3. vt percussio facta sit nomine ipsius, idque ipse sciat. *ibid.n.*10.*&* 11.

19. Qui

19. Qui percutit clericum volentem, & consentientem, non propterea excusatur ab excommunicatione: quia illud priuilegium de non percutiendo clericum sub pœna excommunicationis concessum est toti ordini clericali, cui persona priuata non potest renunciare. Ipse autem clericus consentiens in sui percussionem non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus, vt habetur in cap. Contingit cit. *ibid. sect.* 2. *pag.* 193. *n.* 5. *&* 6. *tom.* 3.

20. Clericus præ desperatione, aut vitæ tædio, aut alia de causa seipsum grauiter percutiens, maiorem incurrit excommunicationem: quia hæc percussio est toti clericali ordini iniuriosa. *Ibid. n.* 7.

21. Qui percutit clericum coniugatum qui non est bigamus, aut clericum degradatum verbaliter tantùm, aut irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum, aut alia censura affectum, aut eum qui post susceptionem sacrorum ordinum contraxit matrimonium, huic subiicitur excommunicationi; hi enim omnes priuilegium canonis non amiserunt. Secùs dicendum de eo qui suscepit ordines ante baptismum, aut qui per vim promouetur ad ordines absque intentione illos suscipiendi. *ibid. sect.* 3. *num.* 1. *& seq.*

22. Denique percuciens aliquem gaudentem priuilegio canonis, huic excommunicationi est obnoxius. Quinam autem gaudeant priuilegio canonis, vide titul. *Ecclesiastica libertas.* Ibid. *num.* 7. *& seq. tom.* 3.

23. In his casibus percutiens clericum excusatur ab excommunicatione. 1. qui percutit vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad se defendendum, vel rem suam, vel honorem, immò ad defensionem innocentiæ parentum, filiorum, amicorum, & aliorum. 2. qui percutit ignorans esse clericum. 3. qui percutit per iocum, etiamsi fortè aliqua ira interueniat modò non pertingat ad culpam lethalem. 4. Qui percutit per inaduertentiam ex subito motu; nam inaduertentia, & indeliberatio excusat à peccato mort. atque adeo ab excommunicatione. 5. qui percutit causa correctionis, & disciplinæ, habens ad id legitimam potestatem; modò non percutiat ex graui odio, aut ira. 6. qui percutit clericum inuentum cum vxore, aut filia, aut sorore, modò statim percutiat; quamuis enim sic percutiens grauiter peccet; nihilominus eximitur ab excommunicatione, quia Ecclesia non præsumit percussionem factam esse suadente diabolo, sed passione vehementi; est enim perdifficile in hoc casu sibi temperare. 7. qui per-

cutit clericum factum militem, vel se immiscentem enormitatibus. 8. qui percutit clericum coniugatum, publicè per se exercentem officium cauponis, vel lanij. 9. qui percutit clericum mimicam exercentem publicè, post trinam admonitionem. 10. qui percutit bigamum. 11. quando ostiarius Principis turbam summouendo, simul impellit clericum, nisi hoc faciat animo offendendi. *ibid. sect.* 4. *pag.* 194. *num.* 1. *& seq. pag.* 195. 196. *tom.* 3.

Clerici percussor à quo absoluendus.

24. Quando percussio est leuis potest Episcopus per se, vel per alium absoluere. Item vicarius generalis; nec non supremi monasteriorum Præpositi, vt Abbas, Prior, Guardianus, &c. ex priuilegio possunt absoluere sibi subditos ab excommunicatione ob leuem percussionem, per se, vel per alios. Quænam autem sit percussio leuis, standum est iudicio prudentum, attentis circunstantiis personæ, loci, &c. *ibid. sect.* 5. *num.* 3. *& seq. tom.* 3.

25. Religiosus percutiens clericum sæcularem, si est exemptus à iurisdictione Episcopi, absoluendus est à proprio Prælato iuxta limites potestatis quam habet. Prælati autem religionis, vt Generalis, vel Prouincialis, possunt hanc facultatem alteri delegare, etiam quando percussio est grauis & enormis; quia huiusmodi potestas est ordinaria, à Summo Pontif. perpetuò concessa iis qui tale officium habent. *Ibid. pag.* 197 *n.* 9. *tom.* 3.

26. Quando percussio est enormis, potest Episcopus in his casibus absoluere. 1. si percussor habeat legitimum impedimentum, propter quod non possit Summum Pontif. adire sine graui periculo vel damno; neque enim est credibile Summum Pontif. velle sibi absolutionem excommunicationis reseruare cum tanto fidelium incommodo; sublato tamen impedimento tenetur percussor Papam adire, alioquin nouam contrahit excommunicationem. 2. quando imminet proximum periculum mortis. 3. si percussor sit impubis; etiamsi petat absolutionem post adeptam pubertatem ob enormem percussionem factam tempore impubertatis. 4. si mulier clericum percussit, etiam enormi percussione cuiuscumque sit ætatis, aut conditionis potest per Episcopum absolui. 5. si percussor sit in potestate alterius, vt filius familiâs seruus, &c. 6. Idem dicendum de quibuscumque aliis impotentibus ad

iter

iter conficiendum. *ibidem*, *numer.* 9. *& seq. pag.* 198. *tom.* 3.

27. Potest Episcopus quoscumque sibi subditos absoluere ab excommunicatione ob enormem percussionem clerici, modò sit occulta, nec deducta ad forum contentiosum iuxta priuilegium à Conc. Trid. concessum *sess.* 24. *cap.* 6. neque tenentur sic absoluti postea adire Papam, vel Legatum. Hanc autem facultatem potest Episcopus alteri delegare. *ibid. numer.* 19.

28. Qui habet priuilegium absoluendi percussorem clerici satisfacta parte, non debet illum absoluere nisi primùm satisfecerit clerico percusso, & præterea Ecclesiæ, seu statui Ecclesiastico; hanc autem satisfactionem exhibebit, si se humiliter subiiciat absoluenti, & se paratum ostendat ad acceptandam pœnitentiam quæ sibi fuerit imposita, cum iuramento obediendi Ecclesiæ, nec ampliùs in posterum percutiendi clericum. *ibid. pag.* 198. 199. *n.* 22. *tom.* 3.

29. In absolutione ab hac excommunicatione Sacra Pœnitentiaria Romæ hæc obseruat. 1. vt absoluendus sit præsens. 2. vt satisfactionem præmittat. 3. si delictum sit publicum, non gerat se in publico tanquam absolutũ; nam absolutio Pœnitentiariæ dari solet pro foro conscientiæ tantùm. 4. si clericum interfecit, admonendus est ipsum & filios inhabiles esse ad beneficia. 5. si percussio sit occulta, exigendum est iuramentum vt si detegatur conferat se nudus, & discalceatus exceptis femoralibus ad quinque Ecclesias, virgam præ manibus, & corrigiam ad collum habens publicè suum fateatur crimen, & ante fores dictarum Ecclesiarum verbera sibi per Psalm. *Miserere*, infligi curet, alioquin in excommunicationem relabatur. *ibid. pag.* 199. *n.* 25. *tom.* 3.

Clericorum excommunicationes non reseruatæ.

30. In Clement. vnica, *de consang.* extat excommunicatio contra clericos sacris ordinibus initiatos qui matrimonium contrahere præsumunt. *disp.* 2. *quæst.* 4. *pag.* 256. *punct.* 1. *tom.* 3.

31. Leo X. in Bulla 9. quæ incipit, *Inter multiplices*, excommunicat eos qui montem pietatis in concionibus, verbo, vel scripto impugnare audent. Neque solùm Ecclesiastici, aut religiosi, verùm etiam laici, & sæculares contra montem pietatis disputantes huic excõmunicationi sunt obnoxij, nisi ignorantia excuset; nam imposita est excommunicatio audentibus auda-

cia autem ſcientiam ſupponit. *ibid. punct.* 2. *pag.* 266. 267. *tom.* 3.

32. Confeſſarius abſoluens à caſibus in Bulla Cœnæ contentis prætextu priuilegij, incurrit excommunicationem Papæ reſeruatam; abſoluens autem abſque prætextu priuilegij, incurrit non reſeruatam. *ibid. punct.* 3. *pag.* 267. *tom.* 3.

33. Cùm in quibuſdam ciuitatibus permixti ſint populi lingua & ritibus diſcrepantes ſub vna tamen fide, ad Epiſcopos pertinet cura deputandi ſingulis miniſtros idoneos. Quapropter in cap. *quoniam. de offic. iud. ordin.* excommunicatio fertur contra eos, qui ſe huiuſmodi miniſteriis ingerunt ſine licentia Epiſcopi *ibid. punct.* 4. *tom.* 3.

34. In cap. *clericis, ne monachi, vel clerici*, Sacerdotes Viceregis, aut Præpoſiti ſæculares officium ſuſcipientes excommunicationi ſubiiciuntur ſi poſt admonitionem illud officium non dimiſerint; hoc enim dedecet ſtatum Sacerdotalem. Non videtur tamen in hoc canone interdictum Sacerdoti munus conſiliarij apud Principem ſæcularem ſuſcipere, modò illud non exerceat in cauſa ſanguinis in particulari; qui verò concurrit ſolùm ad legem condendam in qua pœna ſanguinis ſtatuitur delinquentibus, non incurrit irregularitatem, quia non concurrit ad cauſam ſanguinis proximè, ſeu in particulari. Diaconi vel Subdiaconi ſub hac cenſura non comprehenduntur, quia non ſunt Sacerdotes. *ibid. punct.* 5. *pag.* 268. *tom.* 3.

35. Honorius III. in cap. *ſuper ſpecula, ne clerici, vel monachi.* decreuit, vt excommunicatio quam tulerat contra religioſos exeuntes ad audiendas leges, vel medicinam, & intra duorum menſium ſpatium non redeuntes, extendatur ad Sacerdotes, Archidiaconos, & alios perſonatum habentes, niſi huiuſmodi ſtudium intra duos menſes dimiſerint. Non videtur tamen ſub excommunicatione interdictum præfatas ſcientias domi audire. Porrò non prohibentur Sacerdotes ſub excommunicatione, leges, & medecinam docere; quia textus loquitur tantùm de audientibus. *ibid. punct.* 6. *pag.* 269. *tom.* 3.

36. Pius V. in Extrauag. 48. quæ incipit, *De ſalute gregis*, tulit interdictum cum priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ contra milites, & alios congredi audentes in ſpectaculis vbi tauri, aut feræ agitantur, & contra Principes, aut Magiſtratus id permittentes. Eandem excommunicationem extendere videtur ad clericos beneficiarios, alioſque in ſacris conſtitutos

qui

qui eiusmodi agitationibus intersunt. Probabilius tamen videtur hanc excommunicationem non esse ipso iure latam, sed ferendam. *ibid. punct. 7. pag. 270. tom. 3.*

37. In Bulla Innocentij VIII. quæ incipit *Sicut bonus*, excommunicantur ficte resignantes beneficium, & resignationem acceptantes, & concurrentes ad hanc fictionem, vt notarij, & testes, modò sint fraudis conscij. Hæc autem fictio in eo est, vt resignatio fiat extra Curiam, & vltra duas diætas, prætextu facultatis à Sede Apostolica obtentæ. *ibid. punct. 8. pag. 271. tom. 3.*

38. In cap. *Vsurarum, de vsuris in 6.* decernitur, ne vsurarij publicè quasi ex officio vsuram exercentes, permittantur domos conducere, vel conductas habitare; sed intra tres menses expellantur, nec vllus eis domum locet, aut concedat ad fænus exercendum, vel alio titulo; qui secùs faxint, si fuerint Episcopi, aut Episcopo superiores, suspendantur; si fuerint Episcopo inferiores, excommunicationem incurrant; si fuerit collegium, seu alia vniuersitas interdicto subiiciatur. Hic autem sermo est de vsurariis alienigenis, & aliis qui non sunt ex eo loco, vbi vsuram exercere volunt, oriundi. *ibid. punct. 9. pag. 271. 272. tom. 3.*

39. In cap. *generali constitutione, de elect. in 6.* excommunicantur Clerici, & religiosi Ecclesiarum curam habentes, qui procurant vt regalia iura iura, & loca Ecclesiarum vacantium ab aliis occupentur. *ibid. Punct. 10.* vide *tit. Regalia.*

40. In Extrauag. *ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, interdicitur alienatio bonorum Ecclesiæ, & locorum piorum, tam immobilium, quàm mobilium pretiosorum, quæ seruari possunt. Immò alienatio dictorum bonorum sine solemnitate facta, irritatur; & alienans ligatur excommunicatione, priuaturque beneficiis, officiis, & administratione bonorum quæ alienare præsumpsit. Eadem excommunicatio extenditur ad recipientem. At si alienans sit Episcopus, vel Abbas, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & si per sex menses in interdicto permanserit, suspenditur à regimine, & administratione Ecclesiæ vel monasterij cui præest in temporalibus. Ab hac tamen censura excipitur alienatio, & conductio bonorum Ecclesiasticorum ad triennnium, necnon contractus emphyteuticus, modò fiat in casibus à iure permissis, & in bonis in emphyteusim ab antiquo dari solitis. *ibid. punct. 11. pag. 272. 273. tom. 3.*

Clericorum excommunicationes Papæ reseruatæ.

41. In Bulla 87. Pij IV. quæ tamen in Bullario nouo non inuenitur, & incipit, *Inter multiplices curas*, fertur excommunicatio contra obtinentes à Papa Ecclesias parochiales, cum iuramento illis inseruiendi personaliter intra certum tempus, & postea iuramentum non adimplentes. Id autem valet in omnibus beneficiis curam animarum adnexam habentibus, vacantibus per obitum, & ad Papæ prouisionem, & dispositionem spectantibus; sic enim habetur in Bulla. *ibid. quæst.* 5. *punct.* 1. *pag.* 273. 274. *tom.* 3.

42. Leo X. in Bulla 21. quæ incipit, *Supernæ maiestatis.* edita in Concilio generali Lateran. *sess.* 11. excommunicationem tulit contra prædicatores sacram scripturam interpretantes contra proprium ipsius sensum, & interpretationem Doctorum, ab Ecclesia, vel vsu approbatorum, & contra prædicentes tempus præfixum alicuius mali, vel aduentes Antichristi, vel iudicij, aut alia futura tanquam sibi diuinitùs reuelata, aut asseuerantes inanes diuinationes. Possunt tamen concionatores interpretari Scripturam per quandam accommodationem modò non deflectant à proprio, vel mystico sensu, quem tenet Sancta mater Ecclesia. *ibid. punct.* 2. *pag.* 274. 275 *tom.* 3.

43. Clemens III in cap. *significauit*, *de sent. excom.* tulit excommunicationem contra clericos, scienter, & sponte participantes cum excommunicatis à Papa, illosque ad diuina officia admittētes; si sunt vitandi, id est, si nominatim declarati, & denunciati sunt excōmunicati Participantes autem cum notorio Clerici percussore, nisi sit denunciatus, probabile est nō incurrere excommunicationem. *ibid. punct. pag.* 3. 275 *tom.* 3.

44. In cap. *animarum periculis, de sepult. in* 6. interdicto subiiciuntur Ecclesiæ, & cœmeteria religiosorum, & clericorum sæcularium, qui in suis Ecclesiis, vel cæmeteriis sepeliunt aliquem quem induxerunt ad vouendum, iurandum, vel promittendum, vt in eorum Ecclesiis sepulturam eligat, vel semel electam non mutet: Interdicuntur autem cum hac conditione nisi infra decem dies integrè restituant omnia quæ ocsione sepulturæ ad ipsos peruenerunt, vel etiam ipsum cadauer si petatur. Parochi tamen inducentes aliquem suæ parœciæ ad eligendam sepulturam in sua Ecclesia, vel ad mutandam electionem iam factam, sub hac censura non comprehenduntur; quia in gratiā Parochorum hæc constitutio, & aliæ hu-

iusmodi

iuſmodi editæ ſunt. *ibidem. Punct.* 4. *pag.* 276. *tom.* 3.

45. In Bulla 2. quæ incipit, *Cum omnibus*, Paulus II. præcipit iudicibus ſeu commiſſariis deputatis ad examinandas cauſas à ſupplicantibus expreſſas, vt examinent cauſas propter quas Summus Pontifex adductus eſt ad concedendam in ſuis literis facultatem alienandi; quod ſi conſenſum, vel auctoritatem præſtiterint ad alienanda Eccleſiæ bona, in detrimentum Eccleſiæ, ſubiiciuntur excommunicationi, modò ſint inferiores Epiſcopis; Epiſcopi verò, aut Epiſcopis ſuperiores incurrunt ſuſpenſionem per annum ab executione officij: tamen hæ cenſuræ non ſunt Summo Pontifici reſeruatæ. At contra procurantes ſcienter huiuſmodi alienationem, ſeu decretum alienationis, lata eſt excommunicatio Summo Pontifici reſeruata; necnon contra extorquentes à commiſſariis decretum alienationis per ſordes, id eſt, per iniquas largitiones. *ibid. pun.* 5. *pag.* 276. 277. *tom.* 3.

46. Martinus V. in Bulla 10. quæ incipit, *Ad reprimendos*, excommunicat Eccleſiaſticos, qui alios Eccleſiaſticos conueniunt coram iudice laico in cauſis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, ſiue id fiat actione reali, ſiue mixta, ſiue perſonali, ſiue ciuili, ſiue criminali. *ibid. punct.* 6. *pag.* 277. *tom.* 3.

Clericorum ſuſpenſiones.

47. Celebrans, aut celebrari faciens in loco interdicto, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: modò tamen locus ſit nominatim denunciatus, interdictus, aut publicè conſtet eſſe pollutum. Abſolutio ab hac cenſura reſeruata eſt Papæ, niſi ſatisfactio à delinquente præſtetur ad arbitrium illius cuius ſententia violata eſt; præſtita autem ſatisfactione, abſque alia abſolutione ceſſat ſuſpenſio. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *pag.* 347. 348. *tom.* 3.

48. Sacerdos qui Miſſam inchoatam ſine graui cauſa dimittere præſumit, incurrit ſuſpenſionem à corpore, & ſanguine Chriſti: non prohibetur tamen Euchariſtiam ſumere more laicorum modò ſit ritè diſpoſitus; quia excluditur à ſumptione corporis, & ſanguinis Chriſti quæ propria eſt Sacerdotum; quare hæc vocari poteſt *ſuſpenſio partialis*, quia impedit executionem ordinis Sacerdotalis circa ſumptionem corporis, & ſanguinis Domini. Abſolutio ab hac ſuſpenſione concedi poteſt ab Epiſcopo; quia non eſt reſeruata. *ibid. punct.* 2. *pag.* 348. *tom.* 3.

49. Sacerdos Missam celebrans, & in ea non communicans, suspensionem incurrit qua per annum arcetur à participatione corporis, & sanguinis Christi; non tamen à communione more laicorum. Qui verò vnam tantum speciem consecrauit seu ex inaduertentia, seu ex malitia; hanc suspensionem non incurrit, vnam tantum speciem sumens; quia sumpsit quod obtulit, & sacrauit. Huius suspensionis absolutio, ex communiori sententia, pertinet ad Summum Pontificem. *ibid. punct.*3.*pag.*349.*tom* 3.

50. Confessarij non seruantes formam à Congregatione Apostolica præscriptam in confessionibus audiendis, ipso facto pœnam incurrunt suspensionis à confessionibus audiendis; verùm hæc suspensio non extenditur ad confessarios extra Episcopatum Rom. existentes. *ibid. punct.*4.

51. Parochus, vel quiuis alius Sacerdos assistens matrimonio, vel benedicens sponsos alterius Parochiæ absque licentia Parochi sponsorum, ipso facto suspensionem incurrit ab officio, & beneficio; quia Concil. Trid. absolutè loquitur; probabile tamen est istam suspensionem esse tantum ab officio Sacerdotali, vt in quo peccauit Sacerdos, in eo puniatur. Si tamen alter sponsus sit ex illa Parochia cuius Parochus assistit vel benedicit; excusatur à suspensione, vtitur enim iure suo erga sibi subditum, quo iure vti nequit nisi adsit etiam alter sponsus qui est alterius parœciæ. Huius suspensionis absolutio pertinet ad Episcopum seu ordinarium eius loci cuius Parochus matrimonio assistere debebat. *ibid. punct.*5. *pag.*350.*tom* 3.

52. Clericus sæcularis, vel regularis assistens matrimonio clandestino, non incurrit suspensionem latæ sententiæ, sed ferendæ. Neque item benedicens secundis nuptiis; etiamsi vetitum sit sponsos aliàs benedictos benedicere. *ibid. pag.*351. *num.*9.*tom* 3.

53. Accipiens oblationes ab vsurariis manifestis, aut eos sepeliens, incurrit suspensionem ab officio. Nomine autem *oblationum*, intelligitur id quod offertur Deo in recognitionem diuinæ excellentiæ; quod verò traditur Ecclesiasticis ministris ad ipsorum sustentationem, vel in stipendium, non vocatur oblatio; quocirca accipiens ab vsurario decimas, vel pecuniam vt pro ipso oret, non videtur huius suspensionis reus. Hæc suspensio reseruata est Papæ, donec delinquens satisfecerit ad arbitrium Episcopi. *ibid. punct.*6.

54. Iure antiquo lata est suspensio ab ordinis executione contra

contra clericum assistentem sepulturæ raptoris, seu violatoris publici Ecclesiarum, aut eleemosynam ab eo accipientem, quando hic raptor pœnitentiam agere noluit ante obitum. Eadem suspensio extenditur ad clericos, qui huius rapinæ participes fuerunt. Verùm hoc tempore hæc suspensio vix est in vsu. *ibid.n.7.*

55. Clerici grauantes Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis, vel concedentes alicui literas, seu sigilla quibus Ecclesia sibi commissa obligari possit, vt si quis tradat alteri chartam non scriptam suo sigillo impressam data facultate scribendi quidquid libuerit, vel si det ei sigillum vt eo vtatur ad firmandum debitum soluendum nomine Ecclesiæ. Hi, inquam, priuantur administratione temporalium, & spiritualium. Vnde sequitur eum beneficiarium affici hac suspensione qui pecuniam mutuo accipit, eámque alteri tradit relicta Ecclesiæ obligatione soluendi mutuum. Secùs autem si aliquam Ecclesiæ pecuniam mutuò tradat pauperibus; hic enim Ecclesiam non grauat alienis debitis. Probabile est huius suspensionis absolutionem conferri posse ab Episcopo, postquam fuerit Ecclesiæ factum satis. *disput.3.quæst.4.punct.14.pag.360.361.tom.3.*

56. Clerici occupantes bona Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, Sede vacante, pertinentia ad ipsam Ecclesiam, vel ad Prælatum defunctum, vel ad successorem, aut ea dilapidantes, vel malè administrantes, incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio, Summo Pontifici reseruatam, ante factam restitutionem, nisi ea condonetur ab eo cui erat satisfaciendum, facta autem, aut condonata restitutione, suspensio cessat. *ibid. punct.15.pap.361.362.tom.3.*

57. Clericus habens beneficium, incurrit per sex menses suspensionem à perceptione fructuum si publicè vtatur veste virgata, vel partita, id est, versicolore. Clericus verò non habens beneficium, sed subdiaconus, aut diaconus, fit per sex menses inhabilis ad beneficium. Sacerdos verò, aut religiosus, aut alius obtinens dignitatem, vel beneficium cui adnexa est animarum cura, suspensionem incurrit per annum à perceptione fructuum, si publicè gestet vestem versicolorem; si verò beneficium non habeat, efficitur inhabilis per annum ad beneficium Ecclesiasticum. Alia huiusmodi circa vestes clericorum habentur in Clement.2.*quoniam, de vita, & honestate clericor.* edita in Concilio Viennensi à Clemente V. Additur tamen in hac Clementina, *nisi causa rationabilis subsit*; excusantur

enim

enim clerici qui præfatis vestibus vtuntur dum transituri sunt per loca infidelium, vel hæreticorum; leges quippe Ecclesiasticæ non obligant cum graui incommodo, aut periculo; eam ob causam clericus à Papa reprehensus quod Romam venisset sine habitu clericali, in hunc modum se excusauit:

Tutius vt peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit vt sinerem luxuriare comam.

Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. mandat clericos contra decentiam & honestatem habitus delinquentes arbitrio Ordinarij puniri. *disp.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 6. *pag.* 375. *tom.* 3.

58. Clericus notorius concubinarius, vel fornicator iure quidem antiquo fuit suspensus; iure tamen nouo non est ipso facto suspensus, sed suspendendus, exceptis Episcopis qui non se emendarunt, postquam à Synodo prouinciali semel admoniti fuerunt; quia sacri canones hac in parte abrogati sunt per consuetudinem contrariam, & suspensio quæ olim ipso facto incurrebatur, hoc tempore commutata videtur à Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 14 in suspensionem comminatoriam, & alias pœnas; vtitur quippe Concil. verbis futuri temporis. *disp.* 3. *quæst.* 7 *punct.* 4. *pag.* 377. *tom.* 3.

Commodatum.

1. COmmodatum ita dicitur quasi *datum commodo alterius*, nihilque aliud est quàm contractus quo res alteri conceditur gratis ad certum vsum. Differt *à mutuo*, quia in mutuo non tantùm vsus, sed etiam dominium rei transfertur; in commodato verò solus vsus. Differt *à locato*, quia locatum non fit gratis. Differt *à deposito*, quia vsus depositi regulariter non transfertur. Differt *à precario*, quia licèt precarium concedatur ad aliquem vsum, non tamen ad certum vsum, cùm repeti possit ad arbitrium concedentis: at commodatum non potest repeti ante tempus præfixum, immò si commodans repetat ante tempus, contra voluntatem commodatarij, & cum eius damno, tenetur ad restitutionem; nisi commodans passurus sit æquale damnum. *tom.* 2. *pag.* 637. *numero* 1.

2. Qui habet ius vtendi re aliqua sibi commodata, potest eam alteri commodare, nisi aliter conuentum sit cum domino: tùm quia potest ius suum alteri cedere, tùm quia sic decernitur in iure. *ibid. n.* 2.

3. Ad commodatum hæc requiruntur. 1. mutuus consen-

sus. 2. vt tradatur gratis commodatario ad certum aliquem vsum, & ad certum tempus expressè, vel tacite. 3. vt dominium commodati perseueret apud commodantem, consequenter si pereat absque culpa commodatarij, pereat commodanti. Tenetur autem commodatarius ad restitutionem ex leuissima culpa: at de casu fortuito non tenetur, secluso pacto, culpa, aut mora. *ibid.num.*3.

4. Commodatarius tenetur ad expensas ordinarias faciendas durante tempore contractus commodati: nam cuius est commodum, eius etiam est onus, & incommodum; sic qui equum accepit commodato, tenetur illum alere. Ad extraordinarias verò non tenetur, vt si equus ægrotauit, si paries domus cecidit, &c. nam expensæ extraordinariæ cedunt in vtilitatem commodantis. *ibid.num.*4.

5. In foro conscientiæ commodatum retineri potest titulo compensationis, quando commodatarius alia ratione non potest satisfactionem obtinere: at in foro externo id non licet, quia commodatum est priuilegiatum sicut depositum. *ibid. num.*5.

Concubinatus.

1. Concubinatus est frequens, & consueta fornicatio cum eadem persona. Concubinæ olim dicebantur quæ sine publica solemnitate, & ritu consueto ducebantur, & non admittebantur ad domesticam familiæ gubernationem. Hæbreis enim licebat duas vxores simul ducere, vnam solemni ritu, alteram absque ritu solemni, quod hoc tempore non licet. *tom.*1. *pag.*323. *n.*8.

2. Pœnitens qui domi alit concubinam, regulariter non est absoluendus antequam eam dimittat, seu quamdiu persistit in proxima occasione peccandi quam potest relinquere: quamdiu enim eam retinet, non censetur habere sufficientem dolorem, ac firmum propositum vitandi peccata in futurum. Fieri tamen potest vt concubinarius absolui aliquando possit non dimissâ concubinâ, vt quando non potest eam dimittere sine scandalo, vel graui infamia, vel alio incommodo: tunc enim non censetur illa peccandi occasio voluntaria: aut quando in articulo mortis existens, non potest tunc concubinam eiicere, sed habet firmum propositum illam eiiciendi cùm primùm poterit. Secluso verò mortis periculo vix debet absolui antequam concubinam domo eiiciat, etiamsi fortè

non

non ſit concubinarius, ſed vulgò habeatur. *tom.1.pag.324. num.11. & 12.*

3. Filiùs familiâs qui de domo patris non eiicit concubinam, vel aliam cum qua peccare ſolet, poteſt abſolui, modò habeat firmum propoſitum non peccandi in futurum, & cum illa colloquendi, aut conuerſandi; hæc enim non dicitur voluntaria occaſio peccandi reſpectu filiifamiliâs qui non eſt ſui iuris. *ibid.num.13.*

4. Deneganda eſt abſolutio pœnitenti ſæpius in mollitiem, & pollutionem voluntariam incidenti, quando poteſt occaſionem peccati præſcindere, & non præſcindit, vt quando ex colloquio, & aſpectu fœminæ alicuius cum qua familiariter verſatur, ſolet in turpes cogitationes conſentire, aut in voluntariam pollutionem incidere: eſt enim in proxima, & voluntaria occaſione peccandi, conſequenter dimittendus eſt ſine abſolutione, niſi ab illius fœminæ conſuetudine recedat, & proponat ſe nunquam illam aſpecturum. *ibid.num.14.*

5. Concubinarij laici poſſunt ab Ordinariis locorum puniri, & excommunicari poſt trinam admonitionem, vt patet ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap.8.* Presbyteri verò notorij concubinarij ſunt ab Epiſcopis ſuſpendendi ex Trident. ſeſſ.25.cap.14. *ibid.n.18.& 19.*

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Confeßionis neceßitas.

1. CONcil. Trident. *ſeſſ.13.can.11.* excommunicat præſumentes docere, vel pertinaciter aſſerere habenti conſcientiam peccati mortalis, neceſſariam non eſſe confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ. *diſp.2. quæſt.2. punct.14. pag.166. tom.3.*

2. Qui cum conſcientia peccati mortalis accedit ad Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione, non incidit in hanc cenſuram; etiamſi hoc faciat interiùs ſentiens ſolam contritionem ſufficere, nec neceſſariam eſſe confeſſionem, immò etiamſi alij ſuſpicentur ipſum in ea eſſe ſententia, modò eam verbis, aut ſignis externis non prodiderit: quia hic nihil facit quod à Concil. Trident. ſub excommunicatione prohibeatur. *Ibid. num. 3.*

3. Qui ſententiæ Caietani adhærens aſſerit confeſſionem, de iure diuino, non eſſe neceſſariò præmittendam ante ſacram

cram communionem; huic censuræ non subiacet; quia hic non asserit confessionem non esse absolutè necessariam. *ibidem num.*4.

4. Qui asserit necessariò præmittendam non esse confessionem sacramentalem in loco vbi Concilium non est vsu receptum, non ligatur hac censura Concilij; grauiter tamen peccat; quia falsum docet in re maximi momenti. *ibidem num.* 5.

5. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Confessio per nuncium.

6. Clemens VIII. in quodam decreto edito in generali Congregatione sanctæ Inquisitionis, hanc propositionem damnat tanquam falsam, temerariam, & scandalosam: *Licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente posse absolutionem obtineri.* Præterea excommunicationis pœnam addit contra docentes, defendentes, imprimi facientes, vel ad praxim deducentes huiusmodi propositionem, vel de ea disputantes nisi ad impugnandum. *disp.*2.*quæst.*3.*punct.*33.*pag.*247 *tom.*3.

7. Ad hanc excommunicationem incurrendam non est opus vtrumque defendere, videlicet fieri posse confessionem absenti, & absolutionem impendi posse à confessario absente; sed alterutrum sufficit; quia vtraque propositio est falsa, temeraria, & scandalosa, ergo vtraque pari pœna digna. *ibidem num.* 3.

8. Licèt impressor qui huiusmodi propositionem imprimit, grauiter peccet; non tamen hanc excommunicationem incurrit; quia excommunicantur imprimi facientes, non imprimentes. *ibid.num.*5.

9. Hæc excommunicatio est Summo Pontifici reseruata. *num.* 7.

Confirmatio quid.

1. Confirmatio est sacramentum quo homo viator, baptizatus, inungitur in fronte ab Episcopo, cum chrismate, & præscripta verborum forma, ad fidei robur consequendum. Fuit autem institutum in die vltimæ Cœnæ, quoad materiam, & formam; tunc enim Christus consecrauit chrisma, vt habetur ex traditione Ecclesiæ. Igitur huius sacramenti institutio

ſtitutio inchoata fuit in die vltimæ Cœnæ; completa autem quando Chriſtus contulit Apoſtolis plenam poteſtatem Ordinis ſacerdotalis, & Epiſcopalis Ioan. 20. *tom. 1. pag. 45. num. 1. & ſequent.*

Confirmationis neceſſitas & miniſter.

2. Confirmationis ſacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medij; ex nullis enim Chriſti verbis id colligitur; neque neceſſitate præcepti. Quare qui Confirmationem ſponte omittit, modò abſit contemptus, non peccat mortaliter; quia robur ad profitendam fidem poteſt per alia media obtineri. *ibid. n. 1. & 2.*

3. Huius ſacramenti miniſter, regulariter loquendo, eſt Epiſcopus ordinatus; ex commiſſione tamen Summi Pontificis, poteſt etiam ſimplex Sacerdos confirmare, adhibito chriſmate ab Epiſcopo conſecrato; nullus enim præter Epiſcopum, poteſt chriſma conſecrare. Hinc collige Epiſcopum etiam excommunicatum, hæreticum, vel degradatum poſſe Confirmationis ſacramentum validè miniſtrare; quia non amiſit characterem, etiamſi ipſe fortè non ſit confirmatus. *ibid. n. 3. & pag. 46. n. 6. & 9.*

4. Epiſcopus in ſua diœceſi non poteſt ſubditos alterius Epiſcopi confirmare; neque ſuos in aliena diœceſi, aut vllos pontificales actus abſque licentia Epiſcopi loci exercere. *pag. 46. n. 10. & 11.*

5. In miniſtro Confirmationis requiritur intentio formalis, aut virtualis; deinde vt ſit in gratia; non tamen neceſſe eſt vt ſit ieiunus, aut in die feſto adminiſtret; neque item neceſſe eſt vt ſuſcipiens Confirmationem ſit ieiunus. Quod attinet ad locum, ſeruanda eſt conſuetudo; tamen conſuetudo confirmandi in Eccleſia non videtur vſpiam recepta cum tanto onere, vt Epiſcopus alio in loco confirmans, mortaliter peccet. *ibid. n. 13. & ſeq.*

Confirmationis materia & forma.

6. Huius ſacramenti materia remota eſt chriſma ex oleo oliuarum, & balſamo, ab Epiſcopo conſecratum, illo ipſo anno in die Cœnæ: validum tamen eſſet ſacramentum collatum cum chriſmate alterius anni. Ad chriſmatis autem conſecrationem Chriſtus non præſcripſit certam verborum formam, ſed

ſed illam poteſtatem reliquit Eccleſiæ, quæ inſtituit vt conſecratio chriſmatis fiat per inuocationem ſancti Spiritus. *pag.* 46.*n.*1.*& ſeq.*

7. Confirmationis materia proxima eſt vnctio facta in fronte in formam crucis; cum enim frons ſit ſedes verecundiæ, par eſt confirmandum in fronte inungi, vt ſine rubore Chriſti nomen confiteatur. Forma autem Confirmationis eſt hæc: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris,&c.* quæ verba, vt ſacramentum validè conferatur, non ſunt ſubſtantialiter varianda. *ibid.n.*4. *& pag.*47. *num.*5.6.*& ſeq.*

Confirmationis effectus & ſubiectum.

8. Confirmationis primarius effectus eſt gratia habitualis,cum iure ad diuina auxilia, quibus confirmatus, intrepidè, & conſtanter fidem profiteatur. Secundarius effectus eſt character,qui characterem Baptiſmi ſupponit. Tertius eſt cognatio ſpiritualis. *pag.*47.*n.*1.2.*&* 3.

9. Subiectum capax Confirmationis eſt quiuis homo baptizatus, ſeu infans, ſeu adultus; melius tamen eſt hoc Sacramentum conferre pueris iam ratione vtentibus, vt recordentur,nec bis ſuſcipiant.Neque amentes huius Sacramenti fructu priuandi ſunt. *ibid num.*4.*& ſeq.*

10. In ſuſcipiente Sacramentum Confirmationis, ſi eſt adultus,requiritur 1. intentio; in infante verò ſufficit voluntas Chriſti,& Eccleſiæ. 2. fides vt cum fructu ſuſcipiatur. 3. vt ſuſcipiens ſit in gratia,vel ſaltem vt putet ſe eſſe in gratia; eſt enim inſtitutum hoc ſacramentum ad augendam gratiam: non tamen peccat mort. qui Confirmationem ſuſcipit poſt actum contritionis. *ibid.n* 7.

11. Qui primam tonſuram, vel Ordines ſuſcipit ante Confirmationem peccat, quia facit contra conſuetudinem, & præceptum; non tamen mortaliter, modò abſit contemptus; quia omiſſio Confirmationis, præciſo contemptu, non videtur,ex ſe,peccatum mort. *tom.*1.*pag.*48.*n.*8.

12. In collatione Confirmationis impingitur alapa;vt confirmatus recordetur ſe hoc Sacramentum ſemel ſuſcepiſſe, ne iterum ſuſcipiat, cùm iterari non poſſit propter characterem. In dubio autem an quis ſit confirmatus, eſt iterum confirmandus ſub conditione.Porrò ſuſceptor in Confirmatione non tenetur inſtruere eum quem ſuſcipit;poteſtque in neceſſitate eſſe idem in Baptiſmo,& Confirmatione patrinus.*ibid.n* 9.*& ſeq.*

Conseruator.

1. OLim vsu receptum fuit vt religiosis, aut clericis à Sede Apostolica concederentur Conseruatores Episcopi, aut alij in dignitate constituti qui eos tuerentur, & de manifestis iniuriis cognoscerent. Sed quia nonnulli Conseruatores limites suæ potestatis excedebant, cognoscendo causas occultas, ideo Summus Pontif. ipsis Conseruatoribus facultatem suam excedentibus pœnam suspensionis ab officio per annum iniunxit; parti verò procuranti excommunicationem imposuit. *disp.2. quæst.2.punct.35.pag.183.tom.3.*

2. In cap. *Hac constitutione, de offic. legat.* extat excommunicatio cõtra partem procurantem vt Conseruator de aliis quàm de manifestis iniuriis se intromittat. Hanc constitutionem confirmauit Gregorius XV. in Bulla de Conseruator. *ibid.n.1.*

3. Hæc censura non est vniuersalis nec cadit in quoscunque procurantes, sed solùm in partem, idest, in eum qui est pars in iudicio. Quamobrem alij qui non sunt partes, non contrahunt excommunicationem procurando vt Conseruator se intromittat in iis quæ sub ipsius iurisdictionem non cadunt. *ibid.n.5.*

4. Pars quæ hanc excommunicationem contraxit, non potest absolui antequam expensas parti quam indebitè vexauit, integrè compenset; post integram verò satisfactionem potest iure communi à quolibet confessario approbato absolui. *ibid.*

5. Conseruator debet esse Episcopus, aut Episcopo superior, aut Abbas, aut alius habens dignitatem in cathedralibus, vel collegiatis: vnde infertur Canonicos non posse esse Conseruatores, quia non dicuntur habere dignitatem. *ibid.n.6.*

6. Conseruatoris officium durat vsque ad terminum in priuilegio præscriptum; quare si priuilegium concessum est in quinquennium, elapso quinquennio cessat officium, etiam quoad negotia iam cœpta. *ibid.n.7.*

7. Episcopus conseruator à Summo Pontif. constitutus, hanc suspensionis pœnam non incurrit si potestatem Conseruatoris excedat; quia Episcopi non afficiuntur pœna suspensionis, nisi specialiter sint expressi; hìc autem non exprimuntur. *ibid.n.9.*

8. Absolutio à suspensione quam Conseruator contraxit limites suæ potestatis excedens reseruata est Summo Pontifici, quia lata est ad certum tempus, nempe ad annum; anno verò elapso cessat suspensio. Si tamen delictum sit occultum, Episcopus, vel ab eo deputatus potest absoluere. *disput. 3. quæst. 5. punct.2.pag.367.tom.3.*

CONTRA

CONTRACTVS.

Contractus quid, & quotuplex.

1. CONtractus latè sumptus, vt donationem, & promissionem comprehendit, est conuentio duorum, vel plurium, in alterutro saltem obligationem pariens, strictè verò acceptus definiri potest actus externus inter duos, vel plures, ex consensu ipsorum vtrinque obligationem pariens, saltem quoad forum internum, modò sit validus: ius enim naturæ dictat seruandam esse promissionem alteri factam. *tom.2.pag.* 473. & 474. *n.*1. & 2.

2. Qui promisit aliquid cum iuramento, non tenetur stare promissioni, sed potest illam reuocare antequam acceptetur: quia iuramentum sequitur naturam promissionis, quæ non obligat nisi acceptetur. *pag.*474.*n.*4.

3. Contractus irritus propter bonum commune, non firmatur iuramento: huiusmodi enim iuramentum fit in præiudicium boni communis; quare hoc iuramentum non indiget relaxatione. Contractus autem irritus præcipuè propter commodum priuatum, firmatur iuramento, modò non contineat vllam turpitudinem. Sic contractus, quo vxor consentit in alienationem fundi dotalis, iure positiuo est irritus; at si addatur illi iuramentum fit validus, modò iuramentum sit de futuro, itavt contrahens iuret se non reuocaturum contractum. Porrò illud iuramentum ante, vel post contractum fieri potest, modò fiat à pubere; nam iuramentum factum ante pubertatem non obligat. *tom.*2. *pag.* 474. & 475. *n.* 7. & 8.

4. Contractus non firmatur iuramento quod est contrarium alteri iuramento prius facto, vt si vxor vendat fundum dotalem cum iuramento non contraueniendi, sed prius iurauerat se non vendituram: cum enim venditio fundi dotalis sit actus illicitus, vtpote contrarius priori iuramento, iuramentum additum non dat illi robur, & valorem. Secùs dicendum, si contractus factus contra prius iuramentum, non indigeat iuramento vt sit validus: tunc enim contractus est validus, quamuis illicitus. *pag* 475.*n.*10.

5. Obligatio iuramenti appositi in contractu, vel promissione, non transit ad hæredes quando iuramentum homini factum non cadit supra contractum validum, nec illum facit validum; quia iuramentum est vinculum personale. Quando

verò iuramentum cadit supra contractum validum, aut etiam supra inualidum, sed illum efficit validum, hæredes tenentur adimplere contractum; quia obligatio ex contractu cùm sit realis, tranimittitur ad hæredes. Si tamen contractum non adimpleant, non censentur periuri; quia ipsi non obstringuntur iuramento cùm sit vinculum personale. *ibid. numero* 14.

6. Quando iuramentum non firmat contractum, potest qui iurauit obtinere relaxationem iuramenti, & sic excusari à solutione; aut potest facta solutione repetere rem solutam, iurauerat enim se soluturum, sed non iurauerat se non repetiturum. Quando verò iuramentum firmat contractum, non videtur posse relaxari: relaxatio enim fieret in damnum tertij, qui ius acquisiuit per validitatem contractus. Quamuis autem prætextu læsionis relaxari soleat huiusmodi iuramentum à Papa, vel Episcopo ad effectum agendi; tamen hæc relaxatio non irritat contractum, sed facit vt sine periurio agi possit in iudicio ad rescindendum contractum. *tom.2. pag.* 476. *n.*15.

7. Relaxatio iuramenti peti, atque obtineri potest, quando iuramentum extortum est per iniuriam, seu quando turpitudo intercessit ex parte illius cui præstitum est iuramentum: hic enim nullum ius acquisiuit per huiusmodi iuramentum: Quare iuramentum per vim seu metum, aut dolum extortum relaxari potest. *ibid.*

8. Non est cuiusuis obligationem iuramenti condonare; sed vel illius cui factum est iuramentum (potest enim cedere iuri suo) vel legitimi superioris, id est, iudicis ordinarij, quando iuramẽtum extortum est per iniuriam: iudex enim ordinarius, est iudex illius contractus, ac proinde potest remittere, & condonare obligationem illius. At si vinculum iuramenti relaxandum sit tantùm ob bonum commune, condonatio illius pertinet ad supremum Principem in temporalibus, vel spiritualibus. Non tamen potest laicus iudex condonare obligationem acquisitam clerico. Porrò vinculum spirituale iuramenti non ab alio quàm à superiore Ecclesiastico relaxari potest. *ibid. n.* 16. *& pag.* 477.

9. Contractus alius est *onerosus*, seu *non gratuitus*, per quem onus imponitur, vt venditio, emptio, &c. Alius *gratuitus*, seu *lucratiuus*, quo aliquid promittitur, vel traditur absque pretio, vel mercede, vt commodatum, mutuum, precarium, &c. Rursus alius fit in *gratiam recipientis tantùm*,

vt

vt mutuum; alius *in gratiam tradentis tantùm*, vt depositum; alius *in gratiam vtriusque*, vt emptio, permutatio &c. Alius est *absolutus*, alius *conditionalis*. Alius *licitus*, alius *illicitus*. Alius *perpetuus*, alius *temporalis*. Alius *nominatus*, qui proprium habet nomen; alius *innominatus*, qui proprio caret nomine, huius quatuor sunt species 1. *do vt des*. 2. *do vt facias*. 3. *facio vt des*. 4. *facio vt facias*. Alius est *bonæ fidei*, in quo iudex ex æquo, & bono iudicat, non ex rigore legis; alius *stricti iuris*, in quo iudex iudicat ex rigore legis. Alij perficiuntur reipsa; alij scriptura; alij verbis. Denique alius contractus dicitur *pactum nudum*; quod in sola conuentione consistit: alius dicitur *pactum vestitum*, quod maiorem habet firmitatem, & robur quàm habeat pactum nudum. Contractus, & quasi contractus hoc differunt, quod contractus est actus externus inter duos, vel plures, vltrò citroque obligationem pariens: nomine verò quasi contractus intelligitur tutela, cura, negotia gesta, & alia quæ fiunt ex aliquo officio, sed non consurgunt ex vero contractu. *tom. 2. pag.* 477. 478. *n.* 21. *&* 22.

Contractus quis validus, quis inualidus.

10. Error in contractu vel contingit circa substantiam rei, vel circa qualitatem, & accidentia. Quando contingit circa substantiam, irritat contractum; tunc enim non adest consensus: vt si emptori volenti emere gemmam, detur vitrum, inualidus est contractus defectu consensus. Quod verum est etiamsi error sit tantùm comitans, nec vllo modo inducat ad contrahendum: quia cùm eo errore non adest cognitio, ac proinde neque consensus; licèt enim error comitans non faciat inuoluntarium; nihilominus neque facit voluntarium. At quando error contingit circa qualitatem, non irritat contractum, modò non adsit dolus dans causam contractui: quia cum hoc errore adest consensus sufficiens ad contractum, vt patet in matrimonio: si quis enim contrahat cum Berta credens illam esse diuitem, aut virginem validè contrahit, etiamsi postea neutrum inueniat. *ibidem, numero* 1. *& seq.*

11. Dolus aliquando dat causam contractui, aliquando incidit in contractum. Dat causam contractui quando quis inducitur ad contrahendum, non contracturus si dolus non adesset. Dolus autem incidit in contractum, quando contra-

hentes adhuc contraxissent, secluso dolo, sed non ita libenter. Quiuis contractus præter matrimonium, celebratus per dolum qui dedit causam contractui, iure positiuo est inualidus in foro conscientiæ, si dolus proueniat ab altero contrahentium: quia non adest consensus sufficiens. *tom.* 2.*pag.*479. *n.* 2. & 3.

12. Quando contractus fuit inualidè celebratus ob dolum qui dedit illi causam, si deceptus velit persistere in contractu, decipiens non tenetur ante iudicis sententiam stare contractui: quia contractus onerosus non claudicat, id est non obligat ex vna parte, nisi etiam obliget ex alia; cùm ergo non obliget ex parte decepti, neque obligabit ex parte decipientis: tenetur tamen decipiens resarcire damna, quæ passus est deceptus; pecauit enim contra iustitiam. *ibid. numer.* 5.

13. Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum, validus est in vtroque foro: adest enim consensus sufficiens ad contrahendum, quippe contrahens consentit, & adhuc consensisset si abfuisset dolus; neque vllum ius irritat huiusmodi contractum. Deci piens tamen tenetur ad restitutionem damnorum quæ ob id passus est deceptus, qui, si velit, potest pactum rescindere, decipiens verò non potest, nisi deceptus consentiat. *tom.* 2.*pag.*480.*n.*6.

14. Adhibens dolum in contractibus, per se loquendo, peccat mort. violat enim iustitiam: fieri tamen potest vt peccet tantùm venialiter, vt si quis mentiendo dicat v.g vinum esse talis loci, quo mendacio cognito, emptor non emisset, vel non tanti, non videtur mort. peccare, modò vinum sit æqualis valoris, aut excessus non sit tantus vt sufficiat ad peccatum mort. *ibid.n.*7.

15. Accepta per simulationem, vel dolum versantem circa causam finalem, & motiuam sunt restituenda: quia promissio, vel donatio hoc modo facta est inualida. Accepta verò per dolum versantem circa causam impulsiuam, non sunt restituenda: valida enim est promissio, seu donatio hoc modo facta, cum adsit sufficiens consensus promittentis, seu donantis. Hinc patet validam esse collationem beneficij quod Episcopus contulit clerico alioquin idoneo, sed affecto aliquibus defectibus quos si Episcopus cognouisset, vix ei beneficium contulisset: quia dolus non versatur circa causam finalem collationis beneficij, cùm clericus sit idoneus. *ibid. n.* 8. & 13.

16. Metus

16. Metus alius est *cadens in constantem virum*, qui *grauis* appellatur; alius *non cadens*, & *leuis* nuncupatur. Ad metum cadentem in constantem virum reuocatur metus reuerentialis, si sit coniunctus cum minis, aut verberibus. Ad eundem reuocantur etiam preces importunæ superiorum. Contractus celebratus per metum grauem, aut leuem, validus est iure naturæ: quia metus facit tantum inuoluntarium mixtum, cum quo stare potest consensus sufficiens ad contrahendum. *tom.2. pag.* 481. *n.*1.*&* 2. Est etiam validus iure positiuo, quibusdam casibus exceptis: cum enim ius præcipiat infirmari contractum per metum celebratum, argumento est antea fuisse validum. *ibid.n.*3.

17. Contractus autem per metum grauem iniustè incussum celebrati hi sunt inualidi. 1. contractus matrimonij, & sponsalium. 2. contractus dotis promissæ, vel solutæ. 3. absolutio censuræ. 4. renunciatio beneficij. 5. testimonium in testamentis. 6. donatio, & quæ vim habent donationis. *ibid.*

18. Contractus celebratus per metum grauem, aut leuem iniustè incussum, irritandus est ad arbitrium eius qui passus est metum. Excipitur matrimonium metu leui celebratum, quod semel validè celebratum, non potest irritari. Excipitur item votum solemne, cum metu leui emissum. Neque datur actio in foro externo ad rescindendum contractum metu leui celebratum. *ibid.n.*4.

19. Contractus celebratus per metum iustè incussum ad eliciendum consensum, non est rescindendus: nulla enim iniuria interuenit propter quam rescindi debeat. Vnde sequitur acquisita in contractu per metum iustè incussum celebrato, non esse restituenda. Secùs dicendum de extortis per metum iniustum. *tom.* 2. *pag.* 482. *n.* 6.

20. Extorta per preces importunas, aut per metum reuerentialem, sunt restituenda, quando extorta fuerunt ab eo qui dedit inuitus ad redimendam molestiam, & vitandam importunitatem precum, vel alia incommoda; modò is qui dedit inuitus, adhuc maneat inuitus, & credatur optare sibi fieri restitutionem. *ibid.n.* 10.

21. Valida est promissio quam Titius fecit Caio ob metum iustæ accusationis quæ fieri poterat apud iudicem: vt si Titius ludo vetito aliquid acquisiuit à Caio, quod Caius potest in iudicio repetere, tanquam perditum ludo vetito: Titius verò Caio minanti repetitionem apud iudicem, aliquid

promittit, vel soluit vt desistat à receptione, certum est Caium posse solutum retinere, & promissum recipere, quia iustè minatus est, nisi minatus sit animo ficto, ad incutiendum terrorem, & aliquid extorquendum; tunc enim promissio non esset valida. *ibid. n.* 12.

22. Contractus celebratus sine solemnitate substantiali à iure requisita, est inualidus in vtroque foro, excepto testamento causa pietatis facto: quia forma præscripta à iure dat valorem contractui. Vnde sequitur hæredem ab intestato non teneri quidquam tradere hæredi instituto per testamentum minus solemne, nisi forte ex honestate; quia ex testamento non solemni nulla oritur obligatio; excepto testamento, vel legato ad pias causas. Neque tenetur hæres in conscientia, adimplere voluntatem testatoris in schedula, ipsius manu expressam, quia deest solemnitas à iure requisita. Tamen inter liberos hæc schedula vim habet testamenti. *tom.* 2. *pag.* 482. 483. *num.* 2. 6. *&* 13.

23. Ad valorem testamenti facti ad pias causas non requiritur solemnitas iuris ciuilis, sed sufficit solemnitas iuris gentium, neque necessarij sunt testes in foro conscientiæ, sed sufficit vt testator possit disponere, & liberè disponat, & ille, in cuius fauorem disponit, sit capax. Vnde sequitur per testamentum non solemne ad pias causas, reuocari prius testamentum quamuis solemne, & hæredem in conscientia teneri adimplere voluntatem testatoris in schedula expressam: quia in iis quæ pertinent ad pias causas, non est necessaria solemnitas iuris. *tom.* 1. *pag.* 483. *n.* 14 *& seq.*

24. Testamentum causa pietatis sine solemnitate factum non videtur validum quoad legata profana in eo contenta, & laicis relicta ex nulla causa pietatis: quia huiusmodi legata subsunt dispositioni iuris ciuilis, ius autem ciuile irritat contractus celebratos sine solemnitate. Legata autem pia, facta in testamento inualido defectu solemnitatis, sunt valida: quia non irritantur per ius ciuile quod nullam habet potestatem circa causas pias *tom.* 2. *pag* 484. *n.* 18.

25. Si testator cœpit condere testamentum ad pias causas, sed antequam perficeretur testamentum, è vita migrauit, in foro conscientiæ tradenda est hæreditas, seu legatum relictum piæ causæ: voluntas enim defuncti seruanda est præsertim in iis quæ pertinent ad pias causas. An autem tradenda sit tota hæreditas, cùm testator non perfecerit testamentum, standum est iudicio prudentis viri, qui spe-

ctatis

ctatis circumstantiis, ex æquo, & bono iudicabit. *ibid. n.* 21.

26. Hæres, cui post ipsius institutionem, testator absque testibus declarat velle se hæreditatem restitui alicui per fideicommissum, tenetur eam restituere, non vi testamenti, sed ratione promissionis, & pacti quod censetur fecisse cum testatore, nisi expresse neget coram testatore, se restituturum: tunc enim non obligatur vi promissionis, aut pacti, cum non consenserit. *ibid. num.* 22.

27. Contractus factus cum solemnitate iuris est validus etiamsi prohibeatur non tantùm quoad circunstantias loci, aut temporis; etiam quoad substantiam, & apponatur pœna transgressoribus, modò non addatur particula irritans, nec aliter constet de mente prohibentis: multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, nisi irritentur. At si lex præscribat certam solemnitatem ad contractum, & irritet aliter factum, contractus est inualidus defectu solemnitatis substantialis. *ibid. n.* 23.

28. Dispositio facta ob causam finalem, ea subsistente, valida est; non subsistente autem, est inualida, nisi aliter constet, vel rationabiliter præsumatur de voluntate disponentis: dispositioni enim vim tribuit intentio disponentis. Vnde sequitur inualidum esse testamentum factum ex causa finali falsa; valida verò esse legata in eo contenta, si causa finalis ipsorum subsistat, quia vtile per inutile non vitiatur. *tom.* 2. *pag.* 485. *n.* 2.

29. Valida est dispositio, & donatio, qua quis donat aliquid alteri ob aliquem finem, sed non intendit ad illum obligare, sed tantum allicere. Sic potest mulier accipere, & retinere munera quæ sibi dantur ad ipsius animum flectendum ad opus turpe, etiamsi ipsa non intendat obsequi libidini donantis. Quia donatio non est conditionata, sed absoluta, facto non animo obligandi, sed tantùm alliciendi ad turpe opus. Quod verum est, etiamsi donator sit ita dispositus vt non tradidisset, si credidisset fœminam non flectendam; adhuc enim subsistit causa finalis; cùm tradat vt possit flectere, quamuis reipsa non flectat. *ibid. n.* 3.

30. Contractus, seu dispositio *modalis*, id est facta sub modo, seu clausula onus adiiciente, valida est etiamsi modus non adimpleatur: quia modus non suspendit valorem contractus, seu dispositionis. Hoc tamen intelligendum est dummodò non sit modus contrarius substantiæ contra-

ctus seu donationis cui apponitur: huiusmodi enim modus, seu conditio adhibita in contractu, destruit contractum. Vt si quis mutuò det alteri pecuniam cum pacto vt aliquid accipiat supra sortem, is non dicitur verum contractum mutui inire, sed potius vsurarium, quia apponit conditionem contrariam substantiæ mutui, de cuius essentia est vt gratis detur. *ibid. n.* 4.

31. Donatio facta sub modo; seu sub conditione, non potest reuocari, si donatarius non adimpleuerit conditionem, modò illa conditio non fuerit causa finalis, sed solum impulsiua: valida enim est dispositio, subsistente causa finali, etiamsi impulsiua non subsistat. Hinc sequitur puellam cui legata sunt centum si nubat, posse illa centum retinere etiamsi religionem ingrediatur, aut in sæculo maneat innupta: quia illa conditio videtur tantùm fuisse causa impulsiua. At si puellæ relicta sint centum vt nubat consanguineo, aut filio disponentis, modus videtur fuisse causa finalis; consequenter puellæ nolenti nubere non sunt soluenda centum. *ibidem, numero.* 5.

32. In dubio an modus fuerit appositus tanquam causa finalis, an tanquam causa impulsiua, iudicandum est appositum fuisse tanquam causam impulsiuam, quando modus respicit commodum illius in quem dispositio confertur: in dubio enim, præsertim in fauorabilibus, præsumendum est pro validitate actus. *tom.* 2. *pag.* 486. *n.* 6.

33. Contractus, seu dispositio facta sub conditione aliqua honesta, & possibili de futuro euentu incerto adiecto in ipso contractu, non est valida nisi posita conditione: quia talis est intentio disponentis. At disponens sub conditione quam putabat possibilem, cognita impossibilitate, non tenetur stare dispositioni, cùm sit inualida. Hoc tamen est speciale in matrimonio, institutione hæredis, fideicommisso, legato, & donatione causa mortis, vt conditio impossibilis, & turpis, modò non sit contra substantiam matrimonij, &c. habeatur pro non apposita; consequenter matrimonium sit validum, si adsit consensus absolutus de præsenti. Item in vltimis voluntatibus, ius voluit conditionem turpem, & impossibilem haberi pro non adiecta, saltem in foro externo, vt lites, quæ inde possent suboriri, tollantur. *ibidem, numer.* 10.

34. Hæc conditio, *si vxorem non duxeris, si non nupseris*, reiicitur à iure, & habetur pro non adiecta, in primis nuptiis

ptiis : in ſecundis verò nuptiis, iure nouo, vim habet. Vnde ſequitur viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias amittere hæreditatem, aut legatum ſub ea conditione relictum ne tranſeat ad ſecundas nuptias : ob id mortuo teſtatore non eſt tradenda hæreditas, vel legatum, viduæ niſi præſtita cautione, vt ſi ſecundò nupſerit, reſtituat legatum, vel hæreditatem cum fructibus inde perceptis. *tom.* 2. *pag.* 487. *numero* 10.

35. Qui donauit, vel diſpoſuit de re aliqua ſub conditione, non poteſt ante conditionis euentum reſilire à donatione, ſeu diſpoſitione (ſecluſa donatione cauſa mortis) ſed tenetur expectare conditionis euentum. Verum quidem eſt liberaliter promittentem poſſe reſilire ante acceptationem, ſed poſita acceptatione non poteſt. *tom.* 2. *pag.* 488. *numer.* 13.

Contractum quis inire poſſit.

36. Quiſquis eſt vſu rationis præditus, poteſt contrahere, modò habeat adminiſtrationem bonorum, de quibus contracturus eſt, nec à iure impediatur. Serui obligantur quidem naturaliter, & in conſcientia, ad ſeruandum contractum, ſeu promiſſionem : ciuiliter tamen non obligantur, iure ita diſponente : excipitur tamen promiſſio, ſeu pactum certæ pecuniæ pro libertate. Pupillus, aut minor 25. annis non poteſt abſque licentia tutoris, aut curatoris validè contrahere, niſi in ſuum commodum ; claudicat enim contractus in fauorem illius ætatis, modò minor contrahat cum maiori. Alienatio autem rei immobilis, vel etiam mobilis, quæ ſeruando ſeruari poteſt, facta à pupillo vel minore de licentia tutoris, aut curatoris, eſt inualida in vtroque foro, niſi facta ſit de ſententia iudicis, & ex iuſta cauſa ; decretum verò iudicis, per tabellionem, actis inſerendum eſt. *ibidem*, *num.* 1. *& ſeq.*

37. Filiusfamiliâs qui paupertatem attigit, vel eſt pubertati proximus, poteſt liberè contrahere de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, cùm illorum liberam habeat diſpoſitionem. Secus dicendum de aduentitiis, & profectitiis. Poteſt tamen, acquiſita pubertate, contrahere, ſeque aliis obligare etiam ciuiliter, modo ſine præiudicio patris, vel alterius. Vnde fit vt poſſit ſuas operas artificiales alicui locare, & aliò proficiſci, nec poſſe à patre, ſine rationabili cauſa, impediri

pediri

pediri quin aliquam artem addiſcat. *tom. 2. pag. 489. num. 14. & ſeq.*

38. Quando contractus eſt in vtilitatem, & commodum ſolius accipientis, tenetur accipiens ad reſarciendum damnum ſequutum, non ſolum ex dolo, vel lata, & leui, ſed etiam ex leuiſſima culpa, excepto precario. Quare ſi quis ab alio librum accepit ſibi commodatum, tenetur ad reſtitutionem ſi furto ſublatus eſt etiam ex leuiſſima ipſius culpa. Ratio autem cur excipiatur precarium, eſt, quia tradens precarium poteſt pro ſuo arbitratu precarium reuocare; commodatum verò non poteſt: quare precarium maiorem habet dependentiam à voluntate concedentis, quàm commodatum. *tom 2. pag. 491. num. 5.*

39. Quando contractus eſt in commodum ſolius dantis, accipiens tenetur ſolùm de dolo, & lata culpa: æquitas enim poſtulat, vt quis teneatur maiorem diligentiam adhibere in rebus alienis cuſtodiendis, quàm in propriis. *ibid. n. 6.*

40. Quando contractus eſt in vtilitatem vtriuſque contrahentis, accipiens tenetur tantùm de dolo, lata, & leui, non verò de leuiſſima culpa: nam æquitas poſtulat vt non teneatur tantam adhibere diligentiam quando rem accipit in commodum vtriuſque, ac quando in ſuum ipſius priuatum commodum accipit. *ibid. num. 7.*

41. Caupones, ſtabularij, & nautæ qui res alienas depoſito accipiunt accepto conſueto ſtipendio, in foro externo tenentur de leuiſſima culpa, iure ita diſponente ad coërcendam huiuſmodi hominum malitiam ne conuenirent cum furibus. In foro verò conſcientiæ videntur teneri ſolum de dolo, lata & leui culpa, ratione contractus, vel quaſi contractus in vtriuſque partis vtilitatem celebrati. *ibid. num. 19.*

42. Re pereunte caſu fortuito, accipiens non tenetur ad reſtitutioné, excepto pacto, culpa, & mora. Vnde ſequitur Titiũ, qui equum accepit commodato Venetias versùs, ſed ipſe contra pactum ſeſe contulit in Germaniam, vbi equus in flumine, vel alio caſu periit, teneri ad reſtitutionem ratione culpæ commiſſæ, quia ex vi contractus poterat vti equo ſolùm Venetias versùs, non verò Germaniam versùs. Item qui pateram argenteam ſibi commodatam diſtulit reddere vltra terminum conſtitutum, tenetur ad reſtitutionem etiamſi patera furto ablata fuerit, tranſacto termino conſtituto ad eam reſtituendam. *tom. 2. pag. 492. n. 21.*

43. In commodato non poteſt contrahens negligere rem alienam

alienam, vt conseruet propriam; quia tenetur ex leuissima. At in contractu pignoris, contrahens non tenetur res proprias æqualis, vel maioris pretij negligere vt conseruet alienas, sed potest iis neglectis conseruare res proprias; vir enim prudens idem faceret. Qui in tempestate proiicit alienas merces ad seruandam vitam, nec ipse habebat merces in naui, ad nullam tenetur restitutionem: at si habebat merces, tenetur pro sua parte ad restitutionem, quia tam suæ, quàm alienæ merces deprimunt nauim. *ibid.num.22.& seq.*

Restitutio in integrum.

44. Restitutio in integrum est beneficium, seu remedium, quo aliquæ personæ læsæ restituuntur à iudice in pristinum ius, & statum, itavt contractus validi cum ipsis celebrati rescindantur, si ipsis propter læsionem expediat vt rescindatur contractus, vel vt æquetur pretium, si in pretio læsæ sunt tam infra, quàm supra dimidium, modo læsio notabilis sit. *tom.2. pag.493.num.1.*

45. Conceditur beneficium restitutionis in integrum minoribus, idest, iis qui nondum expleuerunt 25. ætatis annum, quando se aliquo contractu læsos deprehendunt, vt si vendiderunt rem minori pretio quàm alioquin vendere oporteret. Ad hoc autem beneficium, sex requiruntur. 1. vt contractus sit validus. 2. vt læsus sit minor ex vi contractus, vt videlicet non prudenter celebrauerit contractum. 3. vt læsio sit notabilis. 4. vt minor probet se fuisse læsum, & se minorem fuisse eo tempore quo fuit læsus. 5. vt non adhibuerit iuramentum in ipso contractu, vel ante, vel post contractum, se non vsurum remedio restitutionis. 6. vt non impetrauerit veniam ætatis à Principe, vel vt non ratificauerit contractum completis 25. annis. *ibid.n 2.& 3.*

46. Minor qui mutuam pecuniam accepit, & eam perdidit ludo, potest vti priuilegio restitutionis in integrum ad negandam solutionem, itavt solùm restituat in quo factus fuerit ditior: quia cui conceditur repetitio ob damnum, eidem conceditur ius ne soluat. Item minor cui à debitore facta fuit solutio, inscio tutore, vel curatore, potest per iudicium compellere debitorem ad nouam solutionem, nisi pecunia adhuc extet, vel conuersa sit in vsum minoris. *tom. 2. pag.494. num. 7. & 9.*

47. Minor gaudere potest hoc priuilegio spatio quatuor

annorum

annorum post elapsum 25. annum, seu postquam factus fuerit maior: hoc enim priuilegium durat per quatuor annos, modo minor non ratificauerit contractum expleto vigesimo quinto anno. At ille cui ex iure municipali, seu ex statuto abbreuiatur ætas (vt si minor ætas, quæ de iure communi est 25. annorum, redigatur ad 20. annos) non potest petere restitutionem in integrum, pro contractu celebrato à 20. vsque ad 25. annum: quia huiusmodi abbreuiatio idem operatur quod impetratio veniæ ætatis; hæc autem excludit priuilegium restitutionis in integrum. *ibid.n.*11.*&* 12.

48. Minor frui potest priuilegio restitutionis in integrum, quando celebrauit contractum de consensu tutoris, vel curatoris, & auctoritate iudicis, non impetrata venia ætatis: hic enim consensus requiritur tantùm vt consensus sit validus, non verò vt minor priuetur priuilegio restitutionis in integrum. Secus dicendum si minor impetrauit à Principe veniam ætatis, tunc enim censetur maior. Potest autem minor non solùm rem ipsam, sed etiam fructus repetere, quando repetit rem alienatam contractu donationis: quia læsus est etiam in fructibus. At si minor repetat rem contractu oneroso,& iusto pretio alienatam, non potest in conscientia repetere fructus: tunc enim non videtur læsus in fructibus. *ibid. n.*14. *&* 18.

49. Minor qui non potest frui priuilegio restitutionis in integrum coram iudice, non potest vti occulta compensatione, nisi acceperit læsionem adeo manifestam, vt constet illam, ante iudicis sententiam, resarciendam esse; quia minor non potest sibi ius dicere propria auctoritate. *ibidem, num.*19.

50. Priuilegium restitutionis in integrum extenditur per quadriennium ad Ecclesiam, seu loca pia, & ad rempublicam, seu communitatem. Hoc autem priuilegio non solùm gaudent minores, respublica, & loca pia, verum etiam homines rudes, & mulieres quæ ignorant iura; præterea filiifamiliâs quoad contractus onerosos, vel lucrosos de licentia patris celebratos,ad sororum dotes, vel ad alias causas. Gaudent etiam milites quamdiu militiam profitentur. Item qui absunt ad negotia reipubl. gerenda,ne contra eos currat præscriptio. Denique Principes quoad bona fisci, quæ reputantur bona reipubl. *tom.*2.*pag.*495.*n.*21.*&* 25.

Contu

Contumelia.

1. HOnor est actus reuerentiæ qui tribuitur alteri in testimonium virtutis,& excellentiæ:hic autem honor præcipuè læditur per contumeliam quæ est iniuria qua obiicitur alteri crimen, vel alius defectus in ipsius præsentia; éstque peccatum mortale ex suo genere, quia ex natura sua grauiter lædit honorem proximi; tamen ob paruitatem materiæ fieri potest veniale. *tom.2.pag.442.n.1.2.& 3.*

2. Omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei; quia omnes conueniunt in eadem ratione formali auferendi honorem. Vnde fit, vt non sit necesse referre in confessione singulas contumelias dicendo, *appellaui adulterum, stultum, ebrium*, &c. sed sufficit dicere, *toties intuli grauem contumeliam proximo.* Contumelia tamen illata parentibus habet specialem malitiam contrariam pietati parentibus debitæ, & consequenter hæc circumstantia omnino exprimenda est in confessione. Idem dicendum de derisione, subsannatione, & illusione contra parentes. *ibid.n.5.*

3. Contumelia videtur peccatum grauius detractione, ratione maioris inuoluntarij: nam contumelia fit in præsentia, & læsus iniquiore animo fert iniuriam quæ sibi in præsentia infertur. Detractio verò leuior est ratione minoris inuoluntarij, cum in absentia fiat. *ibid.n.8.*

4. Qui per contumeliam, alterius honorem læsit grauiter, tenetur ad restitutionem, vel etiam ad satisfactionem: peccauit enim contra iustitiam, cum damno proximi. Vndè sequitur honorem ablatum non solùm restituendum esse apud ipsum dehonoratum, verùm etiam apud alios apud quos honor illius est imminutus. Restitui autem potest dando locum honorificum, adhibendo ad mensam, humaniter salutando, vel si grauior fuit honoris læsio quàm vt hoc modo reparari possit, petendo veniam, quæ vulgò habetur magna satisfactio: ad hanc tamen non obligatur superior respectu inferioris, aut vir nobilis respectu hominis plebeij, ne despectui habeatur. *tom. 2. pag.443 num.1 & seq.*

Correctio Fraterna.

1. EX præcepto naturali, & diuino tenemur corrigere proximum correctione indigentem. Nec Christiani modò,

dò, verùm etiam infideles, & peccatores ad id obligantur, peccantque mortaliter correctionem omittendo. Vnde sequitur peccatorem qui alium delinquentem, sua correptione grauissimè indigentem, aliter corrigere non potest, nisi seipsum emendet, teneri ex charitate seipsum emendare per pœnitentiam: nam qui tenetur ad finem, tenetur ad media. *tom.2.pag.* 169. *n.* 1. *&* 2.

2. Peccatum mortale est materia necessaria correctionis: quia per quodlibet mortale, salus proximi exponitur periculo. Peccatum verò veniale non tenemur corrigere, nisi disponat ad mortale, aut magnum aliis afferat detrimentum. *ibid, num.* 3.

3. Non tantùm corrigendi sunt subditi, vel æquales, sed etiam superiores, modò subsit spes emendationis. Non tamen publicè reprehendenda sunt peccata Prælatorum occulta: publica autem publicè castiganda sunt, quoties ita postulat bonum commune, modò inde speretur fructus. *tom.2. pag.* 170. *n.*5.

4. Præceptum correctionis tunc obligat quando hæ conditiones concurrunt. 1. si adsit certa cognitio peccati. 2. si nullus adsit magis idoneus ad corrigendum, aut cui ex officio id incumbat. 3. si adsit spes emendationis, propterea non est corrigendus proximus dum ira æstuat, sed expectandum donec deferbuerit, vt correctio sit salubris. In dubio verò an correctio sit profutura, & timetur ne sit obfutura, non tenemur correctionem adhibere; quia correctio dirigitur ad emendationem, non autem ad destructionem. Ideo si hominem mihi ignotum videam, vel audiam peccantem, non teneor corripere; cùm enim eius ingenium ignorem, fieri potest vt ira percitus verba proferat contumeliosa, aut aliud peccatum committat; modo tamen peccatum delinquentis non vergat in damnum commune. Quamobrem concionator debet in peccata inuehi, quamuis nonnullorum ruina inde timeatur: hæc enim correptio dirigitur ad bonum publicum. *ibid. n.* 7. *&* 8.

5. Peccantem ex ignorantia vincibili tenemur corrigere, si sit spes emendationis. Quare pœnitens qui cum vincibili ignorantia impedimenti dirimentis contraxit matrimonium, est à confessario admonendus de inualiditate matrimonij. Peccantem verò ex ignorantia inuincibili debemus corrigere, si ad id ex officio tenemur; modò sit spes fructus, & emendationis: alioquin illi laqueum inijceremus. S verò non incumbit

bit nobis cura admonendi ex officio, non tenemur ex ignorantia inuincibili peccantem corrigere: quia faciens aliquid ex ignorantia inculpabili iuris, vel facti non peccat, consequenter ipsius salus non periclitatur. Hoc tamen limitandum videtur, modò ex illa ignorantia non oriatur damnum tertij, aut ipsius ignorantis, aut scandalum, vel irreuerentia Dei, aut religionis; tunc enim admonitio est adhibenda: sic admonendus est qui ea quæ sunt ad salutem necessaria inuincibiliter ignorat; item qui ex ignorantia inculpabili detinet rem alienam, ne tertius damnum patiatur &c. *tom.* 2. *pag.* 170. 171. *num.* 11.

6. Ex ignorantia inuincibili peccantem non tenemur corrigere cum periculo vitæ, vel grauis damni; quia eius salus non periclitatur. Peccantem ex malitia non tenemur, nisi adsit spes fructus, & alioquin delinquens moriturus sit in peccato mortali; tunc enim censetur esse in extrema necessitate. Peccantem verò ex ignorantia culpabili tenemur ex charitate corrigere, etiam cum periculo vitæ, modò adsit spes valde probabilis emendationis, & delinquens extrema necessitate laboret. *pag.* 171. *n.* 12.

7. Non modò non tenemur, verùm etiam non possumus saluti spirituali proximi consulere, cum damno proprio spirituali, etiamsi totius Reip. salus ageretur. Vnde sequitur non licere peccatum veniale vel leuissimum committere, vt graue proximi peccatum euitetur. *ibid.*

8. In correctione fraterna hic ordo seruandus quem Christus in Euangelio Matth. 18. præscripsit. 1. delinquens, secretò monendus, modò delictum sit occultum. 2. Si priuata correctio nihil profuit, testes adhibendi. 3. si ne hoc quidem profuit, superiori denunciandus. 4. vt peccator incorrigibilis vitandus. *ibid. n.* 13.

9. Si frater post priuatam admonitionem, vel etiam sine admonitione, sponte resipuit, non est Prælato denunciandus, etiamsi ordinarium immineat periculum relabendi: quia non licet proximi famam prodigere sine necessitate. Hoc tamen limitandum, nisi frater sit admodum negligens in eiusdem peccati occasionibus præcauendis. *ibid. n.* 17.

10. Contra delinquentem per correctionem non emendatum potest Prælatus iudicialiter procedere, modò priùs seruatus fuerit ordo correctionis, & delinquens emédari neglexerit: sic enim vtiliter geritur negocium delinquentis, omni conatu adhibito vt à peccato reuocetur. *tom.* 2. *pag.* 172. *n.* 18.

D.

DECIMÆ.

Decima quid, & quoduplex.

1. DECIMA est quota bonorum, debita Ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium, & sustentationem, iuxta illud 1. Corint. 9. *Qui spiritualia seminant, temporalia metunt.* Decimæ duobus modis considerari possunt. 1. vt dicunt partem aliquam indefinitam necessariam ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & hæc pars illis debetur iure diuino, & naturali. 2. vt dicunt partem determinatam, id est decimam partem fructuum, & hæc pars debetur iure Ecclesiastico; hanc enim partem Ecclesia taxauit. *tom. 2. pag. 346. n. 1. & seq.*

2. Decima triplex est; *Personalis*, quæ est decima pars fructuum prouenientium ex industria, & opera personæ, vt ex mercatura, venatione &c. *Prædialis*, seu *realis*, quæ est decima, seu quota pars fructuum qui ex prædiis percipiuntur, vt est vinum, oleum &c. *Mixta*, quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis prouenit, vt fœtus animalium, lana, lac, caseus &c. Non debetur autem decima ex pinguedine, quia pinguedo non est fructus. *tom. 2. pag. 347. n. 1. & seq*

3. Decimæ personales soluendæ sunt ab iis omnibus qui Sacramenta suscipiunt, illi Ecclesiæ parochiali in qua sunt suscipienda. Qui autem domum habet in confinio duarum parochiarum, debet decimam inter illas diuidere. Ad dignoscendum verò ad quam parochiam domus pertineat, inspiciendus est ianuæ principalis situs; nam domus ad eam parochiam spectat in qua ianua principalis sita est. *ibid.*

4. De illicitè acquisitis, præciso scandalo, aut speciali prohibitione, decima tradi, & accipi potest: nam qui turpiter lucratur, non debet esse melioris conditionis eo qui licitè lucratur, & accipiens oblationes, vel decimas rerum illicitè acquisitarum, non cooperatur actioni turpi, & illicitæ. *tom. 2. pag. 348. n. 3.*

5. Non soluentibus decimas, nec legitimam excusationem

nem habentibus, possunt denegari Sacramenta, modò id publica authoritate fiat (parochus enim non habet iurisdictionem in foro externo) aut modò delictum sit publicum, & certum. Prælati autem, & iudices Ecclesiastici cogere possunt, etiam per censuras, ad soluendas decimas: ad id tamen non tenentur quando scandalum timetur. *ibid.*

6 Decimæ prædiales soluendæ sunt ab illis omnibus qui prædia titulo non spirituali possident: soluendæ autem sunt illi Ecclesiæ cui subiecta sunt prædia. Vnde sequitur pia loca, vt monasteria &c. obligari ad soluendas decimas, nisi ob necessitatem excusentur, vel nisi priuilegio, aut consuetudine eximantur: bona enim transeunt cum onere. Secùs dicendum de decimis personalibus; ab iis enim religiosi, & clerici, priuilegio eximuntur. De iis autem quæ percipiuntur ex patrimonio ad cuius titulum clericus promotus fuit, debentur decimæ, si habet prædia quibus adnexum sit onus decimarum: alij enim clerici non habentes, huiusmodi prædia non tenentur ad decimas, modò ipsi non recipiant ab aliis Sacramenta. *ibid. n.* 5.

7. Decimæ prædiales soluendæ sunt ex fructibus prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, &c. ex pensionibus domorum quæ locantur, & prouentibus molendinorum, ex lignis nemorum quæ venduntur, ex lapidibus qui ex lapidicinis eruuntur, ex fructibus rerum se mouentium, vt ouium, boum, equorum, &c. ex piscariis, &c. *tom.* 2. *pag.* 349. *n.* 9.

8. Quando plures ex iisdem prædiis fructus colligunt, onus soluendi decimas incumbit illi qui ius primariò, & principaliter habet in fructus pro rata iuris. Quocirca quando dominus agri locauit agrum colono cum onere diuidendi fructus æqualiter, vterque debet dimidiam decimam soluere. Quando verò dominus locauit prædia colono pro pecunia sibi soluenda, translato iure fructuum in conductorem, integra decima soluenda est ab ipso conductore. A colono autem mecenario qui conductus fuit ad colendum agrum pro certa fructuum parte, non est soluenda decima prædialis: quia onus incumbit illi primariò, & principaliter ius habet in fructus. *ibid. n.* 10.

9. Dominus agri non tenetur soluere decimas ex fructibus quos sua culpa non collegit, vt si noluit agrum colere, aut ab eluuione defendere, si segetes combussit, aut conculcauit, si arbores succidit, &c. quia decimæ soluendæ sunt ex

frugibus collectis, non autem ex colligendis, *tom.2.pag.350. num.* 11.

10. Parochus cuius prædia sita sunt intra terminos alterius parochiæ, tenetur soluere decimas illi Ecclesiæ in cuius parochia sita sunt, præcisa consuetudine in contrarium. *ibid. num.* 13.

11. Clerici, & Episcopi tenentur soluere decimas Papæ si exigantur: Papa enim habet ius eas exigendi non tantùm à clericis, sed etiam à laicis: de facto tamen non solet eas exigere præcisa Ecclesiæ necessitate, sed ex beneficiis quæ in Curia Rom. obtinentur, solet accipere annatas. *ibid. numer.* 14.

12. Ecclesia quæ ius habet exigendi decimas prædiales, potest exigere decimas præterito tempore non solutas, tam ab emptore prædij ad quem res transiuit cum onere, quàm à venditore qui Ecclesiam defraudauit: poterit tamen emptor qui cogitur soluere decimas, tantum exigere à venditore, quantum valent decimæ, quia venditor percepit fructus obnoxios decimis, non verò emptor. *ibid. n.* 15.

13. Decimæ mixtæ soluendæ sunt iuxta receptam locorum consuetudinem: præcisa verò consuetudine, si magis accedunt ad personales, soluendæ sunt vt personales: si magis accedunt ad prædiales, soluendæ sunt vt prædiales. Quando animalia in vna parochia pascuntur, & in alia commorantur, decimæ sunt inter parochias diuidendæ. Item quando Ecclesiæ sunt diuersæ, diuidenda videtur decima animalium inter Ecclesiam in qua suscipiuntur Sacramenta, & Ecclesiam cui subiecta sunt prædia in quibus animalia pasci consueuerunt. *ibid. num.* 16.

14. Qui decimas non soluunt, duo peccata committunt, primò enim peccant contra iustitiam, quia faciunt contra ius quod alter habet ad exigendas decimas, consequenter tenentur ad restitutionem non solùm quando nullam decimam omnino soluunt, verùm etiam quando soluunt tantùm partem, aut quandò mala fide assignant partem deteriorem. Secundò, peccare videntur peccato sacrilegij, quia non soluunt rem Ecclesiæ debitam, & sacris vsibus deputatam: tamen propriè, & strictè loquendo non est sacrilegium, quia decima, secundum se, est quid temporale. *tom.2.pag.351.num.*18.

15. In soluendis decimis prædialibus non sunt detrahendæ expensæ factæ in colendo agro, aut in meliorandis prædiis, vel domibus, neque detrahenda est seminis æstimatio, aut tributum,

butum, vel census qui alteri soluitur, sed ante omnia soluendæ sunt decimæ ex omnibus fructibus antequam deducantur expensæ, vel tributa, aut alia debita. Quare verum est illud axioma, decimam integrè soluendam esse, nulla prius deducta pensione, contractus enim de soluenda pensione celebrari non potuit cum iniuria, & damno Ecclesiæ. At in decimis personalibus detrahendæ sunt impensæ, quia soluuntur ex lucro acquisito per hominis industriam, lucrum autem dicitur quod superest deductis expensis. *ibid.num.*19.

Decimæ quando, & vbi soluendæ.

16. Decima personalis soluenda est post lucrum acquisitum; quia soluitur ex lucro: seruanda tamen est consuetudo quæ alicubi obtinuit, vt in fine anni soluatur. Decima Prædialis soluenda est statim ac fructus collecti sunt: quia debetur ex fructibus collectis. Peccat qui statuto tempore decimas non soluit, etiamsi non petantur: in foro tamen externo non censetur esse in mora nisi post præuiam petitionem, aut monitionem. *ibid. n.*1.

17. Decima soluenda est in loco in quo ex recepta consuetudine solui consueuit: potuit enim hac in re legitima consuetudo introduci. Fideles, per se loquendo, non tenentur propriis expensis deferre decimam in horrea clericorum: ius enim hoc non præcipit: si tamen legitima consuetudine, contrarium receptum est, seruanda erit consuetudo quæ vim habet legis: erit autem legitima consuetudo si spatio decem annorum, tanquam ex obligatione, seruata fuit: consuetudo enim quæ iuri non aduersatur, spatio decem annorum introducitur, & vim habet legis *ibid.n.*3.

Decimarum soluendarum obligatio.

18. Si spectetur decima quatenus dicit quotam fructuum partem, potest à Papa condonari: quatenus verò dicit eam partem quæ necessaria est ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, non potest, nisi aliunde prospiciatur de necessariis ad illorum sustentationem: nam huiusmodi decima debetur iure diuino, & naturali quod dispensationem non admittit. *tom.*2. *pag.* 352.*num.*1.

19. Priuilegium non soluendi decimas potest quidem à Summo Pontifice, sine causa validè concedi; non tamen licitè.

Habens autem priuilegium non soluendi decimas, liber est ab obligatione, seu debito reali soluendi decimas antea impositas. *ibid.n.2.& 3.*

20. Obligatio soluendi decimas in futurum videtur auferri posse per compositionem, interueniente Summi Pontif. authoritate; per solam verò Episcopi authoritatem non potest: quia decima iure communi debetur Ecclesiæ; non potest autem Episcopus in iure communi dispensare. Tamen Prælatus Ecclesiæ, aut beneficiarius potest decimas sibi debitas condonare: potest enim cedere iure suo. Immò de præteritis decimis, absque assensu Apostolico, fieri potest remissio; quia nulla interuenit prohibitio, aut simoniæ labes. *ibid.n.4.*

21. Vt quis per consuetudinem fiat immunis à decimis, requiritur vt communitas consueuerit non soluere decimas spatio quadraginta annorum: tot enim requiruntur ad legitimam consuetudinem contra ius Ecclesiæ inducendam. Particulares personæ possunt fieri immunes per legitimam præscriptionem, ab obligatione decimarum. Legitima autem præscriptio in hac materia contingit quando quis non consueuit soluere decimas per tempus immemoriale, nullo interueniente titulo, aut per 40. annos interueniente titulo, saltem probabiliter præsumpto. *tom.2.pag.353.n.7.*

22. Decima petenda est coram iudice Ecclesiastico: causa enim decimarum est Ecclesiastica. Quare iudex ciuilis non potest simul cum Ecclesiastico causam decimarum cognoscere etiam titulo compromissi. Quanquam Summus Pontif. potest Principi sæculari dare facultatem cognoscendi causas decimarum. *ibid.n.1.& 2.*

23. Beneficiarius cui sublati sunt à laico fructus decimarum, qui iam soluti erant, potest coram sæculari iudice hanc causam agere: nam in causa temporali sequendum est forum rei; fructus autem sunt res temporalis, non spiritualis, nec ampliùs connexionem habent cum titulo spirituali. *ibid. num.2.*

Degradatio.

1. DEgradatio duplex est, *verbalis*, & *actualis*, seu *realis*. *Verbalis*, quæ etiam appellatur *depositio*, est sententia Ecclesiastica qua persona Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi, non amisso priuilegio clericali. *Actualis*, seu *realis*, est pœna Ec-

clesiastica

clesiastica priuans personam Ecclesiasticam omni beneficio, officio, & priuilegio clericali in perpetuum; absque vlla spe illius consequendi, cum quadam solemnitate. *tom.*1. *pag.*437. *num.*1. *&* 2.

2. Actus quo quis traditur curiæ sæculari est effectus degradationis actualis; non tamen omnis degradatus traditur brachio sæculari, præterquam in delictis enormibus, vt in homicidio sui Episcopi, crimine hæresis, &c. neque realiter degradatus, semper plectendus est pœna capitis. *ibid.num.*2.

3. Verbaliter depositus gaudet nihilominus priuilegio canonis, & fori: consequenter percuti non potest absque excommunicatione, nisi fortè damnatus ad triremes, ex officio percutiatur à magistro: neque potest cogi, aut puniri à iudice sæculari, nisi post depositionem verbalem factus sit incorrigibilis. At realiter degradatus excidit priuilegio canonis, & fori; validè tamen consecrat, quia per degradationem non amittit characterem Ordinis. *ibid.n.*3. *&* 5.

4. Hæc sunt crimina quæ merentur degradationem verbalem, adulterium, concubinatus perseuerans post monitionem, simonia notoria, stuprum, incestus, furtum, periurium, homicidium, delictum quo quis permittit sua culpa, suum parochianum decedere sine Baptismo, &c. Crimina quæ merentur realem degradationem, sunt homicidium qualificatum, hæresis, Sodomia sæpius exercita, &c. Degradatus, fructibus beneficij non videtur alendus: sibi enim hoc imputet. *ibid.n.*6. *& seqq.*

5. Depositio verbalis Sacerdotis, ad proprium Episcopum, vel eius Vicarium generalem spectat; actualis verò ad solum Episcopum. Prælati verò religionum, non habent facultatem deponendi, vel degradandi suos subditos nisi illis per priuilegium, aut consuetudinem concedatur. Episcopus non consecratus, non potest aliquem degradare, & actualiter deponere; verbaliter potest. *ibid.n.*9.

6. In degradatione Sacerdotis, sex alij Episcopi præter degradantem requiruntur; in degradatione diaconi, & subdiaconi tres; si in Episcopi non adsint, adhibendi sunt totidem Abbates, vel aliæ personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, iuxta Conc. Trid. *sess.*13. *cap.*4. Tamen in casu hæresis, præfatus numerus non requiritur, sed sufficit conuocari Abbates, aliosque Prælatos, & religiosos. Debent autem præfati Episcopi, seu Prælati adesse tanquam iudices, & suffragium ferre, omnibus consentientibus. *tom.*1. *pag.*438. *n.*12. *& seq.*

7. Personæ quæ degradari possunt, sunt personæ Ecclesiasticæ in ordine Ecclesiastico constitutæ, vt Episcopus, Sacerdos, Diaconus, &c. etiam clericus minoribus ordinibus initiatus, Nullus autem degradari potest absque accusatione, per viam solius inquisitionis, nisi delictum sit notorium, aut nisi reus sponte crimen fateatur. *ibid. n.* 18. *&* 19.

8. Is in quem sententia degradationis, seu depositionis realis lata fuit, non potest auctoritate Episcopi in pristinum statum restitui; quia realiter depositus caret omni spe restitutionis, modò depositio sit valida. At verbaliter solùm depositus potest per Episcopum restitui, modò depositus fuerit ob adulterium, vel ob alia crimina adulterio minora; in his enim criminibus datur facultas Episcopo dispensandi post peractam à reo pœnitentiam. Idem præstare potest Capitulum, Sede vacante, quia succedit in iurisdictionem Episcopi. Vnde patet à fortiori, Episcopum qui clericum deposuerat solùm à beneficio, posse illum in beneficium restituere, modò beneficium non sit iuris patronatus; tunc enim requiritur consensus patroni. *tom.* 1. *pag.* 438. 439. *n.* 19 *&* 21.

9. Episcopus potest, attentà consuetudine, & praxi, verbaliter depositum restituere sine consensu Capituli: si tamen dispositio iuris attendatur, multi censent Episcopum non posse sine Capitulo restituere: nam in causis maioribus potestas ad Capitulum deuoluitur: sed standum est praxi, & legitimæ locorum consuetudini. *pag.* 439. *n.* 22.

DENVNCIATIO.

Ad denunciationem quinam obligentur.

1. Monitorium eos solùm obligat ad denunciandum, quos iudex seu superior intendit obligare; immò non obligat nisi quos pars intendit in monitorio includi: cum enim iudex ferat monitorium in gratiam petentis, ligare non intendit vltra petitionem illius. Quapropter quando fertur excommunicatio in eos qui aliquid iniustè subtraxerunt ex bonis Titij, aut in conscios non manifestantes, filij, & vxor Titij in ea excommunicatione non comprehenduntur; quia non præsumitur hæc esse intentio petentis. *tom.* 1. *pag.* 766. *n.* 1. *&* 2.

2. Qui non est subditus superiori concedenti monitorium, non ligatur excommunicatione lata contra non reuelantes: quia

quia actus iurisdictionis in solos subditos exercetur. *ibid. num.* 1.

3. Nemo tenetur in delictis ab alio commissis in suum damnum, seu in causa propria denunciare delinquentem, nisi aliud postulet bonum commune: est enim consilium Euangelicum acceptas iniurias condonare. *tom.* 1. *pag.* 176. *numero.* 1.

4. Non est obligatio denunciandi quando ex denunciatione magnum imminet periculum, & damnum denuncianti: edictum enim non obligat cum tanto incommodo, modò crimen non vergat in damnum publicum. Sic vxor non tenetur maritum denunciare, filius patrem, pater filium: hi enim censentur vnum, & idem. Hi tamen casus excipiutnur. 1. crimen hæresis. 2. crimen læsæ maiestatis dùm adhuc est in fieri. 3. blasphemia. 4. crimen confessarij sollicitantis in confessione. Filius enim spiritualis ex vi monitorij tenetur patrem spiritualem denunciare. *ibid. n.* 2. *& seq.*

Quænam sint denuncianda.

5. Non tenemur denunciare ea quæ certò nescimus; alioquin exponeremus nos periculo leuitatis, & reum damno quod fortè iniustè pateretur. Quare non tenetur quis ea denunciare quæ accepit ab alio non ita fide digno, seu etiam ab homine graui, & fide digno, sed non meminit à quo, vel quæ audiuit ab ignotis, vel ab eo qui iam denunciauit, vel quando creditur denunciatio nihil profutura. Item non tenetur denunciare qui quod nouit, per testes, vel scripturas, vel indicia sufficientia probare non potest. Nam crimen quod probari nequit, perinde se habet habet ac si nesciretur. Quare qui furtum vidit committi, nullo alio præsente, non tenetur denunciare; quia probare non potest. *tom.* 1. *pag.* 767. 768. *n.* 1. *& seq.*

6. In his tamen casibus est obligatio denunciandi crimen quod probari non potest, 1. quando non præcipitur denunciatio, sed testificatio. 2. quando denunciandum est crimen respiciens fidem, & religionem christianam. 2. quando crimen vergit in graue damnum communitatis. 4. in casu matrimonij cùm scitur aliquod impedimentum, quamuis probari non possit: vnus enim testis sufficit ad impediendum matrimonium. *pag.* 768. *n.* 5.

7. Nullus vi edicti cogi potest ad reuelandum id quod no-

uit sub secreto naturali, vt si quis petiit remedium à medico, vel consilium ab aduocato, &c. nam obligatio secreti est de iure naturæ; & qui secretum naturale reuelat, peccat mortaliter, teneturque ad restitutionem. Ius enim naturale dictat seruandum esse secretum, nisi iusta causa aliud postulet, qualis causa est damnum Reip. vel tertij, pendens in futurum, vel occultum impedimentum matrimonij: in his enim casibus nullum secretum obligat, nisi secretum confessionis. *ibid. n.* 1. *&* 2.

8. Quando quis tenetur denunciare, non eximitur ab hac obligatione, tametsi promiserit cum iuramento se non denunciaturum: quia iuramentum de re illicita non obligat. *ibid. num.* 3.

9. Quando edictum præcipit denunciari fures, vel iniustos detentores, non est denunciandus is qui iustam fecit compensationem, aut qui iustè detinet rem alienam: hi enim non peccant retinendo, modò debitum sit liquidum, nec plus retineant quàm sibi debeatur. Immò iustè compensans non incurrit excommunicationem, etiamsi in sententia excommunicationis exprimatur compensatio: quia excommunicatio ferri, aut incurri non potest absque peccato mort. *tom.* 1. *pag.* 769. *n.* 1.

10. Qui non denunciat debitorem quē nouit non posse restituere propter impotentiam, non incurrit excommunicationem latam contra non denunciantes: quia sicut ipse fur seu debitor excusatur, ita etiam excusantur ij quibus nota est impotentia: modò debitor sit simpliciter impotens ad restituendum. Secùs si possit in partem restituere, vel pro futuro tempore. In dubio autem an debitor sit impotens, seu an iustè vsus sit compensatione; facienda est denunciatio: quia in dubio iudicandum est in fauorem edicti, seu superioris præcipientis denunciationem. *ibid. n* 4. *& seq.*

11. Si Titius vendidit Caio possessionem in confidentia, ne creditores illam occupent, & creditores impetrant excommunicationem contra retinentes bona Titij, & contra non manifestantes, tenetur Caius denunciare, si facta correctione, Titius non vult creditoribus satisfacere: alioquin censeretur particeps delicti Titij, sicut ille censetur particeps furti qui celat bona sibi à fure tradita ad custodiendum. Tenetur igitur Caius denunciare, modò possit absque iactura suæ famæ. *ibid. num.* 7.

12. Quando conceduntur literæ monitoriales contra non exhi

exhibentes ſcripturas, qui habet huiuſmodi ſcripturas, tenetur ſub cenſura illas exhibere, modò inde non patiatur graue damnum. Non tenetur tamen qui habet tranſumptum, illud prodere: quia ſimplex tranſumptum, cum non ſit authenticum, non facit fidem. *ibid.n.*8.

Denunciatio quando facienda.

13. Obligatio denunciandi incipit à die, & hora qua publicatur monitorium. Quare qui intra terminum aſſignatum ſub excommunicatione latæ ſententiæ, non denunciauit, ſtatim tranſacto termino, incurrit excommunicationem, niſi ob iuſtam cauſam, vel ignorantiam monitorij excuſetur. Quoties autem excuſatur quis à culpa mortali non reuelando, excuſatur etiam ab incurrenda excommunicatione. *tom.* 1.*pag.*770. *num.*1.*&* 2.

14. Quando Prælatus præcipit manifeſtari delinquentem ad ipſius emendationem, vel ſatisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda eſt fraterna correctio ante denunciationem, modò ſpes ſubſit emendationis. Quare ſi facta correctione, delinquens iam ſit emendatus, vel ſatisfecerit parti læſæ, non eſt denunciandus: quia non poſſumus, ſine neceſſitate, proximum infamare. At ſi ſuperior intendat etiam punitionem in ſua inquiſitione, incurritur excommunicatio non denunciando delinquentem, etiam iam emendatum, modò delictum ſit publicum. *ibid.n.*1.*&* 2.

15. Hæreticus ex malitia, denunciandus eſt non præmiſſa correctione; quia denunciatio præcipitur non ſolùm vt hæreticus emendetur, ſed etiam vt puniatur. Sin habeat errorem ex ignorantia tantùm, præmittenda eſt correctio; quia non cenſetur pertinax, nec hæreticus formaliter. Potiori iure excuſandi ſunt qui lapſu linguæ, aliquem errorem protulerunt. *ibid.num.*5.

16. Quando virtute monitorij fit denunciatio, ſeu reuelatio, hæc forma ſeruanda eſt, vt reuelatio excipiatur ſcripto per notarium approbatum: nam reuelatio ita facienda eſt vt pars poſſit illa vti, & Eccleſia per eam poſſit delinquentem à peccato reuocare. Ad hæc fieri debet expreſſo nomine, & cognomine denunciantis. *tom.*1.*pag.*771.*n.*8.

17. Qui non denunciat intra tempus præſcriptum, tenetur, elapſo eo tempore denunciare cùm primum commodè poterit: quia terminus non apponitur ad finiendam obligationem

nem denunciandi, ſed ad denunciationem maturandam. Niſi autem decunciet, toties excommunicationem contrahit quoties commodè poteſt denunciare, & non denunciat. *ibidem num.* 1. *&* 2.

Denunciatio Hæreticorum.

18. Quilibet, ſub peccato mort. tenetur iure communi, hæreticum denunciare, etiamſi delictum ſit ita occultum vt probari non poſſit, aut etiamſi hæreticus denunciandus, arctiſſimo conſanguinitatis vinculo ſit nobis coniunctus: tenetur quippe filius patrem hæreticum denunciare, quemadmodum licet filio patrem hoſtem reip. & patriæ perniciem molientem, impunè occidere. Neque propterea filius denuncians patrem hæreticum, aut reum læſæ maieſtatis, vllam infamiæ notam contrahit, ſed laude potius, & honore dignus eſt: neque hac in parte obligat ſecretum naturale. *ibidem num* 1. *& ſeq.*

19. Non tenemur tamen hæreticum denunciare, niſi certò ſciamus illum eſſe hæreticum, aut ſi fuimus ſocij eiuſdem criminis, aut ſi verſamur in iis locis in quibus paſſim permixti ſunt hæretici cum catholicis, id ſcientibus Inquiſitoribus, & Epiſcopis. *tom.* 1. *pag.* 772. *num.* 6. *& ſeq.*

20. Probabilius videtur non denunciantes hæreticum, iure communi, non affici excommunicatione, ipſo facto: nuſpiam enim huiuſmodi excommunicatio expreſſa inuenitur. *ibid. num.* 12.

Denunciatio confeſſarij, pœnitentem ad turpia ſollicitantis.

21. Pius IV. in Bulla 4. quæ incipit, *Cum nuper*, & Paulus V. in Bulla *Dilecte fili.* præcipiunt vt contra huiuſmodi delinquentes, tanquam de hæreſi ſuſpectos inquiratur; Gregorius autem XV. ipſorum conſtitutiones confirmauit, & extendit ad omnes vbique locorum exiſtentes. *tom.* 1. *pag.* 773. *num.* 1.

22. Pænitentes, ſeu mares, ſeu fœminæ, tenentur denunciare confeſſarium qui eos ad turpia ſollicitauit, vel prouocauit, occaſione, ſeu prætextu confeſſionis; teneturque confeſſarij admonere pœnitentes de hac obligatione, ſub peccato mortali. Tamen fœmina quæ volens, aut imprudens, crimen

cum

cum confessario commissum aperuit, non est ob id punienda; quia denunciatio non præcipitur vt pœnitens puniatur, sed confessarius qui pœnitentem sollicitauit. *ibid. n.* 4. *& seq. & pag.* 775. *n.* 16.

23. Confessarius à fœmina in confessione sollicitatus non tenetur illam denunciare: quia constitutiones Pontificiæ loquuntur de confessariis sollicitantibus fœminas, non autem de fœminis sollicitantibus confessarios. *pag.* 775.*n.*20.

24. Filia spiritualis, ratione Baptismi, Confirmationis, vel Pœnitentiæ, non tenetur deferre patrem spiritualem à quo sollicitata fuit, transacta confessione, aut domi, vel per literas, vel internuncium: quia constitutiones Pontificum loquuntur de personis quæ sollicitantur in confessione, vel prætextu confessionis. *ibid. n.*21.

25. Sollicitans pœnitentem in confessione, seu prætextu confessionis, afficiendus est grauibus pœnis pro qualitate criminis: sic enim decernitur in Bulla Gregorij XV. quæ incipit, *Vniuersi Dominici gregis.* Ad inquisitores autem, & Episcopos, seu Ordinarios locorum pertinet has pœnas infligere. Cæterùm hoc delictum testimonio duarum fœminarum plenè probari non potest: quia fœminæ sunt fraudulentæ, & ad accusandum procliues. Quot autem requirantur, relinquitur iudicio Inquisitorum, qui possunt huiusmodi confessarium sollicitantem in confessione, tanquam de hæresi suspectum, cogere ad abiurandum. *ibid. num.* 22. *& pag.* 776. *& numer.* 23. *&* 35.

Depositum.

1. DEpositum est contractus quo sola rei custodia alteri committitur: neque enim transfertur dominium, neque vsusfructus in depositarium, & semper depositum repeti potest. Quare depositarius vti non potest deposito quin furtum committat, teneturque ad restitutionem quando vsus rei est pretio æstimabilis. *tom.*2. *pag.*634.*n.*2.*&* 3.

2. In his tamen casibus depositarius potest vti re deposita. 1. quando credit hoc domino non displicere. 2. quando dominus concedit vsum depositi expresè, vel tacitè 3. quando res est vsu consumptibilis, nec illi interdictus est vsus; vt si deposita sit pecunia non interdicto vsu, & depositarius credat se tempore solutionis habiturum similem pecuniam qua possit satisfacere, potest depositarius ea pecunia vti, sibique

eius

eius incrementum retinere. Secùs autem si depositario interdictus fuit vsus pecuniæ, tacitè, vel expressè; tunc enim pecunia retinet naturam depositi, cuius dominium perseuerat apud deponentem; ac proinde eius incrementum est deponentis. Vnde sequitur depositum perire deponenti, si pereat antequam depositarius eo vti cœperit. *ibid.n.3.4.& 5.*

3. Depositum est duplex, *iudiciale*, & *priuatum*. *Iudiciale* fieri solet. 1. quando debitor pecuniam deponit, quam creditor renuit acceptare. 2. lite pendente, donec finiatur. *Priuatum* contingit, quando res aliqua deponitur ad confidentem hominem vt custodiatur. *ibid.num.6.*

4. Quiuis etiam fur, aut iniustus rei alienæ vsurpator, potest rem deponere apud alterum consentientem, eique competit actio, ratione contractus, contra depositarium, ad rem illam repetendam. Si tamen depositarius sciat rem apud se depositam esse alienam, illam seruare debet vero domino, nec tenetur illam reddere deponenti, nisi putetur illam repetere vt domino restituat. *tom.2.pag.635.n.1.*

5. Quiuis vtens ratione, seu pupillus, seu fœmina, seu clericus, seu religiosus, potest esse depositarius. Non debet tamen religiosus suscipere depositum absque consensu saltem præsumpto sui Prælati. Si autem de consensu superioris religiosus suscepit depositum quod postea ipsius religiosi culpa pereat, monasterium non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus res deposita conuersa est in vsum ipsius monasterij. Religiosus verò si fuerit soluendo, tenebitur soluere. *ibidem num.2.*

6. Ad depositum hæ conditiones requiruntur. 1. consensus tradentis, & acceptantis. 2. vt res tradatur. 3. vt quando depositum repetitur, restituatur eadem res. 4. vt restituatur in loco in quo repetitur; neque enim par est vt depositarius qui curam depositi in gratiam deponentis suscepit, faciat impensas in restitutione depositi. 5. vt si depositum pereat, pereat deponenti; est enim dominus depositi, modò vsus rei non fuerit concessus depositario. *ibid.n.1.*

7. Depositarius tenetur ad restitutionem in solidum, etiam quando sunt plures depositarij. Ob id si res deposita, mortuo depositario, transeat ad eius hæredes, hæredes tenentur in solidum, modò res non fuerit inter hæredes diuisa; tunc enim quisque tenetur pro rata. *ibid.num.3.*

8. Qui pecuniam apud aliquem deponunt, v.g. apud mercatorem, hoc pacto vt mercator sibi soluat quatuor, vel quinque

que in centum, excusari non possunt: quia non possunt percipere lucrum ex deposito præcisè cùm sit contractus gratuitus, fiatque in gratiam deponentis. Si verò aliquid exigatur propter vsum depositi, erit tunc contractus mutui, vel locationis. *ibid num.* 5.

9. Deponens rem suam apud alterum, habet ius prælationis, itavt præferendus sit cæteris creditoribus chirographariis, siue personalibus, etiamsi pecuniam deposuerit, & illius vsum depositario concesserit; modò cæteri non essent etiam deponentes; tunc enim æqualiter sunt admittendi, etiamsi aliqui sint anteriores tempore. *tom.2.pag.636.n.6.*

10. Duplex actio oritur ex deposito. Prima est directa, quæ competit deponenti, & ipsius hæredibus contra depositarium, & ipsius hæredes. Secunda dicitur contraria, quæ competit depositario contra deponentem ad repetendas expensas factas circa rem depositam, vel compensationem damni, si quod passus est ex re deposita, vt si deponens, scienter deposuit equum calcitrosum. *ibid.n.* 8.

Derisio.

1. DErisio est actus quo honor alterius, verbis, vel factis violatur cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubescentiam. Differt autem *à contumelia*, quòd fiat ioco, contumelia verò seriò; estque grauior contumeliâ ratione contemptus qui maior reperitur in derisione, quàm in contumelia. Quare est peccatum mort. ex suo genere, nisi paruitas materiæ excuset. *tom.2. pag.* 442. *n.9. & seq.*

2. Derisio est peccatum mort. in his tribus casibus. 1. quando adest intentio grauiter confundendi proximum. 2. quando obiicitur graue vitium. 3. quando derisus grauiter tristatur. Fieri autem potest vt derisio ab omni peccato excusetur, vt quando fit causa corrigendi proximum, vel etiam honestæ recreationis gratia, modò non intendatur confusio, & erubescentia proximi. *tom.2. pag.* 443. *n.* 13. *&* 14.

3. Derisio *à subsannatione* specie non differt; quia vtraque inducit confusionem, & erubescentiam. Per hoc tamen differt, quòd derisio fiat verbis, subsannatio verò signis, vt naso corrugato, labiis productis, &c. quæ æquiualent verbis irrisoriis. *ibid. n.* 15.

4. Qui per dirisionem, alterius honorem læsit grauiter, tenetur ad restitutionem, vel etiam ad satisfactionem: peccauit

cauit enim contra iustitiam cum damno alterius. Vnde sequitur honorem ablatum non solum restituendum esse apud ipsum dehonoratum, verùm etiam apud alios apud quos honor illius imminutus est. Restitui autem potest dando locum honorificum, adhibendo ad mensam, propinando, vel si grauior fuit honoris læsio quàm vt hoc modo resarciri possit, petenda est venia; hæc enim vulgò habetur magna satisfactio. Superior tamen qui inferiorem, aut vir nobilis qui hominem plebium inhonorauit, non tenetur veniam petere ne despectui habeatur; propterea satisfacere videtur honorificè salutando, seu compellando, seu ostendendo extraordinariam beneuolentiam, &c. *ibid. num.* 1. *& seq.*

DETRACTIO.

Detractio quid, & quotuplex.

1. Detractio est occulta, & iniusta denigratio, seu læsio famæ propriæ, vel alienæ. Vnde colligitur detractionem specie differre *à contumelia*; nam per detractionem clam læditur fama proximi; per contumeliam verò apertè, & coràm; hinc fit vt minus peccatum sit detractio, quàm contumelia. *tom.* 2. *pag.* 430. *n.* 1. *&* 2.

2. Detractio est duplex; *formalis*, quæ fit animo auferendi famam proximi; & *materialis*, quæ fit absque animo lædendi famam. Vtraque tamen, supposita grauitate materiæ, & plena deliberatione, est peccatum mort, quamuis detractio materialis excusari possit à mort. si fiat ex iusta causa. *ibidem num.* 5.

3. Detractio fieri potest octo modis, quatuor directis quos tibi exhibet hic versus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

& totidem indirectis, nempe:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

4. Detractio est peccatum mort. ex suo genere, quia infert notabile damnum proximo: tamen propter indeliberationem, vel paruitatem materiæ, fieri potest veniale. Peccato detractionis addi potest alia circumstantia quæ mutet speciem, sitque necessariò in confessione exprimenda, vt patet in detractione contra sacerdotem, contra superiorem, contra patrem, &c. *tom.* 2. *pag* 431. *n.* 7. *& seq.*

Detractio quando sit peccatum mortale.

5. Manifestatio peccati mortalis, & materia sufficiens ad peccatum mortale detractionis, quandò famam proximi grauiter lædit; alioquin non sufficit ad mortale: nam qui dicit militem commisisse duellum, vel habere concubinam &c. non peccat mort. sicut neque mort. peccat qui refert ea peccata de quibus aliqui solent gloriari; quia non infertur notabile damnum famæ. *ibid. n.* 1.

6. Qui detrahit de fama alicuius defuncti in materia graui, peccat mortaliter, tenetur que ad restitutionem, faciendam familiæ, vel consanguineis defuncti ad quos infamia redundat, vel etiam ipsi defuncto per suffragia. *ibid. numer.* 2. *& seq.*

7. Manifestatio peccati venialis, per se loquendo, non sufficit ad peccatum mortale detractionis. Immò non est peccatum mort. ordinariè loquendo, referre de aliquo generalia vitia quæ esse possunt mortalia, & venialia, vt referre de Titio quod sit superbus, auarus, iracundus, &c. Fieri tamen potest vt manifestatio peccati venialis sit peccatum mortale, vt quando quis obiicit alteri in faciem, per contumeliam, ipsum esse mendacem, præuidens fore vt hoc ægrè ferat, aut habere consuetudinem mentiendi: habentes enim huiusmodi consuetudinem, vulgo parui fiunt; aut quando quis Episcopum, vel religiosum asserit deditum esse quibusdam peccatis venialibus, quæ bonam de ipso opinionem valde minuunt apud homines. *ibid n.* 6. *&* 7.

8. Manifestatio defectuum naturalium animi, vel corporis, regulariter loquendo, non est materia sufficiens ad peccatum mort. detractionis, vt si quis dicat Titium esse ignarum, imprudentem, claudum, gibbosum, &c. Tamen si hæc manifestatio illum impediat à consequutione magni boni, aut aliud notabile damnum afferat, erit peccatum mortale contra iustitiam. *tom.* 2. *pag.* 432. *n.* 8.

9. Qui dicit in tali oppido, vel collegio esse multos improbos, vel vnum ex canonicis talis Ecclesiæ commisisse simoniam, aut fornicationem non designatâ personâ, non peccat mortaliter. Qui tamen diceret omnes esse improbos, aut qui referret aliqua delicta quæ redundare possent in alios, non videretur à mortali excusandus, vt si diceret religiosum talis religionis, aut cœnobij, de quo habetur optima existimatio, inuentum esse cum meretrice, aut quid simile. *ibid. n.* 10.

10. Dicere de aliquo absente ipsum ortum esse ex Iudæis, vel Saraceenis, vel hæreticis, vel ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio, est peccatum mort. detractionis, modò ille defectus sit occultus: hæc enim manifestatio iniustè lædit famam proximi, & infamatus forte magis dolet hoc de se dici, quàm si graue aliquod crimen referretur. *ibid. n.*11.

11. Non est peccatum mortale reuelare crimen alterius, vni vel duobus, ob honestum finem v g. ob emendationem delinquentis, vel propter bonum commune: quia ille cuius peccatum reuelatur, non censetur rationabiliter inuitus. At secluso honesto fine, probabilius est esse peccatum mort. reuelare alienum crimen occultum vni, vel duobus viris prudentibus licèt, & taciturnis: fieri enim potest vt ille cuius peccatum manifestatur, malit suum delictum multis externis, & plebeiis, quàm vni viro graui, cum quo assiduè versatur, manifestari?

12. Qui iniuriam sibi factam, alteri narrat animo detrahendi, ad vindictam, mortaliter peccat. Si verò referat vt consolationem, vel consilium capiat ab amico, vel vt dolorem leniat, excusatur à peccato mort. modò non referat pluribus quàm opus sit ad capiendum consilium, vel solamen. *ibidem num.* 3.

13. Coniuges de filiorum, aut famulorum criminibus occultis, inter se loquentes, excusantur à mortali; at si de aliorum grauibus delictis colloquantur, non ad honestum finem, neque causa remedij adhibendi, rei sunt peccati mortalis, nisi sint personæ taciturnæ. *tom.*2.*pag.*433.*num.*5.*& seq.*

14. Detractionis peccato non peccat pœnitens manifestando complicem in confessione, saltem quando aliter non potest peccati speciem explicare, nec potest alium confessarium adire, cui non sit notus complex. Per accidens tamen fieri potest vt non possit, vel non teneatur manifestare complicem, quando scilicet sibi, vel alteri probabiliter timet graue damnum in vita, vel fama; tunc enim debet confessionem omittere, modò non sit illi necessaria. Si verò est necessaria, nec potest eam facere confessario complicem ignoranti, debet istam circumstantiam reticere, peccatis aliis explicatis. *ibid. num.*2.

15. Qui refert audita absque asseueratione, non peccat mort. peccato detractionis, neque tenetur ad restitutionem; modò ne narret crimina enormia, vt hæresim, proditionem, præposteram libidinem, &c. nam si probabile sit ex huiusmodi

narratio

narratione aliquam criminis narrati suspicionem orituram apud audientes, narrans peccat mort. Cauendum etiam ne illa narrentur coram iis qui postea sint eadem aliis manifestaturi cum exaggeratione. *ibid. n.* 1.

16. Non est peccatum mort. saltem contra iustitiam, crimen alterius alicubi publicum, manifestare alibi vbi nescitur: quia delinquens per criminis publicitatem amisit ius ad famam. Secùs dicendum quando crimen occultum, per iniuriam factum est publicum: nam iniustè infamatus non videtur amisisse ius ad suam famam. *tom* 2. *pag.* 434. *n.* 2.

17. Historici non peccant mortaliter dùm scribunt vitia, & peccata Principum, & aliorum infamatoria, in aliquo loco publica, aut non omnino secreta: quia ex officio vitas Principum conscribunt, ac proinde aliquid ipsis conceditur quod aliis non licet. Caueant tamen ne quem offendant, aut rixarum materiam præbeant. *ibid. n.* 3.

18. Non peccat mort. contra iustitiam qui refert alicui delicta alterius propter quæ aliàs fuit infamatus, quamuis nunc famam acquisierit honestis actionibus, modò referens non ostendat etiam nunc ipsum esse infamem, & nequam. Quare peccant mortaliter historici qui monumentis consignant peccata mortuorum publica, nec referunt eorum emendationem, & resipiscentiam, si verè resipuerunt. *ibid. n.* 4.

19. Non tenetur ad restitutionem qui narrat delictum alicuius occultum hìc Lugduni, sed publicum Parisiis, & sua narratione causa est ne hìc Lugduni consequatur aliquam dignitatem, aut magistratum: quia illius narratio licet sit contra charitatem; non tamen est contra iustitiam; ex actione autem contra charitatem non oritur obligatio restituendi. *ibid. num.* 8.

20. Qui bona fide narrauit crimen alterius, credens illud esse verum, & publicum, cùm re vera non esset, tenetur ad restitutionem statim atque agnoscit se errasse; non quidem ratione iniuriæ, sed ratione rei ablatæ, famæ scilicet, sicut qui bona fide accepit equum alienum, tenetur illum restituere statim ac cognoscit esse alienum: non tenetur tamen ad restitutionem damnorum quæ ex illa infamia consequuta sunt. *tom.* 2. *pag.* 435. *n.* 10.

21. Non peccat mort. contra iustitiam qui infamatum in vno genere peccati, infamat in alio habente connexionem necessariam, vel moralem cum priori peccato, de quo fuit diffamatus; modò non detegat crimen atrox, vel enorme, vt si de

fure quem constat surripuisse nummum aureum, dicat surripuisse alios mille; sic enim grauiter læderet eius famam. At qui infamatum in vno genere, infamat in alio non habente connexionem cum priori, peccat mort. contra iustitiam: fama enim est quid diuisibile, & potest amitti in vna materia, in alia autem conseruari. *ibid. n.* 1. 2. & 3.

22. Potest detegi crimen alicuius vt illi consulatur vel alteri, vel vt impediatur damnum spirituale, vel temporale alicuius momenti, si alia ratione impediri nequit. At qui potest sola correctione damnum impedire non reuelando crimen, debet correctone vti, & parcere famæ proximi. *ibid. numero* 1. & 2.

23. Qui seipsum infamat, non committit peccatum mort. ex suo genere; quilibet enim tam est dominus suæ famæ, quàm est dominus suarum facultatum. Tamen ratione alterius circumstantiæ fieri potest vt seipsum infamans, grauiter peccet: vt quando infamia ipsius redundat in filios, in religionem, &c. aut quando est causa scandali, & ruinæ, aut quando fama est illi necessaria, vt si sit Prælatus. *tom.* 2. *pag.* 437. *num.* 1.

24. Licet ex rationabili causa manifestare sua peccata, & famam suam prodigere: sic enim à viris sanctis, vt à S. Augustino, S. Anselmo, &c. legimus factitatum. At sine causa non licet seipsum infamare præsertim quando infamia in alios redundat. Auctor libelli famosi seipsum prodendo non peccat; immò cogi potest per censuram ad se prodendum, si ita expediat. *ibid. num.* 2.

25. Non peccat mortaliter qui iudici etiam iniustè interroganti manifestat crimen suum occultum ad euitanda tormenta etiam leuia, tametsi mors inde sequutura sit. Immò qui sibi falsum crimen imponit ad euitanda grauia tormenta, non peccat mort. etiamsi mors inde sequatur; secluso tamen periurio: quia nemo tenetur cum tanto cruciatu vitam tueri. *ibid. num.* 7.

26. Iudice iuridicè procedente, filius peccat imponens sibi falsum crimen vt patrem tormentis, aut morti eripiat: quia per mendacium deludit publicam potestatem. Iudice verò non iuridicè procedente, non peccat, modò non addat periurium; quia licet pro parente vitam exponere. *tom.* 2. *pag.* 438. *num.* 9.

27. Non peccat mort. qui ad vitanda grauia tormenta manifestat verum alterius crimen, sed occultum, de quo pro misera-

miserat secretum : quia secretum non obligat cùm tanto incommodo, nisi sit secretum confessionis, aut nisi manifestatio secreti vergat in damnum publicum. *ibid.n.*10.

28. Qui audit detrahentem,& aliquo modo mouet ad detrahendum peccat mort.contra iustitiam ; immò grauius peccat quàm ipse detractor ; peccat enim peccato scandali contra charitatem, dùm alium inducit ad detrahendum ; & præterea peccat contra iustitiam,consequenter tenetur ad restitutionem in defectum detrahentis. *ibid.n.*1.

29. Qui non inducit alium ad detrahendum, sed solum delectatur de detractione in materia graui, peccat mort. contra charitatem, quia delectatur de graui malo proximi ; non tamen peccat contra iustitiam, quia non est causa damni. Item qui audit detrahentem in re graui, & eum non corrigit, per se loquendo, peccat mort.contra charitatem, immò contra iustitiam si ad id teneatur ex officio. Excusatur tamen à mortali, qui non potest commodè corrigere detrahentem, aut quando non sperat correctionem profuturam, aut quando detractio est de re vulgo nota, aut quando audiens est persona priuata. *ibid.num.*4 *& seq.*

Detractio quando obliget ad restitutionem.

30. Quando infamatus ab alio, suis bonis actibus famam recuperauit, infamator non tenetur ad restitutionem præcisè ratione infamiæ:quia infamatus iam nullum patitur damnum. At si quæ alia damna inde sequuta sunt, vt si infamatus,ob detractionem, impeditus fuit à consequutione beneficij aut alterius emolumenti, infamator debet illud damnum resarcire. *tom.*2.*pag.*439.*num.*1.

31. Detractor non tenetur ad restitutionem quando ij quibus crimen narratum est,iam sunt obliti, siue narratio vera fuerit, siue falsa : quia per illam famæ restitutionem fortè refricaretur vulnus quod iam consenuerat. *ibid.*

32. Qui alterius famam grauiter læsit manifestatione veri criminis, non tenetur, neque potest dicere se mentitum esse: quia mentiretur hoc dicendo ; sed debet infamatum honorare, & sæpius laudare coram iis apud quos detraxit. At qui falsum crimen de alio narrauit, tenetur se retractare etiam sub iuramento, si necessarium iudicetur : non tamen tenetur vti his verbis, *mentitus sum*, ibidem *num.* 2. *&* *pag.* 440. *numero* 4.

33. Qui publicè famam abstulit, tenetur eam publicè restituere: quia fama resarcienda est ad æqualitatem. *ibid.n.*5.

34. Qui per detractionem iniustè fuit causa ne infamatus aliquod officium, beneficium vel commodum consequeretur, tenetur ad restitutionem boni illius quod impediuit: non tamen ad æqualitatem; quia bonum in spe minus valet quàm in re. At si fuit causa cur alter priuatus fuerit officio, vel beneficio, tenetur damnum resarcire ad æqualitatem. *ibid.n.*2.

35. Nouem causæ excusant à restitutione famæ. 1. est compensatio, seruata æqualitate: si enim tu mihi famam abstulisti, possum, titulo compensationis, famam tibi ablatam non restituere. 2. est condonatio obligationis restituendi famam, modò non vergat in damnum tertij: quisque enim est dominus suæ famæ. 3. quãdo infamia iam deleta est obliuione. 4 quando fama recuperata est bonis actibus. 5. quando crimen factum est publicum post manifestationem, absque culpa manifestantis. 6. quando restitutio famæ facta est impossibilis. 7. quando detractio fuit inefficax, vt quando audientes non crediderunt, vel iam antea nouerant, &c. 8. quando restitutio sine vitæ periculo fieri nequit: vita enim est bonum altioris ordinis quàm fama. 9. quando restitutio famæ alienæ fieri non potest absque iactura propriæ famæ. Porrò qui non potest famam restituere, non tenetur ex iustitia illam pecuniâ compensare, modò nullum aliud damnum sequutum fuerit pretio æstimabile. *tom.*2.*pag* 440.441.

36. Infamatus non peccat detegendo crimina infamantis occulta, ad propulsandam à se infamiam, & labefactandam fidem infamantis, si hoc faciat quatenus necesse est ad sui defensionem: non tamen potest falsum illi crimen imponere, aut obiicere delicta quæ minimè faciant ad honoris reparationem. Neque obstat Christi præceptum de ferendis iniuriis: id enim intelligendum est, quatenus recta ratio dictat, & lex obligat: quare non tenemur iniurias tolerare quas possumus mediis licitis amoliri. *pag* 441.*n.*4.

37. Hæres infamatoris non tenetur loco defuncti ad restitutionem famæ, nisi alia damna sint consequuta: hæc enim obligatio restituendæ famæ est personalis, neque transit ad hæredes. Neque tenetur detractor, aut eius hæres, facere restitutionem famæ hæredibus infamati: quia hæres non habet ius hæreditarium ad famam alienam. *tom.* 2. *pag.* 442. *num.* 15. *&* 16.

Discordia.

Discordia. Contentio.

1. DIscordia est inordinata dissensio voluntatis à voluntate alterius, cui consentire deberet, vt si superior tibi aliquid præcipiat, tu verò renuas obedire; aut si proximus cupiat aliquod bonum obtinere, tu verò sine rationabili causa nolis ipsum adipisci quod optat. *tom.2.pag.*174.*n.*1.

2. Discordia est peccatum mort. ex suo genere, quoties quis discordat à voluntate illius cum quo tenetur ex vinculo charitatis concordare: quia hoc peccatum opponitur charitati. Potest tamen esse veniale ratione indeliberationis, & inaduertentiæ, aut ratione paruitatis materiæ. *ibid.n.*2.

3. Contentio differt à discordia vt effectus à causa: nam contentio oritur ex discordia, seu dissensione voluntatis. Est autem contentio altercatio verborum cum aliquo contra veritatem, ad ipsam veritatem oppugnandam, vt si quis cum aliquo verbis contendat, animo contradicendi iis quæ de fide credenda sunt. Quare is non peccat peccato contentionis qui verbis cum alio contendit, intentione defendendæ veritatis contra falsam alterius assertionem, modò ne adsit alia circunstantia. *tom.*2.*pag.*175.*num.*4.

4. Videtur contentio esse ex suo genere peccatum mort. opponitur enim charitati, vt quando quis cum altero contendit, studio contradicendi; quanquam potest etiam aliis virtutibus opponi; nam qui cum alio contendit animo contradicendi rebus fidei, peccat contra fidem, & sic de cæteris. Non negandum tamen quin contentio possit ob inaduertentiam, & defectum pleni consensus esse peccatum veniale, aut etiam ob materiæ paruitatem, modò de rebus fidei non suscipiatur contentio, in quibus paruitas materiæ vix datur. *ibid.n.*5.

DISPENSATIO.

Cuius sit dispensare.

1. DIspensatio est actus iurisdictionis, quo quis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus. Est autem dispensatio alia *tacita*, quæ fit signo, vel facto indicante voluntatem dispensantis; alia *expressa*, quæ fit verbis. *tom.*2.*pag.*53 *n.* 1.

2. Legitimus superior potest cum inferiore dispensare, illumque ab obligatione legis eximere: quia eiusdem est au-

ferre obligationem legis, cuius est inducere. Legitimus autem superior censetur legislator, vel eius superior, vel successor in iurisdictione. *ibid.num.*3.

3. Legislator potest secum in suis legibus dispensare: neque enim est deterioris conditionis quàm alij. Vnde licet inferre Papam posse secum in voto dispensare, præsertim si alteri facultatem committat secum dispensandi; Item Episcopos, & alios Prælatos posse secum dispensare in voto, iuramento, &c. in quibus cum aliis dispensare possunt. *tom.*2. *pag.* 54. *num.* 9.

4. Inferior in lege superioris non potest dispensare, quoties superior dispensationem sibi reseruauit. Vnde sequitur Magistratum in lege communi, & Episcopum in legibus Pontificiis dispensare non posse, neque statutum Concilij prouincialis abrogare; quia Episcopus est inferior Concilio prouinciali. Idem dicendum de Archiepiscopo qui potest à Synodo prouinciali excommunicari. Quando verò dispensatio non est reseruata, sicut ordinariè non solet reseruari, præsumitur data facultas Episcopo dispensandi pro sua diœcesi. *ibidem num.*12. *& seq.*

5. Probabilius est, inferiorem non posse in lege superioris dispensare, quando superior qui legem tulit, expresè non dedit, neque ademit dispensandi facultatem: quia inferior non habet potestatem supra superiorem, neque potest ipsius voluntatem, vel dispositionem impedire, ipso non consentiente. In quibusdam tamen casibus censetur facultas Episcopo concessa dispensandi in legibus Pontificiis, vt quando iudicio viri prudentis præsumitur hæc esse Pontificis intentio, vel quando vrget grauis necessitas, nec Sedes Apost. commodè adiri potest: tunc enim adest tacita Principis concessio. *tom.*2. *pag.*55.*num.*17.

6. Potest Episcopus in impedimentis matrimonij, tam ante, quàm post contractum, vrgente necessitate, dispensare, dùm ad Summum Pontif. non patet aditus. Tenetur tamen Summum Pontif. admonere si possit, & pauperiem eorum quibuscum est dispensandum, supplere de suo, vt Romam mittant: tunc enim non censetur adesse necessitas dispensandi. *ibid.num.*19.

Ad dispensationem quæ conditiones requirantur.

7. Confessarius concessurus dispensationem virtute rescri-

pti,

pti,ſeu mandati Apoſtolici,has conditiones ſeruet. 1. vt is approbatus ſit ab Ordinario. 2. vt ad doctoratus lauream in Theologia, vel iure canonico promotus fuerit: tamen Patres Societatis IESV, & religioſi mendicantes, poſſunt ex ſpeciali priuilegio diſpenſationes expedire, licet doctoratus gradum non ſint adepti. 3. vt non diſpenſet ſine cauſa propter quam Summus Pontif. diſpenſandi facultatem conceſſit. 4. vt rei veritatem ab ipſo pœnitente diligenter inquirat, niſi aliunde conſtet. 5. vt in matrimonio non diſpenſet niſi crimen ſit occultum. 6. vt præcedat confeſſio: non tamen ſemper præſcribitur confeſſio ſacramentalis tanquam conditio neceſſaria. 7. vt imponat pia opera provt prudenter expedire iudicauerit, exceptis iis quæ in Bulla exprimuntur: hæc enim imponenda ſunt vti præſcribuntur. 8. vt confeſſarius cui datur facultas diſpenſandi circa matrimonium (vt videlicet iterum celebretur quando cum impedimento affinitatis occulto fuerat inualidè celebratum) curet antequam diſpenſationem exequatur, coniuges ſeparari, ſi commodè, & ſine ſcandalo ſeparari poſſunt; ſin minus, ſaltem experiatur an tanquam frater, & ſoror ſimul habitare poſſint. 9. vt certiores fieri curet contrahentes de nullitate conſenſus. 10. vt literas laceret quoties id præſcribitur. 11. vt pro diſpenſatione expedienda nihil omnino exigatur. *tom.2.pag.56.57.*

8. Valida eſt, ſed non licita diſpenſatio in lege humana, conceſſa ſine iuſta cauſa à legiſlatore, vel ab alio habente auctoritatem: quia obligatio legis pendet à voluntate legiſlatoris, qui poteſt aliquem, etiam ſine iuſta cauſa, per diſpenſationem eximere ab obligatione legis, ita vt maneat exemptus. Tamen diſpenſans ſine cauſa, abutitur ſua poteſtate, & peccat mort. ſi adſit ſcandalum, aut graue aliorum detrimentum. *tom.2.pag.58.n.1.*

9. Non videtur valida diſpenſatio conceſſa ab eo qui bona fide credebat iuſtam, & ſufficientem cauſam ad diſpenſandum ſubeſſe, cùm reuera non eſſet. Quanquam is cum quo diſpenſatum eſt, tutus eſt in conſcientia, donec ſibi de inſufficientia cauſæ certò conſtet: cognita autem inſufficientia, non poteſt illa diſpenſatione vti. In dubio autem an eſſet cauſa ſufficiens, necne, ille cum quo diſpenſatum eſt, poteſt vti diſpenſatione: quia in facto Principis non præſumitur delictum, ſaltem in foro conſcientiæ. *tom.2. pag. 59. 60. num. 8. & 9.*

10. Diſpenſatio in lege ſuperioris, conceſſa ab inferiore

sine iusta causa, est illicita, & inualida: quia non est verosimile superiorem concedere inferiori facultatem dispensandi sine iusta causa. Vnde sequitur dispensationem absque iusta causa concessam, etiam a Summo Pontifice in iis quæ sunt de iure diuino, vel naturali, vt in voto, iuramento, &c. inualidam esse: quia non est credibile hanc potestatem à Deo fuisse Ecclesiæ concessam. *pag. 60. n. 12. & seq.*

11. Tres sunt potissimùm iustæ dispensandi causæ, & eximendi aliquem ab obligatione legis. 1. est vtilitas communis, vel etiam priuata. 2. necessitas communis, vel priuata. 3. pietas. Concedi etiam potest dispensatio ob aliquos superuenientes casus, vel rationes, quæ sufficientes, & legitimæ, arbitrio prudentis viri, fuerint iudicatæ, habita ratione personæ, temporis, & loci. *tom. 2. pag. 61. n. 20.*

12. Faciliùs dispensationes Principibus conceduntur quàm aliis, præsertim in impedimentis matrimonij: quia bonum pacis inter Principes sequi consueuit ex matrimonio inter Principes, & ex hac Pontificis in ipsos indulgentia, ad Ecclesiæ defensionem suscipiendam Principes faciliùs pertrahuntur. *ibid.*

13. Præter supremum Principem nemo potest in lege dispensare imposita pecuniaria mulcta in fabricam Ecclesiæ, vel pia opera, nisi forte imponatur in pœna delicti: quia Tridentinum *sess. 25. c. 18.* præcipit dispensationem gratis fieri. *ibid. num. 23.*

Dispensatio quæ valida, quæ inualida.

14. Quando aliquid subticetur, aut falsò narratur quo cognito superior non dispensasset, inualida est dispensatio: quia superior non intendit dispensare, nisi sub conditione, *si res ita est.* Quare dispensatio contrahendi cum consanguinea ob copulam quæ reipsa non intercessit, est inualida. At si plures causæ copulatiuè narrentur, & earum aliquæ sint falsæ, videndum est propter quam causam tanquam finem dispensatio concedatur. Si conceditur ob causam veram, valida est dispensatio, quamuis aliæ sint falsæ. *tom. 2. pag. 62. 63. num. 3. & 8.*

15. Si subreptio contingat in vna rescripti parte, tacendo verum, vel exponendo falsum, vitiatur, & irritatur rescriptum quo ad eam partem, in qua est subreptio; non verò quoad reliquas; quia vtile per inutile non vitiatur; modò tamen

partes in quibus non contingit subreptio, separabiles sint quo ad valorem, ab ea parte in qua fuit subreptio;& modò subreptio in vna rescripti parte non contigerit, perit per dolum, vel malitiam impetrantis: tunc enim rescriptum declarandum est irritum in totum per iudicis sententiam: non tamen est irritum ipso iure quo ad eam rescripti partem, in qua non contingit deceptio. *tom.2.pag.64.n.14.& seq.*

16. Quando conceditur dispensatio ad instantiam, & preces petentis, censetur inualida, quando tacetur verum, aut exprimitur falsum, quo cognito dispensatio non fuisset concessa, neque vitium subreptionis suppletur per clausulam, *motu proprio*: si verò dispensatio ex mera liberalitate, absque præuia petitione, vel informatione concedatur, valida erit. At si in rescripto, seu narratione quæ ex parte Principis fieri solet, non solùm taceatur veritas, sed etiam veritas exprimatur, dispensatio est nulla, etiamsi apponatur clausula, *motu proprio*. Ratio est, quia licèt priuilegium, seu dispensatio sic concessa, non sit subreptitia; non tamen est valida defectu consensus, & intentionis proueniente ex proprio errore, nec motus proprius firmat gratiam contra intentionem concedentis. *tom. 2. pag. 65. num. 21. & 22.*

17. Hæc clausula, *motu proprio*, opposita in rescriptis, hæc tria operatur. 1. quòd dispensatio, motu proprio concessa, censetur magis voluntaria, quàm concessa ad instantiam petentis. 2. quòd non censetur subreptitia dum veritas siletur in petitione dispensationis, aut falsitas exprimitur, qua cognita superior adhuc eam concessisset. 3. quod nunquam retorquetur contra eum cui conceditur. *ibid. n.23.*

18. Dispensatio redditur inualida tacita qualitate quam iura specialiter exprimi volunt: quamuis ea qualitate expressa superior concessisset dispensationem: quia nisi seruetur forma à iure introducta, corruit actus. Vnde patet inualidam esse beneficij collationem quam quis obtinuit non facta mentione primi beneficij quod antea obtinuerat; quia iura hoc specialiter exprimi volunt. Item inualidam esse dispensationem circa matrimonium obtentam, non expresso gradu affinitatis, vel consanguinitatis, vel publicæ honestatis, nam eò difficilior est dispensatio quò gradus est coniunctior; vel tacito incestu commisso antequam literæ Romam mitterentur: hic enim est stylus Rom. Curiæ. Notandum tamen quando incestus est occultus non necessariò faciendam esse ipsius mentionem in dispensatione à summo Pontif. obtinenda

tinenda pro foro externo ; sed satis esse vt illius dispensatio obtineatur à sacra Pœnitentiaria. *tom.2.pag.65.66 n.1.& seq.*

19. Probabilius videtur inualidam esse dispensationem concessam à sede Apost. pro foro externo, sub hac conditione (*si copula non intercesserit*,) copula occulta interueniente de qua non sit facta mentio: Immò contrahentes interrogati de copula licet occulta, tenentur eam aperire iudici interroganti : sic enim declarauit sacra Cardinal. Congregatio *tom. 2. pag.67.num.14.*

20. Dispensatio obtenta per metum, licèt incussum ad eam obtinendam, valida est : est enim regula generalis, Gesta per metum valida esse, exceptis casibus in iure expressis, de quibus vide *tit.* Contractus. *tom.2.pag.68.num.1.*

21. Dispensatio extorta per dolum, & mendacia, non est valida, si ea contingant circa causam finalem : secùs dicendum si contingant solum circa causam impulsiuam. Ad cognoscendum autem an causa sit impulsiua, an finalis, standum est iudicio viri prudentis. At si dubitetur, præsumendum est in fauorem dispensationis, consequenter iudicandum est causam fuisse tantùm impulsiuam, proindeque dispensationem esse validam. *ibid. num.2.& seq.*

22. Valida est dispensatio quam quis obtinet, etiamsi non exprimat se illam petiisse,& non obtinuisse, neque nouam causam afferat : quia superior vult, & potest eam concedere, & adest iusta causa dispensationis. Vnde sequitur validam esse dispensationem obtentam ab Episcopo successore, quam antecessor denegauerat ; quamuis in petitione non exprimatur denegatam fuisse antea dispensationem Immò validam esse dispensationem obtentam ab inferiore,quam superior antè denegauerat ; etiamsi denegationis nulla mentio fiat. *ibid. num.1. & pag.69.num.2. & 5.*

23. Quando de vna, eademque re duplex petitur dispensatio, & prima fuit limitata, in secunda quæ amplior est, per se loquendo, facienda est mentio prioris limitatæ, alioquin secunda videtur inualida. Quia tacetur aliquid, quo cognito, superior non dispensasset : non enim præsumitur concessurus ampliorem dispensationem, si prioris antea cum limitatione concessæ recordaretur. At si prior dispensatio fuit inualida, non est necesse illius mentionem facere in petitione secundæ dispensationis : quia iuxta regulam iuris, Non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum. *tom. 2 pag.69.num.1.& pag.70.n.7.*

24. Qui

24. Qui pluribus impedimentis est obstrictus, potest dispensationem, vnius obtinere, non expressis aliis; exceptis impedimentis matrimonij. Quare irregularis ob homicidium, & ob defectum natalium v. g. potest obtinere dispensationem irregularitatis homicidij, non expressa altera irregularitate: quanquam non potest ad Ordines promoueri, antequam ab omnibus absoluatur: potest enim vnum impedimentum tolli, aliis remanentibus, quemadmodum pluribus excommunicationibus innodatus potest ab vna absolui, aliis non ablatis. At in matrimonio secùs se res habet: vsus enim Curiæ Rom. sic obtinuit, vt qui obstrictus est v.g. voto castitatis, si dispensationem petat contrahendi cum consanguinea, vtrumque impedimentum exprimere teneatur. *pag. 70. numero 1. & 2.*

25. Ad validitatem dispensationis non est necesse vt causa sit vera quando literæ mittuntur Romam: nam verba dispensationis, *si preces veritate nitantur*, sufficienter verificantur, si causa quæ allegatur subsistat, dùm Pontifex concedit dispensationem. *tom. 2. pag. 71. n. 2.*

26. Delegatus ad dispensandum non potest validè dispensare si post indultum à Summo Pontifice concessum cessauit causa iusta dispensandi: at postea reuiuiscente causa, dispensatio validè concedetur. Si verò obtenta dispensatione cesset causa finalis illius, antequam executioni mandetur seu antequam suum sortiatur effectum, probabilius est etiam ipsam dispensationem cessare quamdiu causa finalis cessat: quia non censetur superior velle dispensationi locum esse, si causa dispensationis cesset. At dispensatio semel obtenta, & executioni mandata, non cessat nec reuocari potest cessante causa propter quam fuerat concessa. Quia effectus licitè, & validè consummatus fuit virtute dispensationis obtentæ, ergo per cessationem causæ iam reuocari non potest. *ibid. n. 3. & pag. 72. num. 11.*

27. Dispensatio vim suam non amittit per mortem concedentis: quia gratia semel concessa non interit cum eo qui illam concessit. Vnde patet eum qui per dispensationem exemptus est à ieiunio quadragesimali, si nondum elapsa Quadragesima superior qui dispensauit moriatur, adhuc liberum manere ab obligatione ieiunij. *ibid. n. 1.*

28. Dispensatio vim suam amittit si reuocetur antequam adimpleatur effectus ad quem fuerat concessa. *tom. 2. pag. 73. num. 2.* Etiamsi superior iustam non habeat causam reuocandi.

At inferior cui à superiore data est facultas reuocandi legem, seu dispensationem, non potest illam validè sine iusta causa reuocare. Dispensatio voti semel concessa, nunquam potest reuocari; quia vinculum voti non pendet à voluntate superioris, ideoque non potest ab eo induci. *ibid.*

29. Renunciatio dispensationis efficit, vt dispensatio, quæ nondum executioni demandata fuerat, vim suam amittat, si renunciatio acceptetur à dispensante. Exempli gratia, Titius obtinuit dispensationem ducendi consanguineam in matrimonium; sed ante contractum matrimonium cedit dispensationi, dispensatio cessat si cessio, seu renunciatio dispensationis acceptetur à dispensante: quia per illam renunciationem acceptatam subditus iterum subiicitur legi, à qua fuerat per dispensationem exemptus. *ibid n.3.*

30. Inter dispensationem voti, seu iuramenti, & dispensationem legum, hoc interest, quòd dispensatio voti, & iuramenti semel concessa amittit vim suam per internam renunciationem, seu propositum ea non vtendi, consequenter indiget noua dispensatione. Dispensatio verò aliarum legum non amittit vim suam donec renunciatio dispensationis fuerit acceptata à legitimo superiore, quia obligatio aliarum legum non pendet à voluntate renunciantis dispensationi, sicut pendet obligatio voti, aut iuramenti. *ibid.n.6.*

31. Dispensatio absolutè, & sine limitatione concessa non finitur primo actu: quia cum superior intendit ad vnum solum actum dispensationem concedere, solet hoc exprimere. Secùs si non fuit absolutè concessa. Quare dispensatio contrahendi cum consanguinea, ea mortua cessat; quia non est simpliciter concessa ad contrahendum cum qualibet consanguinea. Dispensatio verò in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, non finitur primo matrimonio, modò causa dispensationis perseueret, nec superior aliter expresserit; quia est absolutè concessa. *ibid.n.1.*

Dispensationis expensæ ad quem pertineant.

32. Quando præcessit consensus tacitus, vel expressus impetrandæ dispensationis, & alter onus illius impetrandæ suis sumptibus liberaliter in se non suscepit, dispensatio communibus expensis impetranda est: cùm enim vterque sentiat commodum dispensationis, par est vt vterque sentiat etiam onus expensarum. *tom.2. pag.74. n.3.*

33. Sumptus

33. Sumptus dispensationis obtinendæ faciendi sunt ab eo qui dispensationem obtinuit altero inscio matrimonij futuri, seu nondum facta conuentione matrimonij. Quare si Titius cupidus matrimonij contrahendi cum Berta sibi consanguinea, obtinuit dispensationem contrahendi cum ea matrimonium, ipsa de hac re non priùs monita, expensæ dispensationis pertinent ad Titium; censetur quippe liberaliter eas fecisse, *ibid.num.*5.

34. Qui obtenta de communi consensu dispensatione, iniustè renuit matrimonium contrahere, tenetur ad integras expensas dispensationis. Qui verò iustè renuit absque alterius culpa, tenetur solum ad partem. At qui renuit ob alterius culpam, ad nullas tenetur; sed alteri, qui causam resiliendi dedit, totum onus expensarum incumbit. *ibid. n.6.*

35. Vir qui fornicatus fuerat ante promissionem matrimonij, non tenetur ad integras expensas dispensationis, si sponsa, cognitâ fornicatione, nolit cum eo contrahere: quia fornicatio sponsi antecedens promissionem matrimonij, non est iniuriosa sponsæ. Ille verò cuius culpa post matrimonij promissionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, si potest, suis impensis dispensationem obtinere, vt sponsalia perficiantur; neque enim par est vt innocens, ob alterius culpam, damnum patiatur. *tom.2.pag.75.n.*10.*&* 12.

DISTRIBVTIONES.

Distributiones faciendæ assistentibus in Choro.

1. DIstributiones sunt ea portio prouentuum beneficij quæ confertur iis qui diuinis officiis intersunt, & iuxta sui beneficij conditionem, & qualitatem, inseruiunt, vulgò autem nuncupantur *quotidianæ distributiones*, quia acquiruntur ab iis qui quotidie diuinis officiis intersunt, seu quia distribuuntur in singulos iuxta cuiusque merita, habita ratione assistentiæ singulis diebus exhibitæ circa diuinum officium publicè persolutum in Choro. *tom.1.pag.*550.*n.*1.

2. Distributiones à fructibus distinguuntur, vt constat ex Trident. *sess.*24. *cap.* 12. vnde sequitur eum qui ob perpetratum crimen priuatur distributionibus non ob id censeri priuatum fructibus. Item pensionem beneficio impositam, non censeri super distributionibus, sed super fructibus constitutam, nisi beneficium in solis distributionibus

consistat,

consistat, aut nisi Pontifex aliud exprimat. *tom.* 1. *pag.*551. *numero* 4.

3. In impetratione beneficij non sunt necessariò exprimendæ distributiones:quia sub fructuum nomine non comprehenduntur, nec in valore beneficij computandæ sunt. Item in sequestratione fructuum, & prouentuum beneficij, regulariter loquendo, non comprehenduntur distributiones propriè acceptæ. Sunt enim quædam distributiones impropriè dictæ, cuiusmodi sunt illæ quæ ex communi massa conferuntur clericis alicuius Ecclesiæ etiamsi diuinis officiis non intersint, modò resideant. *ibid.n.*9.*& pag.*552 *n.*2.

4. Portiones quæ ex prouentibus beneficij non conferuntur, non appellantur propriè distributiones. Quamobrem portiones funerales quæ vocantur anniuersaria, & quæ conferuntur iis qui exequiis, aliisque officiis pro defunctis celebrari solitis assistunt, non sunt propriè distributiones; quanquam distributionum priuilegio gaudent, & interessentibus solum conferuntur. *pag.*552.*n.*3.

5. Distributiones igitur aliæ dicuntur *ordinariæ*, aliæ *extraordinariæ*, aliæ *propriæ*, aliæ *impropriæ*; aliæ *à fructibus*, seu *massa separatæ*; aliæ *fructibus immixtæ*; aliæ consistunt *in pecunia*, aliæ *in fructibus*, *pane*, *vino*, &c. quæ canonicis diuino officio præsentibus conferuntur. *ibid.n.*5.

6. Distributionum vsus neque naturali, neque diuino, sed humano Ecclesiastico iure inductus est ad fouendum, augendúmque honorem, & cultum diuinum, vt beneficiarij distributionum acquirendarum affectu inuitentur, & alliciantur ad interessendum diuinis officiis. *tom.*1.*pag.*553.*n.*1.*&* 3.

Conditiones requisitæ in eo qui ad distributiones admittendus est.

7. Admittendus ad distributiones, titulum, & possessionem beneficij habere debet: quia ius ad distributiones acquiritur ratione beneficij. Præterea debet esse ea ætate, vt intra annum promoueri queat ad ordinem quem ipsius beneficium postulat. Vnde sequitur habentem canonicatum cui annexus est ordo Sacerdotalis, non posse ad distributiones admitti, nisi 24. annum attigerit, præciso priuilegio, seu dispensatione. Potest tamen percipere distributiones etiamsi actu non habeat illum ordinem quem tale beneficium exigit: quia ad distributiones sufficit assistentia in choro, & debita horarum

rarum canonicarum recitatio. *ibidem numero* 1. 2. *&* *pag.* 554. *numero* 1.

8. Admittendus ad diſtributiones, ſeu promouendus ad canonicatum, ea ſcientia debet eſſe inſtructus quæ ad vniuſcuiuſque beneficij ordinem requiritur, vel ſaltem debet iudicari idoneus qui intra annum eam acquirat. In canonicatibus verò nullum Ordinem adnexum habentibus requiritur ſaltem vt promouendus fidei rudimenta edoctus fuerit, ſciatque legere, & ſcribere, & prætereà latinæ linguæ non ſit planè rudis, ſed conſtruere ſciat, vt rubricas intelligat, vt in diuino officio perſoluendo non erret. Ad hæc requiritur aliqua peritia cantus quò diuina officia recitantur. *ibid. n.*1. *& ſeq.*

9. Fieri poteſt vt canonicus ob imperitiam cantus non admittatur ad diſtributiones, admittatur verò ad vocem in capitulo, vel contrà admittatur ad diſtributiones, non verò ad vocem in capitulo ferendam: nam ad diſtributiones non prærequiritur Ordo ſacer, requiritur verò ad ferendam vocem, in iis ſaltem Eccleſiis in quibus Ordo ſacer canonicatibus eſt annexus. Tamen Decanus, & Archidiaconus capitulum conuocare poſſunt, etiamſi in ſacris nondum ſint conſtituti: ſic enim cenſuit ſacra Cardinalium Congregatio. *tom.* 1. *pag.* 555. *n.*4. *& ſeq.*

Ad quos pertineat ius percipiendarum Diſtributionum.

10. Ius percipiendarum diſtributionum competit Clericis Eccleſiæ Collegiatæ, vel Cathedralis, qui diuinis officiis in ſuis Eccleſiis interſunt, & inſeruiunt; non ſolùm antiquis, verùm etiam iunioribus ſupra numerum conſtitutis; modò canonici creati non fuerint ſupra numerum cum hac clauſula, *ſine præiudicio antiquorum canonicorum*: tunc enim iuniores percipere nequeunt diſtributiones donec aliquam præbendam in futurum vacaturam re ipſa obtinuerint: ſub hac enim conditione canonicatum ſunt adepti. *ibid. n.*1.

11. Qui Matutino inchoato ad chorum acceſſit; maiori tamen parti interfuit, per ſe loquendo, & ex natura rei, non eſt priuandus omnibus diſtributionibus quæ toti Matutino reſpondent: quia quæ eſt proportio totius ad totum, eadem eſt partis ad partem: ſed qui totum Matutinum omittit, priuatur omnibus diſtributionibus; ergo qui partem ſolùm prætermittit, priuandus eſt ſolùm parte diſtributionum; alioquin

non seruaretur proportio : quippe obligatio diuini officij, diuidua est. Tamen ne diuinus cultus notabiliter lædatur, statuto caueri potest ne is qui notabiliter à choro abest, distributiones vllas percipiat. *tom.* 1.*pag.* 556.*n.* 10.

12. Licèt canonici qui tribus mensibus à Concilio Trid. concessis absunt, non priuentur fructibus, distributiones tamen admittunt. Item quamuis beneficiarius qui primis sex mensibus à die adepti beneficij officium non recitat, nihilominus faciat fructus suos ; priuatur tamen distributionibus quæ solis interessentibus, & recitantibus debentur, *tom.* 1. *pag.* 557.*num.* 11.

13. Canonicus qui notabilem diuini officij partem attentè non recitat, aut non attendit, non lucratur distributiones, vt si confabuletur, aut voluntariè obdormiat, vel quid simile faciat quod attentionem impediat : hic enim diuinis non interest modo ab Ecclesia præscripto. Quapropter tenetur ad restitutionem. Qui verò, dùm recitat diuinum officium in choro, in suo loco non sedet, aut proprias canonicorum vestes non gestat, nihilominus lucratur distributiones, vt si canonicus sit Protonotarius, & Protonotariorum more sit indutus : facit enim quod à iure præscribitur ad lucrandas distributiones. *ibid.num.* 13.*&* 14.

14. Qui beneficium purè, & simpliciter resignauit post acceptatam à Summo Pontifice resignationem, non potest distributiones subsequentis temporis lucrari, etiamsi adhuc diuinis officiis intersit : cùm enim careat titulo beneficij, nullum habet ius ad distributiones. Qui verò resignat sub conditione in fauorem resignatarij, potest distributiones lucrari si velit interesse, donec resignatarius possessionem adierit : quia resignans non censetur titulum amisisse donec resignatio fuerit completa. *ibid.n.* 3.*& pag.* 558.*n.* 4.

15. Habens dignitatem, & canonicatum, vel duplicem canonicatum in eadem Ecclesia, non potest, præcisa dispensatione, vel consuetudine, duplices distributiones vtrique canonicatui respondentes lucrari : quia qui duos sub eodem tecto canonicatus habet, non magis residet, aut Ecclesiæ inseruit, quàm si vnicum tantummodo haberet. *ibid. num.* 3. Habens verò duplicem canonicatum in diuersis Ecclesiis, percipit tantùm distributiones illius Ecclesiæ in qua interest diuinis. *ibid. num.* 2.

16. Qui ex priuilegio, vel dispensatione inseruit Ecclesiæ per coadiutorem, lucratur distributiones, nisi ipse consenserit

senserit vt dentur coadiutori, vel nisi Summus Pontif. aliter disposuerit: quia quod in alicuius fauorem inductum est, non debet in eius damnum retorqueri. Quare si coadiutor sua culpa absit à choro, ex aliqua causa propter quam non conceduntur distributiones, tenetur coadiuto damnum resarcire: quia fuit causa iniusta illius damni. *tom.* 1. *pag.* 560. *numero* 3. *&* 5.

17. Potest induci consuetudo vt canonici intersint choro, & tamen canant per alios, lucrenturque distributiones: si tamen hæc consuetudo nondum est præscripta, improbanda est, & tollenda, neque canonici per alios canentes tuti sunt in conscientia: quia licèt intersint, non tamen inseruiunt choro. At si consuetudo est præscripta saltem post Concil. Tridentinum, tolerari potest: ius enim positiuum hanc præscriptionem non reprobat. *tom.*1.*pag.*561.*n.*3.

18. Quamuis distributiones solis interessentibus debeantur, regulariter loquendo; nihilominus tribus de causis, etiam absentibus conferuntur. 1. propter infirmitatem. 2. ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem. 3. propter absentiam in vtilitatem Ecclesiæ. *ibid.*

19. Non quiuis morbus excusat ab interessentia; sed grauis. Grauem autem appello, qui licèt in se sit leuis; tamen accessu ad chorum grauis fieri posset, etiamsi beneficiarius hunc morbum sua culpa contraxerit, vel quia intemperanter vixit, vel quia in rixa vulnus accepit, &c. quia iura habent rationem solius infirmitatis. At si infirmus aliàs interesse non consueuerat choro, non lucratur distributiones: quia non abest propter infirmitatem, cùm morbus per accidens se habeat ad absentiam. *ibid.n.*1. *& seq.*

20. Qui de consilio medici domo non egreditur ob valetudinis periculum, potest percipere distributiones: abest enim ob rationabilem corporis necessitatem: Idem dic de eo qui ob sumptum pharmacum, domi se continet, &c. Item senex, qui senio confectus diuinis officiis commodè interesse non potest, quibus aliàs interesse consueuerat, quotidianis distributionibus priuandus non est. Item qui ob grauem metum iniustè incussum, vel qui ob graues inimicitias abesse cogitur, modò per ipsum non stet quo minus tollantur, quandiu durat metus, seu periculum, potest percipere distributiones, &c. *tom.*1. *pag.*563.*n.*4. *& seq.*

21. Qui iustè in carcere detinetur ob crimen probatum, non gaudet distributionibus: quia dicitur abesse sua culpa.

Qui verò in carcere detinetur ob criminis ſuſpicionem, poſtquam per ſententiam iudicis innocens iudicatus fuerit, poterit diſtributiones percipere: ſic enim ſacra Cardin. Congregatio declarauit. Modò tamen ob propriam culpam non fuerit in carcerem coniectus. *tom.* 1. *pag.* 564.*n.*1.*& ſeq.*

22. Iuſtè excommunicatus excommunicatione maiori, & vitandus priuatur diſtributionibus, niſi abſolutio ei iniuſtè denegetur. Excommunicatus autem excommunicatione minori, aut excommunicatus toleratus, cùm poſſit diuinis intereſſe, capax eſt diſtributionum. Qui autem in excommunicationem incidit ob publicam clerici percuſſionem propter quam ab Ordinario loci coactus fuit per aliquot dies domi ſe continere, ſi poſt obtentam excommunicationis abſolutionem, per decem anni menſes choro interſit, & muneri ſuo integrè ſatisfaciat, poterit integras diſtributiones percipere: quia nullo iure carere debet diſtributionibus reſpondentibus tempori excommunicationis, cùm ei liberum eſſet, etiamſi non fuiſſet excommunicatus, per duos menſes, impunè abeſſe à choro ſine iactura diſtributionum. *tom.*1.*pag.*565.*n.*1.2 *&* 3.

23. Iniuſtè, ſeu inualidè excommunicatus, qui antea diuinis officiis intereſſe conſueuerat, diſtributiones non amittit, ſed ſubtractas recuperat poſtquam de nullitate excommunicationis conſtiterit: per ipſum enim non ſtat quominus interſit, nec meretur pœnam qui non deliquit. In foro tamen conſcientiæ, ſi iudex bona fide, & ſeruato iuris ordine ſententiam tulit, non tenetur ad reſtitutionem, neque alij canonici quibus diſtributiones applicatæ fuerunt, eaſque bona fide conſumpſerunt. *ibid.n.* 4.

24. Iniuſtè ſuſpenſus ſeu ab officio, ſeu à beneficio, ſiue etiam à fructibus ſi ob eam ſuſpenſionem à choro abeſſe cogatur, poteſt percipere diſtributiones: iniuſtè enim prohibetur intereſſe. Iuſtè ſuſpenſus ab officio non priuatur diſtributionibus; ſuſpenſus autem à beneficio, vel à diuinis, priuatur. Ratio eſt, quia ſuſpenſus ab officio poteſt diuinis intereſſe, & conſequenter diſtributiones percipere, iis exceptis quæ ratione officij conferuntur: At ſuſpenſio à beneficio importat priuationem omnium emolumentorum quæ intuitu beneficij percipiuntur. Item ſuſpenſus à diuinis non poteſt tanquam Eccleſiæ miniſter, ſed ſolùm tanquam laicus, diuina officia perſoluere, conſequenter incapax eſt diſtributionum quæ diuina officia perſoluentibus conferuntur. *tom.*1.*pag.*566. *num.* 1. *& ſeq.*

25. Iniuſtè

25. Iniustè à diuinis officiis interdictus non priuatur distributionibus; iustè interdictus priuatur, modò sit denunciatus; nam toleratus diuinis assistens capax est distributionum. Tempore interdicti localis specialis canonici non sunt distributionibus priuandi: nam per ipsos non stat quo minus diuinis intersint, cùm in ea Ecclesia celebrare nequeant. Tempore autem interdicti generalis, canonici nisi diuinis intersint priuantur distributionibus: tunc enim persoluuntur diuina officia in Ecclesiis summissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & campanis non pulsatis, exceptis festiuitatibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, & Assumptionis B. Virginis, in quibus diuina officia alta voce, iannuis apertis, pulsatis campanis, admissis interdictis (modo ipsi causam interdicto non dederint) celebrantur. *ibid.n.*1. *& seq.*

26. Canonici qui tempore cessationis à diuinis nequeunt diuina officia persoluere, non percipiunt distributiones: quia diuinis non intersunt: habent tamen actionem contra eum qui monitus causam cessationis dedit, ad repetendas ab eo distributiones cuius culpa cessatum est à diuinis. *tom.*1. *pag.* 567. *num.*1. *& seq.*

27. Canonici percipiunt distributiones, dum Ecclesia in qua celebrare consueuerunt, polluta est, & violata; quia per ipsos non stat ne diuina officia in choro persoluantur. Polluitur autem Ecclesia 1. per voluntariam humani seminis effusionem. 2. per iniuriosam, & publicam humani sanguinis effusionem. 3. per benedictionem, vel consecrationem factam ab Episcopo excommunicato vitando. 4. per sepulturam excommunicati vitandi 5. per sepulturam infidelis. 6. quando parietes Ecclesiæ tantùm benedictæ deiiciuntur, & maiori ex parte simul destruuntur. *ibid.n.*1. *& seq.*

28. Canonicus irregularis ob irregularitatem præcisè contractam post beneficij consecutionem, nō priuatur distributionibus si officiis diuinis intersit: nam irregularitas impedit tantùm susceptionem Ordinum, & illorum exercitium. At si irregularitas contracta sit ante obtentum beneficium, beneficiarius non lucratur distributiones, ex sententia illorum qui collationem beneficij, irregulari factam, irritam esse putant. *ibid. num.* 1. *& seq.*

29. Actualiter, seu realiter degradatus, est incapax distributionum. Nec realiter solùm, sed etiam verbaliter degradatus, nisi legitimam appellationem interposuerit, distribu-

tionibus caret: quia priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi. *tom.* 1. *pag.* 568. *numero* 1. *& seq.*

30. Qui beneficio priuatus est, non habet ius ad distributiones: sublato enim principali corruit accessorium. Si verò sententiâ priuationis reuocatâ, reus fuerit absolutus, non solùm poterit retinere beneficium, fructus, & distributiones quas officiis diuinis interessendo iam accepit; verùm etiam illas quas absens amisit causâ litis prosequendæ. *ibid. num.* 1. *& seq.*

31. Clericus Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ potest percipere distributiones quamdiu abest in euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem. Vnde sequitur absentem causa adimplendi votum peregrinationis non lucrari distributiones, immo neque fructus si vltra trimestre à Concilio concessum absit. Item eum qui simul est canonicus, & vicarius Episcopi non percipere distributiones dùm tempore diuinorum officiorum, Vicarij munus obit: quia non abest in vtilitatem Capituli, seu Ecclesiæ cui est adscriptus, sed in obsequium Episcopi. *ibid. n.* 1. *& pag.* 569. *n.* 9. *& pag.* 570. *n.* 13.

32. Canonicus, qui à Capitulo constitutus, vel ex officio deputatus est ad negotia Ecclesiæ peragenda, non priuatur distributionibus, etiamsi ea tempore diuinorum officiorum expediat, cùm alio tempore expedire potuisset: videtur enim vti iure suo dum illorum negotiorum expeditionem in tempus diuini officij differt, nisi ex Capituli mandato anteuertere teneretur. At qui ad Ecclesiæ negotium peragendum, citiùs discessit, vel tardiùs rediit quàm par esset, si de industria hoc fecit, distributiones non lucratur: quia nec Ecclesiæ negotium, nec bona fides illum excusat. Secùs dicendum si bona fide id fecit, aut si graue impedimentum superuenit. *tom.* 1. *pag.* 570. *num.* 15. *& seq.*

33. Qui à Capitulo mandatum accepit ad peragendum matutinis horis negotium in commodum Ecclesiæ, si matutinum tempus propriis negotiis tribuat, dilato in vesperas Ecclesiæ negotio, lucrari potest distributiones tempori assignato respondentes, non autem eas quæ respondent tempori quo horis canonicis interesse potuisset, si negotium statuto tempore peregisset: nam respectu illius temporis dicitur abesse sua culpa. *tom.* 1. *pag.* 571. *n.* 21.

34. Qui in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, absque licentia Episcopi abest à choro, nihilominus lucratur distributiones:

qu a

quia ad legitimam absentiam non requiritur Episcopi consensus, sed tantùm euidens Ecclesiæ vtilitas. Neque obstat Decretum Concilij Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. quia non loquitur de Canonicis, sed de Episcopis, & aliis animarum curam gerentibus, quibus absque licentia superioris abesse non licet. *ibid.*

35. Absenti ob seruitium Papæ non sunt quidem fructus beneficij denegandi; distributiones tamen, nisi ex speciali priuilegio, non debentur: hic enim non dicitur abesse in Ecclesiæ propriæ vtilitatem. Absentes autem ob seruitium Principis etiam Cardinalis, vel Legati, possunt priuari fructibus beneficij; quia non dicuntur residere; nisi priuilegium non residendi à legitimo superiore obtinuerint. *ibid. num.* 1. *& seq.*

36. Qui Episcopum comitantur dùm visitat diœcesim, aut cùm Missam extra propriam Ecclesiam auditurus est, non acquirunt distributiones; quia non absunt ob euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem. Quanquam si beneficium nullos habeat reditus præter quotidianas distributiones, probabile est canonicum in seruitio Episcopi existentem eas lucrari, excepta tertia parte, quæ deseruientibus accedit. *tom.* 1. *pag.* 572. *num.* 2. *&* 3.

37. Episcopus potest in sui seruitium duos canonicos Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ assumere absque iactura fructuum, & distributionum: hi enim fictione iuris censentur præsentes, consequenter ex vi statuti, fructibus priuari non debent. *ibid. num.* 4.

38. Absentibus ad tuenda Capituli iura, distributiones debentur: censentur enim abesse in suæ Ecclesiæ vtilitatem. Idque verum est, etiamsi congruum illis à Capitulo constitutum sit salarium, quod datur ad sustinendos labores, & incommoda, occasione prosequendæ causæ subeunda. Idem dicendum videtur de eo qui abest vt sui beneficij iura tueatur: hoc enim pertinet ad communem Ecclesiæ vtilitatem, quæ destructione vnius præbendæ, non mediocre damnum pateretur. Secùs sentiendum de eo qui abest vt ius quod habet ad beneficium, contra alterum tueatur: nam Ecclesiæ non multum interest, vt hic potius quàm ille beneficium obtineat. *ibid. n.* 1. *& pag.* 573. *n.* 2. *&* 3.

39. Canonicus qui tempore diuinorum officiorum, Missam in sua Ecclesia celebrat, non lucratur distributiones, præciso Summi Pontif. priuilegio, aut seclusa legitima consuetu-

dine, aut etiam mandato superioris: nam qui de mandato superioris, tempore diuini officij Missam celebrat, habetur pro præsente. *tom.1.pag.573.num. 1.& seq.*

40. Pœnitentiarius Ecclesiæ cathedralis non potest, spectato iure antiquo, distributiones percipere dùm tempore diuinorum officiorum confessionibus excipiendis detinetur. At iure nouo sancitum est in Trident. *sess.* 24. *cap.*8. vt Pœnitentiarius dum confessiones in Ecclesia audit præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones percipere possit. Idem dicendum videtur quando audit confessiones eo tempore quo reliqui canonici processionibus, seu supplicationibus assistunt; sic enim declarauit sacra Cardin. Congregatio. Alij verò canonici qui dum celebrantur diuina, confessiones audiunt, non lucrantur distributiones, nisi absente aut mortuo Pœnitentiario eius vices suppleant. *ibid. num.*1. & *pag.* 574.*num.*3.& 4.

41. Obtinens præbendam theologalem, tempore absentiæ, non percipit distributiones, tametsi à choro absit occasione parandæ concionis, vel lectionis, nisi forte ipsius præbenda non habeat fructus distinctos à distributionibus. Excipe illos dies quibus Theologi in suis Ecclesiis legunt. Illis enim diebus habendos esse tanquam præsentes Gregorius XIII. declarauit. *ibid. num.* 1. & 2.

42. Habens dignitatem, vel canonicatum in Ecclesia cathedrali, vel collegiata cui adnexa sit animarum cura, non potest præciso priuilegio, vel consuetudine in contrarium, lucrari distributiones, dum tempore diuinorum officiorum abest ad exercendam animarum curam: quia non abest in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, sed in obsequium, & commodum ouium sibi subditarum. *tom.*1.*pag.*575.*num.*1. Item canonici quibus locorum piorum cura, vel administratio demandata est, n[illegible]n possunt eo tempore quo in commodum, & vtilitatem horum locorum absunt, distributionibus frui. Vnde infertur Vicarios foraneos, visitatores diœcesis, & examinatores diuinis officiis non assistentes, iure communi, carere distributionibus, nisi legitima consuetudo, vel priuilegium aliud postulet. *ibid.num.*1.& *seq.*

43 Absens causa studendi, vel docendi, non lucratur distributiones, modò beneficium habeat alios reditus, seu fructus à distributionibus separatos; nisi legitima consuetudo aliud ferat: percipit tamen fructus beneficij, & præbendæ. Porrò absens studiorum causa si habeat beneficium cui adne-

xa sit animarum cura, vel aliud onus quod per alium obiri possit, debet alium in suum locum substituere: quia æquum non est, vt beneficij fructibus cum aliorum damno fruatur. *tom.*1.*pag.*576.*num.*1.*&* 11.

44. Ex Summi Pontif. priuilegio potest absens lucrari distributiones: Summus enim Pontif. in iure humano dispensare potest. At Prælati Summo Pontif. inferiores non possunt facultatem concedere vt absens distributionibus fruatur. Hoc autem priuilegium à Summo Pontif. concessum, cùm faciat ad diminutionem diuini cultus, & repugnet iuri aliorum canonicorum, strictè interpretandum est vtpote odiosum. Quare qui habet priuilegium vt absens percipiat omnes fructus sui beneficij, ac si resideret, non potest virtute illius priuilegij percipere distributiones, quia sub nomine fructuum non comprehenduntur. *tom.*1.*pag.*577.*n.*1.*&* 4.

45. Habens priuilegium non residendi certo anni tempore abque iactura distributionum, non potest illo priuilegio vti, si vsu illius, diuinus cultus notabiliter minuatur, vt quando ob nonnullorum absentiam ita canonicorum numerus minuitur vt diuina officia celebrari nequeant: hic enim casus censetur per epiikeiam exceptus; nam si superior illam præuidisset, priuilegium non concessisset. *ibid.n.*7.

46. Canonicus habens priuilegium duorum mensium, si vltra bimestre in anno absit, potest duorum mensium priuilegio frui, & priuandus est solùm distributionibus debitis pro eo tempore quod duos menses excedit, nisi forte in pœnam notabilis negligentiæ aliter decernatur. *tom.*1.*pag.* 578. *numero* 11.

47. Qui à Summo Pontif. priuilegium obtinuit percipiendi fructus, vel distributiones tempore absentiæ, non potest auctoritate iudicis cogere Capitulum ad restitutionem fructuum, seu distributionum, postquam bona fide facta fuit illarum diuisio inter canonicos: quia Capitulum non accepit illas distributiones, sed collatæ fuerunt singulis canonicis. *ibid.num.*16.

48. Nullo Capitulorum, vel Episcoporum statuto, aut constitutione, regulariter loquendo, induci potest vt distributiones absentibus conferantur. quia inferiores non possunt derogare iuri canonico prohibente distributiones absentibus conferri. Illudque statutum quo decernitur vt senibus qui per 40. annos Ecclesiæ seruierint, distributiones tanquam præsentibus tribuantur, tolerari non debet, nisi approbatio Sum-

mi Pontif. accedat. si tamen in fundatione alicuius collegiatæ ecclesiæ statuatur vt canonici, duos vel tres menses sine distributionum iactura abesse possint, & iuxta huius fundationis institutum constitutio feratur illud confirmans, valida erit: quia ius canonicum fundationibus non derogauit. *tom.* 1. *pag.* 579. *num.* 1. *&* 3.

49. Consuetudine sola induci non potest, vt distributiones absentibus licitè conferantur, nisi consuetudo ex rationabili causa inducatur, aut nisi Summus Pontif. consentiat: quia induci non potest consuetudo contra naturam distributionum, quæ est, vt non conferantur absentibus. Videtur tamen tolerari posse consuetudo qua beneficiarij cathedralis Ecclesiæ, vel collegiatæ, absentes per duos, aut tres menses, habentur pro præsentibus quo ad distributiones: quia hæc absentia permittitur à Trident. *sess.* 24. *c.* 12. & fieri potest vt hæc consuetudo, iusta de causa inducatur. *tom.* 1. *pag.* 580. *numero* 2. *&* 7.

50. Consuetudine induci non potest, vt distributiones primi anni, quo quis canonicatum adeptus est, hæredibus canonici prædefuncti, cui hic successit, iure proprio reseruentur. Non negandum tamen hæredibus canonici defuncti deberi distributiones pro rata temporis præteriti, quo defunctus inseruiuit, qui antequam distributiones perciperet, è vita migrauit: quia hæres in defuncti iura realia succedit. *tom.* 1. *pag.* 581. *num.* 11.

51. Potest admitti consuetudo, vt fructus primi anni dentur hæredibus canonici mortui: hæc enim consuetudo à iure non reprobatur, & iusta de causa videtur inducta, vt ex his fructibus, defuncti debita persolui, & anniuersaria officia pro ipso facilius celebrari queant. *ibid. num.* 12.

52. Approbari non potest consuetudo qua nonnulli canonici alternis hebdomadis intersunt choro, & distributiones accipiunt etiam iis hebdomadis quibus ab Ecclesia absunt, putantes se posse ob consuetudinem abesse & distributiones singulis hebdomadis lucrari; nisi vel consensus Pontificis, vel iusta causa hanc consuetudinem excuset. *ibid. n.* 13.

53. Toleranda non est diœcesana constitutio, seu consuetudo concedens *Iubilationem*, vt beneficiarij qui longo tempore diuinis officiis interfuerunt personaliter, immunes fiant à residentia, & distributiones, tanquam emeriti milites, quotidie percipiant: quia non apparet sufficiens ratio cur à residentia excusentur dùm adhuc sunt vegeti, & diuinis officiis commodè,

commodè, bono exemplo, interesse possunt. *ibid. num.* 15. Permitti tamen potest vt septuagenarij, & senio confecti, distributiones capiant, etiamsi choro non intersint. *ibid. numero* 16.

54. Admitti potest immemorabilis consuetudo, vt quis per alium eiusdem Ecclesiæ canonicum assistens, & seruiens Ecclesiæ, distributionibus fruatur: sic enim nullum diuino cultui damnum infertur; eaque consuetudo in præcipua Italiæ vrbe obtinuit, vt vnus canonicus assistat per alium canonicum, qui aliàs non tenetur ea die, vel hebdomada, ex onere sui canonicatus, interesse. *tom.* 1. *pag.* 582. *n.* 17.

55. Consuetudine induci non potest, vt habens duos canonicatus in duabus Ecclesiis, acquirat ius percipiendi distributiones illius Ecclesiæ in qua non residet. Si tamen beneficium nihil aliud reddat præter distributiones quotidianas, consuetudine induci potest, vt beneficiario qui diuinis officiis non interest, aliquid tradatur, non ob absentiam, sed ob onera beneficio annexa: quia huiusmodi distributiones sunt veluti fructus; debentur autem fructus clerico residenti, quamuis diuinis officiis non intersit. *ibid. n.* 18.

56. Improbanda non est consuetudo, qua canonicus, qui iustam ob causam abfuit, & iam rediit, domi biduum, aut triduum se continet vt quiescat, & sarcinulas suas componat antequam Ecclesiam adeat: hæc enim consuetudo iusta de causa inducitur. *ibid. n.* 20.

57. Consuetudine induci potest, vt qui diuinis officiis intersunt, certo quodam tempore nullas distributiones accipiant: quia non reprobatur à iure consuetudo non conferendi distributiones assistentibus, sed conferendi non assistentibus. Neque improbanda videtur consuetudo, vel constitutio qua cauetur vt absens etiam causa infirmitatis, vel alia de causa ob quam distributiones permittuntur, non percipiat distributiones: hæc enim constitutio diuino cultui fauet. Non negandum tamen quin aduersetur iuri canonicorum. *ibid. numero* 21,

58. Neque licita, neque valida est distributionum remissio facta absenti ab aliis canonicis, quibus ob assistentiam in choro, distributiones debentur: absentes enim sine legitima causa, à distributionibus iure excluduntur, & Concilium Trid. *sess.* 24. c. 12. absolutè asserit absentes distributionibus carere, quauis collusione, vel remissione exclusa. Addendum hanc remissionem esse inualidam, etiamsi fiat absenti

ex

ex causa à iure permissa, & ab Episcopo approbata, vt studiorum causa &c. (modo non abfuerit ob infirmitatem, vel ob rationabilem corporis necessitatem, vel in euidentem Ecclesiæ vtilitatem : nam absens in his casibus non est distributionibus priuandus, ex iuris communis concessione :) quia Trident.quamlibet remissionem,& collusionem excludit. *tom.* 1. *pag.* 583. *num.* 1. *& seq.*

59. Non videtur iure communi prohibita distributionum donatio facta ab eo qui iam acceperat distributiones, quas alter ob absentiam amiserat. Concilium enim Trid.non excludit donationem, sed remissionem, & collusionem. Ille tamen non est tutus in conscientia qui distributiones amissas propter absentiam tradit interessentibus,cum hac prætiia conuentione vt sibi restituantur,& postea re ipsa restituuntur : hoc enim fit in fraudem legis prohibentis remissionem. *ibid. num.* 1. *& seq.*

60. Licita videtur transactio circa præteritas distributiones, in dubio an quis amittere debeat distributiones, vel an illas malè perceperit : hìc enim nullum est periculum simoniæ, cùm distributiones sint merè temporales, & vendi, alienarique possint. Secùs dicendum de amicabili compositione, qua aliqua distributionum pars certò debita condonatur;hæc enim est remissio iure prohibita. Circa distributiones autem futuras, vt sic, licitè, & absque simoniæ labe transigi potest: sunt enim quid temporale,sicut fructus beneficij qui vendi possunt; modò transactio fiat sine præiudicio aliorum canonicorum, quibus distributiones absentis accedunt, & modò non fiat cum aliis canonicis de distributionibus quæ sibi accedent ob absentiam : hæc enim esset veluti remissio, & collusio quam iura prohibent. *tom.* 1. *pag.* 584. *n.* 2. *& seq.*

61. Decimo quinto quoque anno soluenda est *annata*, seu *quindennium* ex fructibus beneficiariorum quæ mensæ capitulari, seu collegiali vnita fuerunt, vt ipsorum fructus diuidantur in quotidianas distributiones iis applicandas qui diuinis officiis intersunt. Est autem *annata* media illa pars fructuum quæ ab impetrantibus beneficia à Sede Apostolica, soluitur Cameræ Apost. in ipso beneficij ingressu, modò beneficij reditus 24. ducatos camerales excedant. *Quindennium* verò quod loco annatæ soluitur, est pensio integrorum vnius anni fructuum, aut saltem dimidiæ partis, quæ decimoquinto quoque anno, Summo Pontifici soluitur ex beneficio alicui communitati, vel Collegio adnexo, ne Rom. Curiæ ministri

ob

ob perpetuam beneficiorum vnionem damnum patiantur. *tom.*1.*pag.*584.585.*num.*1.*& seq.*

62. Ex distributionibus quotidianis in ingressu beneficij, regulariter loquendo, non soluitur annata: quia soluitur annata ex fructibus beneficij, distributiones autem in fructibus non numerantur. Neque soluendum est Episcopo ex distributionibus, subsidium charitatiuum, soluitur enim de fructibus, & reditibus beneficiorum. Dicitur autem subsidium charitatiuum, quod Episcopus ex iusta, & rationabili causa exigere potest à clericis sibi subditis, ex fructibus beneficij. *pag.* 585.*num.*9.

63. Decima spiritualis quæ Parochis solui consueuit, soluenda etiam est de distributionibus: quia de omnibus terræ fructibus soluitur. Si tamen Pontifex simpliciter iubeat decimas ex fructibus, & prouentibus beneficiorum solui, non videtur decima ex distributionibus soluenda. Secùs, si eas præcipiat solui ex omnibus prouentibus Ecclesiasticis. *ibid. num.*1. *&* 2.

64. Pensio, regulariter loquendo, non soluitur ex distributionibus: quia, regulariter loquendo, super distributionibus non imponitur, nisi beneficium in solis distributionibus consistat, aut nisi Pontifex aliud exprimat: neque enim par est, vt quis personaliter resideat, & inseruiat, alter verò alimenta, & commodum percipiat. Si autem pensio imponatur à Pontifice super distributionibus, onus illud transit ad Capitulum dùm illæ accedunt Capitulo, seu Collegio canonicorum interessentium, aut quia canonicatus aliquamdiu vacauit, aut quia canonicus non fuit admissus ad distributiones ob imperitiam cantus, vel quia ob censuram abfuit à choro. *tom.*1. *pag.*586.*num.*1.*& p.*587.*n.*9.

65. Canonicus qui canonicatum mutat, seu aliud obtinet per collationem, non tenetur ad pensionem quam priùs occasione primi beneficij persoluebat; quia non censetur amplius idem canonicus: Propterea in optionibus quas hic in futurum assequi contendet, non erit habenda ratio primi canonicatus quem cum pensione obtinuerat, sed huius secundi: Canonicus enim qui ratione prioris beneficij censebatur antiquior in optionibus, facta beneficij mutatione censebitur iunior, & perinde habebitur ac si extraneus idem beneficium consequutus fuisset. *tom.*1.*pag.*588.*n.*14.

66. Successor in beneficio tenetur ad pensionem, siue imposita esset super fructibus, siue super distributionibus; succedit

cedit enim in onera realia; etiamsi intrusus sit, nec titulum beneficij legitimè possideat; nam qui beneficij fructus percipit, tenetur ad pensionem, ratione fructuum impositam. *ibid. num.* 15.

Distributiones absentium quibus debeantur.

67. Distributiones quotidianæ propriè sumptæ, absentibus conferendæ, si interessent, præcisa consuetudine in contrarium, debentur aliis canonicis qui diuinis intersunt, modò reipsa aliqui intersint. *ibid. num.* 1.

68. Beneficiarius diuinis officiis in choro mancipatus, si diuinis non intersit, pœnam priuationis distributionum subire debet, non expectatâ iudicis sententiâ: quia hæc pœna ad sui executionem, nullam hominis actionem requirit, cùm massa distributionum apud eum qui diuinis non interfuit, non reperiatur. *tom.* 1. *pag.* 589. *num.* 2.

69. Distributiones absentium canonicis interessentibus accedere incipiunt ab eo tempore quo canonicus abest ex aliqua causa propter quam absentes à distributionibus excluduntur. Idem dicendum si beneficium per mortem vacet, aut per resignationem completam: perfecta enim resignatione, vel permutatione, nullum ius competit resignanti, aut permutanti, consequenter distributiones accedunt interessentibus, nisi successor resideat, & choro assistat. *tom.* 2. *pag.* 590. *num.* 5.

Diuinatio, Diuinator.

1. Diuinatio est prædictio rerum occultarum quæ humano modo cognosci non possunt, fitque ope dæmonis: quamuis enim dæmon futura contingentia certò non cognoscat quæ ab hominis arbitrio pendent, longè tamen plura de rebus futuris, aliisque occultis cognoscere potest quàm homines. Digni sunt reprehensione; qui pactum inter se ineunt vt qui prior morietur, posteriorem de suo statu admoneat; fieri enim potest vt dæmon inde occasionem arripiat decipiendi. *tom.* 2. *pag.* 178. *num.* 1. *& pag.* 179. *n.* 2.

2. Diuinatio duobus modis fieri solet. 1. per expressam dæmonis inuocationem, petendo vt aliquid doceat. 2 per tacitam solùm inuocationem, quæ contingit quando quis mediis vanis quibus se immiscet dæmon, procurat cognitionem rerum latentium quæ captum humanum superant, etiamsi ille

ille qui vanis signis vtitur, non intendat expresè dæmonem inuocare, immò dicat se nolle inuocare: dicitur enim tacitè inuocare dum seriò media inutilia, & vana vsurpat, quibus non potest alio pacto res latentes cognoscere quàm ope dæmonis. Hinc patet modum diuinandi thesaurum, vel inueniendi furtum occultum, &c. per astrologiam, esse superstitiosum, cùm hæc nisi ope dæmonis cognosci non possint. *pag.* 179.*num.* 4.

3. Diuinatio cum expessa Dæmonis inuocatione multis modis contingit. Per apparitionem in figuris, aut corporibus assumptis; per signa apparentia in corporibus terrestribus; per negromantiam, excitando aliquem mortuum; per exta animalium; per aëra; per ignem; per aquam; per somnia quæ cognoscuntur à Dæmone immissa quando ad malum impellunt; in dubio autem an sint à Deo, an à Dæmone, præsumi possunt esse à Dæmone. Porrò reprehensione digni sunt, qui dedita opera ita se componunt ad somnum, vt sibi per somnium occulta reuelentur: nam volunt à Dæmone doceri. *ibid. num.* 5 *& seq.*

4. Diuinatio cum tacita Dæmonis inuocatione contingit, quoties ad diuinandum adhibentur ea quæ talem virtutem non habent; cuiusmodi est diuinatio per taxillos, cribrum, auium garritum, sternutationem, &c. Datur tamen diuinatio naturalis, & licita, adhibitis iis rebus ex quibus talis cognitio haberi potest. Sic excusatur astrologia naturalis, quæ ex contemplatione siderum coniicit effectus naturales in quos cœlum influit: excusari etiam potest astrologia, qua ex intuitu cœlorum diuinamus hominum inclinationes, quamuis hæc astrologia sit valde incerta; difficile enim est illud cœli punctum obseruare in quo alicuius natiuitas contingit. *ibid. num.* 9. *&* 10.

5. Superstitiosa est planè astrologia iudiciaria, per quam ex aspectu cœlorum coniicimus euentus fortuitos pendentes à libero hominis arbitrio: nam si eiusmodi effectus ex cœlorum aspectu cognosci possent, liberum hominis arbitrium tolleretur. Excusari tamen potest coniectura quæ petitur ex physiognomia naturali, v. g. ex lineis manuum, &c. vnde licet aliquo modo coniicere ingenium, indolem, &c. non tamen inde prædicere possumus hominem fore diuitem, aut pauperem, &c. vnde patet petentem ab Ægyptiis bonam, vel sinistram fortunam peccare, quia hoc naturaliter sciri nequit. Hoc tamen peccatum videtur solum veniale, si fiat

causa

causa curiositatis, vel risus, vt vulgo fieri solet. *tom. 2. pag.* 180. *num.* 11.

6. Sors *diuisoria*, qua cognoscitur quid cuique tribuendum sit in electionibus controuersis, licita est quando fit ad dirimendas lites quæ alia ratione dirimi nequeunt, modò non fiat cum irreuerentia rerum sacrarum, neque in electionibus Ecclesiasticis quæ Spiritus Sãcti instinctu fieri debent. Sors *consultoria*, per se loquendo, est illicita; quia Deus non vult per sortes voluntatem suam indagari: potest tamen esse licita in necessitate; non tamen in electionibus Ecclesiasticis. Sors *diuinatoria* est omnino prohibita, quia neque à Deo, neque à casu, neque à Dæmone res occultas licet inquirere. *pag.* 181. 182. *num.* 13. *& see.*

7. Diuinatio, ex suo genere, est peccatum mort. siue fiat cum tacita, siue cum expressa Dæmonis inuocatione: quia sic initur societas cum Dæmone. Excusari tamen potest aliquando à mortali ob simplicitatem, & ignorantiam, vt contingit in somniis. Porrò ob diuinationem non incurritur excommunicatio ipso facto. *tom.2.pag.*182. *n.*17.*&* 23.

8. Nulla excommunicatio ipso facto incurrenda extat in iure contra diuinatores, incantatores, sortilegos, &c. Aut si aliquod ius affertur continens censuram ipso facto latam; ea non est vsu recepta, cuiusmodi est Bulla Ioannis XXII. & Leonis X. vnde constat diuinatores, incantatores, maleficos, & his similes non subiici excommunicationi, modò tamen non sentiant aliquid contra fidem; tunc enim excommunicationem contra hæreticos latam incurrunt. *disp.*2.*quæst.*2.*punct.*38.*pag.* 185.*n.* 1.*& seq.tom.*3.

9. Astrologi, & genethliaci possunt ex astris aliquod iudicium ferre circa naturales hominum propensiones; sunt enim effectus naturales ex astris prouenientes, cum astra influant in corpora. Neque vllo iure vetita est huiusmodi prædictio; nam Bulla Sixti V. quæ incipit, *Cœli & terræ creator*, loquitur solùm de prædictionibus circa futuros effectus contingentes, pendentes ab hominis voluntate. *ibid.pag.*186.*n.*3.*tom.*3.

10. Facientes iudicia, vel natiuitates circa futuros effectus contingentes, ab humana voluntate pendentes, rei sunt Astrologiæ iudiciariæ, & superstitiosæ, vetitæ iure Ecclesiastico, naturali, & diuino, si de his effectibus absolutum iudicium ferant; quia hæc cognitio viribus naturæ haberi nequit; ergo ex pacto tacito, vel expresso cum dæmone comparanda est. *ibid.n.*4.

11. Qui

11. Qui ex astris præcisè futuros effectus contingentes, ab hominum voluntate pendentes prædicunt, grauiter peccant contra constitutionem Sixti V. non solum dum certò pronunciant euenturos, sed etiam dum probabiliter solùm ex leuibus indiciis coniectant: nam Summus Pontif. mandat huiusmodi diuinatores grauibus pœnis canonicis affici. Neque diuinatores tantùm peccant; verùm etiam ij qui diuinatoribus cooperantur. *ibid.num* 5.

12. Hac tamen Sixti V. Bulla, aut alio iure non prohibentur probabiles coniecturæ, quæ non à solis astris, sed ab aliis etiam causis, & circumstantiis desumuntur, vt ab ipsa corporis complexione, dispositione, seu temperamento, ab actionibus hominis, aliisque similibus circumstantiis, hæc enim non dicitur diuinatio, sed astrologia naturalis. Modò tamen hi effectus non prædicantur certò, & absolutè, v. g. hunc fore diuitem, furem, &c. hæc enim viribus naturæ sciri nequeunt. *ibid.num.6.*

DONATIO.

Quid sit Donatio.

1. DOnatio est liberalis datio rei alicuius, id est, quæ non fit ex obligatione, & debito iustitiæ, sed ex mera liberalitate, aut ex gratitudine, cuiusmodi est remissiò debiti facta liberaliter à creditore. Donatio autem remuneratoria, quæ dicitur antidotalis, fitque ad collata beneficia remuneranda, non est donatio propriè dicta; quia non fit intuitu meræ liberalitatis. *tom.2.pag.622.n.1. & 2.*

2. Donatio remuneratoria duplex est. Vna, qua beneficium acceptum compensatur ad æqualitatem ex gratitudine, non ex debito, & hanc donationem facere potest quilibet habens liberam bonorum administrationem: immò etiam prælatus monasterij, ex bonis monasterij, & tutor de bonis pupilli, si beneficium præstitum fuit pupillo. Altera est qua obsequium, seu debitum, compensatur vltra æqualitatem, ita tamen vt non sit nimius excessus, & in hac donatione maior circumspectio est adhibenda ab iis qui ex alienis bonis, quorum habent administrationem, largitiones faciunt: nam qua parte remuneratio modum excedit, non dicitur remuneratio, sed donatio. *ibid. num.6.*

3. Religiosus qui absque licentia superioris rogat volen-

tem sibi aliquid donare, vt donet consanguineo, non peccat contra votum: quia per votum prohibetur alienatio absque debita facultate; hic autem nulla est alienatio; quippe alienatio est distractio rei acquisitæ; religiosus autem non acquisiuit, cùm non acceptauerit. At si donum offerenti gratias egit, iam non potest donatorem rogare vt alteri donet; nam per gratiarum actionem acceptauit, & consequenter acquisiuit. *tom.2.pag.623 n.6.*

Quis quid donare possit.

4. Is potest donare qui liberam habet administrationem, & dominium bonorum, & à iure non impeditur. Hinc sequitur prodigum, impuberem, minorem donare non posse sine tacito, vel expresso tutoris, aut curatoris consensu. Non negandum tamen minorem donare posse ea quæ alij suæ conditionis donant; immò quæ accepta sunt à minore, non videntur restituenda antequam repetantur à curatore, vel à minore vtente priuilegio restitutionis in integrum. Item filiusfamilias non potest absque consensu patris donare nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia. *ibid. n.1. & seq.*

5. Religiosus superiori subditus non potest quidquam donare absque superioris consensu, tacito, vel expresso. Immò ipsi superiores religionum, non possunt donare, nisi quatenus ex constitutionibus religionis, vel ex consuetudine illis permittitur. *ibid. n.6.*

6. Vxor, quæ non habet alia bona præter dotem, non potest donare. Item amens, aut sui minimè compos, donare non potest quamdiu est impotens mentis. Item debitor qui non est soluendo. Item is, cuius bona sunt fisco addicta, post sententiam criminis condemnatoriam donare non potest. Item miles non potest concubinæ, ex mera liberalitate, quidquam donare, sed ei licet donationem reuocare. *ibid. n.9. & seq.*

7. Omnia quorum dominium transferri potest, donari possunt, ipsæ etiam res incorporales vt actiones, iura, nomina debitorum, &c. Immò ipsa spes habendi, & ius litigandi donari potest, modò non transferatur in potentiorem. *tom.2. pag.624. num 17.*

8. Donatio filiorum in parentes de bonis castrensibus valida est: habent enim filijfamiliâs liberam huiusmodi bonorum administrationem. Reliquorum verò bonorum donatio est inualida; quia filius non potest donare patri bona profecti-

tia, nisi ea quæ filio relicta sunt eo pacto vt vsusfructus non acquiratur patri: cum enim sit illorum dominus quoad vsumfructum, & quoad proprietatem, validè poterit ea donare. *ibid.num.*1.

9. Donatio patris in filium legitimum, non emancipatum, regulariter loquendo, non est firma, iure communi, sed reuocari potest ad arbitrium patris, nisi facta sit cum iuramento. Donatio autem matris, vel auiæ, vel aui materni in filium valida est: iura enim loquuntur tantum de donatione patris. Non tenetur tamen filius ad restitutionem eorum quæ dono accepit à patre qui mortuus est: hæc enim donatio, morte donatoris confirmatur, & retrotrahitur ad diem in quo facta fuit traditio, consequenter donatarius acquirit fructus ex ea re perceptos, modò donatio non pertingat ad eam partem, ad quam requiritur insinuatio: nam quoad excessum ad quem requiritur insinuatio, non firmatur morte patris, nisi pater in articulo mortis, donationem confirmauerit; tunc enim rationem induit legati ad quod non requiritur insinuatio. *ibid. n.*2.*&* 3.

10. Donatio quæ fit inter sponsos antequam celebretur matrimonium de præsenti, & vocatur *sponsalitia largitas*, valida est, & donata acquiruntur donatario, si postea matrimonium fiat, & consummetur. Quia ius non irritat hanc donationem. At si matrimonium non fiat, donata restituenda sunt donatori, vel eius hæredibus: quia hæc sponsalitia largitas censetur facta intuitu matrimonij; nisi omissio matrimonij contingat ob culpam donantis; tunc enim donata acquiruntur donatario. Si verò facta donatione interuenit osculum, aut copula inter sponsos, post sponsalia iam celebrata, dimidium acquiritur sponsæ, & dimidium hæredibus sponsi. At si osculum, vel copula præcessit sponsalia, tunc sponsa adueniente matrimonio non lucratur medietatem sponsalitiæ largitatis. *tom.*2.*pag.* 625. *n.*1. *& seq.*

11. Si sponsalia dissoluantur absque culpa vllius sponsi, nihil lucratur sponsa ex sponsalitia largitate, etiamsi osculum intercesserit: quia hæc largitas facta est sub spe matrimonij: si verò osculum, vel copula præcessit antequam sponsalia dissoluerentur, sponsa lucratur dimidiam sponsalitiæ largitatis partem: nam per osculum ius acquisiuit ad dimidiam partem, dùm sponso causam non præbuit non contrahendi matrimonium. *ibid. num.* 8.

12. Filiusfamiliâs qui annos pubertatis attigit, potest, in-

consulto patre, largitatem sponsalitiam promittere. Ratio petitur à regula generali qua probatur, filiū familiâs posse inconsulto patre, & ex omni contractu naturaliter, & ciuiliter obligari. Potest etiam filiusfamilias, inconsulto patre, largitatem sponsalitiam facere de iis quorum liberam habet administrationem, vt de bonis castrensibus. *tom.2. pag. 626. num.* 12.

13. Ea quæ sponsus mittit sponsæ ante celebrationem matrimonij de præsenti, non censentur donata per sponsalitiam largitatem, nisi aliud constet de mente ipsius sponsi: quia sponsus præsumitur illa misisse non animo donandi,sed honorandi sponsam, vt ornatior ad se accedat. Vnde sequitur sponsam non acquirere ea quæ missa sunt à sponso ante celebrationem matrimonij, consequenter dissoluto matrimonio ea esse restituenda, neque per osculum lucrari dimidium illorum; quia illa donata non fuerunt. *ibid. n.* 13.

14. Annulus datus sponsæ in Ecclesia, qui tunc benedicitur,non acquiritur sponsæ, nisi antea ei donatus esset. Quia dùm annulus datur, iam celebratus fuit matrimonij contractus per verba de præsenti, vt supponitur; consequenter annulus si tunc datur, censetur donatio inter coniuges: donatio autem inter coniuges, post contractum matrimonium, etiam non consummatum, irrita est. *ibid.*

15. Vestes pretiosæ quas sponsus dedit sponsæ, in dubio non censentur donatæ; quotidianæ verò censentur donatæ: vestes enim pretiosæ non censentur sponsalitia largitas, neque sponsa illas lucratur per osculum, vel copulam; at quotidianæ ad largitatem sponsalitiam spectant. *ibid.*

16. Donata sponsæ à consanguineis sponsi, & viciſſim donata sponso à consanguineis sponsæ, acquiruntur ei cui donator vult acquiri, dùm constat de ipsius voluntate: quando verò non constat,recurrendum est ad coniecturas: nam si donator donauit causa consaguinitatis, res donata sponsæ acquiritur sponso, cuius intuitu donata fuit;consequenter soluto matrimonio, reddenda est sponso, vel eius hæredibus: tota enim donandi causa est consanguinitas. *ibid. n.* 14.

17. Donatio vxori facta à consanguineis viri, intuitu viri non censetur sponsalitia largitas: quia quæ donantur vxori intuitu viri acquiruntur viro, & in dubio non præsumitur sponsus ea velle donare vxori;quare sponsa ea non lucratur per osculum,vel copulam, more sponsalitiæ largitatis. *tom.2.pag. 627. num.* 15.

18. Licita

18. Licita est, & valida arrharum traditio inter sponsos; easque amittit qui à sponsalibus iniustè resilierit: quia traditio arraharum fauorabilis est matrimonio, cùm tradantur vt matrimonium celebretur; hæc autem est natura arrharum vt qui eas tradidit, illas amittat quoties per ipsum stat ne contractus perficiatur. *ibid. n.* 16.

19. Qui accepit arrhas, sed nullas ipse tradidit; si per ipsum stet quominus matrimonium celebretur, non solùm tenetur ad restitutionem arrharum, verùm etiam ad duplum: sic enim ius disponit; vel etiam ad triplum, vel quadruplum, si ita conuentum est inter ipsos (modò qui accepit non sit minor) alioquin non seruaretur æqualitas: alter enim tantùm subiret aleam perdendi, ipse verò lucrandi. *tom.2.pag.* 628. *num.* 22.

20. Donatio inter coniuges facta inter viuos, iure communi inualida est, regulariter loquendo, etiamsi matrimonium nondum esset consummatum, sed tantummodò ratum tempore donationis. Ideo nisi morte, aut iuramento confirmetur, potest à donatore ad libitum reuocari. Immò inualida est donatio facta ante matrimonium, dilato ipsius effectu in tempus celebrati matrimonij. Hinc sequitur remissionem debiti inter coniuges, inualidam esse, quia hæc est donatio: validum tamen esse legatum inter virum, & vxorem; quia hæc non est vera donatio inter viuos; validos item esse cæteros contractus distinctos à donatione vt sunt venditio, permutatio, &c. *ibid.num.*26.

21. Donatio causa mortis facta inter coniuges, valida est; etiamsi facta fuerit sine traditione rei donatæ; quia nullo iure probatur ad validitatem donationis necessariam esse traditionem rei donatæ. *ibid.*

22. Donatio rei antea traditæ coniugi superstiti confirmatur morte donatoris, si antea non fuerat reuocata. Immò retrotrahitur ad tempus quo facta fuerat, ac si tunc valida fuisset, consequenter omnes fructus post traditionem percepti pertinebunt ad eum cui donatio facta fuerat. Nec tantùm morte naturali confirmatur huiusmodi donatio, verùm etiam ciuili, & professione facta in religione incapaci possidendi bona. Per iuramentum etiam ita confirmatur donatio, vt reuocari non possit, modò iuramentum sit de futuro, & donator dicat, *Iuro me non contrauenturum donationi*; sic enim tenetur stare donationi ne sit periurus. *ibidem, & pag.* 629. *numero* 27.

23. Donatio inter coniuges, causâ remunerationis, ob merita, & obsequia aliàs non debita, valida est; vt si senex duxit puellam, vel ignobilis nobilem, eique aliquid donet in remunerationem: quia hæc non est propria donatio, modò non sit notabilis excessus in re donata. *pag.629.n.27.*

24. Donatio qua alter coniugum constituit alteri dotem ante celebrationem matrimonij, valida est; post contractum verò matrimonium, vxor quæ dotem non attulit, potest, constante matrimonio, dotem viro constituere: hæc enim videtur donatio remuneratoria in gratiam viri, qui vxorem sine dote acceperat. Vir autem, constante matrimonio, non potest dotem vxori constituere: quia hæc constitutio dotis esset vera donatio: nisi fiat in renunciationem, vt si ignobilis duxit nobilem, senex iuuenculam. Cæterum hæc dos quam vir ignobilis constituit fœminæ nobili, aut senex iuuenculæ, si constituta fuit ante contractum matrimonium, deducenda est ex toto hæreditatis cumulo: hæc enim non est donatio, sed contractus onerosus, *do vt facias*; vir enim assignat illam dotem vt disparitatem compenset. At si ea dos constituta fuit post contractum matrimonium, non est deducenda ex toto cumulo, sed solùm ex parte de qua vir disponere potest; consequenter legitimam aliorium non minuit: quia hæc est dotatio remuneratoria, quæ ex iustitia non debetur. *ibidem, numero 28.*

25. Si constante matrimonio, contra dos fuerit à viro constituta, poterit eam vxor, mortuo viro, exigere; quando scilicet vxor auxit dotem, & vir in remunerationem facit contra dotem: hæc enim censetur remuneratio. Secùs si gratis, & liberaliter fiat: hæc enim esset donatio, inter coniuges vetita. *ibid.*

26. Annuli, vestes & similia quæ vxoribus tradi à maritis consueuerunt, si sunt vilia, & ad quotidianum vsum, censentur donata, sicque fiunt propria vxoris. Si verò sunt pretiosa, non censentur tradita in gratiam, & beneficium vxoris, sed potius in honorem mariti, vt vxor veniat ornatior; nisi aliter constet de intentione, ac voluntate mariti. At si constet ea donata fuisse, pertinent ad vxorem; quia donatio morte confirmatur.

27. Mulier conuolans ad secundas nuptias, superstitibus filiis ex priore matrimonio susceptis, potest ad libitum disponere de bonis quæ à priore marito, titulo oneroso accepit, sicut potest de propriis: nam æquum est vt onus commodo compensetur.

ſetur. De iis autem quæ à priore marito accepit donatione inter viuos, aut vltima voluntate, non poteſt ad libitum diſponere; ſed tenetur ea integra, & intacta reſeruare filiis prioris matrimonij; ſic enim expreſsè decernitur in iure. Immò omnia vxoris bona quæ ipſa habebat eo tempore, quo aliquid ei donatum fuit à marito, vel intuitu mariti, & quæ poſtea habebit, hypothecæ ſubiiciuntur pro reſtitutione acceptorum, filiis prioris matrimonij facienda. *tom.2.pag.* 630. *numero* 32.

28. Donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum inter viuos, inualida eſt, niſi fiat Eccleſiæ, vel cauſæ piæ, aut confirmetur iuramento: quia per hanc donationem adimitur poteſtas teſtandi, quam iura volunt ſartam tectamque conſeruari. At causâ mortis fieri poteſt: quia non adimit poteſtatem teſtandi, cùm donator poſſit adhuc alium hæredem inſtituere qui accipiat Falcidiam, ideſt quartam partem. *ibid. numero* 1.

Donationis inſinuatio.

29. Nomine inſinuationis intelligitur denunciatio, ſeu manifeſtatio, qua donans declarat iudici in ſcriptis, ſe liberè tantam ſummam alteri donare, & iudex ſuo conſenſu illam approbat; ſufficit autem præſentia iudicis, abſque cognitione cauſæ. *ibid.num.*1.

30. Ad donationem excedentem quingentos ſolidos ideſt aureos nummos, requiritur inſinuatio; alioquin donatio inualida eſt quoad exceſſum, niſi firmetur iuramento, vel fiat cauſæ piæ, vel niſi fiat à Principe abſoluto. Donatiò tamen quæ fit ob cauſam, valida eſt ſine inſinuatione; quia hæc non eſt propriè donatio. Quæ verò fit causâ mortis ſine inſinuatione, etiamſi nonnullis videatur inualida, probabilius tamen videtur validam eſſe. *ibidem numero* 2. & *pag.*631.

31. Inualida eſt donatio abſque inſinuatione qua donator donat alteri annuam penſionem non excedentem ſummam quæ requirit inſinuationem, cum onere vt hoc ius tranſeat ad hæredes. Secùs ſi donatio ita fiat vt mortuo donatore, vel donatario, ceſſet donatio, & penſio extinguatur. *pag.* 631. *numero* 2.

32. Tranſlatio bonorum in monaſterium, facta à religioſo ibi profeſſo, non indiget inſinuatione; quia non eſt mera

donatio ; sed est quid consequens personam. Item cum mulier omnia bona sua in dotem tradit, non opus est insinuatione ; quia hæc non est donatio. *ibid.*

33. Donatio facta pluribus simul, absque insinuatione, valida non est quo ad excessum quingentorum solidorum; consequenter aliquid singulis detrahendum est ad ratam, donec perueniatur ad eam quantitatem, ad quam non requiritur insinuatio. Sin donatio fiat diuerso tempore, valida est, siue vni & eidem, siue pluribus fiat, modo non excedat præfatam summam repectu singulorum : sunt enim plures donationes *ibid. numero* 4.

34. Non est integrum donanti rescindere quoties voluerit, donationem factam inter viuos, his tribus casibus exceptis. 1. ob ingratitudinem donatarij, modò donatio non sit facta ob causam, vel cum expresso iuramento non reuocandi: hæc autem ingratitudo contingit vel cùm donatarius, vitæ donatoris insidiatus est, vel ei grauem iniuriam intulit, vel si ei denegauit alimenta constituto in necessitate, &c. donatio autem facta Ecclesiæ, aut monasterio, non potest ob ingratitudinem Prælati, seu Capituli reuocari; quia censetur facta Deo, qui est liberalissimus remunerator. 2. causa reuocandæ donationis est susceptio prolis legitimæ, non præcogitata; hæc enim est dispositio iuris. Hic obserua hoc esse discrimen inter donationem factam extraneo, & factam filiis legitimis, seu auo, aut patri ; quòd donatio facta extraneo, reuocatur in totum ; at facta filio emancipato, vel patri, vel auo, reuocatur tantùm in partem, quatenus opus est ad supplendam legitimam filiorum qui postea nati sunt : donatio autem facta Ecclesiæ, seu monasterio, non rescinditur in totum, sed in partem tantùm, quia Ecclesia habetur loco filij. 3. causa est inofficiosa donatio, quando scilicet pater non retinet quantum postulat legitima portio filiorum ; est enim contra officium pietatis. *tom 2. pag. 632. 633. n. 2. & seq.*

35. Si filij nascantur post donationem ; sed adhuc viuente patre moriantur, & donator iam repetierit rem donatam ante mortem filiorum, donatio non reuiuiscit : quia prole superueniente fuit extincta. At si filij moriantur antequam res donata repetatur, donatarius non tenetur postea illam donatori repetenti restituere ; quia donatio non censetur extincta. *tom. 2. pag. 633. n. 10. & 17.*

36. Si facta donatione filius spurius nascatur qui priuilegio Principis legitimetur, non reuocatur donatio. Secùs si

spurius

spurius per subsequens matrimonium legitimetur: quia hic est verè legitimus ex legitima vxore susceptus. *ibid. n.* 8.

37. Donatio facta causâ mortis, potest à donatore vsque ad mortem reuocari, sicut reuocari potest legatum, & testamentum: hæc enim donatio, ex dispositione iuris, fit cum hac tacita conditione, *nisi reuocetur.* Quare si quis addat hanc conditionem, *vt reuocari non possit*, hæc iam non erit donatio causâ mortis, sed potius inter viuos: nam illa conditio repugnat donationi causâ mortis. Porrò donatio causâ mortis, ipso facto reuocatur, si donatarius ante donatorem moriatur. Item si donatio facta est intuitu alicuius periculi, sublato periculo censetur tacitè reuocata. *ibid. n.* 20.

DOS.

Quid, & quotuplex sit dos.

1. Contractus dotalis est conuentio, seu promissio, vel datio alicuius rei ad matrimonij onera sustinenda. Dos verò, quæ est materia huius contractus, est id quod datur viro ad illa onera sustinenda, siue detur ab ipsa vxore, siue ab alio, nomine vxoris. Porrò non est de ratione dotis vt dominium transferatur in virum; sed sufficit vt vsus, seu fructus dotis concedatur viro ad alendam vxorem, communia pignora, & familiam. *tom 2. pag.* 595 *n.* 1. *&* 2.

2. Dos alia est *profectitia*, quæ à patre, vel ab alio ascendente per lineam masculinam, vel ab auo paterno, vel proauo, de ipsorum bonis proficiscitur; alia *aduentitia* quæ prouenit non à patre, vt pater est, vel ab alio ascendente per lineam masculinam; sed aliunde, vt à matre, fratre, auunculo, &c. vel ab ipsa vxore. Dos profectitia, mortuo marito, non reuertitur ad ipsam vxorem, si non sit emancipata; sed ad ipsius parentem à quo data fuit; cum hoc tamen onere vt eam restituat filiæ, si ad secundas nuptias aduolauerit, modò patris facultates non sint adeo imminutæ vt integram dotem restituere non possit. Dos aduentitia, mortuo viro, reuertitur ad vxorem, nisi is qui eam tradidit expressè conuenerit vt ad se redeat. *ibid. num.* 3. *&* *pag.* 596.

3. Rursus dos alia est *æstimata*, alia *inæstimata*. Æstimata duplex est, 1. *æstimata æstimatione venditionem faciente*, cùm videlicet res dotales ita æstimantur, vt marito tradantur tanquam venditæ eo pretio quo sunt æstimatæ; in quo casu do-

minium illarum, subsecuto matrimonio, acquiritur marito. 2. *æstimata æstimatione qua non facit venditionem*, sed solùm æstimatur vt sciatur eius valor, vt si pereat, aut deterior fiat culpâ viri, facilè constet ad quid teneatur, si dos fuerit restituenda: huius autem dotis dominium est penes vxorem, perinde ac si esset inæstimata. *tom.2. pag.596.n.3.*

4. Quando tradita fuit viro res inæstimata, aut æstimata æstimatione quæ non facit venditionem, restituenda est res ipsa, nec pretium substitui potest inuita vxore: quia dominium illius rei est penes vxorem; res autem domino restituenda est. Si verò tradita fuit res æstimata æstimatione venditionem faciente, vir non tenetur illam tradere, tenetur tamen ad integram illius æstimationem, & pretium. *ibid.n.4.*

5. Omnes fœtus gregis qui viro traditus fuit æstimatus æstimatione venditionem faciente, spectant ad virum, sed pretium, dissoluto matrimonio, reddendum est vxori. At si grex traditus fuit inæstimatus, fœtus gregis pertinent quidem ad maritum; quia fructus dotis ad ipsum pertinent; ex iuris tamen dispositione maritus tenebitur ex fœtibus, si pereant aliquot capita illius gregis, tantumdem reponere, & supplere, vt integrum capitale vxori remaneat. *ibid.*

6. Res dotales quæ traditæ fuerunt marito inæstimatæ, aut etiam æstimatæ æstimatione venditionem non faciente, ipsæmet in indiuiduo restituendæ sunt, si matrimonium subsequutum non fuit: quia res vendita sub conditione, stat periculo tradentis, donec conditio adimpleatur, quia penes tradentem manet dominium. *ibid.n.5.*

Cuius sit dotem constituere.

7. Omnes qui liberam habent bonorum administrationem, possunt dotem puellis constituere, nisi aliqua lege prohibeantur: quilibet enim est rei suæ moderator, & arbiter. Vir tamen non potest, constante matrimonio, constituere dotem vxori, nisi id faciat cum iuramento de futuro, aut remunerationis causa: quia donatio inter coniuges irrita est. Si verò ante matrimonium, vir mulieri dotem constituat, transferendo ex tunc dominium dotis in sponsam, valet illa dotis constitutio: quia hæc non est propriè dos, cum non fiat sub conditione matrimonij, nec referatur in tempus matrimonij contracti. *tom.2.pag.597.n.1.& seq*

8. Confessio dotis qua quis fatetur se dotem simpliciter non

non accepisse, quam verè non accepit, si facta fuit ante contractum matrimonium, vim habet donationis, sed est omnino irrita, & inualida, neque firmatur morte donantis, sicut cæteræ donationes inter coniuges, nisi post contractum matrimonij ratificetur. At si confessio dotis facta fuit celebrato iam matrimonio, irrita quidem est, cum sit donatio inter coniuges; firmatur tamen morte donantis. Verùm si hæc confessio facta fuit fictè, v. g. ad vitandas parentum molestias, vel ad consulendum proprio honori, hæredes mariti non tenentur dotem fictè assertam restituere: quia donatio ficta nullam inducit obligationem. *ibid.n.*4.

9. Vxor, ratione huius confessionis, non gaudet priuilegio prælationis, & in huiusmodi causa idem seruandum est quod seruatur in reliquis donationibus inter virum, & vxorem. Quia subest suspicio id factum fuisse in fraudem creditorum; consequenter mulier gaudere non debet priuilegiis dotis in damnum creditorum. *tom.*2.*pag.*598.*n.*7.

10. Pater dum est sui iuris, tenetur quasi ex iustitia, & pietate paterna constituere dotem filiæ, etiamsi filia sit diues, vel post primam dotis constitutionem, sine dote manserit, vel etiamsi emancipata sit, vel ingressura sit religionem, vel etiamsi sit spuria, aut nubat inuito patre; modo tamen matrimonium non contrahat cum indigno, inuito patre, aut non elegerit viuere luxuriosè, volente patre illam in matrimonium collocare intra viginti quinque annos. Si verò pater nondum sit sui iuris, sed ipse sub patria potestate adhuc existat, onus dotandi spectat ad auum paternum: quia penes illum residet patria potestas. *ibid. num.* 8.

11. Filia nubens indigno, inuito patre, priuari potest dote congrua, & competente, non vero dote commensurata alimentis debitis. Coniux autem indignus, dicitur is cum quo fœmina contrahere nequit sine dedecore familiæ; at æquum non videtur vt pater cogatur dotare filiam, quæ dedecus familiæ attulit: quia tamen adhuc alenda est à patre, non potest priuari dote commensurata debitis alimentis. *tom.*2. *pag.* 599. *num.* 16.

12. Mater non tenetur filiam dotare; nisi ob defectum dotis nubere non possit, & eius pudor periclitetur: quia onus alendi filios non incumbit matri, nisi pater illos alere non possit. *ibid. num.* 19.

13. Frater non tenetur dotare sororem quando habet ascendentes diuites: quia sicut ascendentes in successionibus, præfe

præferuntur fratribus, ita etiam præferendi sunt in onere dotis, & alimentorum. Si verò frater non habeat ascendentes, tenetur ipse alere, & dotare sororem ortam ex eodem patre. Immò clericus tenetur alere, vel dotare sororem ex beneficij fructibus, si aliter non possit: sic enim postulat ordo charitatis, & dispositio iuris, in quo habetur non posse pupillum repetere alimenta à tutore, quæ tutor eius sorori tribuit, quod argumento est fratrem teneri alere sororem. *tom.* 2. *pag.* 600. *num.* 22.

14. Fiscus tenetur dotare filias delinquentium, quando ipsorum bona addicuntur fisco: quia fiscus succedit in bona delinquentis quasi eius hæres. Excipitur casus confiscationis bonorum ob crimen hæresis: tunc enim filiis delinquentis nihil reseruatur ob criminis atrocitatem. *ibid. n.*26.

An vir teneatur vxorem alere sine dote.

15. Vir tenetur præbere alimenta vxori quam duxit absque promissione dotis: quia iuri suo cessisse videtur, contentus ipsa vxoris persona pro dote. Vir autem cui dos promissa, sed nondum soluta fuit, non tenetur alere vxorem: quia obligauit se ad alendam vxorem in compensationem dotis. Hoc tamen intellige, modò is qui dotem soluere tenetur, sit in mora soluendi: nam si non sit in mora, eo quod nondum elapsus sit terminus, non potest vir ob defectum solutionis dotis, alimenta vxori denegare; quia iuri suo cessit concedendo dilationem. *tom.* 2. *pag.* 601. *num.* 1. *& seq.*

16. Vxor, regulariter loquendo, non potest, constante matrimonio, repetere dotem: sic enim habetur in iure. Nisi in casu diuortij, quando coniuges separantur quoad torum, & habitationem, matrimonij vinculo non dissoluto: tunc enim vir non sustinet onera matrimonij. Aut nisi vir dotem malè administret: quando enim probabiliter timetur ne vir dotem dilapidet, potest vxor illam repetere. *ibid. n.*1. *& seq.*

17. Extraneus qui dotem vxori dedit hoc pacto, vt si ipsa sine liberis decedat, dos ad ipsum reuertatur, constante matrimonio, non habet ius repetendi dotem: quia hoc priuilegium solis mulieribus conceditur. Potest tamen sibi consulere ne dotem amittat; potest enim petere fideiussores ad securitatem dotis sibi restituendæ, si fœmina decedat sine liberis. *tom.* 2. *pag.* 602. *num.* 8.

Ad

Ad quem pertineant fructus dotis.

18. Fructus rei dotalis traditæ viro, pertinent ad virum: quia dos traditur ad onera matrimonij sustinenda. At si dos promissa fuit, sed non soluta debito tempore, potest vir agere contra vxorem morosam, quatenus scilicet ipsius interest: debitor enim qui est in mora soluendi, tenetur ad restitutionem damni, & interesse creditori. *ibid. n.* 1. *&* 7.

Cuinam dos pereat, vel acquiratur.

19. Si dos promissa, obtenta non fuit à viro absque vlla ipsius culpa, non tenetur vir ad restitutionem dotis. Si verò ob ipsius culpam obtenta non fuit, perit ipsi viro, itavt ipse dissoluto matrimonio, teneatur vxori, aut eius hæredibus dotem restituere, ac si reipsa dotem accepisset. Nisi dos soluenda esset ab ipsa vxore, vel ipsius patre, alióue ascendente per lineam masculinam; tunc enim negligentia viri in petendo, non nocet ipsi viro, sed vxori: quia hæc negligentia imputatur reuerentiæ mariti in vxorem, vel in eius parentes. *tom. 2. pag.* 603. *num.* 1. *&* 2.

20. Si dos tradita pereat culpa vxoris, vt quia ob ipsius culpam publicatur, perit vxori, consequenter vir soluto matrimonio, non tenetur illam restituere: perinde enim est ac si vir dotem non accepisset. Vxor tamen alenda est à viro, nisi ipsa parentes habeat qui eam alere possint: hoc enim exigit arctissimum coniugij vinculum. *ibid. n* 3. *&* 4

21. Res quæ traditæ sunt in dotem æstimatæ æstimatione venditionem faciente, siue sint mobiles, siue immobiles, alenari possunt à marito absque consensu. Idem dicendum de rebus functionem recipientibus: quia maritus harum rerum dominium pleno iure acquisiuit. Huiusmodi tamen bona manent hypothecata vxori. Immò vxor potest huiusmodi res, etiam postquam à marito alienatæ sunt, si adhuc existant, & maritus non sit soluendo, repetere, & vendicare: sic enim ius decreuit in subsidium vxoris *ibid. n.* 1.

22. Res mobiles quæ traditæ sunt inæstimatæ, aut æstimatæ æstimatione non faciente venditionem, alienari non possunt absque consensu vxoris: vxor enim est harum rerum domina. Res autem immobiles traditæ in dotem inæstimatæ, aut æstimatæ æstimatione non faciente venditionem, alienari non possunt etiam de vxoris consensu, his casibus exceptis.

ptis. 1. quando vxor absque dolo, aut metu confirmauit alienationem. 2. quando fundus dotalis ad plures pertinet, nec commodè diuidi potest: huius enim fundi alienatio valida est si fiat iudice consentiente: fit quippe ex causa necessaria, & independenter à voluntate mariti, aut vxoris. Vt si in dotem data sit pars molendini: aut vineæ communis pluribus, quæ commodè diuidi nequeat in partes, & socij petant vineam vendi plus offerenti. 3. casus est quando alienatio fundi dotalis vtilis est vxori: tunc enim valida est, facta de consensu vxoris, si fundus melior subrogetur. 4. casus est quando fundus dotalis alienatur ad satisfaciendum æri alieno quod vxor contraxerat ante initum matrimonionium. *ibid. num.* 2. *& pag.* 604. *num.* 5. *& seq.*

23. Quando matrimonium quoad torum, & habitationem soluitur culpa vxoris, dos ei restituenda non est, sed apud virum remanere debet: quia vxor per adulterium amittit dotem. Sin matrimonium soluatur morte vxoris, dos aduentitia, iure communi, pertinet ad hæredes vxoris, succedentes ex testamento, vel ab intestato. Porrò ab intestato succedunt primo descendentes. 2. in defectum descendentium, ascendentes. 3. collaterales, & in horum defectum, maritus. *tom.* 2. *pag.* 605. *num.* 1. *&* 2.

24. Dos profectitia, si maritus prius moriatur quàm vxor, non acquiritur filiis, sed patri: nam consuetudo solum obtinuit vt dos acquiratur filiis, quando vxor, filios relinquens, præmoritur viro; non autem quando vir præmoritur vxori, *ibid.*

25. Dos quam pater tradidit filiæ spuriæ, ipsâ mortuâ reuertitur ad patrem, quando aliquid dotis superest excedens alimenta debita in totam vitam: quia nati ex damnato complexu, iure Cæsareo, incapaces sunt bonorum paternorum, & iure canonico redduntur habiles solùm ad accipienda alimenta. At si quod datum est spuriæ, dotis nomine, non excedat alimenta totius vitæ, censetur datum pro alimentis, consequenter eius dominium pertinet ad spuriam, & transit ad ipsius hæredes. *ibid n.* 3.

26. Propter dilatam dotis restitutionem vltra annum, non potest aliquid exigi, vel in pactum deduci, præciso lucro cessante, vel damno emergente: quia dilatio restitutionis dotis est mutuum virtuale, vi cuius nihil accipi potest absque labe vsuræ. *tom* 2 *pag.* 606. *n.* 9.

27. Mulier quæ prægnans à viro defuncto relicta fuit, alenda

alenda est ex bonis viri, siue dotem iam receperit, siue non: hoc enim ei debetur ratione prolis, quæ cùm sit pars defuncti, alenda est ex ipsius bonis. Sin mulier non remansit prægnans, non est alenda ex bonis mariti, nisi ipsa sit inops, & aliunde non suppetant alimenta. *ibid. n.*10.

28. Non solùm impensæ necessariæ, sed etiam vtiles factæ circa rem dotalem, deduci possunt ab hæredibus mariti, quando dotem inæstimatam restituere debent, nisi expensæ sint modicæ, & leuis momenti. Expensæ autem voluptariæ, etiamsi factæ sint de mandato vxoris, repeti non possunt, nec deduci in restituenda dote. *tom.*2.*pag.* 607. *n.*1. *&* 3.

29. Vxor, soluto matrimonio, non tenetur stare locationi rei dotalis factæ à marito, quando illi locationi ipsa contradixit ab initio, aut iustam habuit contradicendi causam. Sin ab initio non contradixit, nec iustam habuit contradicendi causam, vxor tenetur persistere in contractu, facto à marito; quia par non est vt maritus damnum patiatur ob inculpabilem administrationem rerum vxoris: at si vxor non staret locationi, maritus damnum pateretur, quia obligaretur ad compensandum conductori interesse reliqui temporis. Hinc etiam patet vxorem teneri, soluto matrimonio, stare locationi rerum paraphernalium, quam vir fecit nomine vxoris: tenetur enim approbare id quod ipsius administrator fecit. *ibid.num.*1. *& seq.*

30. Diuisio fructuum rei dotalis inæstimatæ, inter virum, & vxorem, seu inter vtriusque hæredes, facienda est ad ratam temporis quo matrimonium durauit. Vnde sequitur maritum qui quatuor mensibus, matrimonij onera sustinuit, habere ius ad tertiam fructuum partem Item maritum qui tempore vindemiæ Kalendis Octob. contraxit matrimonium, & in dotem inæstimatam accepit agrum plenum vuis, quibus collectis, eundem agrum ita coluit vt ante sequentes Kalend. Octob. vindemiam fecerit, qua facta statim solutum est matrimonium, lucrari duas vindemias. *ibid.n.*1. *&* 2.

Dotalia, & paraphernalia bona quî differant.

31. Paraphernalia dicuntur bona extra dotem, quia scilicet vxor illa non tradit viro in dotem, sed sibi reseruat non solùm quo ad dominium, sed etiam quo ad vsumfructum, & administrationem: huc etiam reuocantur bona quæ post contractum matrimonium vxor acquisiuit siue donatione, siue

legato,

legato, siue alia ratione, aut etiam illa quæ vxor suo labore, & industria acquisiuit. Ea verò bona quæ mulier nubens sibi non reseruauit, censentur dotali: mulier enim dum nubit, censetur omnia sua bona viro in dotem assignare. *tom. 2. pag. 608. num. 1. & 2.*

32. Paraphernalia igitur bona pertinent ad vxorem quo ad dominium, vsumfructum, & administrationem, itavt maritus ea nequeat, inuita vxore, administrare. Decet tamen vxorem se, suaque omnia marito committere administranda. *ibid. num. 3.*

33. Dos à paraphernalibus bonis hoc maximè differt, quòd dos habet priuilegium, vt propter ipsam hypothecata maneant omnia mariti bona, & gaudeat iure prælationis contra alios antiquiores creditores; paraphernalia verò non habent ius prælationis, licet pro ipsis hypothecata maneant bona mariti, quando ei permissa fuit paraphernalium administratio. *ibid.*

34. Vir cui concessa fuit administratio bonorum paraphernalium suæ vxoris, sibi retinere potest fructus industriales, quos ex paraphernalibus percepit, & de consensu vxoris consumpsit. Item fructus naturales consumptos ex quibus non est factus ditior. At fructus extantes, ipsaque paraphernalia, post solutum matrimonium, restituenda sunt vxori, vel eius hæredibus. Porrò in iis seruandis, & curandis tenetur maritus de lata, & leui culpa; quia commodum percipit ex ipsorum administratione, sicque habetur in iure. *ibid. num. 4.*

Quas ob causas vxor priuetur dote.

35. Dos vxoris, constante matrimonio, in quinque casibus publicatur. 1. casus est crimen læsæ maiestatis, cui addendum crimen hæresis, vt pote crimen læsæ maiestatis diuinæ. 2. violentiæ. 3. parricidij. 4. veneficij. 5. homicidij. Aliis etiam de causis, alia vxoris bona, pro ratione criminis, publicari possunt. Post publicationem tamen bonorum vxoris, eadem marito competunt iura contra fiscum, quæ ipsi contra vxorem competebant. *tom. 2. pag. 609. n. 1. & 4.*

36. Dos vxoris, tradita, vel promissa, vxori perit; & marito saltem post sententiam iudicis acquiritur propter adulterium vxoris verum, & consummatum contra mariti voluntatem, modò maritus coinquinatus non sit eodem delicto, aut gratiam

tiam reconciliationis non concesserit vxori adulteræ, aut illam ob adulterium non occiderit, & modò is qui eam dotauit, stipulatus non sit, vt dos soluto matrimonio ad se redeat, & modò vxor non susceperit filios ex marito, aut ex alio priore matrimonio. *ibid. n* 5.

37. Vxor non amittit dotem propter adulterium, quando vir adulterium, seu aliud delictum sufficiens ad faciendum diuortium commisit ante, vel post adulterium vxoris: quia paria delicta, mutua compensatione abolentur. Hinc sequitur virum adulterum licèt occultum, non posse dotem suæ vxoris adulteræ publicæ lucrari, aut retinere; quia dos acquiritur viro innocenti, non autem adultero. *tom.* 2. *pag.* 610. *num.* 12.

38. Vir qui vxorem criminaliter accusauit de adulterio, non potest in foro externo illam ciuiliter accusare, petens diuortium, & dotis amissionem; quia ad vitandam litium multitudinem interdictum est intentare actionem criminalem, & ciuilem principaliter, consurgentem ex eadem causa, dùm prius iudicium nondum est finitum. *tom.2.pag.611.n.23.*

39. In causa adulterij ad faciendum diuortium perpetuum, vel temporale, solus iudex Ecclesiasticus est competens: quia agitur de vinculo matrimonij quod est Sacramentum: & quia accessorium sequitur principale, ad eundem iudicem pertinet causa alimentorum, & dotis amittendæ. Itavt si vxor adultera à viro separata, petat alimenta coram iudice sæculari, & vir opponat illi adulterium, sæcularis iudex nequeat in causa vlterius progredi, donec causa diuortij ab Ecclesiastico iudice decisa fuerit. At si criminaliter agatur de adulterio ad pœnam sanguinis de eo sumendam: cognitio pertinet ad iudicem sæcularem; quia Ecclesiasticis non licet se immiscere in causa sanguinis. *tom.2.pag.613.n.2.*

De hypotheca vxoris in bonis mariti cum priuilegio prælationis.

40. Hypotheca alia est *tacita*, quæ inducitur à lege; alia *expressa* quam contrahentes in pactum deducunt. Vxor quæ marito dotem dedit, habet tacitam hypothecam in bonis mariti, virtute cuius hypothecæ ipsa, seu ipsius filij, ac descendentes, in recuperatione dotis præferenda est cæteris creditoribus realibus, habentibus anteriorem tacitam, seu expressam hypothecam, modò non sint priuilegiati, aut vxor

non renunciauerit beneficio hypothecæ. Quo fit, vt si bona mariti non sufficiant ad satisfaciendum omnibus creditoribus, nihilominus integre satisfaciendum sit vxori ex bonis mariti. Neque tantum ratione dotis, sed etiam paraphernalium, vxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti; non tamen habet priuilegium prælationis, ratione paraphernalium. *tom.2.pag.611.n.1. & seq.*

41. Si maritus qui duas habuit vxores, conueniatur de duplici dote restituenda, priore loco soluenda est dos prioris; consequenter si eadem bona sint pro eadem dote hypothecata, & pro vna sola dote sufficiant, prius erit ex bonis extrahenda dos prior quàm posterior. Quia qui prior est tempore, potior est iure, nisi ius aliud decernat. *tom.2.pag.612.n.6.*

42. Si facta promissione dotis, vir confessus est se illam accepisse, sed non constat de actuali solutione, vxor habet ius prælationis in bonis viri, modo illa confessio facta fuerit sine fraude. *ibid.n.15.*

43. Quando principaliter agitur de causa dotis, iudex competens est iudex sæcularis: quia tàm res quàm persona est sæcularis, & laica. *ibid.n.1*

Dubium.

1. NOn solùm in materia iustitiæ, verùm etiam aliarum virtutum, posita sufficienti diligentia ad explorandam veritatem, valet illud axioma iurisconsultorum. *In dubio melior est conditio possidentis.* Quia possessio est titulus communis omnibus virtutibus. Vnde sequitur iudicandum esse in fauorem subditi quando dubitatur an tale ius extet: tùm quia possessio stat pro subdito qui suam possidet libertatem: tum quia si iudex in tali dubio vellet contra aliquem ferre sententiam, exponeret se periculo committendi iniustitiam. Quare dubitans post adhibitam debitam diligentiam, non tenetur id facere quod dubitat an sit præceptum. *tom.2.pag. 364.num.1.& 2.*

2. Qui æqualiter dubitat, an votum emiserit, necne, non obstringitur obligatione voti; melior enim est conditio possidentis, etiamsi magis propendeat in eam partem, se votum emisisse, modò hæc propensio non generet assensum. *ibid.num.3.*

3. Qui adhibitâ sufficienti diligentiâ dubitat vtrum promiserit alteri matrimonium, non tenetur promissionem adimplere:

plere:nam possessio stat pro libertate. At si constet promissionem factam fuisse; dubitetur autem an facta fuerit animo se obligandi, promissio est adimplenda; idem dicendum de voto: quia tunc possessio stat pro voto, seu promissione. Idem sentiendum de eo qui certò scit latam fuisse legem, sed dubitat vtrùm sit liber à lege, ratione alicuius circumstantiæ; nam possessio stat pro lege quam constat latam fuisse. *ibid.num.*4.

4. Vouens, in dubio tenetur tantùm ad id quod est minus; vt si dubitet vtrùm vouerit religionem in communi, an verò hanc in particulari, tenetur solùm eligere hanc in particulari, itavt si ad istam non admittatur, solutus sit obligatione voti. Item qui dubitat vtrùm vouerit castitatem, an celibatum, potest eligere celibatum, &c. *tom.* 2. *pag.* 365. *numero* 5.

5. Qui dubitat an iurauerit, non tenetur adimplere iuramentum. Secùs dicendum de eo qui dubitat an adimpleuerit iuramentum quod certò scit se fecisse; tunc enim possessio stat pro iuramento. Item Sacerdos qui dubitat an horas canonicas recitauerit, tenetur eas iterum recitare; quia possessio stat pro præcepto,&c. *ibid.n.*6.

6. Qui commisit adulterium, & dubitat an proles suscepta, sua sit, an mariti adulteræ, potest credere esse mariti, neque tenetur ad restitutionem. *ibid n.*7.

7. Qui vltima nocte bacchanalium, dubitat an media nox sit elapsa, potest vesci cibis vetitis tempore ieiunij: quia possessio stat pro libertate, non verò pro lege ieiunij. Verum tamen est, eum qui cum hoc dubio comedit, non posse die sequenti Eucharistiam sumere, quia possessio stat pro præcepto Ecclesiæ præscribentis Eucharistiam non esse sumendam nisi cum ieiunio naturali. *ibid. n.*8.

8. Qui post adhibitam sufficientem diligentiam dubitat an expleuerit 21. annum, non tenetur ieiunare ex præcepto Ecclesiæ: nam possidet suam libertatem, & præceptum ieiunij, respectu illius, nondum est in possessione. At in dubio, an quis attigerit ætatem requisitam ad Ordines suscipiendos, non est admittendus; quia possessio suffragatur præcepto Ecclesiæ requirentis legitimam ætatem. *ibid. n.*11.

9. Qui dubitat an sit legitimus, potest cum aliis fratribus hæreditatem diuidere, factâ prius debitâ diligentiâ ad veritatem explorandam: tum quia possessio illi fauet,& melior est conditio possidentis se esse legitimum; tum quia in foro ex-

terno non priuabitur hæreditate;idem autem est iudicium fori interni, & externi, quando forum externum non nititur falsa præsumptione. *ibid.n.*12.

Duellum.

1. DVellum est pugna singularis deliberata ab vtraque parte, sponte, & ex condicto suscepta, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. *disp.*2.*quæst.*3 *punct.*48.*pag.*260.*num.*2.*tom.*3.

2. Hinc sequitur quotidianos conflictus qui subito iræ feruore, vel ex rixa nascuntur, non esse duella, quia non fiunt ex condicto. Neque duellum committi ab iis qui orta in Ecclesia rixa egrediuntur, ibique gladios stringunt, & pugnant; hæc enim pugna non fit ex condicto, statuto loco, & tempore. Item duellum non committi quando quis offert alteri duellum, illúmque eodem tempore aggreditur stricto ferro, itavt alter cogatur se defendere; quia non est assignatio loci, vel temporis. *ibid. num.*5. 8. *&* 9.

3. Probabile est eum qui alterum prouocat, non animo pugnandi, sed tantùm honoris proprij defendendi causa, in foro conscientiæ non affici excommunicatione, licèt fieri possit vt aliunde peccet dùm alterum ad peccatum inuitat. Immò nonnullis probabile videtur in foro conscientiæ illos non incurrere excommunicationem qui ad condictum locum accedunt absque animo verè pugnandi, sed tantummodò inferendi aliquos ictus cum morali securitate quod nullum inde damnum secuturum sit, sed potius pax inde conciliandą; hæc enim non est pugna cum periculo occisionis; quanquam in foro externo præsumitur duellum. *ibid. pag.* 261. *numero* 14. *tom.* 3.

4. Qui se prouocant ad sigulare certamen nullo assignato loco, aut tempore, non committunt propriè duellum à Summis Pontiff. sub excommunicatione prohibitum. *ibid. num.* 15.

5. Duellum per se loquendo est illicitum: quia per duellum vita innocentis periculo temere exponitur; tum quia non licet quemquam occidere priuata auctoritate, multo minus in duello. In duobus tamen casibus fieri potest licitum. 1. ad duos contrarios exercitus sedandos; tunc enim licet pugnam periculo duorum dirimere per duellum, quia pars periculo exponitur vt totum seruetur. 2. quando quis vitæ periculo

cogitur

cogitur acceptare duellum, seu ad vitam, seu ad honorem, seu ad res suas defendendas, nec alia ratione potest eas defendere; tunc enim non dicitur propriè duellum, sed iusta defensio. *ibid. num.* 8.

6. Hinc sequitur innocenti damnato ab iniquo iudice, vt vel mortem subeat, vel duello pugnet vt se probet innocentem, licere acceptare duellum, non animo probandi se innocentem per duellum (hoc enim est vetitum, cùm aliquando innocens succumbat) sed vt vitam tueatur, ad quam tuendam habet ius etiam cum alterius damno; potest enim magis diligere vitam suam, quàm proximi. *ibid.*

Duellantium pœnæ.

7. Sub excommunicatione aliisque grauissimis pœnis prohibitum est duellum vt colligitur ex Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 19. & variis Summorum Pontiff. constitutionibus Iulij II. Leonis X. Clement. VII. Iulij III. Pij IV. Greg. XIII. & Clem. VIII. Ciuitates verò, oppida, & loca in quibus duellum commissum fuit, scientibus, & permittentibus dictorum locorum dominis, Ecclesiastico interdicto subiiciuntur. Item decertantes si in ipso conflictu obierint, priuandi sunt Ecclesiastica sepultura. *ibid. num.* 20.

8. Illi priuandi sunt Ecclesiastica sepultura, etiam ante iudicis sententiam, quos constat in duello mortuos esse; etiamsi ob vulnus acceptum postridie mortui fuerint, & contritionis signa dederint; quia priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ inducta est in detestationem criminis, vt cæteri à duello deterreantur; quamobrem dici potest priuationem sepulturæ non infligi per modum censuræ, sed per modum iustitiæ vindicatiuæ. In dubio autem an quis in duello mortuus fuerit, iudicium est penes Episcopum, vel eius Vicarium. *ibid. pag.* 262. *num.* 22. *tom.* 3.

9. Clericus duello pugnans præter excommunicationem, incurrit suspensionem, irregularitatem, priuationem beneficiorum, dignitatum, & officiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatem ad illa; seu alia in posterum obtinenda; non tamen est ipso facto suspensus, sed suspendendus. *ibid. pag.* 261. *num.* 21. *tom.* 3.

10. Qui locum duello concedunt, vel non impediunt, si sint domini qui valeant impedire ne duellum in sua ditione committatur, necnon qui mandato, consilio, auxilio, fauo-

re, chartellis, intimatione, aut alio quouis modo cooperantur ad duellum, item qui duellantes ex industria spectant, easdem pœnas incurrunt quas ipsi qui duello confligunt. *ibid. pag. 262. num 23. & seq. tom. 3.*

11. Acceptans duellum, statim atque acceptauit ipso facto excommunicationem incurrit. Idem sentiendum de comitantibus, nisi forte comitentur vt impediant. Si quis verò illac transiens, aut alia de causa ibi existens aspiciat duellum, non subiicitur his pœnis; nam Bulla loquitur de spectantibus ex proposito & de industria. *ibidem, pag. 263. numero 29. & 30. tom. 3.*

12. Qui arma pugnaturo in duello accommodat, aut vendit, sciens, vel probabiliter credens ipsum illis vsurum ad duellum, in has pœnas incurrit; cooperatur enim duello; nisi iustam habeat accommodandi causam, vt si frater fratri volenti duellum inchoatum intermittere, tradat gladium quo se tueatur altero nolente intermittere; quia tunc ex parte volentis duellum intermittere, iam non vocatur duellum, sed iusta defensio. *ibid. num. 31.*

13. Qui scripta, & schedas prouocantes ad duellum facit, in excommunicationem incidit. Qui verò tantum narrat aliquod factum ex quo videt sequuturum duellum, nisi hoc faciat vt incitet ad duellum, non videtur excommunicationis reus; grauiter tamen peccat, quia est causa actionis iniustæ. *ibid. num. 32.*

14. Qui faciunt actionem aliquam qua cooperantur ad duellum, consilio, auxilio, fauore, &c. si postea impediant ne sequatur duellum, vel prouocatio; hanc censuram non incurrunt; nisi verò conentur impedire, etiamsi postea prouocatio, aut duellum sequutum non fuerit, non excusantur ab excommunicatione; quia per ipsos non stetit quominus sequeretur. *Ibid. num. 33.* Hinc patet eum qui schedam prouocatoriam scripsit, sed nondum affixit, nec intimauit, non affici excommunicatione, quia per ipsum stat ne denunciatio sequatur. *ibid. pag. 264 num. 34. tom. 3.*

15. Ab hac excommunicatione absoluere potest Episcopus quando delictum est occultum vel nondum deductum ad forum contentiosum, vel quando pœnitens iusto detinetur impedimento quominus Papam adire possit. Possunt etiam religiosi absoluere iuxta sua priuilegia nisi fuerint reuocata, vti sunt reipsa respectu existentium in Italia extra vrbem Romam, in decreto Sacræ Congregationis quo ad prouocantes,

tes; aut pugnantes in duello iuxta decretum, & formam Tridentini & Gregorij XIII. vnde sequitur eum absolui posse à religiosis qui post prouocationem sese contulit ad locum designatum, ibique frustra expectato aduersario, tandem discessit; quia iuxta decretum Gregorij XIII. requiri videtur effectus pugnæ ad incurrendam excommunicationem soli Papæ reseruatam. *ibidem pag.264. numer.38. & pag.265. num.41.tom 3.*

E.

ECCLESIA.

Ecclesiastica Libertas.

1. ECCLESIASTICA libertas est immunitas, & exemptio ab oneribus, vel à subiectione, vel coactione temporalis seu laicæ potestatis: Seu, est libera facultas faciendi quidquid fieri licet. Vnde sequitur Ecclesiasticam libertatem lædi quoties laici aliquid clericis præcipiunt vel prohibent quod iure diuino, vel canonico illis nec præcipitur nec prohibetur. Hæc autem libertas est triplex. 1. *Localis*, quæ competit Ecclesiis itavt qui ad ipsas confugiunt, inde extrahi, & à laicis comprehendi non possint. 2. *Realis*, qua gaudent bona Ecclesiastica itavt à censu, tributo, seu collectis potestatum sæcularium libera sint, & immunia. 3. *Personalis*, quæ personis ipsis Ecclesiasticis concessa est ne oneribus afficiantur; cùm enim personæ Ecclesiasticæ cultui diuino sint mancipatæ, par est eas esse ab oneribus, & iudiciis laicorum Principum immunes. *disp. 1. quæst. 16. punct. 1.pag.84.tom 3.*

2. Clerici, aliique Ecclesiastici iure ciuili, canonico, & diuino exempti sunt à laica potestate non solùm quoad causas spirituales, verùm etiam quoad temporales, & quoad personas: Dicitur enim Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos.* Hanc exemptionem Constantinus Magnus Imper. agnouit: cum enim multi famosi libelli contra clericos ad eum delati essent, respondisse fertur ad se iudicium de huiusmodi causis non pertinere; *vos enim*, inquit, *à nemine iudicari potestis.*

sed ad solius Dei iudicium reseruamini. Neque obstat quod Paulus *Actor.* 25. ad Cæsarem appellauit; non enim appellauit tanquam ad superiorem suum; sed tanquam ad superiorem illius iudicis inferioris sub quo eius causa tunc agebatur vt se ab iniusta vexatione redimeret, quam non poterat alia ratione à se amoliri. *ibid. punct.* 2. *pag.* 85. *tom.* 3.

3. Personæ Ecclesiasticæ sunt illæ quæ sub laicorum genere non comprehenduntur, & priuilegio fori gaudent; in quibus censentur etiam minoribus ordinibus initiati modò seruent ea quæ in Conc. Trident. *sess.* 23 *cap.* 6. præscribuntur: Extenditur etiam hoc priuilegium ad clericos coniugatos modò non sint bigami, & habitum ac tonsuram gerant, & alicuius Ecclesiæ ministerio sint ab Episcopo deputati. Clerici etiam dicuntur qui primam tonsuram susceperunt. Item religiosi cuiuscumque ordinis etiam nouitij dicuntur personæ Ecclesiasticæ. *ibid. punct.* 3. *pag.* 87. *tom.* 3

4. Nouitius postquam religionem deseruit, etiamsi non habeat beneficium, nec sacros ordines, à laica potestate iudicari, aut puniri non potest ob delictum tempore nouitiatus perpetratum: quia hic tempore delicti erat nouitius, atque adeo immunis à laica potestate, ergo illud delictum non pertinet ad forum sæculare: quemadmodum qui tempore clericatus delictum commisit, non potest abdicato clericatu, ob illud delictum à iudice laico puniri. *ibid. pag.* 88. *num.* 14. At qui patrato delicto religionis habitum assumpsit, non gaudet priuilegio fori si ad religionem fuit admissus non adhibita inquisitione an aliquod delictum commiserit, an ære alieno teneatur, &c. sic enim decreuit Sixtus V. *ibid. num.* 15.

5. Equites qui sunt verè religiosi, vt sunt Equites S. Ioannis qui in communi viuunt, & tria solemnia vota emittunt, gaudent priuilegio canonis, & fori. Reliqui verò qui vota non emittunt, minimè. *ibid. num.* 16.

6. Tertiarij S. Francisci, vel S. Dominici qui domi viuunt extra Congregationem hoc priuilegio non gaudent, etiamsi S. Francisci, vel S. Dominici regulam seruent, quia non sunt religiosi. Qui verò assumpto habitu monachali sese manciparunt obsequiis alicuius approbatæ religionis sub obedientia superioris, gaudent hoc priuilegio quandiu ita viuunt; nam pro illo tempore censentur personæ Ecclesiasticæ. Vnde sequitur illos qui assumpto habitu religioso adhibentur ad obsequia monialium, & religiosorum, & pro ipsis eleemosynam petunt, gaudere hoc priuilegio. *ibid. num.* 17. Extenditur

tur hoc priuilegium ad Eremitas viuentes in communitate, & ad eos qui sub aliquo Prælato in communi viuunt ex tacita vel expressa Summi Pontif. facultate quamuis professionem non emittant; nam isti censentur religiosi *ibid. num.* 18. *pag.* 89. *tom.* 3.

7. Omnes cuiuscumque conditionis homines qui auctoritate laica iniustè trahunt, vel trahi faciunt directè vel indirectè personas Ecclesiasticas ad se, suumque Tribunal, Audientiam, Concilium, Parlamentum, violant libertatem Ecclesiasticam; consequenter Bullæ Cœnæ excommunicationem 15. incurrunt. Quod verum est etiam in iudicibus Ecclesiasticis, qui auctoritate laica personas Ecclesiasticas trahunt ad suum sæculare tribunal. quia clerici iure diuino, & naturali exempti sunt à laica potestate. At quando collegium quod constat ex Eccleſiſticis & laicis æquali numero, iudicat clericos, laici qui tunc cum Ecclesiasticis iudicant, pœnâ excommunicationis non incurrunt; præsumitur enim collegium Ecclesiasticum; quippe dignius trahit ad se minus dignum. *ibid. punct.* 5. *pag.* 90. *tom.* 3.

8. Iudices laici in hanc censuram incurrunt trahentes clericos ad suum tribunal etiam ob delictum commissum ante assumptionem status clericalis aut religiosi; quia iura simpliciter eximunt personas Ecclesiasticas, neque restrictionem addunt ad crimina post vel ante clericatum commissa; tum quia qui patrato delicto confugit ad Ecclesiam materialem, gaudet priuilegio immunitatis, neque potest à Curia sæculari capi; ergo eodem priuilegio immunitatis gaudet qui commisso delicto statum clericalem assumit. *ibid. pag.* 91. *num.* 8. Dummodo tamen illum statum non assumpserit statim patrato delicto, animo vitandi forum sæculare; in hoc enim casu subiiceretur potestati laicæ quoad pœnam solùm peccuniariam, non autem quoad pœnam corporalem: nam per susceptionem status Ecclesiastici effectus est de sorte, & hæreditate Christi. *ibid. num.* 9. & 10. Sin absque fraude assumpsit statum Ecclesiasticum, non subiicitur potestati laicæ ne quoad pœnam pecuniariam quidem: quanquam in foro externo præsumitur statum clericalem in fraudem fori suscipere si statim post admissum delictum, vel accusationem, illum suscipiat. *ibid. numero* 10. *pag.* 92. *tom.* 3.

9. Iudices laici contrahunt censuram huius canonis trahentes Ecclesiasticos ad suum tribunal, etiamsi trahant intentione absoluendi: Quia absolutio supponit iurisdictionem

absoluentis in eum qui absoluitur, quæ hîc nulla est. *ibid. n.* 13. Si tamen clericus volens se purgare se sponte sistit iudici sæculari, iudex non incurrit excommunicationem si illum iudicet; quia illum non traxit: tamen huiusmodi iudicium erit irritum, & inualidum. *ibid. punct.* 4 *pag.* 89. *numero* 4. *tom.*3.

10. Reges aut Principes non possunt sine periculo excommunicationis coram se, vel suo tribunali auctoritatiuè conuocare Episcopos, aut alios Prælatos; etiamsi id faciant prætextu libertatis Ecclesiasticæ tuendæ: quia nuspiam legitur hæc facultas Principibus concessa. *ibidem, punct.* 5. *pag.* 92. *num.*14. *tom.*3.

11. Iudex laicus vinculo excommunicationis obstringitur si clericum qui falsum coram se deposuit, trahat ad suum tribunal vt illum pœna corporali, vel pecuniaria puniat: Quia licet laicus falsum deponens coram iudice Ecclesiastico, possit ab illo puniri, vt detur locus præuentioni; nihilominus iudex laicus non potest clericum coram se falsum deponentem punire defectu iurisdictionis. *ibid.n.*15.

12. Clericus qui officium tutoris, vel curatoris, vel administratoris bonorum exercuit, & in eo deliquit, non potest in iudicium à laico vocari ad reddendam rationem; quia ob delictum non amisit priuilegium fori. *ibid. num.* 17. Item Clericus qui tanquam hæres in bona laici successit, non potest à iudice laico ratione illorum bonorum ad sæculare forum trahi. Quia in Bulla excommunicantur trahentes quouis quæsito colore: Quod verum est etiamsi lis inchoata fuisset contra laicum coram iudice laico, & lite pendente mortuus sit laicus, in cuius bona clericus successit: nam inutilis esset sententia contra clericum à iudice laico prolata, quippe quæ non posset executioni mandari per iudicem laicum, neque Ecclesiasticus iudex cogi posset ad curandum vt excutioni mandetur. *ibid.n* 17. *&* 18.

13. Clericus qui in iudicio sæculari depositum recepit, non potest pro restitutione depositi, coram laico iudice conueniri, vel cogi ad restituendum; quia exemptus est à laica potestate. Idem dicendum de clerico qui coram iudice laico fideiussit pro laico, aut clerico. *ibid.n.*19.

14. Clericus qui cum laicis delictum commisit, iudicandus est ab Ecclesiastico iudice, non autem à laico. Immò non pauci DD. asserunt socios criminis ad Ecclesiasticum iudicem esse remittendos, tùm ne de eadem re diuersæ,& pugnantes

tes sententiæ ferantur; tùm quia dignius trahit ad se minus dignum. Sed contraria sententia est probabilior. *ibid.n.* 20.

15. Laicus qui iniuriam intulit Clerico, ab vtroque iudice & Ecclesiastico, & laico iudicari, ac puniri potest, non obstante absolutione, vel condemnatione facta in altero foro; Quia vtrique foro illata est iniuria, nam peccatum est contra ius canonicum, & ciuile. Cauendum tamen ne grauior imponatur pœna quàm pro delicto. *ibid. pag.* 93. *num.* 22. *tom.* 3.

16. Clericus â laica potestate capi, & in carcerem detrudi, vel ad laicum iudicem adduci non potest, nisi capiatur in flagranti crimine graui, & periculum sit ne aufugiat; vel nisi incedat ad patrandum delictum, tunc enim capi potest, & detineri vt Ecclesiastico iudici tradatur, vel vt delictum impediatur; modò statim iudici Ecclesiastico consignetur. *ibid. numero* 23.

17. Qui auctoritate laica ad se trahit clericum illegitimum, aut alio canonico impedimento detentum, modò sit minoribus saltem ordinibus initiatus, & ea seruet quæ Concil. Trid. præscribit, incurrit in excommunicationem: quia huiusmodi impedimentum non tollit characterem, consequenter neque priuilegium ratione ordinis concessum. Secùs autem si hic clericus habeat tantùm primam tonsuram; hæc enim characterem non imprimit. *ibid.n.* 28.

18. In his casibus potest iudex laicus absque excommunicationis pœna personas Ecclesiasticas ad suum tribunal trahehere. 1. Si clericus fuerit degradatus, seu depositus realiter. 2. Si clericus sit bigamus. 3. Si suscepit clericalem habitum in fraudem fori sæcularis. 4. In causa feudi, nam vassallus quamuis clericus in iis quæ pertinent ad feudum subiicitur domino feudi quãuis sæculari. 5. In causa recõuentionis; nam si clericus in ciuilibus conueniat laicum coram laico iudice, poterit laicus reconuenire clericum in materia ciuili coram eodem iudice; non tamen in causa criminali. 6. Si clericus sit incorrigibilis; tamen in casu incorrigibilitatis non amittit priuilegium fori ante sententiam iudicis Ecclesiastici per quem tradendus est brachio sæculari. 7. Si clericus per annum histrionicam exercuerit, aut si tertiò monitus non resipuerit. 8. In causa assassinij; tamen clericus assassinij reus non subiicitur potestati sæculari, nisi post sententiam criminis declaratoriam, à iudice Ecclesiastico ferendam. 9. Si Clericus prima tonsura, aut minoribus ordinibus initiatus non habeat beneficium Eccclesiasticum, aut clericalem habitum, & ton-

ſuram gerens; alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſer-uiat, vel niſi in ſeminario, aut vniuerſitate de Epiſcopi licen-tia verſetur. *ibid. punct. 6. pag. 94. n. 3. & ſeq. tom. 3.*

19. Clericus qui habitum vel tonſuram aliquoties dimit-tit, non amittit priuilegium fori niſi conſuetudinem habeat non vtendi, ita vt vulgo laicus exiſtimetur; quod intelligen-dum eſt de clerico primæ tonſuræ, vel minorum ordinum; nam ſi ſermo ſit de clerico ſacris ordinibus initiato, vel ha-bente beneficium Eccleſiaſticum, probabile eſt illum nõ amit-tere priuilegium fori etiamſi habitum, & tonſuram diuiſe-rit, niſi fortè ſit incorrigibilis, aut enormitatibus ſe immi-ſcuerit, aut niſi præceſſerit trina admonitio, aut ſaltem vna publicè facta in ſynodo cum expreſſa comminatione amiſſio-nis priuilegij, niſi habitum clericalem reſumat. *ibid. pag. 96. num. 26. & 27. tom. 3.* Tamen clericus qui iuſta de cauſa non incedit in habitu, & tonſura, non amittit priuilegium fori. *ibid. num. 28.*

20. In dubio an habitus in quo inuentus eſt clericus, ſit cle-ricalis, hæc habitus cognitio ad Eccleſiaſticum iudicem per-tinet: quia ad eundem pertinet cognoſcere an habitus ſit cleri-calis, ad quem pertinet præſcribere habitum à clericis defe-rendum. *ibid. pap. 97. n. 31. tom. 3.*

21. Clericus qui dimiſſo habitu vel tonſura, vel ſeruitio Eccleſię, amittit priuilegium fori, non propterea amittit etiam priuilegium canonis; quare qui huiuſmodi clericum percutit, incurrit excommunicationem niſi clericus ſit coniugatus, aut niſi ita habitum dimiſerit vt vulgò laicus habeatur; cum enim ad ſtatum laicalem tranſierit, æquum non eſt vt clericorum priuilegiis fruatur. *ibid. n. 35. & 36. tom. 3.*

Decreta contra Eccleſiaſticam Libertatem.

22. Qui ſtatuta vel decreta ex quauis cauſa faciunt, ordi-nant, vel publicant, aut iis vtuntur quibus libertas Eccleſia-ſtica læditur, vel iuribus Eccleſiæ derogatur, cenſuram Bullæ Cœnæ incurrunt. *ibid. ſect. 2. punct. 3. pag. 104. num. 1. tom. 3.* etiam antequam hæc decreta executioni mandentur; non ta-men antequam promulgentur. *ibid. punct. 1. pag. 98. num. 3. & 4. tom. 3.*

23. Statuta ſeu decreta contra libertatem Eccleſiaſticam dicuntur ea quæ iuri, exemptioni, ſeu priuilegiis Eccleſiaſti-corum, vel Eccleſiarum præiudicant, vt iuri decimarum,

exemptio

exemptioni à foro vel legibus laicorum, liberæ rerum Ecclesiasticarum gubernationi, immunitati locorum sacrorum, &c. *ibid. punct. 2. pag. 99. num. 1. tom. 3.*

24. Statuta seu leges per quas Ecclesiastici timidiores fiunt, & non sinuntur frui rebus quibus reliqui ciues fruuntur, & Ecclesiastico statui non repugnant, suntque omnibus communes; hæc, inquam, statuta Ecclesiasticæ libertati aduersantur. *ibid. num.* 4. Hinc patet laicos magistratus statuentes, ne clerici quid emant, aut vendant, ne panem coquant, ne in ciuitate morentur; Item statuentes ne laici vendant clericis, ne molant illis, vel coquant panem, aut ne alia obsequia clericis præstent, incurrere in excommunicationem huius Bullæ; hæc enim aduersantur Ecclesiasticæ immunitati. *ibid. pag.* 100. *num.* 4. Idem dicendum de statuto quo laici prohibentur cum clericis contractus inire; est enim irritum & Eccles. libertati repugnans. quippe fiunt clerici deterioris conditionis quàm laici. *ibid. num.* 5.

25. Statutum arctans expensas in exequiis faciendas est contra libertatem Ecclesiasticam quoties respicit eas expensas, quæ ad Dei cultum immediate, & ad salutem animæ defuncti spectant; hæc enim sunt annexa spiritualibus, in quibus laici nullam habent iurisdictionem. Si verò statutum ea tantùm restringat quæ pertinent ad pompam funeris, non videtur repugnare Ecclesiasticæ libertati; *ibid. n.* 8.

26. Statutum quo cauetur ne quis beneficij possessionem capiat, sine licentia Principis, aut magistratus, est contra Eccles. libertatem. *num.* 9. Item quo prohibentur Ecclesiæ sine licentia Principum sæcularium ædificari; illud enim priuilegium fuit à Constantino Imper. Ecclesiæ concessum. *numero* 10.

27. Statutum quo decernitur, vt non solùm laici, sed etiam Clerici teneantur aliquam formam, seu pretium, vel aliud onus seruare in contractibus venditionis, emptionis, locationis, depositi, commodati, aut in donationibus, testamentis, legatis, & aliis huiusmodi, est contra libertatem Eccles. quatenus clericos obligare intendit. Quamuis enim clerici ex vi directiua teneantur seruare leges Principum sæcularium quando ius, & æquum id postulat; nihilominus Principes iurisdictionem in Ecclesiasticos exercere non possunt, nec eos exprimere in suis legibus onerosis, aliquid ipsis præcipiendo aut prohibendo, neque pœnam ab ipsis, dùm suas leges non seruant, repetere. *ibid. num.* 11.

28. Contra

28. Contractus à clericis celebrati sine solemnitate à iure ciuili præscripta sunt irriti, non quatenus irritantur à potestate laica;sed quatenus ius canonicum huiusmodi leges acceptat quoad vim directiuam; modò ius canonicum alia via non sustineat actum, vel in fauorem clerici, vel in fauorem actus. Quamobrem testamentum clerici factum sine solemnitate iuris ciuilis est validum, quia ius canonicum minori solemnitate contentum est. *ibid. pag.* 101 *n.*14. *tom.*3.

29. Statutum, quo cauetur ne bona immobilia ad Ecclesiasticos, vel ad pia loca transferantur, vendantur, aut donentur, etiamsi feudalia sint, aut ex ipsis tributum fisco soluatur, libertati Ecclesiasticæ repugnat; nam edentes huiusmodi statuta subiiciuntur excommunicationi tanquam violatores Ecclesiasticæ libertatis *num.* 17. Idem dicendum de statuto, quo decernitur, vt de re ad pias causas relicta soluatur aliquid fisco, vel etiam alteri Ecclesiæ; quia laici circa huiusmodi spiritualia, aut spiritualibus annexa potestatem non habent. *num.* 19.

30. Statutum excludens eum qui vult ingredi, vel est ingressus religionem, aut alios Ecclesiasticos à successione parentum, agnatorum, vel aliorum, est contra libertatem Eccles. quia impedit ne bona locis piis, vel Ecclesiis acquirantur. *ibid.num.*21.

31. Princeps qui nullum in temporalibus superiorem agnoscit, non est reus violatæ libertatis Ecclesiasticæ, dùm ad euitanda periuria quæ passim in contractibus committuntur edicto cauet ne iuramentum in celebratione contractuum adhibeatur, sed eius loco addatur hæc formula, *sub sincera, & immaculata fide.* Quia ad Principem spectat formam in contractibus seruandam præscribere, & immutare; iuramentum autem pertinet ad formam contractus; & sicut Princeps præcipere potest vt iuramentum contractui addatur, ita potest prohibere ne addatur. Porrò licet iuramentum sit actus religionis, & vt sic sub laicam potestatem non cadat; nihilominus vt est actus humanus, & quid accessorium contractui, præcipi à Principe, & prohiberi posse videtur, non vt est aliquid sacrum, sed vt est aliquid ciuile. *ibidem pag.*102.*n.* 26. *tom.*3.

32. Statutum quo superior laicus præscribit, vt illius beneficio non fruantur qui subditi non sunt, officit libertati Ecclesiasticæ si ex circunstantiis appareat superiorem velle ab hoc priuilegio clericos excludi. Secùs autem si in statuto nul-

la fiat mentio clericorum, neque directè, neque indirectè. *ibid.num.* 29. Ex iis quæ hactenus dicta sunt de statutis colligere est quandónam laici statuentes, censuram huius canonis incurrant. *ibid.*

33. In dubio an aliquod statutum libertati Ecclesiasticæ aduersetur, Episcopus cogere potest conditorem ad declarandum expresse tali statuto clericos, & Ecclesias non comprehendi. Si verò perspicuè constet illud statutum lædere libertatem Ecclesiasticam, præcipere debet conditori, & iis ad quos pertinet, vt illud omninò tollant; sin nolint, debet ipse auctoritate sua tollere, & declarare, huiusmodi statutum irritum esse. *ibid.pag.*104.*n.*41 *tom.*3.

34. Scriptores statutorum contra libertatem, & iura Ecclesiæ, censuram huius canonis non videntur incurrrere, nisi forte sint Cancellarij vel similes quos Princeps vel Resp. constituit ad facienda statuta pro bono communi. Quia ista excommunicatio videtur lata contra eos qui statuta, vel decreta auctoritatiuè faciunt, vel ordinant; qui autem scribit, non auctoratiuè facit, nisi sit Cancellarius. *ibid punct.*3.*pag.*105. *num.*7. Item præcones, aliique ministri inferiores qui de mandato superioris huiusmodi statuta cõtra libertatem Eccles. promulgant, huius canonis censuræ non subiiciuntur; quia non promulgant auctoritatiuè. *ibidem pag.* 98 *numero* 8. *tom* 3.

35. Hæc excommunicatio contra libertatis Ecclesiasticæ violatores alibi passim in iure canonico lata inuenitur. 1. in cap. *eos.* excommunicantur domini temporales qui præcipiunt suis subditis ne clericis vendant, aut ab eis emant, ne coquant, &c. 2. in cap. *grauem*, excommunicantur consiliarij, & officiales qui non delent statuta contra libertatem. Eccles. 3. in cap. *nouerit*, excommunicantur statutarij, scriptores statutorum, ij qui faciunt seruari statuta contra Eccles. libertatem, vel consuetudines introductas contra eandem libert. *ibidem, tom.*3.

Ecclesiastica Iurisdictio.

36. Qui directè vel indirectè impediunt iudices Ecclesiasticos ordinarios seu Episcopos, seu alios Prælatos quominus sua iurisdictione Ecclesiastica cõtra quoscumque vtantur iuxta canones, constitutiones Ecclesiasticas, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, excommunicationi

cationi 16. Bullæ Cænæ subiiciuntur. *disp. 1. quæst. 17. punct. 1. pag. 107. tom. 3.*

37. Hæc censura lata est in eos qui iniustè impediunt iurisdictionem Ecclesiasticam: Nam qui iustè impedit, non peccat, atque adeo excommunicationem non incurrit, quæ supponit peccatum mortale. Quare qui Prælatum impedit ne iurisdictione vtatur in eum qui non est illi subditus; vel qui prohibet ne iudex Ecclesiasticus progrediatur in causa in qua reus ad illum legitimè appellauit; vel qui impedit Prælatum excommunicatum vitandum ne iurisdictionem exerceat: hi; inquam, excommunicationem non incurrunt, quia iustè impediunt: Summus autem Pontif. excommunicat eos qui impediunt iniustè, idest qui impediunt ne Prælati iurisdictione vtantur iuxta præscriptum canonum, constitutionum Ecclesiast. & Conciliorum. *ibid. num. 4.*

38. Qui precibus, litteris hortatoriis, præmio, amore, &c. absque vlla vi, aut metu, efficit ne iudex Ecclesiasticus sua iurisdictione vtatur, non subiacet huic excommunicationi; cum enim nullam vim adhibeat, non dicitur propriè impedire. *ibid. num. 3.*

39. In dubio an Prælatus sua iurisdictione legitimè & iuxta constitutiones Ecclesiasticas vtatur, censendus est licitè vti; quia in facto superioris non præsumitur delictum; quare illum impediens censetur excommunicatus. *ibid. pag. 108. numero 6. tom. 3.*

40. Ad incurrendam huius canonis censuram requitur vt publica auctoritate prohibeatur iudex Ecclesiasticus ab exercitio suæ iurisdictionis; nam qui priuata auctoritate impedit, non videtur incurrere censuram: Vnde sequitur eum qui noctu lacerat edictum Episcopi in loco publico affixum, non affici excommunicatione huius canonis; peccat tamen grauiter, & graues meretur pœnas. *ibid. num. 7. & 8.*

41. Non incurritur excommunicatio huius canonis impediendo vsum iurisdictionis delegatæ, sed ordinariæ. Dicitur autem delegata iurisdictio quæ conceditur personæ, nec ei debetur ratione officij, seu dignitatis; ordinaria verò quæ alicui competit ex officio. At Summus Pontif. loquitur de impedientibus Prælatos ordinarios ne iurisdictione sua Ecclesiastica vtantur, ergo loquitur de iurisdictione ordinaria. *ibid. num. 10.* Hinc fit, vt impediens Episcopum in iis quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, incurrat excommunicationem; etiamsi forte iuris-

dictionem

dictionem exerceat tanquam Delegatus Sedis Apost. iuxta Conc. Trid. Episcopus enim non ob id desinit esse ordinarius, nec dicitur iurisdictionem propriè delegatam exercere, cum hæc iurisdictio dignitati Episcopali concedatur, sitque perpetua. *ibid. pag* 108. 109. *n.* 12. *tom.* 3.

42. Impediens Episcopum etiam nondum consecratum ne sua iurisdictione vtatur, censuram huius canonis incurrit; quia est iudex ordinarius: nam post confirmationem, habet iurisdictionem. Sin nondum Episcopatus possessionem adierit, non potest licitè, & validè iurisdictionem exercere, antequam literas Apostolicas obtineat. *ibid. n.* 13.

43. Qui iudicem Ecclesiasticum ordinarium in causa mixti fori præuenit cognoscendo causam, seu illam suscipiendo antequam ad iudicem Ecclesiasticum deducta sit, non incurrit excommunicationem; quia non impedit iniustè cùm locus sit præuentioni in causis quæ pertinent ad vtrumque forum, & eius sit sententiam ferre qui prior ad se causam auocauit. *ibid. num.* 14.

44. Qui incarcerant, aut vexant procuratores, familiares, consanguineos, vel affines Prælatorum, seu iudicum Ecclesiasticorum ordinariorum, vt impediant vsum Ecclesiasticæ iurisdictionis, hanc censuram incurrunt; quia indirectè impediunt, sic enim Prælati à suo munere obeundo deterrentur. *ibid. num.* 15.

45. Qui impedit Episcopum, aut Parochum ne alicui beneficium absolutionis sacramentalis impendat, huic censuræ non est obnoxius: absolutio enim sacramentalis est actus fori interni, non autem externi; at in Bulla sermo est de iurisdictione fori externi. *ibid. num.* 16. Idem dicendum de impediente Episcopum ne potestatem ordinis exerceat. *numero* 17.

46. Qui impedit iudicem Ecclesiasticum ordinarium ne iurisdictione sua vtatur in causis ad ipsum pertinentibus ex consuetudine per sacros canones, vel constitutiones Ecclesiasticas approbata, incurrit excommunicationem. Secùs in causis ad iudicem Eccles. spectantibus ex consuetudine per canones non approbata. *ibid. n.* 18.

47. Non est vetitum sub excommunicatione impedire Prælatum ne sua iurisdictione vtatur iuxta statuta Conciliorum Prouincialium: Quia nomine Constitutionum Ecclesiasticarum intelliguntur decreta Summorum Pontiff. vel Conciliorum generalium. *ibid. num.* 19.

48. Ad hanc excommunicationem incurrendam non est satis impedire iudices Eccles. ne sua iurisdictione vtantur, nisi effectus impedimenti sequatur; si enim non obstante impedimento à suæ iurisdictionis vsu non cessat, impediens non incurrit censuram: quia pœna ob delictum imposita non incurritur nisi delictum sit consummatum. *ibid. n.* 20.

49. Qui iudicium fori Ecclesiastici eludunt, recurrendo ad Cancellarias, & alias Curias sæculares animo impediendi sententias, & decreta iudicum Ecclesiasticorum ordinariorum, vel delegatorum, in Bullæ censuram incurrunt, *pag.* 110. *num.* 22. Quod verum est etiamsi sententia contra recurrentem lata esset violenta, & iniqua; quia in hoc casu non est confugiendum ad laicos, sed ad alios superiores Ecclesiasticos. *ibid num.* 27.

50. Ad hanc censuram incurrendam sufficit vt à iudicibus Ecclesiast. ad sæculares recurratur animo petendi ab eis auxilium, seu mandata, vel inhibitiones contra Ecclesiasticos iudices, etiamsi postea reipsa non obtineantur, vel obtenta executioni non mandentur; quia in hoc canone recursus ad iudices sæculares per se prohibitus est. *ibid. n.* 28.

51. Qui curat deleri, & tolli decreta in Curia sæculari edita in confirmationem decretorum Ecclesiasticorum non incidit in excommunicationem; quia non curat tolli decreta Ecclesiastica; sed tantùm vult impedire ne in Curia sæculari hæc decreta confirmentur. *ibid. n.* 30.

52. Qui procurat, vt à Curiis sæcularibus decernantur mandata, seu prohibitiones contra iudices Ecclesiasticos ordinarios, vel vt hæ prohibitiones executioni mandentur, vel qui huiusmodi prohibitiones facit, vel exequitur, in pœnam huius canonis incurrit; quare satellites aliique iustitiæ ministri qui iudicum sæcularium mandata exequuntur contra Ecclesiast. iudices, huic censuræ subiiciuntur, nisi grauis metus, aut ignorantia probabilis excuset. *ibidem, numero* 31. *& seq.*

53. Qui auxilio, consilio, patrocinio vel fauore iuuat recurrentem à iudicibus Ecclesiasticis ad sæculares, in eandem censuram incurrit, si recurrens obtineat mandatum vel inhibitionem contra iudices Ecclesiast. quia si non sequatur actio principaliter prohibita, actio accessoria non sufficit ad censuram incurrendam. *ibid. pag.* 111. *num.* 37. *& seq. tom.* 3.

54. Excommunicatio contra perturbantes iurisdictionem Ecclesiasticam, alibi etiam expressa inuenitur. Nam in cap. *Quoniam,*

Quoniam. excommunicantur qui in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus impediunt ne quis literas Apostolicas impetret, aut ne litiget coram iudice Ecclesiastico. Excommunicantur etiam dantes consilium, auxilium, vel fauorem; & ista excommunicatio perseuerat donec delinquens satisfecerit iudici Eccles. & parti quam impediuit; non est tamen Pontifici reseruata. Item in quadam Constitutione Greg. XIII. extat excommunicatio Summo Pontifici reseruata contra Religiosos, vel Religiosas Ordinis S. Francisci de Obseruantia, qui ad Curias sæculares recurrunt contemnentes ordinationes Commissariorum Ministri Generalis. Item in cap. *Quicunque.* fertur excommunicatio contra eos qui dant licentiam vexandi iudices qui censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti tulerunt. Hæc autem excommunicatio est Summo Pontif. reseruata si delinquens in ea manserit per duos menses. *ibid. tom.* 3.

Ecclesiasticorum bonorum alienatio.

55. Ecclesiasticorum bonorum alienatio prohibita est iure naturali diuino, addito iuramento quoad Summum Pontif. & Cardinales respectu bonorum Sedis Apostolicæ: quoad Episcopos autem & Prælatos, respectu bonorum suæ Ecclesiæ. Est etiam vetita iure Cæsareo in l. *iubemus*, & iure Canonico passim, maximè in Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. *tom.* 1. *pag.* 726. *num.* 1.

56. Fieri tamen potest huiusmodi bonorum alienatio ex iusta causa, debita solemnitate adhibita; vel ad breue tempus, titulo locationis, aut in emphyteusim, in casibus à iure permissis. Fieri etiam potest alienatio rerum quæ seruando seruari non possunt. *ibid. num.* 1. *& seq.*

57. Nomine alienationis hic intelligitur actus quo dominium rei directum, vel vtile, aut vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. *ibid. pag.* 727. *n.* 1.

58. Ecclesiastica bona immobilia, & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt, alienari nequeunt: Mobilia verò, & pretiosa quæ seruando seruari non possunt, Episcopus, vel administrator vendere potest sine alia solemnitate: quapropter vinum, frumentum, oleum, oues, capræ, &c. etiam sine solemnitate, validè alienari possunt. Idem dicendum de oblationibus quæ sacræ Imagini fiunt, modò Episcopi consensus accedat. *ibid. n.* 2. *& seq.*

59. Pecunia ad Ecclesiam pertinens nec dari potest titulo mutui, nec in alios vsus consumi quàm in eos quibus destinata est,& addicta. Arbores quæ radicibus solo adhærent, suntque ligni durioris, incidendæ non sunt nisi cum debita solemnitate. Item contractus quo bona Confraternitatis, Collegij, aut Hospitalis, Episcopi auctoritate fundati, sine debita solemnitate alienantur, est irritus, & nullus. *ibidem numero* 5. *&* *sequent.*

60. Bona monasterij, & Commendæ S.Ioannis Hierosolymitani, aut aliæ huiusmodi, sine Apostolicæ Sedis consensu alienari non possunt. Item iuspatronatus Ecclesiasticum transferri in laicum nequit, nec res ab Ecclesia empta retrouendi absque debita solemnitate. *ibid.pag.*729.*n.*13.*&* *seq.*

61. Capellæ vsus cum sepultura,sine solemnitate concedi potest alicui;hoc enim non est alienare. *ibid.n.*12.

62. Ad validam bonorum incorporalium, iurium, actionum, & seruitutum Ecclesiæ alienationem,& bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum oppignerationem requiritur solemnitas. Nec non vt res in feudum,aut emphyteusim dentur,quæ sic dari non solent. *ibid.n.*19 *&* *seq.*

63. Bona patrimonialia ad quorum titulum fuit aliquis ordinatus, absque Episcopi facultate alienari non possunt, donec clericus qui ad illorum titulum fuit promotus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel aliunde habeat vnde sustentetur; hæc tamen bona,ipso mortuo, ad pristinam redeunt libertatem. *ibid.pag.*730.*num.*28.

64. Res Ecclesiæ pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, vltra triennium locari nequeunt. Idem tempus præscribitur locationi beneficiorum; quare vltra triennium locatio etiam iuramento firmata non valet. *ibidem pag.* 729. *num.* 24. *&* *seq.*

65. Ecclesiæ lampades argenteæ, & id genus alia ad sacram supellectilem pertinentia, alienari nequeunt ad fabricam Ecclesiæ promouendam, aut in alios vsus, nisi consuetudo in contrarium, quibusdam in locis obtinuerit. *ibid.* *pag* 730.*num.*30.

66. Legatum Ecclesiæ relictum potest ab Episcopo validè repudiari, nulla solemnitate seruata; cum enim nondum sit acceptatum, per repudiationem dici non potest alienari. *ibid.* *pag.*731.*num.*33.

67. Cessio hæreditatis, quam Ecclesia nondum adiit, facta à Prælato sine debita solemnitate, in fauorem extranei

nei qui ad illam nullum ius habebat, est inualida. *ibidem num.* 34.

68. Ecclesiasticorum bonorum alienatio quatuor ob causas licita sit, & valida, nempe ob vrgentem necessitatem, ob pietatem, ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem,& ob causam quæ Prælato videtur legitima, etiamsi postea legitima non iudicetur. *ibid.num.*1.

69. Vt bona mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ legitimè alienentur, hæ solemnitates sunt seruandæ. 1. vt fiat tractatus, seu discussio,an expediat huiusmodi bona alienari, rationibus in vtramque partem allatis, & expensis. 2. vt facta hac discussione, accedat consensus maioris partis Capituli,eorum scilicet qui adsunt. 3. requiritur in primis ipsius superioris consensus. *ibid.pag.*731.*n.*1.*&* *seq.*

70. Vt valida sit alienatio bonorum Ecclesiæ non habentis Collegium, requiritur consensus rectoris Ecclesiæ cum facultate Episcopi, necnon ipsius etiam Summi Pontificis. Nomine autem Collegij intelligitur non tantùm communitas Canonicorum, verùm etiam beneficiariorum. *tom.* 1. *pag.* 733.*num.*9.*&* 10.

71. Res legata Ecclesiæ cum hac conditione, *vt alienari possit*, nihilominus alienari nequit sine debita solemnitate; hæc enim conditio habetur pro non apposita: & vice versa,res legata Ecclesiæ cum hac conditione, *vt in nullo casu alienari possit*, nihilo seciùs iusta ex causa,adhibita debita solemnitate,validè alienari potest. *ibid. n.*11.*&* 12.

72. Quando res aliqua donata fuit Ecclesiæ cum hac conditione, *vt non alienetur, alioquin ad hæredes donatoris deuoluatur*; si absque iusta causa, & debita solemnitate prætermissa,non expectato Sedis Apostolicæ consensu, alienetur, pœna caducitatis incurritur. *ibid.num.*13.

73. Contractus alienationis bonorum Ecclesiæ,sine debita solemnitate,in foro externo,& interno est inualidus, etiamsi in fauorem Ecclesiæ fuerit celebratus;resque accepta sine præfata solemnitate, restituenda est Ecclesiæ, seu loco pio ad quem ante alienationem pertinebat. *ibid.n.*14 *&* 15.

74. Alienantes bona Ecclesiæ sine debita solemnitate excommunicationem incurrunt;at si Episcopi fuerint aut Abbates interdicto subiiciuntur, & si per sex menses in interdicto permanserint,suspenduntur à regimine, & administratione Ecclesiarum, seu monasteriorum quibus præsunt;neque Cardinales ab hac censura eximuntur; cùm enim subiiciantur legibus

quæ sunt in fauorem, ipsos etiam subiici par est odiosis; obstringunturque iuramento de non consentiendo alienationi bonorum Sedis Apostolicæ. *ibidem pag.* 734. *numero* 1. *&* *seq.*

75. Summus Pontifex bona Ecclesiæ alienans, his censuris, ac pœnis non subiicitur; quia legislator suis legibus, quoad vim coactiuam, non obligatur; peccat tamen contra iuramentum alienando, seu infeudando castra, ciuitates, & dominia Sedis Apostolicæ, nisi cum iusta, ac legitima causa secum dispenset in vinculo iuramenti. *ibid.pag.*735.*n.* 1. *&* *seq.*

76. Summus Pontif. alienans bona Ecclesiastica cum damno Ecclesiarum, sine iusta causa (cuiusmodi est communis necessitas, vel publica vtilitas) peccat contra iustitiam; huiusmodi tamen alienatio valida est; sed tenetur Pontifex ad restitutionem damnorum quæ inde sequuta sunt. At in foro conscientiæ semper præsumenda est iusta causa, nisi oppositum constet. *ibid.pag.*735.736.*num.*1. *&* *seq.*

77. Donatio gratuita facta à Summo Pontif. in laicos de bonis Ecclesiæ absque iusta causa, iniusta quidem est; valida tamen; accipiens autem hæc bona, propter bonam fidem, excusari potest à restitutione. *ibid.n.* 10. *&* 11.

78. Summus Pontif. priuans innocentem suo beneficio, illudque alteri conferens, contra iustitiam peccat, licèt illum alia ratione compenset. Idem dicendum si bona vnius Ecclesiæ ad aliam transferat sine iusta causa, & compensatione. *ibid.n.*12.

79. Reuocationes bonorum iam alienatorum factæ à Pontifice qui alienauit, vel ab eius successore, sunt validæ. Immo si aduertat eas alienationes factas esse in detrimentum Ecclesiæ, tenetur eas irritare, si alia ratione damnum Ecclesiæ reparari nequit *ibid.pag.*737.*n.*15.

80. Qui aliquid accepit à Summo Pontifice in detrimentum Ecclesiæ, tenetur ad restitutionem, saltem illius in quo factus est locupletior, si illa donatio reuocetur, vel si à Pontifice interpelletur. *ibid.n.*16.

81. Commissarij, vel delegati Sedis Apostolicæ concedentes facultatem alienandi bona Ecclesiastica in damnum Ecclesiæ, si sint Episcopis inferiores, excommunicationem incurrunt: Episcopi verò, aut Episcopis superiores suspenduntur per annum ab executione officij; quæ tamen excommunicatio, & suspensio non est Papæ reseruata. *ibidem numero* 1. *&* *seq.*

82. Qui

82. Qui scienter, vel per fraudem procurant fieri alienationem bonorum Ecclesiast. in damnum Ecclesiæ, aut decretum huiusmodi alienationis, incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reseruatam, etiamsi nondum facta fuerit alienatio. *ibid.*

Ecclesiasticorum bonorum vsurpatio.

83. Qui vsurpant iurisdictiones, fructus, redditus, vel prouentus ad Ecclesiasticas personas pertinentes ratione monasterij, Ecclesiæ vel beneficij, incurrunt in excommunicationem 17. Bullæ Cœnæ, nisi ob ignorantiam, vel aliam caussam legitimam excusentur. *disp.*1.*quæst.*18.*pag.*112. Vnde sequitur fures, latrones, & milites qui bona Ecclesiasticorum rapiunt, non incidere in censuram huius canonis; quia non dicuntur hæc bona vsurpare, cum ea sibi vendicent tanquam propria, sed rapiant tanquam aliena. *ibid. punct.* 1. *pag.* 113. *num.*4.*tom.*3.

84. Qui bona à suis prædecessoribus Ecclesiæ tradita ad diuina officia persoluenda, sibi vendicat tanquam ad se pertinentia, putans diuina officia malè administrari, aut qui ob expensas in bello factas accipit bona Ecclesiasticorum titulo compensationis tanquam sibi debita, huic excommunicationi subiicitur, nisi bona fides, aut ignorantia excuset. *ibid.n.6.*

85. Qui vsurpat iurisdictionem Episcopi spiritualem, vel temporalem adnexam Episcopatui, censura huius canonis obstringitur. Secùs si iurisdictio temporalis illi non competat ratione beneficij, sed ratione patrimonij, aut alio titulo; nam Summus Pontif. vult consulere personis Ecclesiasticis, in bonis Ecclesiasticis, non verò in profanis. *ibid.punct.*2.*pag.*115. *num.*12.*tom.*3.

86. Qui vsurpat, vel sequestrat fructus, vel prouentus pertinentes ad religiosos ratione monasterij; immò qui vsurpat annuum redditum religioso relictum de consensu Prælati, aut bona patrimonialia monacho à parentibus tradita quorum administrationem superior eidem concessit, incurrit in hanc censuram; quia sunt bona monasterij; quidquid enim monachus acquirit, monasterio acquirit. *ibidem num.* 13. Qui verò bona, Ecclesiæ, vel monasterio relicta non consignat, non subiacet excommunicationi: Cùm enim hæc bona ante consignationem non possideantur à monasterio, vel Ecclesia, hic non dicitur vsurpare bona Ecclesiastica. *ibid.n.*13.

87. Vsurpans fructus alicuius Oratorij priuati, idest quod non sit ab Episcopo approbatum, nec deputatum ad Missæ sacrificium in eo cerebrandum, non ligatur hac censura; quia huiusmodi Oratorium non venit nomine Ecclesiæ, neque stricte loquendo, pius locus appellatur. Idem dicendum de fructibus cœmeterij, licèt vsurpans fructus cœmeterij incurrat in censuram Concilij Trident. sess. 22. cap. 11. *ibidem num* 17. *&* 18.

88. Vsurpans fructus, vel redditus alicuius hospitalis, etiam fundati auctoritate Episcopi, subiicitur quidem excommunicationi Concilij Trid. loc. cit. non tamen excommunicationi huius Bullæ; quia hospitale non est propriè beneficium, & ipsius fructus non sunt constituti ad Ecclesiasticas personas alendas. *ibid.num.*19.

89. Vsurpans distributiones, aut ea quæ sacerdos acquisiuit pro Missis celebrandis extra fructus beneficij, vel pro confessionibus audiendis, vel concionibus habendis aliisque eiusmodi functionibus, non ligantur hac censura; quia hæc bona non competunt illi sacerdoti ratione beneficij, vel Ecclesiæ, sed ratione interessentiæ seu assistentiæ in choro, vel propriæ industriæ, & laboris, idcirco dantur nomine stipendij. *ibid. pag.*116.*n.*22.*tom.*3.

90. Vsurpans fructus quos sacerdos percipit ex bonis patrimonialibus ad quorum titulum promotus est ad sacros ordines, non obstringitur hac excommunicatione; quia hi fructus non competunt illi ratione beneficij; huiusmodi enim bona non sunt Ecclesiastica licet aliquibus priuilegiis gaudeant; Idem dicendum à fortiori de aliis bonis emptis à sacerdote nomine proprio, licet empta sint ex fructibus beneficij. Item de fructibus Capellaniæ amouibilis; hæc enim Capellania non est beneficium cùm amoueri possit. *ibidem numero* 23. *& seq.*

91. Vsurpans, vel sequestrans fructus beneficij Ecclesiastici quod alter beneficiarius conduxit, non incurrit excommunicationem; quia non vsurpat fructus pertinentes ad personam Eccles. ratione beneficij, sed ratione contractus conductionis. *ibid.num.*26.

92. Quæres an vsurpans ipsos fundos, prædia Ecclesiastica, seu beneficia censuram huius canonis incurrat. *Resp. affirmatiuè*; quia vsurpans huiusmodi prædia, fructus etiam sibi consueuit applicare; sibi enim vsurpat ius fruendi huiusmodi bonis; cumque vsurpatio fructuum sit causa excommunicatio-

nis,

his, multò magis occupatio beneficij ratione cuius clericus habet ius ad fructus. *ibid.n.*28.

93. Clerici cædentes arbores frugiferas suorum beneficiorum in hanc excommunicationem non incidunt; cum enim beneficia legitimè possideant, non possunt dici vsurpatores. *ibid. numero* 30.

94. Vsurpans fructus, redditus vel prouentus beneficij vacantis incidit in hanc censuram: Quia licet illi fructus non videantur pertinere ad vllam personam Ecclesiasticam; tamen Summus Pontif. consulere intendit bonis Ecclesiasticis ne impunè vsurpentur; intentio autem Summi Pontif. valde frustraretur si fructus beneficij vacantis impunè distrahi, & vsurpari possent, cùm tunc temporis maximum illis periculum impendeat defectu possessoris. Idem sentiendum de vsurpante fructus monasterij in quo aut omnes religiosi mortui sunt, aut nulli tunc reperiuntur, quia sunt aliò translati. *ibidem numero* 31.

95. Vsurpantes fructus & prouentus pertinentes ad Summum Pontif. non vt Summus Pontif. est; sed quatenus est Princeps temporalis, potestatem temporalem excercens, ligatur censura huius canonis, nisi ignorantia, vel alio iusto titulo excusetur: Quia in canone dicitur, *ad Nos*, absque vlla distinctione, aut limitatione; ergo cùm absolutè loquatur de bonis ad ipsum Pontificem pertinentibus, absolutè intelligendus est. Secùs dicendum de vsurpante fructus Summi Pontif. patrimoniales vt persona particularis est; illa enim verba, *ad Nos & ad Sedem Apostolicam*, auctoritatiuè proferuntur. *ibid.pag.*117.*n.*33.*tom.*3.

96. Qui fructus pertinentes ad personas Eccles. non vsurpauit ipse, sed retinet sciens ab alio ereptos esse, vt si filius retineat sciens illos à patre iniquè sublatos, incidit in excommunicationem statim atque illos tanquam proprios retinere incipit; quia ex tunc dicitur fructus Ecclesiasticos vsurpare. Idem sentiendum de surripiente fructus Ecclesiasticorum legitimè sequestratos, sibique tanquam proprios adscribente. Secùs dicendum de illo qui fructus Ecclesiasticos ab alio ereptos non intendit sibi tanquam proprios retinere; sed solùm negligens est in restitutione facienda; hic tamen peccat contra iustitiam iniustè detinendo. *ibid. punct.* 3. *pag.* 118. *num.* 3. *&* 4. *tom* 3.

97. Qui fructus, vel prouentus ad Ecclesiasticos pertinentes ratione Ecclesiæ, monasterij, vel beneficij, quauis oc-

casione sequestrant sine Summi Pontificis, vel aliorum ad id legitimam potestatem habentium expressa licentia, excommunicatione huius canonis innodantur. Hanc autem sequestrandi facultatem concedere possunt præter Summum Pontif. Episcopi, eorumque vicarij, Legati seu Nuncij Sedis Apost. partes etiam litigantes de communi consensu permittere possunt vt bona seu fructus de quibus controuertitur, tradantur alicui certæ personæ custodiendi, donec lis dirimatur, & constet cui iure debeantur. Non sufficit autem ratihabitio illius qui facultatem sequestrandi concedere potest; quia Summus Pontif. expressam licentiam requirit; licentia autem quæ per tacitum consensum obtinetur, non est expressa. *ibid. num.* 7. 14. *&* 15.

98. Sequestrans inualidè fructus Ecclesiasticorum vel ob nullitatem licentiæ, vel ob defectum iurisdictionis, in hanc censuram incidit nisi titulo bonæ fidei excusetur. Quia Summus Pontif. sub pœna excommunicationis vult sequestrationem fieri ab habente auctoritatem siue ordinariam, siue delegatam. In nonnullis tamen casibus sequestratio à Iudice Ecclesiastico fieri permittitur 1. ad puniendam contumaciam. 2. ne fructus dilapidentur. 3. cum beneficium vacat. 4. cum possessio capta est lite pendente. 5. in causa quæ iudici iusta videatur. *ibid. pag.* 119. *num.* 17. *tom.* 3.

99. Bonorum Ecclesiast. vsurpatio non solùm in Bulla Cœnæ vetita est; verùm etiam iure communi pluribus in locis in Concil. Triburien. c. 7. Concil. Aurelian. 3. c. 22. Conc. Aurel. 5. c. 15. Concil. Parisien. 1. c. 1. Mogunt. c. 6. & 11. Vvormatien. c. 75. Aquisgranen. c. 88. Lateran. sub Leone X. sess. 9. & 10. Concil. Trident. sess. 22. cap. 11. & vltimo.

Ecclesiasticorum bonorum submissio.

100. In cap. *hoc consultissimo, de rebus Eccles. non alienand. in 6.* fertur duplex excommunicatio. 1. contra laicos qui compellunt Ecclesiasticos ad submittenda bona immobilia, ac iura laicis absque consensu capituli, & speciali Sedis Apostol. licentia. 2. contra eos qui occasione horum contractuum aliquid sibi vsurpant vltra pactum in contractibus expressum. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 20. *pag.* 171. *tom.* 3.

101. Submitti possunt bona Ecclesiastica laicis. 1. constituendo laicos patronos. 2. constituendo illos aduoca-

tos Ecclesiarum. 3. profitendo bona Ecclesiarum à laicis tamquam à superioribus dependere. *ibidem pag.* 172. *num.*3. *tom.* 3.

102. Qui ex contractibus submissionis aliquid vsurpat vltra conuentionem, hanc censuram non incurrit nisi post trinam monitionem ab vsurpatione non destiterit. *ibidem, numero 6.*

103. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Ecclesiastica immunitas ab oneribus.

104. Imponentes collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera personis Ecclesiasticis & eorum bonis, fructibus, & prouentibus absque Summi Pontificis licentia, & eadem tributa seu onera exigentes, vel recipientes, aut ad illorum exactionem concurrentes, suo consilio, auxilio, vel fauore, in Bullæ Cœnæ excommunicationem 18. incidunt. *disp.*1. *quæst.* 19. *pag.* 120. *tom.*3.

105. Onera triplicia sunt. *Personalia*, quæ in sola hominis industria, & labore consistunt absque dispendio, & sumptu rei familiaris, vt est munus tutelæ, curationis, &c. *Realia*, quæ consistunt in sumptibus seu in dando absque corporali labore. *Mixta*, quæ laborem corporis, & sumptus rei familiaris complectuntur. *ibid. punct.* 1. *pag.* 121. *numero* 3. *tom.* 3.

106. Probabiliter sustineri potest in hoc canone vetitum esse sub excommunicatione, imponere Ecclesiasticis onera merè realia, & mixta, qua parte realia sunt, non verò personalia. Quia personæ Ecclesiasticæ oneribus realibus potissimùm vexari solent; ergo ipsorum immunitati in hac parte, consulendum fuit. Probabile autem est imponentem Ecclesiasticis onera simpliciter personalia non affici censura huius canonis, qui loqui tantùm videtur de oneribus realibus. *ibid.*

107. Ad incurrendam huius canonis censuram, non est satis imponere tributa, & onera Ecclesiasticis nisi etiam exigantur; nam vtrumque copulatiuè exprimitur in Bulla. Illa tamen exigens etiamsi non imposuerit, hanc censuram incurrit. Idem dicendum de eo qui illa recipit etiamsi sponte tradantur, & concedantùr. *ibid. num.*4 *&* 5.

108. Quæres vtrum extorquens aliquam pecuniam ab Ecclesiasticis in hanc excommunicationem incurrat, si hoc onus non

non fuit Ecclesiasticis impositum? *Resp. negatiuè*; quia Summus Pontif. excommunicat exigentes, seu recipientes tributa Ecclesiasticis imposita, ergo à contrario extorquens tributum non impositum, excommunicationi non subiacet. Vnde sequitur custodes portarum, ciuitatis, fluminis, pontis, vel portus extorquentes ab Ecclesiasticis tributum, cum tamen Princeps in impositione tributi, nullam Ecclesiasticorum fecerit mentionem, non incidere in censuram huius canonis; aliam tamen excommunicationem incurrunt, latam in cap. *quanquam de censibus*; sed non est Pontifici reseruata. *ibidem, numero 6.*

109. Qui aliquid exigit ab Ecclesiasticis non tanquam tributum, & onus, sed vt pretium sui laboris, non incidit in censuram huius canonis. Quia Summus Pontif. excommunicat exigentes taleas & alia onera quatenus scilicet onera sunt, non verò quatenus sunt pretium iusti laboris. Hinc sequitur eum qui clericum nauigio transuehit, posse ab eo exigere pretium transitus tanquam stipendium sui laboris. *ibid. pag.122. n.8 & 9. tom.3.*

110. Recipiens aliquid à clericis propria sponte, & voluntate omnino libera tradentibus, non subiicitur censuræ huius canonis; tum quia quilibet est rei suæ moderator & arbiter; tùm quia Summus Pontif. loquitur de recipientibus tributa, & onera imposita; qui autem recipit aliquid ab iis qui sponte, & voluntate planè libera tradunt, non dicitur recipere tributa imposita. Secùs si accipiat tanquam onus impositum, etiamsi accipiat absque præuia petitione aut vlla coactione. *ibid num. 10.*

111. Qui exigit aut exigendum mandat tributum à clericis animo restituendi in fine anni ad vitandas fraudes ministrorum exigentium, non excusatur ab excommunicatione; quia facit actionem clericis onerosam. Qui tamen exigit minimam gabellam ab Ecclesiasticis quæ non sufficiat ad peccatum mortale furti, non incurrit censuram nisi postquam peruentum est ad notabilem quantitatem; paruitas enim materiæ sicut excusat à peccato mort. ita etiam ab excommunicatione, *ibid.num.12.*

112. Imponentes onera grauiora consanguineis, aut affinibus clericorum qui cum illis habent bona indiuisa, vnde in ipsos etiam Ecclesiasticos damnum redundet; vel qui colonos Ecclesiasticorum ita grauant collectis, vt Ecclesiastici cogantur illis locare sua prædia viliori pretio, incidunt in excommunica

munica

municationem. Quia in Bulla excommunicantur imponentes, vel exigentes onera ab Ecclesiasticis directè, vel indirectè. *ibid. num.* 15.

113. Satellites, aliique officiales inferiores qui Ecclesiasticos citant ad soluenda onera, aut pignus accipiunt, vel quid simile faciunt vt Ecclesiastici onera soluere cogantur, in hanc censuram incidunt, nisi probabili ignorantia, vel alio iusto titulo excusentur. *ibid. num.* 16. Idem dicendum de notariis qui edicta conscribunt, componunt, aut dictant, isti enim auxilium præstant. *ibid. tom.* 3.

114. Quæres vtrùm qui non prohibet hanc impositionem, aut exactionem onerum ab Ecclesiasticis, cùm prohibere possit, & debeat, censeatur fauere huiusmodi actionibus, ac proinde in hanc censuram incurrat. *Resp. negatiuè*, quia excommunicatio imposita propter actionem positiuam, non incurritur ab eo qui se habet negatiuè. *ibidem pag.* 123. *num.* 19. *tom.* 3.

115. Prælati Ecclesiastici imponentes per se, vel per alios onera Ecclesiasticis, aut ipsorum bonis, & imposita exigentes absque Summi Pontif. licentia, quacumque tandem auctoritate id faciant, seu Ecclesiastica, seu laica, in censuram huius canonis incurrunt; quia Bulla expressè, & absolutè loquitur de Prælatis Ecclesiasticis, & quauis etiam Pontificali dignitate insignitis. *ibid. punct.* 2. *pag.* 123. *n.* 8. *tom.* 3.

116. Ecclesiastici sunt immunes ab oneribus quæ à subditis soluuntur Principibus pro capite; item ab onere hospitandi Principes, vel ipsorum Legatos, vel milites, nec vlla consuetudo derogat huic immunitati; quia Ecclesiastici exempti sunt à laica potestate quoad bona, & personas. Famuli autem clericorum huius canonis priuilegio non gaudent, quia non sunt Ecclesiastici. *ibidem punct.* 3. *pag.* 124. *num.* 4. *& seq. tom.* 3.

117. Vtrùm coloni Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum gaudeant immunitate à collectis, tributis, aliisque oneribus, variæ sunt DD. sententiæ; sed expectanda est Summi Pontificis decisio, hæc enim controuersia coram illo acerrimè agitatur. *ibid. num.* 7.

118. Emphyteutæ, qui bona Ecclesiasticorum in Emphyteusim acceperunt, tenentur ad collectas, & onera quæ imposita fuerunt solum pro dominio vtili vel pro fructibus; quia bona emphyteutica non sunt Ecclesiasticorum quoad dominium vtile, sed tantùm quoad dominium directum; cum igi-

tur

tur emphyteutæ sint personæ laicæ, vt suppono, & Principibus subiectæ,& ad ipsos pertineant fructus, imponens ipsis collectas pro his fructibus, excommunicationem huius canonis non incurrit; modò id fiat sine damno domini directi qui bona in emphyteusim concessit. *ibid.pag.*125.*n.*9.*tom.*3.

119. Bona Ecclesiasticorum patrimonialia, seu acquisita de rigore iuris sunt immunia ab oneribus, & tributis; tum quia ius antiquum ita disposuit; tum quia onus tributorum immediatè, & proximè imponitur personæ pro rebus; consequenter persona principaliter grauatur, & secundariò bona; sed personæ Ecclesiasticæ gaudent immunitate, ergo non possunt ipsis onera imponi non solùm pro bonis Ecclesiast. sed neque pro patrimonialibus. *ibid. num.*12. Idem sentiendum de bonis Ecclesiasticorum emptis, donatis, vel alio titulo acquisitis; nisi huiusmodi onera ex præuio partium pacto illis bonis imposita essent, antequam ad Ecclesiasticos peruenirent. *Ibid.pag.*126.*n.*16.*&* 17.*tom.*3.

120. Bona ad Ecclesiasticos translata censentur oneri tributorum subiici, quando illorum dominus antequam ad Ecclesiasticos transirent promisit pro se, & suis hæredibus se soluturum tributa, collectas, & onera quæcumque imponerentur; quia posita huiusmodi promissione contracta est obligatio realis, non solùm afficiens personas, verùm etiam bona; onus autem reale bonorum transit ad possessorem etiamsi persona sit immunis. Secùs dicendum si statuto caueatur, vt omnia bona in territorio alicuius ciuitatis existentia obnoxia sint tributis, & oneribus in posterum imponendis; tunc enim probabilissimum est Ecclesiasticos non teneri ad onera post translationem bonorum ad ipsos imposita: Quia hæc bona quando ad Ecclesiasticos transierunt, nondum erant obnoxia tributo, dùm autem tributum imponitur, iam sunt immunia,& exempta. *ibid.num.*18.

121. Bona quæ in communi, & in indiuiso possidentur à clericis cum laicis, vt à clerico,& eius fratre laico, pro rata bonorum ad clericos pertinentium gaudent immunitate Ecclesiastica; pro rata verò bonorum ad laicos spectantium non gaudent, nisi legitima consuetudo aliud ferat; quia vtile per inutile non vitiatur. *ibid.n.*19.

122. Fructus & redditus Ecclesiasticorum postquam ad laicos transierunt, ius immunitatis amittunt; mutata quippe persona quæ est causa priuilegij, extinguitur priuilegium. Hinc sequitur exigentes collectas ab iis qui fructus Ecclesiastico-

rum

rum emunt,non incurrere cenſuram huius canonis; modò dominium fructuum acquiſitum ſit laicis emptoribus. *ibidem num.*20.*&* 21.

123. Probabiliſſimum eſt Eccleſiaſticos iure humano, & diuino exemptos eſſe à laica poteſtate, non ſolùm in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, verum etiam in temporalibus tam quoad perſonas quàm quoad bona. Hinc Chriſtus Matth. 17. ſic loquitur cum Petro: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum; à filiis ſuis, an ab alienis?* deinde ſubiungit: *ergo liberi ſunt filij*; nomine autem filiorum hoc loco non intelligitur tantummodo Chriſtus; quia in plurali loquitur; neque intelligendi ſunt omnes Chriſtiani; quia, vt experientia conſtat, Chriſtiani laici, tributum Principibus ſoluunt; ergo intelligendi ſunt Eccleſiaſtici, vt notat Hieronymus. Vnde licet inferre conſuetudine induci non poſſe vt Eccleſiaſticis tributa, & onera à laicis imponantur. *ibidem punct.*3. §.2.

124. Obiicies: Chriſtus loc. cit. ſolui iubet tributum pro ſe, & Petro; ergo ſignum eſt Eccleſiaſticos qui longè ſunt inferiores Chriſto, & Petro teneri ſoluere tributum. *Reſp.* Chriſtus iuſſit tributum ſolui ne ſcandali anſam præberet; poſtquam enim dixit: *Ergo liberi ſunt filij*; ſubiunxit: *vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & inuenies ſtaterem, &c.* ſicut ergo Petrus non debebat tributum ſoluere niſi ratione vitandi ſcandali; ita neque alij Apoſtoli, & Eccleſiaſtici, quorum vices gerebat Petrus. *ibid. pag.*127.*tom.*3.

125. Qui habitum clericalem aſſumit in fraudem vectigalium, ne ſcilicet ſoluat vectigalia, ſed reipſa clericus non eſt, ab oneribus ſæcularium non eſt immunis; quia fraus patrocinari non debet ſuo auctori; Secùs ſi re ipſa, & ex animo ſtatum clericalem aſſumat, licet diuinis non inſeruiat, & alia à Concilio Trid. *ſeſſ.*23. *cap.*6. præſcripta non ſeruet. *ibid.* §.3. *num.*1. *&* 6. *pag.*128. *tom.*3.

126. Clericus Latinus coniugatus non eſt immunis ab onere tributorum. Item feudatarius tenetur ad onera ratione feudi impoſita; quia in iis quæ ad feudum pertinent, Clericus ſubiicitur domino feudi licet ſæculari. Item clericus lucratiuam negotiationem exercens tenetur pedagia, & gabellas ſoluere pro mercibus, non tamen ante trinam admonitionem vt mercaturam non exerceat; dicitur autem mercaturam exercere qui aliquid emit, vt ex illius venditione lucrum faciat; vnde clericus qui oleum, vinum, frumentum, & alia, quæ

ex suo agro percipit, vendit, non dicitur negotiari. *ibidem num.3.& seq.*

127. Cum expressa Summi Pontif. licentia possunt onera Ecclesiasticis imponi; cessante autem causa ob quam concessa est laicis facultas imponendi onera Ecclesiasticis, cessat etiam facultas. Porrò nulla consuetudo ius tribuit laicis imponendi onera Ecclesiasticis; quia iure diuino sunt immunes *ibidem pag.* 129. *num.* 12. Clerici tamen soluentes onera sibi à laicis imposita hanc censuram non incurrunt. *ibid.pag.* 130.*num.*18.*tom.*3.

128. Principes non possunt propria auctoritate onera clericis imponere pro reparatione pontium, viarum publicarum, mœnium ciuitatis, pro arcendis hostibus, &c. quando facultates laicorum non sufficiunt; neque sufficit consensus Episcopi, sed requiritur Summi Pontif. facultas; nisi magna sit necessitas quæ moram non ferat; nam in hoc casu poterit Episcopus cum Clero in impositionem eiusmodi onerum consensum præstare. *ibid.n.*15.*& seq.*

129. Tamen Clerici ex æquitate, & vi directiua tenentur ad onera, quæ non solum in laicorum vtilitatem, verùm directè, principaliter, & immediatè in vtilitatem, & commodum ipsorum clericorum diriguntur, vt si onus imponatur ad reparandum flumen quod laicorum, & clericorum agris perniciem minatur. *ibid.pag.*130.*n.*17.*tom.*3.

130. Hæc excommunicatio contra imponentes onera Ecclesiasticis non solùm in Bulla Cœnæ, verùm etiam alibi expressa reperitur. 1. in Conc. Lateran. sub Alexandro III. excommunicantur imponentes onera Ecclesiasticis si moniti non desistant. 2. In Concil. item Lateran. sub Innocentio III. eadem excommunicatio est renouata. 3. in cap. *clericis de immunitate*, à Bonifacio VIII. lata fuit excommunicatio Papæ reseruata non tantùm contra imponentes, sed etiam contra ipsos Ecclesiasticos soluentes, aut consentientes sub quouis prætextu. 4. in Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 9. renouatæ sunt omnes censuræ contra imponentes onera Ecclesiasticis. 5. in cap. *quanquam de censibus*, Bonifacius VIII. excommunicat exigentes onera pro rebus quæ non deferuntur causa negotiationis. *ibid.punct.*4.*pag.*131.*tom.*3.

Ecclesiastica exemptio à foro sæculari in causis criminalibus.

131. Causa criminalis illa est in qua agitur de pœna inferenda

renda vt iustitiæ vindicatiuæ satisfiat; cum enim ad iustitiam vindicatiuam pertineat punire delicta, causa censetur criminalis in qua agitur de illis puniendis. Quando verò agitur de pœna applicanda parti iuxta regulas iustitiæ commutatiuæ præscribentis ius suum cuique tribui, causa ciuilis appellatur. *disp.* 1. *quæst.*20.*punct.*1. *pag.* 132.*n.*5 *tom.*3.

132. Omnes, & quicumque magistratus, & iudices, notarij, scribæ, & iustitiæ ministri quomodolibet interponentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, & expressa sedis Apostolicæ licentia, in excommunicationem 19. Bullæ Cœnæ incurrunt. *ibid. pag.* 132. *tom.* 3.

133. Iudex laicus qui informationem verbaliter non verò iudicialiter accipit contra personam Ecclesiasticam, non subiacet huic censuræ; hic enim non dicitur processare, quia processus est actus iudicialis. Item qui non ex proposito contra Ecclesiasticos processum instituit in causa criminali, sed in prosecutione processus comperit delicti auctorem esse Ecclesiasticum, non subiicitur huic excommunicationi: quia hic non dicitur propriè Ecclesiasticam personam processare quam ignorabat esse criminis auctorem. At si nihilominus processum prosequatur, excommunicationem incurrit. *ibid. pag.* 133. *num.* 8. *&* 9. *tom.* 3.

134. Iudices Ecclesiastici interponentes se in causis criminalibus contra Ecclesiasticos, excommunicationi huius canonis non subiiciuntur; modò id non faciant auctoritate laica, v.g. quatenus sunt consiliarij, vel præsidis Principis laici; quia hæc excommunicatio fertur contra magistratus laicos. Item Principes exilio afficientes personas Ecclesiasticas hanc censuram non subeunt, quia in Bulla exprimuntur solum magistratus & iudices qui sunt Principe inferiores; suntque illius ministri. *ibid. punct.* 2. *pag.* 134. *n.* 7. *&* 8. *tom* 3.

135. Iudex laicus interponens se in causis criminalibus contra clericum consentientem contra se inquisitionem, seu processum fieri, non propterea excusatur ab excommunicatione: in iis enim quæ concessa sunt in honorem, & commodum totius ordinis Ecclesiastici, nemo potest cedere iuri suo. *ibid. num.* 9.

136. Laicus iudex qui non facit processum contra clericum, sed illum tantummodò examinat vt testem ad rei veritatem indagandam, in hanc censuram non incurrit: quia hu-

iusmodi examen non est processus. Secus si illum examinet tanquam reum, aut si illum in cubiculo tanquam in carcere detineat, donec verum confessus fuerit. *ibid.n.* 10.

137. Accusatores, testes contra Ecclesiasticum deponentes, item aduocati, procuratores aliique apud iudicem laicum instantes vt clericus capiatur, in exilium eiiciatur, &c. in censuram huius canonis non incidunt, quia nullam actionem faciunt in hoc canone prohibitam, tum quia Bulla tantùm loquitur de magistratibus, iudicibus, notariis, ministris. *ibid.n.* 11.

138. Si iudex laicus, notarius, aut executor Curiæ sæcularis ab Episcopo rogentur vt se interponant in causa criminali contra clericum, non incurrunt excommunicationem; quia id faciunt tanquam ministri, & instrumenta Episcopi, tenentur enim Episcopis ipsorum opem implorantibus, adesse ad continendos in officio clericos. *ibid.n.* 12.

139. Ecclesiasticus degradatus, & traditus Curiæ sæculari, item perpetuo exilio mulctatus ab Ecclesiastico iudice, item bigamus, item prima tonsura, aut minoribus ordinibus initiatus, clericalem habitum, & tonsuram non deferens, item clericus qui minores ordines intra annum à morte sui Episcopi accepit cum litteris dimissoriis capituli; hi inquam omnes priuilegio clericali in criminalibus non gaudent. Item clericus in flagranti crimine deprehensus à laicis capi potest vt superiori Ecclesiastico consignetur. Item qui capit, vel capi mandat clericum debitorem fugientem, vel fugam adornantem, aut sua vel aliena bona asportantem, non afficitur censura huius canonis, modò clericum detineat animo illum tradendi iudici Ecclesiastico, *ibid.punct.* 3.*pag.* 135. *num.* 1. *& seq.tom.* 3.

140. Episcopo licet familiam armatam habere ad suæ iurisdictionis munera exercenda: Quia concessa alicui iurisdictione, censentur etiam concessa ea omnia sine quibus iurisdictio exerceri nequit. Sic enim declarauit sacra Cardinalium Congregatio de mandato Pij V. *ibid.pag.* 136. §. 1. *tom.* 3.

141. Iudices Ecclesiastici dum auxilio brachij sæcularis indigent, cogere possunt iudices sæculares ad præstandum auxilium; quia Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. dat facultatem iudicibus Ecclesiasticis capiendi per suos proprios, vel alienos executores, igitur censentur etiam concessa illa omnia quæ ad illam facultatem exercendam necessaria sunt, alioquin ea facultas esset inutilis. *ibid.* §. 2.

142. Sæcu

142. Sæculares iudices tenentur auxilium Ecclesiastico iudici petenti concedere, etiam non examinata æquitate causæ, nisi constet de sententia iniusta iudicis Ecclesiastici; quia ius cognoscendi de æquitate causæ competit iudici superiori; magistratus autem sæcularis non est superior in causis Ecclesiasticis. Ad hæc sæculares non adsciscuntur tanquam iudices, sed tanquam executores ordinationis factæ ab Ecclesiastico iudice. Igitur laicus iudex absque cognitione processus fori Ecclesiastici, tenetur familiam accommodare, delinquentem in carcere, vel triremibus detinere, quoties Ecclesiasticus iudex petierit: pendente tamen legitima appellatione ad superiorem, non tenetur laicus iudex opem præstare iudici Ecclesiastico: nam per legitimam appellationem causa ad superiorem iudicem deuoluta est. *ibid.pag.* 137.§.3.*tom.*3.

Ecclesiarum effractio, & spoliatio.

143. In cap. *conquesti, de sententia excommunicationis.* Summus Pontif. mandat denunciari excommunicatos eos qui Ecclesias cuiusdam Episcopatus effregerant & spoliauerant; vnde infertur, effringentes, & spoliantes Ecclesias esse ipso iure excommunicatos. *disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 12. *pag.* 201. *num.*1. *tom.*3.

144. Qui effringit Ecclesiam, sed non furatur, aut qui furatur, & spoliat Ecclesiam, sed non effringit, licet ab alio forte fracta fuerit, hanc excommunicationem non incurrit; quia Summus Pontifex vtitur particula coniunctiua. *ibidem pag.*202.*n.*9.*tom.*3.

145. Qui postquam Ecclesiam effregit, comburit aut frangit calices, vestes, &c. etiamsi nihil inde auferat, in hanc censuram incidit: quia nomine spoliationis intelligitur quælibet actio, qua bonis Ecclesiæ damnum infertur. *ibid.n.*10.

146. Hæc excommunicatio est Summo Pontifici reseruata, non tamen ante denunciationem ab Episcopo factam; ante denuntiationem autem, auferri potest à quolibet confessario approbato. *ibid.num.* 12.*&* 13.

Ecclesiarum lapides.

147. Sixtus IV. in Bulla 3. quæ incipit, *Cum prouida*, excommunicat auferentes, aut retinentes lapides vel alia ornamenta Ecclesiarum vrbis Romæ, nec non præstantes auxi-

lium vel fauorem auferentibus, vel retinentibus, aut non reuelantes. *ibid. punct.* 13. *pag.* 202. *tom.*3.

148. Ecclesiæ verò seu loca quorum vsibus, & ornatui illa fuerint deputata, Ecclesiastico subiiciuntur interdicto, donec actualis, & omnimoda restitutio fiat Ecclesiis à quibus fuerant ablata. *ibid. pag.*203. *num.* 5. *tom.*3.

Ecclesiarum immunitas.

149. Ecclesiarum immunitas est exemptio, seu priuilegium Ecclesiis materialibus concessum, vt ad eas confugientes tuti sint à laica potestate; hæc autem immunitas iure humano concessa fuit Ecclesiis Christianorum aliisque locis religiosis de quibus infra, estque valde conformis iuri diuino, & naturali. *disp.* 2. *quæstion.* 3. *punct.* 16 §. 1. *&* 2. *pag.* 205. *tom.* 3.

150. Existens in Ecclesia capi non potest à laica potestate; obsideri tamen potest extra Ecclesiam vt capiatur postquam fuerit egressus; sic enim non violatur immunitas loci sacri, dùm locus profanus obseruatur, vt si in eum se transtulerit delinquens capi possit. *ibid* §. *pag.* 206. *n* 2. *tom.*3.

151. Ecclesiastici resistere possunt magistratui, aut iudici sæculari volenti reum à loco sacro extrahere, deterrendo censuris, vel claudendo ianuas, vel laicorum auxilium implorando, vel etiam vtendo opera Clericorum nondum sacris ordinibus initiatorum; ipsis tamen Ecclesiasticis non licet arma capere, ad magistratum sæcularem arcendum, ne detur occasio scandali. *ibid.num.*3.

152. Non potest magistratus sæcularis impedire quominus reo in Ecclesia existenti deferantur vestes, alimenta, & cætera ad vitam necessaria; alioquin priuilegium immunitatis redderetur inutile. *ibid. num.*4.

153. Existenti in loco sacro nulla vis aut damnum à laica potestate inferri potest, nisi iudex id faciat ad instantiam Episcopi, non autem proprio nomine, *ibid. n.*5.

154. Quandiu reus in Ecclesia existit, damnari non potest ad mortem, vel ad pœnam corporalem; ad pœnam verò pecuniariam, & bonorum confiscationem à iudice laico damnari potest nisi compareat; immò iudex solet citare reum illúmque condemnare ad mortem, vel ad aliam pœnam pro qualitate delicti quando licitè poterit inferri. *ibidem, numero* 8. *&* 9.

155. Delin

155. Delinquens ab Ecclesia per vim extractus, est Ecclesiæ restituendus; tenetur enim iudex iniuriam Ecclesiæ illatam resarcire; neque satisfacit dando cautionem de impunitate; sed tenetur reipsa reum Ecclesiæ restituere; etiamsi extractus iuri suo cedere, & in potestate iudicis sæcularis permanere velit: Quia hoc priuilegium concessum est loco sacro immediatè; nullus autem cedere potest iuri alteri concesso. *ibid. num.* 20. *& seq. pag.* 207. Restituendus est autem reus vel eidem Ecclesiæ vnde extractus est, vel alteri, vel Episcopo, vel etiam eius Vicario, modò sit æquè tutus, ac si Ecclesiæ fuisset restitutus. *ibid. num.* 14.

156. In dubio an reus captus sit in loco sacro, an verò in profano; spectat ad iudicem Ecclesiasticum definire; cum enim agatur de immunitate Eccles. eius causæ cognitio pertinet ad iudicem Ecclesiasticum. *ibid. num* 16.

157. Actus iudicis laici, iuridicè facti in delinquentem ab Ecclesia extractum sunt irriti, & nulli, vt pote facti sine iurisdictione; quia isti actus fundantur in captura, & detentione rei quæ iuridicè nulla sunt, cùm non sint actus iurisdictionis, sed violentiæ. Immò neque potest illum iudex iuridicè interrogare, consequenter reus non tenetur respondere; quia non habet ius in reum eo modo captum. *ibidem, numero* 17. *&* 18.

158. Hæc immunitas competit cuiuis Ecclesiæ auctoritate Episcopi fundatæ, etiamsi nondum benedicta sit, aut nondum in ea celebrata fuerint diuina officia, aut ibi non adsit SS. Eucharistiæ Sacramentum. Aut etiamsi polluta sit, vel interdicta; aut licèt sit diruta, modò non sit diruta auctoritate Episcopi sine spe reædificandi; sic enim amittit priuilegium immunitatis. *ibidem*, §. 4. *pag.* 208. *numero* 1. *& seq. tom.* 3.

159. Non solum interius Ecclesiæ corpus, verùm etiam tota Ecclesiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, sacristia Ecclesiæ coniuncta, & similia Ecclesiæ adiacentia priuilegio immunitatis fruuntur: quia quæ adhærent loco sacro, censentur sacra; consequenter eadem gaudent immunitate. Immò hæc immunitas extenditur ad fines, seu confinia Ecclesiæ vsque ad 40. passus si Ecclesia fuerit metropolitana; si verò fuerit minor, ad 30. passus; vnde fit vt domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum intra fines, seu septa Ecclesiæ, gaudeant eadem immunitate, quamuis eas inhabitent laici; nam priuilegium

hoc directè concessum est locis; non autem personis. *ibid. num.* 5. *& seq.*

160. Monasteria, domus religiosorum, aliáque loca sacra, gaudent priuilegio immunitatis, quod extenditur ad totum claustrum, seu habitationem, etiam ad hortum, & viridarium; totum enim illud septum est sacrum. Eodem priuilegio gaudet hospitale auctoritate Episcopi fundatum, & seminarium, sunt enim loca pia. *ibidem*, *pag.* 209. *numero* 10. *tom.* 3.

161. Palatium, seu domus Episcopi, gaudet immunitate Ecclesiastica licet intra quadraginta passus ab Ecclesia non existat, modo in eo palatio sit oratorium vbi diuina celebrentur. Idem dicendum de domibus Cardinalium; quanquam hoc priuilegium hodie non seruatur Romæ, vt bono publico consulatur. *ibid. num.* 11.

162. Ex his sequitur committi sacrilegium contra loci sacri reuerentiam & immunitatem, dùm à satellitibus fori sæcularis capitur reus qui effracto carcere confugit ad Ecclesiam, vel oratorium, vel hospitale auctoritate Episcopi constructum, vel ad monasterium, vel ad Episcopi palatium, &c. Idem dicendum si reus se à satellitum manibus poripuit etiam cum duceretur ad mortem, seque ad locum sacrum recepit, modò delictum sit eiusmodi pro quo Ecclesia immunitatem concedit; alioquin capi potest pro delicto cui loca sacra nullam præbent impunitatem. *ibid. num.* 16.

163. Non violatur Ecclesiæ immunitas dum reus extra locum sacrum comprehensus, ducitur ad carcerem per cæmeterium, aut Ecclesiam, etiamsi per vim trahatur, & inde recuset exire; quia hic non confugit ad Ecclesiam liber. *ibid. n.* 21. *pag.* 210. *tom.* 3.

164. Si reus qui in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori sæcularis detinebatur nomine Episcopi donec cognosceret an reus immunitatis priuilegio gaudere deberet, si, inquam, ille reus è carcere aufugit, & postea ab iudice laico captus, & morti adiudicatus fuit; non censetur Ecclesiæ immmunitas violari; quia fuga illi ademit priuilegium primæ detentionis. *ibid. num.* 23.

165. Neque loci sacri immunitas violatur si reus blanditiis, & promissionibus sine coactione è loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur; si tamen ei promissa est impunitas, aut restitutio in eundem locum, illi data fides seruanda est. *ibid. num.* 24.

166. Si

166. Si reus amplexetur Sacerdotem deferentem SS. Eucharistiæ Sacramentum, ob reuerentiam sacro Christi Corpori debitam licitè capi non potest; tamen si capiatur, non videtur Ecclesiastica immunitas violari, neque reus de rigore iuris, Ecclesiæ est restituendus; quia hoc priuilegium concessum est Ecclesiæ, non autem Eucharistiæ extra Ecclesiam. Potest tamen per consuetudinem introduci illa immunitas, quæ suffragetur reis amplexantibus Sacerdotem Eucharistiam deferentem. *ibid. num.* 27.

167. Clericus in iis casibus in quibus extra Ecclesiam capi posset à laica potestate, gaudet immunitate dùm in loco sacro existit; quia tunc habetur tanquam laicus, neque debet esse deterioris conditionis; modò tamen non commiserit delicta in Bulla Gregorij XIV. expressa; tunc enim extrahi potest. *ibid.* §. 3. *pag.* 211. *n.* 4. *tom* 3.

168. Clericus à Prælato suo extrahi potest ab Ecclesia etiam in illis casibus, in quibus laici extrahi non possunt à iudice sæculari: tum quia immunitas Ecclesiæ non præiudicat Ecclesiasticæ potestati: tum quia religiosi alioquin rarò capi possent, cùm ferè semper in monasteriis degant: tum quia in Bulla Gregorij fit tantum mentio laicorum; ergo clerici quouis in loco existant, subsunt Ecclesiasticæ potestati. *ibid. num.* 5.

169. Debitores in loco sacro existentes gaudent priuilegio immunitatis licèt decoxerint cum magno Reip. detrimento, sintque publico debito obstricti: quia si Ecclesia tuetur ad se confugientes in causis criminalibus, potiori iure in ciuilibus; neque hic casus est in iure exceptus. *ibid. n.* 6.

170. Fures etiam sacrilegi, qui in Ecclesia furati sunt ad Ecclesiam confugientes gaudent immunitate. Idem dicendum de homicidis, periuris, blasphemis, adulteris, sodomitis, &c. modò non commiserint crimen in Bulla exceptum; hi enim casus non exprimuntur, neque excipiuntur à Greg. XIV. in sua Bulla. *ibid. pag.* 212. *num.* 7. *& seq. tom.* 3.

Quinam Ecclesiarum immunitate non gaudeant.

171. Publici latrones, grassatores viarum, & depopulatores agrorum ad Ecclesiam confugientes, immunitatem amittunt; sic enim expresè habetur in Bulla gregorij XIV. *ibid.* §. 6. *pag.* 213. *n.* 1. 2. *& seq. tom.* 3.

172. Occidentes, vel mutilantes in Ecclesiis, aut earum

cæmeteriis, carent Ecclesiæ immunitate; quia æquum non videtur vt immunitate Ecclesiæ fruatur qui in Ecclesia deliquit; tamen qui in Ecclesia existens alium occidit sagitta, vel plumbea glande, extra Ecclesiam existentem, priuilegium immunitatis non amittit; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum; fuit tamen extra Ecclesiam perfectum, & consummatum; hic tamen ab Ecclesiasticis ministris capi potest. Neque amittitur immunitas ob quamlibet vulnerationem in Ecclesia factam, nisi ex illa sequatur mors etiam extra Ecclesiam, aut nisi sit mutilatio; est autem mutilatio abscissio alicuius membri, seu partis corporis quæ habet officium distinctum à reliquis. Neque item priuilegium huius immunitatis amittit qui mandat homicidium, vel mutilationem in Ecclesia fieri; quia pœna lata contra facientes, non afficit mandantes, nisi hoc in iure exprimatur. *ibid.* §. 7. *pag.* 213. 214. *tom.* 3.

173. Proditoriè aliquem occidens, caret priuilegio Ecclesiasticæ immunitatis, quocumque tandem modo occiderit seu ferro, seu veneno; dicitur autem proditoriè occidere qui aliquem occidit nihil minus suspicantem, aut cum quo amicitiam simulabat: Quare qui occidit inimicum, non dicitur proditor in rigore loquendo, quamuis illum occidat à tergo, aut per insidias; quia occisus cauere sibi poterat ab inimico. Neque priuatur immunitate qui abortum procurat fœtus animati; quia hic non dicitur propriè proditoriè occidere: cùm enim infans in vtero, non sit rationis capax, dici non potest per insidias aut dolum occisus. *ibid.* §. 8. *pag.* 215. *tom.* 3.

174. Assassinij reus, Ecclesiæ immunitate non gaudet, ex constitutione Gregorij XIV. Assassini autem nomine hic intelligitur qui pecunia, aut pretio conducitur ad hominem incautum occidendum ex insidiis: quare qui sine pretio aliquem interficit vt amico rem gratam faciat, non dicitur assassinus; Porrò vt assassinus immunitate priuetur, debet constare, seu per testes, seu per confessionem partis, pecuniam hac de causa datam, aut promissam fuisse, vt quis occideretur; nam qui pretio conducitur tantùm ad vulnerandum, non dicitur propriè assassinus, neque immunitatem amittit. Assassinij etiam cooperatores, fautores, auxiliatores, & receptatores priuantur priuilegio immunitatis: sunt enim omnes assassinij rei. *ibid.* §. 9. *pag* 215 216. *tom.* 3.

4. Hæreseos reus Ecclesiæ immunitatem amittit; nam crimen hæresis expresè excipitur in Bulla Gregorij XIV.

Dicitur

Dicitur autem reus hæresis, non solùm qui cum pertinacia sentit contra fidem; verùm etiam qui auxilium, aut fauorem hæreticis præbet. Notandum tamen ob solam hæresim immunitatem amitti, non autem ob alia crimina ab hæresi distincta; quia in Bulla excipitur crimen hæresis; quare hæreticus ob furtum commissum ad Ecclesiam confugiens, Ecclesiæ immunitate gaudet. Infidelem verò nondum baptizatum valdè probabile est gaudere immunitate, præsertim si ex animo baptismum petiit antequam ad Ecclesiam confugeret. *ibid.* §.10. *pag.*216.217.*tom.*3.

175. Reus criminis læsæ maiestatis in personam Principis, priuilegio immunitatis non gaudet, vt expresse habetur in Bulla. Dicitur autem *Princeps* qui superiorem in sua iurisdictione non agnoscit. Hinc sequitur illum non priuari immunitate qui offendit vxorem, aut filium Principis; quamuis enim hic committat crimen læsæ maiestatis; non tamen immediatè peccat in personam Principis. Idem sentiendum de coniurantibus, seu conspirantibus contra Statum, vel Remp. quia non coniurant in personam Principis; nec non de offendente statuam Principis, aut cudente monetam falsam. *ibid.* §.11. *pag.*217.

176. Communis est Doctorum sententia violantes personam Cardinalis priuilegio immunitatis destitui; quia Cardinales æquiparantur Regibus, & Principes Ecclesiæ vocantur. *ibid.num.*9.

177. Crimen læsæ maiestatis tunc dicitur committi in personam Principis, quando fit actio in damnum, & offensam personæ Principis vt occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, hostiliter insequendo personam Principis, reuelando hostibus ipsius secretum vt ab illis capiatur. Idem dic de consulentibus, auxiliantibus, aut fauorem præstantibus; hi enim omnes criminis læsæ maiestatis in personam Principis sunt rei. Secùs dicendum de ratum habentibus, aut approbantibus crimen commissum, aut de scientibus committendum, nec reuelantibus: licèt enim isti vt plurimum censeantur rei criminis læsæ maiestatis; non tamen commiserunt vllam actionem positiuam in personam Principis. *ibid.n.*10.

178. Vt crimen læsæ maiestatis committi censeatur, præstanda est actio à subdito illius Principis in quem dicitur crimen committi; dicitur autem subditus ratione domicilij vel originis. Vnde infertur crimen læsæ maiestatis in Papam à quocumque seu laico, seu clerico committi posse: quia Pa-

pa in toto orbe suam iurisdictionem exercet. *ibid. pag. 218. num. 12. tom. 3.*

179. Prælati locorum gaudentium immunitate tenentur delinquentes ad locum immunem confugientes consignare Curiæ sæculari id requirenti, si cognouerint delictum ab eis commissum indignum esse priuilegio immunitatis; sic enim præcipit Gregorius XIV. in sua Bulla. At extra casus in illa Bulla exceptos non potest Episcopus, vel eius Vicarius Iudici laico dare facultatem extrahendi reum ab Ecclesia: quia reus ad Ecclesiam fugiens gaudere debet immunitate. *ibid. §. 12. pag. 218. n. 1. & seq. tom. 3.*

180. Antequam reus qui ad locum sacrum confugerat, curiæ sæculari tradatur, hæc sunt obseruanda. 1. vt obtineatur ab Episcopo loci, vel eius Vicario facultas expressa capiendi, & extrahendi reum, sede autem vacante adeundus est Vicarius Capituli, quia hic succedit in iurisdictionem Episcopi. 2. vt dùm reus è loco sacro extrahitur, intersit persona Ecclesiastica, facultatem habens ab Episcopo, vel eius vicario. 3. vt non statim ac captus est, tradatur laicæ potestati, sed in carcerem nomine Episcopi coniiciatur, donec ab ipso, vel eius vicario cognoscatur an reus sit delicti cui imposita est priuatio immunitatis; illud autem debet certò, & euidenter constare. Cæterùm si ab Episcopo lata est sententia in fauorem fori sæcularis, iudicando reum immunitate non gaudere, ab hac sententia non datur appellatio; illam enim Gregorius XIV. expressè excludit. Si verò sententia lata fuit in fauorem rei, admittenda est appellatio: quia iure communi appellare licet ab inferiore ad superiorem. *ibid. pag. 219. n. 4. & seq. tom. 3.*

Ecclesiarum immunitatem violantes quibus pœnis afficiantur.

181. Violator huius immunitatis per extractionem delinquentis à loco sacro sacrilegium, & iniustitiam committit; sacrilegium quidem ob iniuriam loco sacro irrogatam; iniustitiam verò, quia ratione priuilegij non habet iurisdictionem in reum, & potest reus Iudici extrahenti resistere; quare tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde passus est reus. *ibid §. 13. pag. 220. n. 1. tom. 3.*

182. Violator Eccles. immunitatis varias pœnas incurrit. 1. de iure ciuili incidit in crimen læsæ maiestatis. 2. de iure canonico

canonico iniungitur illi pœna 90. solidorum præter pœnitentiam publicam ab Episcopo iniungendam. 3. incurrit excommunicationem ipso facto, Papæ reseruatam vt patet ex Bulla Greg. XIV. & ex decreto sacræ Congregationis. *ibid. numero* 3.

183. Sub pœna excommunicationis prohibet Pontifex quenquam existentem in Ecclesia capi nisi in casibus exceptis, seruata forma præscripta quam supra retulimus; prohibet etiam extrahi per vim è loco sacro, & incarcerari. Quare qui hæc faciunt, aut fieri mandant, aut qui reum extractum detinent, nec Ecclesiæ restituunt; in pœnam excommunicationis incurrunt; qui verò consulunt, non videntur hac censura comprehendi; quia lex pœnalis restringenda est potius quàm amplianda. *ibidem* §. 14. *pag.* 221. *numero* 1. *& seq. tom.* 3.

184. Episcopi aliive Prælati extrahentes, vel extrahi mandantes aliquem è loco sacro contra formam in Bulla præscriptum, si id faciunt quatenus funguntur potestate laica, afficiuntur excommunicatione; tunc enim procedunt tanquam laici; sin id faciunt quatenus vtuntur auctoritate Ecclesiastica, probabile est excommunicationis vinculo non teneri; quia hæc constitutio edita fuit ad frænandam laicorum temeritatem, qui confugientes ad Ecclesiam propria auctoritate extrahebant. *ibid.pag.*222.*n.*11.*tom.*3.

185. Probabile videtur Episcopum posse ab hac excommunicatione absoluere, facta restitutione, & satisfactione ab eo qui in excommunicatioñe inciderat ob violatam Ecclesiæ immunitatem. Quia nuspiam inuenitur hic casus Pontifici reseruatus. At nullus confessarius virtute alicuius priuilegij potest ab hac censura absolutionem conferre; ita enim cautum est decreto Clementis VIII. quod incipit, *Sacra Congregatio. ibid.* §.16. *pag.*223. *n.*1. *&* 2. Probabile tamen est, & tutius in praxi hanc censuram esse summo Pontifici reseruatam; sic enim in prætorio sacræ Pœnitentiariæ decisum fuit. *ibidem pag.*224. *tom.*3.

Ecclesia Tolosana.

186. In Extrauaganti, *Saluator, de prabend. & dignit.* præsumentes turbare, vel impedire ea quæ statuta sunt pro Ecclesia Tolosana, afficiuntur excommunicatione si fuerint personæ singulares, interdicto si fuerit vniuersitas, & suspensione si fuerit

fuerit capitulum, conuentus, siue collegium. *ibid. punct.* 18. *tom.* 3.

Electio, Elector.

1. IN cap. *Sciant cuncti. de elect. in 6.* extat excommunicatio contra eos qui per se, vel per alios grauant, aut iniuste persequuntur Electores Ecclesiasticos, seu Electrices, vel ipsorum consanguineos, vel Ecclesias, vel monasteria, vel ipsorum bona, eò quod noluerint eligere illum pro quo rogabantur, vel inducebantur. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 19. *pag.* 170. *tom.* 3.

2. Ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur 1. præsumptio, ob id ignorantia etiam crassa, & affectata excusat, modò non habeat adiunctam nimiam temeritatem. 2. requiritur vt præfatæ actiones prohibitæ iniustè fiant; quamobrem qui electorem spoliat titulo compensationis, non ligatur hac censura quia non facit rem iniustam. 3. requiritur vt præfatæ actiones fiant hoc prætextu, eo quod electores noluerint eum eligere pro quo rogabantur; quare qui ob priuatas simultates aliundè ortas quàm occasione electionis vexat electorem, huius pœnæ reus non est. *ibid. pag.* 171. *num.* 4. *tom.* 3.

3. Qui vexat, aut persequitur personam Ecclesiasticam habentem ius præsentandi, instituendi, confirmandi, vel postulandi, eandem censuram incurrit; quia præsentatio, postulatio, confirmatio sunt modus quidam electionis, & iuxta vulgarem loquendi modum vocantur electio. *ibid. num.* 7.

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Electio officialium vrbis Romæ.

5. In cap. *fundamenta, de elect. & electi potest. in 6.* fertur excommunicatio contra nominantes, vel eligentes aliquem in senatorem, rectorem, vel officialem Vrbis Romæ, absque speciali Summi Pontificis facultate; necnon contra consentientes, auxilium, consilium, vel fauorem præstantes huiusmodi electioni. *disp.* 2. *quæst.* 3 *punct.* 49. *pag.* 265. *tom.* 3.

6. Si electio fiat ad tempus, & non in perpetuum, & non eligatur vir magnæ præeminentiæ, seu dignitatis, aut eius frater, filius vel nepos, non incurritur excommunicatio etiamsi non accedat Summi Pontificis expressus consensus: Secùs autem

tem si is qui eligitur, sit vir magnæ præeminentiæ, &c. sic enim colligitur ex ipso textu. *ibid.n.*3.

7. Excipiuntur ciues Romani ex ipsa vrbe oriundi, & præterea habitatores continui in vrbe, vel eius territorio; isti enim ad annuos magistratus, & officia nominari possunt, & eligi inconsulto Rom. Pontifice, etiamsi fratres sint, filij, aut nepotes Principum, Baronum, &c. nisi forte extra vrbem, & eius territorium habeant insignem dignitatem, & iurisdictionem. *ibid.num.*4.

Electio Episcopi, seu Curatoris animarum.

8. In electione Episcopi hæc forma præscribitur. 1. vt eligendus 30. annum impleuerit. 2. vt ex legitimo matrimonio natus sit. 3. vt vitæ honestate, & scientia polleat. In electione verò ad beneficium cui adnexa est animarum cura, requiritur vt is qui eligitur inchoauerit 25 ætatis annum, & præterea sit spectatis moribus, & scientia fulgeat. *disp.*3.*quæst.* 4.*punct.*1.*pag.*352.*tom.*3.

9. Clerici eligentes Episcopos, aut curatores animarum non seruata forma superius tradita, incurrunt suspensionem per triennium à beneficiis Ecclesiasticis, & pro ea vice priuantur potestate eligendi. Hæc suspensio non incurritur ob præsentationem, aut nominationem indigni. *ibid*

10. In extrauag. *vnica de postul. prel.* decernitur vt nullus sæcularis postuletur ad Episcopatum ante 27. annum, & præterea vt nullus religiosus cuiusuis ordinis mendicantium ad vllam Ecclesiam inferiorem cathedrali postuletur extra suum ordinem ante 27. annum, alioquin scienter postulantes suspenduntur ipso facto à beneficiis quæ possident in illa Ecclesia ad quam huiusmodi postulationem fecerunt, & priuantur ea vice postulandi, & eligendi facultate. *ibidem numero* 4.

11. Absolutio ab hac suspensione intra triennium reseruata est Summo Pontifici. Multi tamen censent Episcopum posse absoluere si delictum sit occultum, idemque sentiunt de confessariis habentibus facultatem absoluendi à censuris. *ibid. pag.* 353. *n.* 9. *tom.*3.

12. Compromissarij eligentes indignum in Episcopum, vel ad superiorem dignitatem, incurrunt suspensionem per triennium à beneficiis quæ possident in ea Ecclesia quam offendunt. Compromittentes autem ratam habentes electionem indigni.

indigni, non afficiuntur hac pœna; quia hoc nuſpiam habetur. Abſolutio ab hac cenſura ante triennium elapſum reſeruata eſt Summo Pontifici; elapſo verò triennio ceſſat. *ibid. punct. 3. pag. 353. 354. tom. 3.*

13. Præſumens eligere aliquem ad beneficium per abuſum poteſtatis ſæcularis, ſuſpenſione ab officiis, & beneficiis mulctatur, & poteſtate eligendi tunc priuatur: hæc autem ſuſpenſio non eſt latæ ſententiæ.

14. Electio facta per metum eſt irrita, quando metus incutitur ad eligendum certum aliquem; quia caret debita libertate; ſi verò metus incutiatur ad eligendum aliquem ex certo numero vel corpore, electio valida eſt; quia vnus ex multis voluntariè eligitur. *ibid. punct. 5.*

15. Confirmans electionem indigni ad curam animarum, priuatur poteſtate confirmandi ſucceſſorem illius, & priuatur fructibus beneficij; hæc tamen ſuſpenſio non videtur ipſo iure lata. *ibid. punct. 4.*

16. Conſentiens electioni de ſe factæ ab electoribus Eccleſiaſticis cum abuſu poteſtatis ſæcularis, non gaudet illa electione; immò ineligibilis efficitur, neque eligi poteſt ad aliquam dignitatem ſine diſpenſatione; eligi tamen poteſt ad beneficium ſimplex, vel ad canonicatum, vel ad beneficium parochiale; quia huiuſmodi beneficia non ſunt dignitates. *ibid. punct. 5. pag. 355. n. 7. & 8. tom. 3.*

17. Electores Epiſcoporum qui electionem electo non præſentant intra octo dies poſtquam eam commodè illi præſentare potuerunt, incurrunt ſuſpenſionem per triennium ab omnibus beneficiis quæ obtinentur ab electoribus in ea Eccleſia de cuius electione agitur, non tamen ſuſpenduntur ab officio eligendi, ſi ſuſpenſione durante Sedes Epiſcopalis vacet. Abſolutio ab hac cenſura, ex communi ſententia, reſeruata eſt Summo Pontifici; quia lata eſt ad tempus. *ibid. punct. 8. pag. 356. tom. 3.*

18. Impugnantes electionem, opponendo aliquid in perſonam electi, ſed poſtea deficientes in probatione, incurrunt ſuſpenſionem à beneficiis per triennium in illa Eccleſia ad quam alter fuerat electus: ſi autem durante illa ſuſpenſione, temere ſe in illis beneficiis immiſceant, ipſo facto priuantur beneficiis abſque ſpe illa iterum obtinendi, niſi probauerint ſe rationabilem cauſam habuiſſe impugnandi præfatam electionem, ſeque calumniatores non fuiſſe; illa tamen beneficia alteri conferri non poſſunt ante ſententiam priuationis

decla-

declaratoriam. Hæc suspensio reseruata est Summo Pontifici, quippe lata ad triennium, quo elapso cessat. *ibid. punct.9. pag.* 357.358.*tom.*3.

Eleemosyna.

1. Eleemosynæ nomine intelligitur actus, quo aliquid alteri ex compassione damus, ad ipsius necessitatem subleuandam, propter amorem, seu bonitatem Dei; & hic dicitur actus misericordiæ imperatus à charitate. Sunt autem misericordiæ opera quatuordecim, septem corporalia, quæ hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,

totidem spiritualia quæ hic versus complectitur:

Consule, castiga, solare, remitte, fer ora.

2. Non solùm ex præcepto diuino, verùm etiam naturali, tenemur per eleemosynam succurrere proximo extrema necessitate laboranti. Tenemur item de superfluis vitæ, & statui, facere eleemosynam proximo, etiam extra necessitatem ipsius extremam, seu in communi, & graui pauperum necessitate. Vnde colligitur aduocatum peccare mort. non suscipiendo patrocinium pauperis, & medicum, vel chirurgum, non præstando operam suam indigenti: hæc enim opera inter superflua numeranda est. Neque excusari posse diuites qui de superfluis non faciunt eleemosynam, quamuis habeant intentionem construendi templa, aut omnia pauperibus relinquendi post mortem: hæc enim intentio non tollit obligationem eleemosynæ faciendæ in graui, aut etiam communi pauperum necessitate. *tom.2.pag.*165. *n.*5. *& pag.*166.*n.*9.

3. Habentes superflua vitæ, & statui, non tenentur pauperes inquirere, sed sufficit vt animo parati sint ad eorum necessitates subleuandas, cùm se dabit occasio. Secùs dicendum de Episcopis; tenentur enim ex officio, pauperum necessitatibus occurrere; nam patres pauperum nuncupantur. Habentes autem superflua vitæ, sed non suo statui, non tenentur in communi, aut graui priuatorum necessitate eleemosynam facere; tenentur tamen in extrema, aut quasi extrema, modò non sit periculum ne ipsi in similem necessitatem incidant. At si sermo sit de necessitate publica, seu personæ publicæ, tenemur etiam ex necessariis ad vitam subuenire Principi, seu alteri personæ publicæ, graui necessitate laboranti: quia bonum publicum præferendum est priuato. *tom.*2.*p.*166. *n.*10. *&* 11.*t.*3.

4. Debitor

4. Debitor extremam patiens necessitatem, per se loquendo, non tenetur restituere rem acceptam, seu soluere debitum creditori, pari necessitate laboranti: hic enim non dicitur rem alienam detinere, cùm necessitas faciat omnia communia: modo debitor non acceperit iniustè ab eo qui eadem necessitate laborabat, tunc enim teneretur eam rem domino restituere; quia vt non potuit eam eripere domino extrema necessitate laboranti, sic nec potest eam retinere. Item qui rem alienam commodatam, vel locatam, vel pignori datam, retinet eo tempore quo vterque extrema premitur necessitate, non tenetur domino restituere. Extra extremam autem, etiam in graui necessitate tenetur rem alienam restituere domino pari necessitate laboranti. *ibid.n.*14.

5. Excusandi sunt qui perigrinos suis à ciuitatibus excludunt ex iusta & rationabili causa, v.g. ne otio torpeant, ne morbos, vel corruptelas, vel proditiones afferant, vel vt pauperes domesticos præferant exteris; nam ordo charitatis seruari potest. *tom.*2.*pag.*167 *n.*19.*tom.*3.

6. Inimicis priuatis in necessitate constitutis tenemur subuenite; sunt enim noster proximus, & Christus hoc præcipit: Inimico autem Reip. etiam in extrema necessitate, non tenemur subuenire, quando periculum est ne Reip. noceat, immò teneor non subuenire. Si verò nihil sit periculi, teneor subuenire. *ibid.num.*20.

7. De iniustè acquisitis fieri potest eleemosyna; non tamen propterea cessat obligatio restituendi. Tutores, & curatores possunt moderatas eleemosynas facere de bonis pupillorum, cùm sint illorum administratores. Qui eleemosynam accepit distribuendam, potest eam sibi applicare, si verè indigeat, modò de Domini voluntate aliter non constet. *tom.* 1.*pag.* 168. *n.* 22.26.27 *tom.*3.

8. Qui denegauit eleemosynam pauperi, non tenetur transacta necessitate aliquid illi restituere, ratione damni quod inde passus est: quia obligatio restituendi oritur ex violata iustitia; hic autem non iustitia, sed charitas violatur. *pag.*168. 169.*num.*29.*tom* 3.

EMPHYTEVSIS.

Quid, & quotuplex sit Emphyteusis.

1. EMphyteusis est contractus quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium vtile, sub certa pensione

pensione reali soluenda in recognitionem dominij directi, vt si Titius tradat Caio prædium ad 15. annos cum onere soluendi sibi centum aureos nummos in recognitionem dominij directi. Differt à feudo, quia feudum habet onus obsequij, & seruitij personalis: differt à locatione, quia locatio fit ad breue tempus, & in re etiam mobili. *tom.2.pag.* 569. *numero* 1. *& seq.*

2. Emphyteusis alia est *perpetua*; alia *temporalis*, quæ est tantùm ad tempus. Rursus alia est *Ecclesiastica*, alia *communis*, siue *profana*. Item alia est *noua*, nunc primùm instituta, alia *vetus*. Denique alia est *hæreditaria simpliciter*, quæ concedi solet pro omnibus hæredibus, quamuis extraneis; alia *hæreditaria mixtè*, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, sed non pro omnibus; & alia *familiaris*, quæ conceditur solùm pro iis qui sunt de familia; quamuis non sint hæredes. *ibid. num.* 7.

3. Dantur in emphyteusim res immobiles pertinentes ad dominum directum, quæ meliores reddi possint. Vnde sequitur pecuniam, vel etiam annuos redditus non posse in emphyteusim dari. Idem dicendum de arboribus à solo separatis. Secùs de arboribus solo hærentibus, vt de olivueto, vineto, &c. nam hæc inter immobilia numerantur. *ibid.*

Conditiones ad emphyteusim requisitæ.

4. Prima conditio est vt contractus emphyteuticus, per scripturam celebretur, nisi consuetudo aliud ferat. 2. vt contractus fiat de rebus immobilibus, & frugiferis, soloque hærentibus: nam emphyteusis à principio fuit instituta vt sterilia colerentur, fierent fertilia, & fæcunda. 3. vt bona quæ subiiciuntur emphyteusi, non sint Ecclesiastica; nam bona Ecclesiæ quæ tradi non consueuerunt in emphyteusim, non possunt in emphyteusim concedi, sine legitima causa, & debitis solemnitatibus à iure requisitis. 4. vt dominium directum perseueret apud priorem dominum. 5. vt quotannis ab emphyteuta soluatur certa pensio, quæ solet esse minor quàm valeant fructus rei emphyteuticæ; nam hæc pensio, per se, non soluitur ad lucrum, sed in recognitionem dominij directi. 6. vt emphyteuta priuari possit re accepta in emphyteusim, quoties efficitur notabiliter deterior, ipsius culpa. 7. vt emphyteuta non possit rem emphyteuticam, & eius melioramenta, per venditionem alteri tradere secundùm ius vtile,

quod ipse habet, aut locare ad decennium, seu tradere alteri in emphyteusim, absque consensu domini directi, saltem implicito. 8. vt in re emphyteutica illi tantum succedant qui in inuestitura, seu contractu emphyteutico exprimuntur; hinc fit vt res emphyteutica reuoluatur ad dominum proprietarium quando extincta est generatio ad quam data fuerat. *tom. 2. pag.* 570. *n.* 1. *& seq. & pag.* 571. *&* 572.

5. Emphyteuta qui per duos annos cessauit à solutione canonis seu pensionis, in emphyteusi Ecclesiæ, seu loci pij, cadit ab emphyteusi, & amittit rem emphyteuticam cum omnibus melioramentis in ea factis, nisi purgauerit moram celeritate solutionis. At in emphyteusi sæculari, qui triennio cessauit soluere pensionem, incidit in caducitatem, nec potest purgare moram celeritate solutionis, in rigore iuris; statim enim rem amittit, modò dominus directus declaret velle sibi rem emphyteuticam applicari: non tenetur tamen emphyteuta rem à se abdicare ante sententiam iudicis. *tom. 2. pag.* 570. *n.* 7. *&* 9.

6. Emphyteuta qui se non obligauit ad casus fortuitos, non tenetur soluere pensionem, si tota res pereat absque sua culpa, vel veniat in hostium potestatem: res enim domino perit. Si verò pars aliqua notabilis remaneat apud emphyteutam, etiamsi fortè sit minor pensione, tenetur emphyteuta de rigore iuris, soluere pensionem, sicut etiam tenetur integram pensionem soluere, superueniente sterilitate: modò pensio non sit constituta quasi super pluribus rebus, ita vt vnicuique rei respondeat sua peculiaris pensio; tunc enim vna re pereunte, debet tantùm soluere pro rata. *tom. 2. pag.* 571. *n.* 18.

7. Emphyteuta postquam cecidit ab emphyteusi, non potest repetere expensas modicas, circa rem emphyteuticam factas: istæ enim expensæ censentur factæ in vtilitatem ipsius emphyteutæ. Si verò expensæ sint ingentes, & notabilis valoris, soluendæ sunt finito tempore emphyteusis; modò emphyteuta non cadat suâ culpâ, aut aliter conuentum non sit. Huiusmodi autem expensæ, seu melioramenta soluenda sunt iuxta valorem quem habent tunc temporis quo res emphyteutica redit ad dominum directum: at melioramenta superflua potius quàm vtilia soluenda non sunt. *ibid. n.* 22 *& pag.* 572.

8. Quando res emphyteutica transit ad alium emphyteutam, per venditionem, vel donationem, vel permutationem, vel locationem decennalem, soluendum est à secundo emphyteuta laudemium domino directo propter inuestituram, seu laborem, quem dominus directus subit inuestiendo, seu mittendo

do nouum emphyteutam in possessionem. Est autem *laudemium* quinquagesima pars pretij rei emphyteuticæ ; ex consuetudine tamen videtur tantùm trigesima pars. In his tamen casibus non debetur laudemium domino directo. 1. quandò hæres necessarius (qui suus in iure nuncupatur) succedit in rem emphyteuticam : hic enim propria authoritate adit hæreditatem. Idem dicendum quando cohæres, ante diuisionem vendit alteri cohæredi partem sibi respondentem. 2. quando res redit ad priorem emphyteutam, dissoluto contractu celebrato cum pacto retrouendendi : quia hæc non censetur noua venditio, sed rescissio prioris. 3. quando pater tradit filiæ rem emphyteuticam, non habens aliud quod ei tradat : quia laudemium soluitur pro alienatione voluntaria; hæc autem videtur necessaria. 4. quando plures habentes rem emphyteuticam communem, eam inter se diuidunt. *tom.2.pag.572.n.25.& seq.*

9. Emphyteusis sæcularis, si sit hæreditaria, potest ad fiscum transire: cogi tamen potest fiscus ad nominandum aliquem cuius obitu redeat ad dominum, quia fiscus est perpetuus. Si verò emphyteusis non sit hæreditaria, non transit ad fiscum ; sed defertur ad vocatos, & ipsis non extantibus, redit ad dominum directum. At emphyteusis Ecclesiastica non acquiritur fisco sæculari. *tom.2.pag.573.n.33.*

10. Emphyteusis hæreditaria, quæ scilicet in extraneos transferri potest, transit ad monasterium, in quo religiosus professionem facit, (modò monasterium sit capax successionis :) monasterium tamen debet aliquem nominare cuius obitu emphyteusis finiatur, & redeat ad dominum directum. Si tamen alicui concessa esset emphyteusis pro se, & pro suis hæredibus, emphyteusis transiret irreuocabiliter ad monasterium : quia monasterium potest esse hæres. At si emphyteusis non sit hæreditaria, non transit ad monasterium ; sed viuente religioso emphyteuta, commoditas illius emphyteusis pertinet ad monasterium ; mortuo autem religioso succedunt vocati, alioquin ad dominum directum reuertitur. *ibid.*

11. In emphyteusi concessa alicui pro se, & suis filiis, seu posteris, non succedere filias, communis est sententia, nisi aliud exprimatur : quia fœminæ in feudo, & emphyteusi non comprehenduntur nomine filiorum. In emphyteusi Ecclesiastica filius naturalis, seu illegitimus non succedit, nec comprehenditur nomine filiorum: quia Ecclesia valde abhorret ab illegitimis, vtpote ex peccato genitis. In Emphyteusi verò sæculari, filij naturales comprehenduntur nomine filiorum.

liorum. Si tamen emphyteusis tradita sit alicui pro se,& filiis legitimis, filius naturalis legitimatus priuilegio Principis, non succedit : quia Princeps non præsumitur velle præiudicium afferre filiis legitimis, aut domino directo ; nisi Princeps aliud exprimat : potest enim, ex graui causa, habilem facere filium illegitimum ad succedendum. *ibid.num.* 35.

EMPTIO, ET VENDITIO.

Quid sit emptio & venditio.

1. EMptio est contractus qui mutuo consensu perficitur,& vltrò, citróque emptorem, & venditorem obligat; emptorem quidem ad tradendum pretium pro merce, venditorem verò ad tradendas merces pro pretio. Hinc intelligitur definitio venditionis ; est enim correlatiua emptionis, vnumque cum ea contractum constituit ; qui perficitur solo consensu per externum aliquod signum expresso ; vnde fit vt traditio non sit de essentia huius contractus. Modò tamen consensus sit absolutus, & non conditionalis : nam conditio suspendit consensum, & contractum vsque ad conditionis euentum. Impleta verò conditione contractus remanet perfectus, & fictione iuris retrotrahitur ad tempus in quo fuit celebratus, ac si tunc temporis consensus fuisset absolutus. Vnde sequitur gabellas quæ soluendæ sunt ex exemptione, & venditione antea celebrata, priori gabellario esse persoluendas, non verò successori, si mutati sunt gabellarij ante conditionis euentum. *tom.2.pag.* 495. *n.* 1. *& seq.*

2. Contractus venditionis, & emptionis non censetur perfectus donec pretium definiatur ; vt si quis dicat, *Vendo tibi equum quanti iudicauerit Titius*, validè quidem vendit ; si verò Titius moriatur, aut iudicare nolit, rescinditur contractus ; quia perfici non potest quin pretium definiatur. Vnde fit, vt si in huiusmodi contractu soluenda sit gabella, & mutati sint interim gabellarum exactores, soluenda sit gabella posteriori gabellario qui gabellas tunc exigit cùm pretium definitur : quia gabella non debetur nisi pro contractu perfecto, & completo. *tom.2.pag.* 496. *n.* 7.

3. Contractus venditionis, & emptionis hoc discernitur à contractu locationis, & conductionis, quod in contractu locationis, &c. artifex ponit solam operam, non autem materiam, vt si ego tibi tradam aurum, & tu mihi inde conficias annulum;

annulum : quando verò artifex ponit operam & materiam, censetur emptio, & venditio, vt quando artifex mihi tradit annulum ex auro quod ipse apposuit. Excipitur casus in quo artifex construit domum in solo alieno; licet enim ipse materiam subministret, dicitur operam suam locare : quia domus in alieno solo ædificata cedit domino fundi, seu soli. *ibid. num.* 10.

Quænam vendi possint.

4. Omnia pretio æstimabilia vendi possunt, nisi obstet specialis aliqua prohibitio, seu circumstantia quæ venditionem reddat inualidam, aut illicitam. Quò fit vt spiritualia vendi nequeant; quia pretio non æstimantur nisi ratione materiæ, vel laboris adhibiti in iis fabricandis : sic absque labe simoniæ venditur calix, aut fundus cui est adnexum ius patronatus; videndum tamen ne ratione iuris-patronatus, pretium augeatur, nam simonia committeretur. *ibid. num.* 1. & *pag.* 497. *num.* 2.

5. Venditio templi facta absque Principis auctoritate, inualida est; etiamsi templum spectetur secundùm materiam, & secundùm expensas factas in eo construendo : hæc enim venditio à iure irritatur. Hoc tamen tempore ad alienationem templi requiritur Summi Pontif. consensus. *tom.* 2. *pag.* 497. *num.* 3.

6. Res pupilli, vel minoris, emi non possunt à tutore, vel à curatore; hoc enim prohibetur à iure ob præsumptionem fraudis : nisi forte vendantur sub hasta, nec sit alius qui emat. *ibid. num.* 7.

7. Res publicæ, vt forum publicum, via, &c. à priuata persona vendi non possunt, etiamsi venditio referatur in tempus quo hæc bona erunt priuatæ personæ : vendi tamen possunt à persona publica illarum rerum dominium habente, sicut vendi possunt vrbes & oppida quod Reip. commodo fiat. *ibid. num.* 8.

8. Liberi hominis venditio est irrita, licèt referatur in tempus quo seruus erit; nisi vendatur filius à patre vel ob nimiam egestatem, vel pro soluendis debitis; potest etiam quis seipsum vendere ad alium redimendum, sic S. Paulinus Episcopus Nolensis seipsum vendidit pro filio viduæ redimendo. *ibid. n.* 9.

9. Officia, per se loquendo, vendi possunt : sunt enim

pretio æstimabilia, modò nullum adsit ius in contrarium: in praxi tamen non expedit beneficia vendi, alioquin sæpe venderentur minus idoneis, cum Reip. detrimento. *ibidem numero* 10.

10. Ea quæ tantummodò inseruiunt ad malum vsum, vt sunt venena, vendi non possunt: nisi aliis rebus admixta, humanis vsibus inseruire possint, cuiusmodi sunt venena ex quibus medicamenta conficiuntur. Licèt tamen conficere ex se indifferentes, easque vendere iis quos credimus non abusuros; quamuis deinde contingat vt emptores iis abutantur; vt sunt chartæ lusoriæ, tali, fuci, arma, &c. quia venditorum non est examinare intentionem ementium. Vendens tamen idolum gentili, qui eo creditur abusurus, grauiter peccat, si vendat absque necessitate, vel alia rationabili causa: quilibet enim tenetur ex charitate, peccatum proximi impedire quantum potest absque notabili suo detrimento. At rationabili causâ interueniente, excusari potest hæc idoli venditio, cùm ex se sit res indifferens, & ad ornatum domus adhiberi etiam possit: sic etiam excusatur à peccato, vendens agnum Iudæo qui eum sit sacrificaturus. *ibid.n.*11.12.*&* 13.

11. Venditio rei alienæ est inualida quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, cùm enim venditor non habeat dominium rei alienæ, non potest illud in alterum transferre: quare dominus rei potest illam vendicare, vbicumque sit, nisi legitimo temporis cursu præscripta fuerit ab emptore bonæ fidei. Valida tamen est venditio rei alienæ ad transferendum dominium pretij in venditorem. Verùm tenetur venditor emptorem seruare indemnem; quia censetur iniusta causa damni per fraudem; nisi forte emptor sciret rem esse alienam: tunc enim venditor non tenetur de euictione, nec datur actio emptori ad repetendum. *ibid.n.*20. *& seq.*

12. Non potest quis inuitus, regulariter loquendo, cogi ad rem suam vendendam: quilibet enim est rei suæ dominus, atque arbiter: aliquando tamen, iusta interueniente causa, cogi potest: sic tempore inopiæ potest quis cogi ad suum frumentum vendendum, vel ad vendendum agrum, aut domum iusto pretio, ob bonum commune. *tom.*2.*pag.*498. *numero* 28.

13. Ea quæ emuntur pecuniis alienis, regulariter loquendo, fiunt emptoris, si ea suo nomine emat. Aliquando tamen fiunt illius cuius sunt pecuniæ: sic empta pecuniis Ecclesiæ, fiunt Ecclesiæ; empta peccuniâ militis, fiunt militis; empta

pecuniâ

pecuniâ coniugis donatâ alteri coniugi, fiunt illius cuius est pecunia; empta pecuniâ pupilli, vel minoris, à tutore vel curatore, fiunt pupilli vel minoris. *ibid.n.29.*

Emptio cum pacto retrouendendi.

14. Quando pactum de retrouendendo apponitur in fauorem solius venditoris, res minus valet quàm si venderetur sine tali pacto: quia imponitur emptori grauamen, & onus pretio æstimabile. Quando verò apponitur pactum in fauorem solius ementis, res plus valet quàm alioquin valeret: quia venditor subit onus pretio æstimabile. Ex quo infertur iniustum esse pactum quo venditor obligatur ad reemendam eodem pretio rem venditam, si emptori placuerit. Quando denique apponitur pactum retrouendendi in fauorem vtriusque contrahentis, res minus valet quàm si apponeretur in fauorem solius ementis; & plus valet quàm si apponeretur in fauorem solius venditoris, itavt si in fauorem vendentis valuisset 20. & in fauorem ementis 30. in fauorem vtriusque valeat 24. aut 25. *tom.2.pag.*498.499.*n.2.*

15. Venditio cum pacto retrouendendi, in fauorem solius venditoris licita est, interueniente iusto pretio, aliisque conditionibus requisitis: nam huiusmodi pactum nulli est iniuriosum; sic contractus census qui cum pacto saltem implicito retrouendendi celebratur, communi vsu recipitur: debet tamen venditor tantum descendere de pretio quanti æstimatur onus impositum emptori. Porrò emptor potest apponere pactum, vt si venditor non redemerit v.g. intra decennium, non possit amplius redimere: hîc enim nulla apparet iniustitia. *tom.2.pag.*499.*n.*3.4.*&* 5.

16. Venditio cum pacto redimendi in fauorem soliùs emptoris, licita est, interueniente iusto pretio, aliisque conditionibus requisitis; modo grauamen impositum venditori compensetur, aucto pretio rei venditæ; hoc enim pactum nulli est iniuriosum. *ibid.n.6.*

17. Venditio cum pacto retrouendendi in fauorem vtriusque contrahentis, licita est. Vnde excusari potest ille frequens, & visitatus contractus quo Titius v.g. vendit Caio domum, & ab illo accipit mille nummos, hac conditione vt Titio liberum sit domum redimere soluto pretio, & Caio integrum sit pretium repetere, restituta domo. *ibid.n.7.*

18. Vt autem contractus venditionis, cum pacto

retrouendendi, sit licitus, & vsurâ vacet, quattuor conditiones requiruntur. 1. est intentio vendendi, & emendi, cuius defectu, pactum retrouendendi est vsurarium; iam enim non est contractus venditionis, sed mutui. 2. est iustum pretium; iustum autem pretium censetur illud quo res æstimatur arbitrio prudentis viri, habita ratione grauaminis quod imponitur alteri contrahentium. 3. vt fructus rei emptæ pertineat ad emptorem: quia emptor per contractum emptionis acquisiuit dominium rei emptæ; modò fructus, propter contractum locationis, non pertineant ad venditorem. 4. vt in contractu emptionis, & locationis non adsit aliqua læsio. *ibid. num.* 8.

19. Contractus venditionis cum pacto retrouendendi, seu redimendi eodem pretio, celebrari potest: hic enim contractus quotidiano vsu comprobatur; atque hæc retrouenditio, non tam est nouus contractus, quàm rescissio prioris. Cùm autem pactum retrouenditionis est in fauorem venditoris, aut emptoris, potest apponi pactum de retrouendenda re, maiori, vel minori pretio, prout res valuerit tempore retrouenditionis. *tom. 2. pag.* 500. *n.* 14. *&* 15.

20. Non committitur vsura ab emptore qui rem emptam cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris, locat eidem venditori, donec ab eo redimatur: sunt enim duo contractus liciti, vnus venditionis, alter locationis, neque fiunt illiciti eò quod coniungantur. *ibid. n.* 16.

21. Qui rem emit cum pacto retrouendendi in fauorem solius venditoris, nullo præfixo termino ad reuendendum, non potest rem emptam, legitimo temporis cursu præscribere: quia se obligauit ad rem venditori retrouendendam quandocumque venditor voluerit. *ibid. num.* 18.

22. Qui rem vendidit Caio cum pacto retrouendendi, sed Caius eandem vendidit Titio, antequam redimeretur à venditore, non potest eam vendicare à Titio, sed habet tantummodò actionem personalem in Caium, vt damnum sibi resarciat: quia illa actio cùm sit personalis, non transit ad alium. *ibid. num.* 19.

23. Contractus quo venditur res, creditâ pecuniâ pretio rigoroso, & postea eadem statim redimitur numeratâ pecuniâ medio, vel infimo, per se loquendo, non est vsurarius: quia in vtraque venditione res venditur iusto pretio. Fieri tamen potest aliquando vt huiusmodi contractus vsuram contineat, si primus venditor pactum ineat cum emptore, vt res empta si-

bi retrouendatur infimo, vel medio pretio: hic enim contractus meritò præſumi poteſt vſurarius, eò quod videatur reſolui in mutuum: & hic contractus, qui Italis *Stocco* appellatur, celebratur quando emptor non inuenit alia ratione pecuniam niſi creditò emat merces pretio rigoroſo, cum pacto ſtatim retrouendendi infimo. *ibid.n.*20.

Quanti res vendi, vel emi poſſint.

24. Pretium duplex eſt, alterum *legitimum*, à lege taxatum; alterum *naturale*, ſeu *vulgare*, quod hominum æſtimatione conſtituitur. Atque hoc pretium habet latitudinem, quia non omnes idem iudicant, in quo differt à pretio legitimo quod in indiuiſibili conſiſtit. Pretium igitur vulgare eſt triplex, *infimum, medium*, *& ſupremum*, quod etiam *rigoroſum* appellatur. In taxando autem rerum pretio, non ſolùm habenda eſt ratio rei, ſecundùm ſuam ſubſtantiam; ſed etiam vſus: nam quò vnaquæque res eſt vtilior, eò pluris æſtimanda eſt; habenda eſt etiam ratio lucri ceſſantis, damni emergentis, &c. *tom.*2.*pag.*501.*n.*1.*&* 2.

25. Res tanti vendi poteſt quanti valet iuxta taxam Principis, vel communem hominum æſtimationem. Sic excuſari poſſunt qui res pretioſas, in iis locis in quibus copia facit vilitatem, vili emunt; excuſatur item qui faſcem herbarum, in quo ſcit latere herbas pretioſas paruo emit: nam faſcis herbarum ad pabulum animalium vulgò vili æſtimatur. Item emens gemmam quam nouit habere virtutem ignotam venditori, non facit illi iniuriam tradendo pretium lege, vel conſuetudine taxatum. Non tamen eſt tutus in conſcientia qui gemmam à ruſtico ignaro valoris gemmæ, vili emit: cenſetur enim ruſticus inuoluntariè vendere propter ignorantiam. At ſi vterque ignoret valorem, contractus eſt licitus: quia vterque eandem ſubit aleam lucri, aut damni. *ibid.n.*3. *& ſeq.*

26. Quando ſunt duo pretia, alterum taxatum à Principe, alterum à communi hominum æſtimatione, ſeruandum eſt pretium taxatum à Principe, cuius eſt pretium rebus ponere ad vitandam pauperum oppreſſionem, & damnorum occaſionem. Si tamen conſtet pretium à Principe taxatum eſſe iniquum, venditor poteſt tantum de pondere, vel menſura detrahere, quantum ſatis eſt vt ſe indemnem ſeruet. Hinc excuſantur piſtores qui panes minores taxâ conficiunt, aut vendunt ſupra taxam, vt ſe indemnes ſeruent; modò communiter piſto-

res illius prouinciæ, aut vrbis idem damnum patiantur. *tom.2. pag.502.num.7.*

27. Quando res notabiliter variantur quoad valorem, licet à pretio lege taxato discedere. Quò fit vt si Princeps constituit pretium tritici, tempore abundantiæ, nec illud mutauit adueniente inopia, venditor non teneatur seruare pretium taxatum: quia non est verosimile Principem, superueniente notabili mutatione, velle suam legem eundem vigorem retinere. At standum est pretio tempore sterilitatis taxato, quæcumque tandem inopia superueniat. Princeps enim magis fauere debet emptoribus, quàm venditoribus, qui pauciores sunt, & minori inopia laborant. *ibid.n.8.*

28. Quì vendit rem bonitate excedentem alias res quæ venduntur vulgò, potest aliquid vltra taxam exigere, modò sit notabilis excessus in bonitate. Econtrà qui rem vendit bonitate longè aliis inferiorem, debet aliquid de pretio taxato remittere. Secùs dicendum si excessus non sit notabilis. Peccant tamen, & tenentur ad restitutionem qui fruges deteriores à melioribus separant, & deteriores taxato pretio, meliores verò maiori pretio clàm vendunt: quia fraudant emptores, & violant legem taxantem pretia rerum permixtim vendendarum. Idem dicendum de iis qui in locum præstantiorum mercium quibus dictum est pretium, alias deteriores substituunt. *ibid.num.12.*

29. Licet aliquando, quibusdam circumstantiis concurrentibus, res pluris vendere, quàm alioquin venderentur, & minoris emere quàm emerentur: eadem enim, spectatis aliquibus circumstantiis, modò pluris, modò minoris æstimatur. Sunt autem hæ circumstantiæ. 1. multitudo emptorum, & copia pecuniæ. 2. affectus ad rem quæ venditur, vt si venditor ægrè careat ea re, propter commodum, vel oblectationem. 3. lucrum cessans venditori qui in gratiam emptoris vendit rem quam constituerat seruare vsque ad tempus quo plus valuisset; debet tamen venditor aliquid detrahere de pretio, ratione periculi quod subisset, seruando rem ad illud vsque tempus. 4. damnum emergens quod patitur venditor, vendendo creditâ pecuniâ: quia venditor non tenetur vendere cum suo detrimento: quare potest pluris rem vendere creditâ pecuniâ, quàm alioqui venderet numeratâ. 5. periculum amittendi totum pretium, vel eius partem, vel recuperandi cum expensis, & molestiis: quare ratione illius periculi, res pluris vendi potest; illud enim periculum est pretio æstimabile; licèt fortè non contin-

gat. 6. modus vendendi: minutatim enim res cariùs venduntur quàm si in magna quantitate venderentur; sub hasta res aliquando cariùs, aliquando viliùs prostant. Iustum autem pretium vendendi sub hasta est illud quod citra fraudem extorqueri potest. *tom.* 2. *pag.* 503. *num.* 14. *& sequent. pag.* 504.

30. Qui rem minoris emunt à venditore, quàm valeat, propter necessitatem qua venditor premitur, excusantur si venditor vltrò rem offerat vendendam: merces enim vltroneæ pro tertia parte vilescunt. *tom.2.pag.* 504. *n.*23.

31. Quæ non habent pretium à Principe taxatum, vel à communi æstimatione, cuiusmodi sunt gemmæ, falcones, statuæ antiquæ, picturæ, canes, non possunt vendi ad arbitrium venditoris, sed iuxta prudentis viri iudicium: quælibet enim res iusto pretio vendi debet. *tom.2. pag.* 505. *numero* 25.

32. Extraordinariæ impensæ, labores, pericula, &c. quæ mercatores subeunt, non sunt causa sufficiens augendi pretium taxatum: pretium enim censetur taxatum habita ratione omnium quæ contingere possunt, ad augendum, vel minuendum mercium pretium: & quemadmodum mercatura exposita est lucro, ita etiam damno. Vnde fit vt si nauis onusta mercibus submergatur, aut domus in qua seruabantur merces, conflagret, aut si quod aliud infortunium accidat, non possit mercator vendere vltra taxam. Potest tamen mercator ratione officij mercaturæ, aliquid plus exigere, quàm exigatur ab alio qui mercaturam non exercet: nam officium mercatoris est pretio æstimabile cùm mercator Reip. seruiat. *ibidem numero* 29. *&* 30.

33. Mercatores qui vulgò mentiuntur rem sibi tanti stetisse, vel tanti aliis vendidisse, vt pertrahant emptorem ad rigorosum pretium, vt plurimum peccant venialiter, peccato mendacij, & regulariter loquendo, non tenentur ad restitutionem: nam emptores vix illis credunt: si tamen huiusmodi mendaciis homines pertrahantur ad emendum pretio notabiliter maiori, venditores grauiter peccant, tenenturque ad restitutionem: damnum enim emptoribus creant per fraudem. *ibid. num.* 31.

Monopolia sintne licita.

34. Monopolium quatuor modis contingit. 1. quando mercatores

catores inter se conueniunt de merce vendenda tanto pretio ab ipsis constituto, aut quando emptores conueniunt de re non emenda, nisi tanto pretio, quod ipsi constituunt. 2. quando vnus, vel duo, vel plures, emunt omnes merces, ipsique soli eas vendunt, eo pretio quo volunt, sicque inducunt notabilem caritatem. 3. quando aliqui impediunt ne aliæ merces aduehantur, vt ipsi cariùs res suas vendant, cum Reip. detrimento. 4. quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo solus certum genus mercium vendere possit. *tom.2. pag.* 506. *num.* 1.

35. Quando mercatores inter se conueniunt de re vendenda supra pretium rigorosum, peccant mort. contra iustitiam; quia iustum pretium excedunt. Eodemque modo peccant emptores inter se conspirantes de merce emenda pretio infra infimum. Possunt tamen emptores conspirare ad depellendum monopolium venditorum: vtuntur enim iure suo vt se indemnes seruent, & monopolium monopolio, vt clauus clauo truditur, vt ad æqualitatem veniatur. *ibid. n.2. &* 3.

36. Quando vnus, vel pauci inter se conueniunt ad emendas omnes merces alicuius generis, eo consilio vt cariùs vendant, grauiter contra charitatem peccant; probabile tamen est illos non teneri ad restitutionem: quia non peccant contra iustitiam cum emant iusto, & currenti pretio; neque peccant supprimendo vsque ad tempus inopiæ, cùm ex iustitia non teneantur vendere. Hinc excusari possunt transferentes triticum extra territorium, etiamsi ob id, pretium notabiliter augeatur: sicut enim absque iniustitia possunt triticum domi occultare, ita & exportare; quamuis peccent contra charitatem, & Principis prohibitionem. *ibid. num.*4. *& seq.*

37. Qui vi, vel fraude impediunt ne merces aliundè aduehantur, vt ipsi cariùs res suas vendant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem: sunt enim causa iniusta damni, aliis mercatoribus, & Reip. Qui verò solis precibus, vel persuasionibus id impediunt, non videntur teneri ad restitutionem; quia preces, & persuasiones non tollunt voluntarium. *tom* 2. *pag.* 507. *num.*8.

38. Qui iusta de causa impetrat à Principe priuilegium quo solus possit certum quoddam genus mercium aduehere, & vendere, non videtur grauiter peccare, modò iustum pretium à Principe taxetur, vel à prudentibus viris: fieri enim potest vt hoc Reip. expediat, nec vlli iniuria fiat. *ibidem num.* 9.

39. Ad

39. Ad hæc monopolia recensita, quædam alia reuocari possunt, vt quando aliqui rumorem spargunt, vel litteras confingunt quibus exprimitur naues submersas esse, quibus merces certi generis aduehebantur, vt sic pretium augeant: quando vendens sub hasta, seu auctionem faciens apponit fictos licitatores qui plus offerant, vt cæteri emptores in pretio ascendant. Qui verò in publica licitatione amicos rogat ne plus certa quantitate offerant, vt ipse iusto pretio, licèt infimo, rem obtinere possit, non peccat contra iustitiam. Secùs dicendum si alios, vi, aut fraude auocet ab augendo pretio; tunc enim peccat contra iustitiam. *ibid. num.* 10.

40. Mercator qui monopolium non exercuit, non potest merces suas vendere pretio communi quod per monopolium creuit; quia illud pretium, vtpote per fraudem inductum, non est iustum, consequenter sicut monopolæ non possunt eo vti, ita nec alij: quare qui eo pretio vendidit, cognita monopolarum fraude, tenetur ad restitutionem. Opposita tamen sententia probabilitate non caret. *ibid. n.* 11.

41. Mercator qui scit breui superuenturam magnam vim mercium, vel fructuum, propter quam pretium minuendum sit, potest suas merces vendere pretio currenti, neque peccat contra iustitiam, atque adeo non tenetur ad restitutionem, secluso dolo, mendacio, & fraude: vtitur enim iure suo, neque scientia futuræ abundantiæ, seu copiæ, illum facit deterioris conditionis. Hinc collige eum non peccare contra iustitiam qui ad suum lucrum vtitur scientia priuata, qua scit, v.g. condendam esse legem qua mercium, vel monetæ pretium augendum sit, vel minuendum: quia decretum Principis nondum promulgatum non obligat. Peccat tamen Princeps, vel Magistratus manifestando legem conditam ante promulgationem, immò tenetur ad restitutionem quod cæteri inde patiuntur: qui verò vtitur ea scientia, vtitur iure suo; nisi fortè Principem, vel Magistratum induxerit ad eam legem sibi manifestandam: tunc enim teneretur ad restitutionem. *ibidem num.* 12.

An vitia rei vendendæ sint aperienda.

42. Vitium contingere potest. 1. in substantia, vt cùm vino miscetur aqua, vel aurichalcum auro. 2. in quantitate, quando non seruatur pondus, numerus, aut mensura. 3. in qualitate, quando venditur res aliqua prætextu alicuius qualitatis

quam

quam non habet, vt si argentum viuum in aures equi segnis infundatur, vt acer, & generosus appareat. Porrò vitium rei vendendæ vel est occultum, vel manifestum, vel notabile, vel leue. *tom.2.pag.*508.*n.*1.

43. Quando tacetur vitium notabile rei, quo cognito emptor eam non emisset, contractus est nullus, obligatúrque venditor ad restitutionem: quia dolus dans causam contractui irritat contractum. Immò venditor qui notabile vitium subticuit, tenetur ad omnia damna inde sequuta emptori; fuit enim causa illorum efficax. Si verò plura emantur quorum vnum sit vitiosum, contractus non est inualidus quoad omnia, si nullam habeant inter se connexionem: vtile enim per inutile non vitiatur. Si verò habeant connexionem, contractus quoad omnia dissoluitur. Vnde fit, vt si multi equi simul necessarij ad aliquod opus empti sint, & vnus eorum habeat vitium notabile, contractus quoad omnes dissoluatur. *ibid.n.*2. *&* 3.

44. Quando vitium quod tacetur, non est notabile absolutè, neque reddit rem notabiliter minus vtilem, contractus non est inualidus, nec iniustus: quia emptor non censetur rationabiliter inuitus: essetque mercatoribus grauissimum, si quodlibet vitium esset aperiendum; multum enim decederet de pretio mercium, paucique emptores inuenirentur. *ibidem num.*4.

45. Peccat contra iustitiam, tenetúrque ad restitutionem qui vendit vinum, vel frumentum quod diu seruari non potest, cùm tamen aduertat ab emptore quæri vinum, vel frumentum diu seruandum; vendit enim rem parum vtilem ad vsum ad quem emitur. Idem dicendum, quando venditur res habens occultum vitium quod allaturum est damnum emptori, vt quando pharmacopola vendit infirmo medicamentum perniciosum, vel inutile. Idem dicendum de eo qui vendit aliquid litigiosum, &c. *tom.2.pag.*509.*n.*12.

46. Venditor de occultis rei vitiis interrogatus, tenetur illa manifestare, quamuis non sint notabilia in se; alioquin aperiretur via innumeris fraudibus. Immò contractus in illo casu est inualidus, si emptor, cognito vitio, non emisset: censetur enim celebratus per dolum qui causam ipsi dedit. *ibid.num.*14.

47. Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei, validus est: quia non subest dolus: cognito tamen vitio non potest tantum accipere, quantum accepisset si res vitio caruisset, sed tenetur vel rescindere contractum, vel resarcire inæquali

qualitatem. Verùm non tenetur ad restitutionem damnorum; cùm propter ignorantiam non sit eorum causa iniusta. At si in celebratione contractus dixit se nolle teneri de vitio occulto, quod verè ignorabat, ad nihil tenetur: *ibid.n.*15.

48. Qui vino generoso aquam miscet, ita tamen vt non fiat deterius eo quod passim ab aliis venditur, non peccat, neque tenetur ad restitutionem, si eo pretio vendat quo ab aliis venditur, etiamsi mixtionem aquæ non aperiat emptori: nullum quippe damnum emptor inde patitur, nisi fortè velit illud seruare. Monendi tamen sunt venditores, vt ab huiusmodi fallaciis abstineant. *ibid.n.*17.

Cuius sint fructus rei venditæ.

49. Fructus pendentes tempore venditionis, siue maturi sint, siue immaturi, pertinent ad emptorem quoad valorem quem habent tempore venditionis, nisi aliter conuentum sit inter contrahentes: quia hi fuctus censentur pars rei emptæ. *tom.2.pag.*510 *n.*1.

50. Quando venditur equus, intelliguntur etiam vendita ornamenta equo circumposita tempore venditionis; quia cohærent rei venditæ; modò equus, tempore venditionis, ostensus fuerit emptori cum phaleris & ornamentis. *ibidem numero* 3.

51. Quando res vendita tradita est emptori, sed pretium nondum fuit persolutum, fructus rei venditæ, quoad valorem quem acquirunt post venditionem, pertinent ad venditorem: propterea si emptor ex re sibi tradita, fructus percepit, tenetur eos restituere venditori: quia res domino fructificat; venditor autem est dominus rei traditæ emptori, nondum soluto pretio, nec habita fide de illo. *ibid.n.*4.

52. Quando venditor tradidit rem emptori, soluto pretio, vel habita fide de pretio, & concessa dilatione ad soluendum, fructus omnes pertinent ad emptorem, nec emptor tenetur ad interesse pro pretio non soluto, nisi aliter conuentum sit inter contrahentes: venditor enim cedit iuri suo, & res cùm sit emptoris, domino fructificat. *ibid num.* 5. At si inter contrahentes facta fuit conuentio soluendi fructus, vel interesse ratione fructuum, donec pretium soluatur, probabile videtur emptorem teneri ad huiusmodi interesse; quia venditor non tenetur alteri vendere cum suo damno, concessâ dilatione ad soluendum *ibid.& pag.*511.

53. Con

53. Contractus quo quis tradit pecuniam alteri sibi aliam rem tradenti, v.g. domum, hoc pacto vt ipse vtatur re, alter verò pecuniâ, relicta vtrique contrahenti facultate repetendi rem suam, vel pecuniam; hic, inquam, contractus, per se loquendo, est illicitus: quia, per se loquendo, illicitum est lucrum ex mutuo: potest tamen fieri licitus. 1. ratione lucri cessantis vt fit in mutuo. 2. ratione pacti retrouendendi in fauorem vtriusque contrahentis, itavt tradens pecuniam obliget se ad rem acceptam restituendam pecuniâ sibi restitutâ. *tom.2.pag.511.n.7.*

54. In diuisione fructuum inter emptorem, & venditorem habenda est ratio temporis quo res fuit vnius, & deinde alterius: nam fructus collecti eo tempore quo res fuit venditoris, pertinent ad venditorem; fructus verò respondentes tempori quo res fuit emptoris, pertinent ad emptorem. Porrò ius exigendi pensionem à conductore pro re vendita, spectat ad venditorem: nam ipse contractum iniit cum conductore; potest tamen illud ius cedere emptori. *ibid.n.8.*

55. Quando dissoluitur contractus venditionis, celebratus cum pacto adiectionis in diem, vel legis commissoriæ: directis verbis, fructus medij temporis pertinent ad venditorem: hæc enim est vis venditionis cum huiusmodi pacto celebratæ, vt ex vi pacti ita dissoluatur, ac si non fuisset celebrata; vt si quis vendat domum hoc pacto; *vendo tibi hanc domum ea lege vt si quis intra annum, meliorem obtulerit conditionem, domus sit inempta, seu contractus pro infecto habeatur.* At si contractus celebratus sit verbis obliquis, hoc modo: *si alter meliorem obtulerit conditionem, contractus ex tunc sit dissolutus*, tunc fructus medij temporis pertinent ad emptorem: quia venditio hoc modo celebrata dissoluitur tantum à die melioris conditionis oblatæ; cum ergo medio illo tempore emptor fuerit dominus rei, sequitur fructus ad ipsum pertinere. *tom. 2.pag.512.n.3.*

56. Quando dissoluitur præfatus contractus directis verbis celebratus, gabella ex ea venditione non debetur, immò quod iam solutum est, repeti potest: quia ex vi pacti, contractus habetur pro infecto. Si verò contractus celebratus fuit verbis obliquis, gabella soluenda est; quia contractus non ita dissoluitur quasi antea non fuerit validus, sed solùm dissoluitur ne vlterius valeat: cùm igitur fuerit validus, soluenda est gabella, quæ ex venditione solui consueuit. *ibidem numero 4.*

57. Titius

57. Titius vendidit, & tradidit equum Caio 50. nummis aureis, cum hoc pacto: *Vendo tibi hunc equum* 50. *nummis, hac lege vt si tibi* 50. *nummos restituero intra duos menses, equus sit inemptus:* Titius verò intra duos menses restituit Caio 50. nummos; sed equus antequam Titio à Caio restituatur, moritur apud Caium. Quæritur vtri equus pereat. *Resp.* perire Caio emptori: nam res domino perit; Caius autem manet dominus equi, donec illum Titio tradat. Neque enim hic contractus censetur celebratus cum pacto legis commissoriæ, vel adiectionis in diẽ, vt patet consideranti, quid sit vtrumque pactum: nam *pactum legis commissoriæ* est, quando quis vendit aliquid alicui hoc pacto vt si intra præfixum tempus, pretium non soluerit, res non sit vendita. *Pactum* verò *adiectionis in diem* est, quando venditur res hoc pacto, vt si intra assignatum tempus, alius offerat maius pretium, res non sit vendita: in nostro autem casu constat venditionem non fuisse celebratam hoc pacto. Quare seruanda est regula generalis, *Absque traditione dominium non transfertur, & res domino perit.* ibid. n. 5.

58. Quando venditio dissoluitur per pactum retrouendendi eodem pretio, fructus medij temporis, videlicet à tempore venditionis, vsque ad tempus redemptionis, pertinent ad emptorem secundùm valorem quem habent vsque ad diem retrouenditionis: illo enim tempore intermedio, res fuit emptoris. Ad primum verò venditorem, fructus spectant secundùm valorem quem à die retrouenditionis acquirunt; ab eo enim die fit dominus rei. At quando venditio dissoluitur per pactum retrouendendi variato pretio, fructus pendentes spectant secundùm totum suum valorem, ad secundum emptorem qui redimit: quia censetur nouus contractus venditionis celebrari. *ibid. num. 6.*

59. Quando venditio dissoluitur eò quod pœniteat prioris contractus, & alius de nouo, mutuo consensu celebratur, fructus medij temporis pertinent ad emptorem: quia res domino fructificat; illo autem medio tempore, emptor fuit dominus. Gabella autem soluenda est pro vtroque contractu venditionis, quando contrahentes ex interuallo pœnitet prioris contractus, & alter de nouo celebratur. Secùs dicendum si venditio ante traditionem rei dissoluatur. *tom. 2. pag.* 513. *num.* 8. *&* 11.

60. Quando venditio celebrata fuit sub conditione de futuro, & conditio non adimpletur, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, siue res tradita sit emptori, siue non:

quia venditor est dominus rei ante conditionis euentum: adimpleta verò conditione fructus sunt emptoris: quia contractus celebratus sub conditione, ea adueniente retrotrahitur ad diem in quo fuit celebratus, ac si tunc fuisset purus, & absolutus. *ibid.num.* 12.

In venditione cui res pereat.

61. Si res vendita pereat post traditionem, perit emptori; emptor enim fit dominus rei per traditionem. Ante traditionem item, si res vendita sit certa, & determinata, perit, & deterior fit emptori, modo venditio sit certa, & absoluta, nec adsit culpa, vel mora venditoris in re tradenda: hæc enim est dispositio iuris. Si tamen venditor in se suscepit rei periculum, res perit venditori. *ibid.n.*2. *&* 3.

62. Periculum rei indeterminatæ in indiuiduo, pertinet ad venditorem quoad substantiam; periculum verò pretij, & valoris rei spectat ad emptorem. Quare si tempore traditionis, aut mensurationis, res in pretio decreuit, censetur decreuisse in damnum emptoris; sicut etiam si deterior, aut melior fiat, damnum, & commodum videtur ad eundem emptorem pertinere, nam venditor videtur se solum obligasse ad tradendam rem talis speciei, & emptor rem emit, prout erit tempore traditionis, subiiciens se aleæ patiendi incommodum, aut percipiendi commodum *tom* 2.*pag.*514.*n.*5.

63. Res quæ vendita fuit ad corpus, aut quæ erat determinata in indiuiduo, si pereat ante traditionem, perit emptori; res vero indeterminata in indiuiduo, aut determinata ad mensuram, vel degustationem, si pereat ante traditionem, vel mensurationem, vel dugustationem; perit venditori: si verò fiat deterior, vel melior, commodum vel incommodum cedit emptori. Quia quando venditor triticum v.g. aut vinum aut quid aliud indeterminatum in indiuiduo, aut determinatum ad mensuram, venditio censetur facta sub tacita conditione, si venditor mensus fuerit tot modios tritici, vel tot metretas vini; venditio autem facta sub conditione, non censetur perfecta ante conditionis euentum. Hinc tritum illud axiona Iurisperitorum, *Genus perire non potest. ibid.*

64. Quando ex certo numero rerum vna venditur sub disiunctione, vt si dicatur, *vendo tibi hanc, vel illam ouem*, si altera pereat, perit venditori: nam omnibus saluis, liberum illi erat tradere quam vellet; ergo par est, vt si aliqua pereat ante

ante traditionem, illi pereat. Si verò omnes pereant, nullâ excepta, vna perit emptori: quia emptor omnibus pereuntibus vnâ exceptâ, habet ius vt illa superstes sibi tradatur. *ibid. numero* 9.

In emptione quis teneatur de euictione.

65. Euictio est rei emptæ, vel iustâ causâ receptæ, per sententiam iudicis abductio, vel rei taliter acceptæ iuridica amissio. Hinc fit, vt ille dicatur euincere qui rem suam eripit è manibus emptoris, probans in iudicio, suam esse iure dominij. Propterea si ego domum emi à Seio, quam Caius probat in iudicio suam esse, illamque à me repetit, Caius dicitur euincere domum, quamuis Seius teneatur mihi de euictione, idest teneatur me indemnem seruare. *ibid. n.* 1.

66. Venditor qui rem alienam, quam sciebat alienam esse, vendidit emptori ignoranti alienam esse, tenetur de euictione; id est tenetur emptori pretium restituere, & resarcire damnum quod inde patitur. At si bona fide vendidit credens esse suam, quamuis cognito errore, teneatur restituere pretium emptori, antequam res euincatur à domino; non tenetur tamen ad restitutionem damnorum, vel interesse; quia non peccauit contra iustitiam, excusante ipsum bona fide. *ibidem numero* 2.

67. In his casibus venditor non tenetur de euictione. 1. quando emptor non denunciauit venditori, litem motam esse, vt eam defenderet. 2. quando emptor sciens emit rem alienam. 3. quando emptor citatus, contumaciter abfuit. 4. quando venditore absente, emptor non appellauit à sententia. 5 quando sententia fuit iniusta, & lata per iniuriam contra emptorem, vel quando res violenter eripitur emptori ante iudicium. 6. quando emptor voluntariè compromisit, idest consensit litem per arbitrum definiri, & sententiam contrariam reportauit. 7. quando emptor potuit vsucapere, & non vsucepit. 8. quando aliquid casuale contingit. *tom. 2. pag.* 514. 515. *numero* 3.

68. Quando venditor pactum iniit cum emptore vt non teneatur de euictione, si pactum iniit sciens rem esse alienam, aut obligatam, tenetur de euictione, non tantùm ad pretium, sed etiam ad damna, & expensas factas in lite ab emptore, nisi ad expensas condemnatus fuerit qui litem mouit. Quia dolus dedit causam contractui. At si venditor pactum iniit

ignorans rem esse alienam, aut obligatam, videndum vtrum pactum fuerit speciale, an generale: si fuit speciale, id est, ne teneatur de euictione si res euincatur à certa persona, vel in certa causa, non tenetur ad pretium, vel ad interesse, cùm illius periculum reiecerit in emptorem: si verò fuit pactum generale, idest, ne venditor teneatur de euictione, à quocumque euincatur; tenetur nihilominus ad pretium, re euicta. Excipitur diuisio hæreditatis, in qua si conuentum sit inter hæredes, vt non teneantur de euictione, non tenentur: hæc enim est dispositio iuris. *tom.2. pag.515. n.4.*

69. Non solùm in venditione, sed etiam in aliis contractibus onerosis, contrahentes tenentur de euictione: quia æquum non est, vt quis damnum patiatur ex re quam iusto pretio accepit. Excipe transactionem in re dubia. Nam si Titius, & Caius contendentes rem aliquam ad se pertinere, transactionem inter se faciant vt Titius rem accipiat, Caio verò certum pretium tradatur, si postea verus dominus rem suam euincat à Titio cui per transactionem tradita fuerat, non tenebitur Caius de euictione, nec tenebitur Titio pretium restituere. Quia Caius non accepit pretium pro re ipsa, seu in compensationem rei, sed pro iure dubio cui cessit in gratiam Titij. Si verò Titius tradidit Caio pretium, vel quid aliud, vt desisteret à lite, & hoc euincatur, tenetur Caio de euictione. *ibid. num.5.*

70. In contractibus gratuitis, secluso pacto, & culpa contrahentis, non est locus euictioni. Propterea donator non tenetur de euictione: quia par non est vt damnum patiatur ex eo quod liberaliter dedit absque præuia promissione, vel obligatione. At si promisit rem aliquam in genere, puta vestem, vel equum tanti pretij; non videtur obligationi promissionis satisfacere si rem alienam tradat. *ibid. n.6.*

71. Quando res fuit pluribus successiuè vendita, ille à quo fuit euicta, debet agere contra immediatum venditorem; neque enim contra antecedentes venditores habet actionem; quia nullum cum eis contractum iniit. *ibid. n.7.*

EPISCOPVS.

Contra Episcopos Excommunicationes.

1. IN Extrauag.2. *vt Prælatorum*, & in Extrauag.3. *Etsi deceat, de maiorit, & obed.* fertur excommunicatio contra Episcopos

Episcopos ad Rom. Curiam latenter venientes, & ab ea recedentes, non petita, & non obtenta licentia, & contra eos qui hoc pacto latenter venientes recipiunt, nisi ante receptionem Summo Pontifici significauerint. *disp.2.quæst.6. punct.4. pag. 280. tom.3.*

2. Qui recta intentione Romam proficiscitur, si postea non obtenta licentia discedat, non incurrit excommunicationem; quia excommunicatio lata est contra venientes latenter, & praua intentione. *ibid.n.3.*

3. Qui Episcopum latenter Romam venientem recipit etiam tanquam consanguineum, vel amicum, si sciat illum latenter & cum praua intentione venire, incidit in excommunicationem; quia quauis intentione recipiat, dicitur recipere latenter venientem. *ibid.n. 5.*

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

5. Eugenius IV.in Extrauag. *Diuina,de priuileg.*in fauorem officialium Papæ, vel Sedis Apostolicæ, & in fauorem aliorum venientium ad Sedem Apostol. pro suis causis prosequendis, non solùm prohibet, ne Episcopi, aliique superiores eos vexent excommunicando, suspendendo, &c. verùm etiam acta contra ipsos facta irritat, immò excommunicat, suspendit, & interdicit tàm ipsos superiores qui prædictorum beneficia aliis conferunt, quàm eos qui huiusmodi beneficia recipiunt. *ibid. quæst. 7. Punct.3. pag. 284. tom.3.*

6. Episcopi,seu ipsorum delegati hanc censuram incurrunt quoties agunt contra curiales in causis non spectantibus ad beneficia, eosque beneficiis priuant, & ea aliis conferunt, tunc enim dantes, & accipientes, huic censuræ subiiciuntur; modò tamen curiales priuilegium curialium non amiserint, aut priuilegio Eugenianę constitutionis non cesserint.*ibid.pag. 285.num.5. tom.3.*

7. Probabile est his omnibus censuris nempe excommunicatione, suspensione, & interdicto non affici singulos delinquentes contra hanc constitutionem; sed Episcopos, aliosque superiores ligari sola excommunicatione; reliquos verò inferiores affici censura interdicti, & suspensionis. *ibidem numero 7.*

8. Hoc tamen est discrimen inter censuras suspensionis, interdicti, & excommunicationis in præfato canone expressas, quod excommunicationis absolutio reseruatur Papæ, suspensio verò, & interdictum minimè. *ibid.*

9. Pius V. in Bulla quæ incipit, *Quanta*, Episcopis,aliisque

que facultatem admittendi re signationem habentibus, modum admittendæ resignationis præscribit, & prohibet ne Episcopi, aut alij collatores aliter admittant resignationes, & ne beneficia resignata conferant suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus; eos qui secùs faxint, punit pœna suspensionis à collatione beneficiorum, & officiorum, electione, præsentatione, &c. & præsumentes violare huiusmodi suspensionem afficit excommunicatione si sint personæ particulares; Capitula verò, & conuentus vinculo suspensionis à diuinis obstringit. *ibidem punct.* 4. *pag.* 285. *tom.* 3.

10. Huic censuræ probabile est non subiici Cardinales etiamsi Episcopali dignitate præditi sint; quia Summus Pontif. videtur tantùm loqui de Episcopis & aliis collatoribus; Cardinales autem non veniunt nomine Episcoporum, nisi aliud addatur, quia excelsiorem obtinent gradum. *ibid. num.* 6.

Contra Episcopos Suspensiones.

11. Episcopus conferens primam tonsuram infanti, suspensionem incurrit, nisi infans religionem ingrediatur; nomine autem *infantis* intelligitur is qui septennium nondum attigit. Per hanc suspensionem Episcopus per annum suspenditur à collatione primæ tonsuræ: neque potest Episcopus in ea dispensare nisi delictum sit occultum; elapso verò anno cessat absque alia absolutione. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 1. *pag.* 343. *tom.* 3.

12. Episcopus iniustè ordinans inuitum, Missas per annum celebrare prohibetur; potest tamen extra Missam Pontificalia exercere; Si verò est suspensus ab officio Sacerdotali, non potest vti Pontificialibus quæ includunt & supponunt officium sacerdotale. *ibid. punct* 2.

13. Episcopus qui Sacerdotem indignum vel minus dignum ordinat, suspenditur à collatione ordinis Sacerdotalis tantùm; sic enim pœna commensuratur delicto. *ibid. punct.* 3. *pag.* 344. *tom.* 3.

14. Episcopus conferens primam tonsuram illiterato, id est ei qui fidei rudimenta ignorat, quique scribere, & legere nescit, incurrit suspensionem per annum à collatione tonsuræ. *ibid. punct.* 4.

15. Conferens tonsuram coniugato incurrit suspensionem à colla

à collatione tonsuræ, nisi coniugatus velit religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere iuxta canonum dispositionem. *ibid. punct.* 5.

16. Conferens ordines bigamo, aut pœnitenti publico, prohibetur per annum integrum Missas celebrare. Cùm autem hæc pœnitentia publica desierit esse in vsu, videtur etiam cessare hæc suspensio. *ibid. punct.* 6.

17. Conferens tonsuram sibi non subdito, suspenditur per annum ab eius collatione: Conferens autem maiores ordines vel minores, quouis quæsito colore, subditis alienæ diæcesis absque licentia proprij ordinarij, suspenditur ab ordinum collatione per annum. *ibid. punct.* 7. *pag.* 344. 345. *tom.* 3.

18. Conferens duos ordines sacros eodem die, aut duobus diebus continuato ieiunio, incurrit suspensionem à collatione vtriusque ordinis donec absolutionem, & dispensationem à sede Apostolica obtinuerit. *ibid. punct.* 8. *pag.* 345. *tom.* 3.

19. Conferens ordines alicui sine sufficienti titulo cum pacto vt ordinatus nihil ab eo petat in defectum beneficij vel patrimonij suspenditur per triennium ab ordinum collatione. *ibid. punct.* 9.

20. Episcopus conferens ordines religioso ante professionem, aut votum solemne, afficitur suspensione per annum à collatione illorum ordinum quos illi religioso contulit. Tamen Patres Societatis IESV peculiari priuilegio gaudent, vt ante solemnem professionem ordinibus initiari possint post elapsum biennium nouitiatus, & votorum emissionem. *ibid. punct.* 10. *tom.* 3.

21. Iure nouo, & iuxta probabilem sententiam, etiam antiquo lata est suspensio contra Episcopos conferentes simoniacè ordines, vel primam tonsuram. Hæc autem suspensio prohibet à collatione ordinum, & primæ tonsuræ, & à Pontificaliibus, necnon interdicit ab ingressu Ecclesiæ; non tamen suspendit ab exercitio actuum iurisdictionis; hi enim non continentur sub nomine Pontificalium. Qui verò hanc suspensionem, & interdictum violat, incurrit suspensionem à regimine, & administratione Ecclesiæ, & perceptione fructuum, & præterea irregularitatem. *ibid. punct.* 11. *pag.* 346. Ab his autem pœnis non potest Episcopus absoluere; Summus enim Pontif. omnia priuilegia, & facultates hac in parte reuocauit. *ibid. num.* 6. *tom.* 3.

22. Episcopus exercens Pontificalia in aliena diœcesi absque licentia ordinarij loci, suspenditur ipso iure ab exerci-

tio Pontificalium ; non tamen prohibetur baptizare, confessiones audire, Missæ sacrum facere, vt alij Sacerdotes inferiores ; hæc enim non sunt Pontificalia ; neque prohibetur censuras ferre, beneficia conferre, & alios iurisdictionis actus exercere, cùm hæc ad Pontificalia non pertineant. *ibidem, punct.12.* Potest Episcopus ab hac suspensione absoluere, quia lata est absque temporis determinatione. *ibid. pag.347. n.6. tom.3.*

23. Episcopus qui electum ad Episcopatum, vel ad dignitatem Episcopatu maiorem confirmat, vel consecrat, non præmissa inquisitione, an is qui appellationem in electione interposuerat apud Sedem Apostolicam, & postea renunciauit appellationi, renunciauerit absque prauitate, id est, pacto simoniaco ; incurrit suspensionem à confirmatione, & consecratione Episcoporum per annum continuum. Episcopus tamen ad quem non pertinet inquirere, an renunciatum sit appellationi absque simoniaca prauitate, non ligatur hac suspensione consecrando Episcopum electum. Absolutio ab hac suspensione reseruata est Papæ, quia lata est ad tempus. *disput.3.quæst.4. punct.6.pag.355.356.tom.3.*

24. Episcopus qui religiosum absque licentia sui Superioris promouet ad clericatum, vel maiorem monasterij constituit, repellitur à communione aliorum, id est, à participatione cum aliis fidelibus, exceptis subditis propriæ diœcesis. *ibid. punct.7.pag.356.tom.3.*

25. Episcopi, aliíque Prælati, promoti à Sede Apostolica si ad suas Ecclesias accedant, administrationémque bonorum Ecclesiasticorum suscipiant absque literis Sedis Apostolicæ, nihil validè agunt, & præterea prohibentur à perceptione fructuum illarum Ecclesiarum ; Capitula verò, conuentus, & alij, qui præfatos Episcopos vel Prælatos absque literis Apostolicis suscipiunt, aut eis obediunt, suspenduntur à beneficiis donec absolutionem à Sede Apostolica obtineant. *ibid.punct. 10.pag.358.tom.3.*

26. Episcopi, aliíque Prælati Episcopis superiores, suspenduntur à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, si non seruauerint ea quæ statuta sunt in Extrauag. Ioannis XXII. quæ incipit, *Suscepti regiminis*, circa perceptionem fructuum beneficiorum vacantium ; Capitulum verò, collegium vel vniuersitas interdicitur ; aliæ porrò singulares personæ Ecclesiasticæ vel laicę, excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto, à qua nisi restitutione præmissa (præterquam in articulo mortis)

tis)

tis) non abſoluantur. In ea verò Extrauagant. præcipitur, vt fructus beneficiorum vacantium malè percepti, intra menſem reſtituantur, qua reſtitutione facta tollitur ſuſpenſio. *ibidem, punct.* 11.

27. Epiſcopi, aliíque Prælati priuantes beneficiis eos qui in Romana Curia commorantur, incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & beneficio. Eadem ſuſpenſio extenditur ad recipientes huiuſmodi beneficia. In tribus tamen caſibus non incurritur ſuſpenſio. 1. quando quis à curia receſſit animo non redeundi, aut quando longo tempore extra curiam commoratur. 2. quando quis ceſſit priuilegio Eugenianæ de qua ſupra. 3. reſpectu eorum quæ pertinent ad beneficia, vt eſt onus reſidendi, reparandi Eccleſiam, celebrandi, &c. ad quæ beneficiarius tenetur ratione beneficij. *ibid. punct.* 12. *pag.* 359. Epiſcopus & quilibet alius approbatus ad abſoluendum à cenſuris, poteſt ab hac ſuſpenſione abſoluere; quia fertur abſolutè abſque vlla mentione reſeruationis. *ibid. n.* 5.

28. Epiſcopi, aliíque Prælati, ſeu regulares, ſeu ſæculares procurantes Clericos capi à dominis temporalibus vt beneficia reſignent, vel vt citati ad Sedem Apoſtolicam non accedant; ipsíque citati procurantes ſe capi à poteſtate ſæculari, vt hoc prætextu excuſentur, quòd ſtato tempore coram Summo Pontifice comparere non potuerint, incurrunt ſuſpenſionem per triennium à beneficiis. Hæc tamen ſuſpenſio non incurritur donec beneficium reſignatum fuerit, vel donec elapſum ſit tempus aſſignatum ad comparendum coram Sede Apoſtolica. *ibid. punct.* 13. *pag.* 359. 360. *tom* 3.

29. Epiſcopi, aliíque Prælati, qui bona Eccleſiarum laicis ſubmittunt, & Clerici qui non denunciant Prælato ſubmittentes huiuſmodi bona, ſeu iura laicis, incurrunt ſuſpenſionem; Prælati quidem ab officio ordinis, & iuriſdictionis, & ab adminiſtratione temporalium; Clerici verò à perceptione beneficiorum quæ in Eccleſia ſic grauata obtinent, per triennium. Hæc ſuſpenſio vtpote ad triennium lata reſeruata eſt Pontifici; elapſo verò triennio ceſſat. *ibid. punct.* 16. *pag.* 362. 363. *tom.* 3.

30. Epiſcopus vel Abbas alienans bona Eccleſiaſtica abſque licentia Papæ, aut non ſeruata forma præſcripta in Extrauagant. *Ambitioſæ. de rebus Eccleſ. non alienand.* ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi intra ſex menſes non reſipuerit, ſuſpenditur ipſo facto in temporalibus, & ſpiritualibus, ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel monaſterij cui præeſt; Prælatus

verò inferior vltra excommunicationem priuatur ipso facto officiis,& beneficiis Ecclesiasticis. Hæc suspensio non est Papæ reseruata. *ibid.punct.* 17.*pag.*363.*tom.*3.

31. Episcopi aliique Episcopis superiores, delegati à Sede Apostolica in causa alienationis bonorum Ecclesiasticorum, si in damnum Ecclesiæ consentiunt alienationi,per gratiam,timorem, vel sordes, suspenduntur ab executione officij. Hæc suspensio non est Papæ reseruata; at si Episcopus durante suspensione ingerat se diuinis,incurrit irregularitatem Papæ reseruatam. *ibid.punct.*18.

32. Episcopus qui post celebrationem Concilij prouincialis non conuocat Abbates,Presbyteros, & Clericos, & vniuersam suæ diœcesis plebem vt illis referat in Concilio gesta, excommunicationem duorum mensium incurrit. Verùm hæc censura non est hodie vsu recepta, ne in Hispania quidem vbi lata fuit in Concilio Toletano. *disput.*3.*quæst.*5.*punct.*6.*pag.*371.*tom.*3.

33. Episcopus*, qui præscripto tempore ad Apostolorum limina non accedit, incurrit suspensionem,seu interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ab administratione temporalium, & spiritualium,& à fructibus suarum Ecclesiarum. *ibidem, punct.*7. *pag.*372. Absolutio ab hac censura Summo Pontifici reseruata est,etiamsi Episcopus,aut Prælatus delinquens resipuerit, & ad limina se contulerit. *ibid.n.*6.

34. Episcopi, aliique Episcopis superiores, ob quæstum publicantes, vel concedentes indulgentiam,aut facultatem absoluendi à censuris, aut casibus reseruatis, incurrit suspensionem Papæ reseruatam, seu potius interdictum ab ingressu Ecclesiæ,& à perceptione fructuum. *ibid.punct.*8.

35. Episcopus, vel Archiepiscopus pœnas incendiariis debitas relaxans, debet ipse damnum resarcire, & per annum ab officio ordinis, & iurisdictionis suspenditur. Incendiarius autem non solùm excommunicationem incurrit à qua nisi facta restitutione absolui nequit; verùm etiam ei iniungitur pœnitentia permanendi per annum in seruitio Dei Hierosolymis, aut in Hispania. *ibid.punct.*9.

36. Episcopus concubinarius qui post admonitionem à Synodo prouinciali factam non resipiscit, ipso facto suspensionem incurrit. *disp.*3.*quæst.*6.*punct.*1.*pag.*373. Vide tit. *Clericus. tom.*3.

37. Episcopus, aut Prælatus extra necessitatem ingrediens monasteria monialium sibi subiecta prima vice incurrit suspensio

spensionem ab ingressu Ecclesiæ, secunda vice suspenditur à diuinis; tertia vice ligatur excommunicatione. Vide tit. *Monialis. ibid. punct. 2. tom. 3.*

Eucharistia quid.

1. EVcharistiæ nomen significat 1. *gratiarum actionem*, quia in Eucharistia quatenus est sacrificium, Deum recognoscimus, illíque summum honorem, & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis impendimus. 2. significat *bonam gratiam*, quia Christum continet gratiarum omnium fontem vberrimum. Alias etiam sortitur appellationes; dicitur enim *viaticum*, quatenus per Eucharistiam præparamur ad gloriam; Græcis appellatur *synaxis*, id est, *communio*, seu *societas*, qua fideles per hoc Sacramentum, tanquam vnius corporis membra inter se, & cum Christo capite vniuntur. *tom. 1. pag. 48. num. 1.*

2. Eucharistia est Sacramentum consistens sub speciebus panis, & vini consecratis, significans Christum, & refectionem spiritualem. Corpus Christi spectat ad sacramentum Eucharistiæ; species autem consecratæ non habent perfectum nomen Sacramenti, nisi quatenus continent Christum. Porrò hoc Sacramentum non consistit in vsu, aut susceptione, sed in re permanente, videlicet in speciebus consecratis. *ibid. num. 3. & seq. & pag. 49. n. 6.*

3. Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit à Christo prima die Azymorum, in vltima Cœna, ea nocte qua Christus tradendus erat, ineunte 15. luna primi mensis lunaris qui nobis est mensis Martius, & aliquando partem Aprilis complectitur; ea autem die comedebatur Agnus Paschalis. *pag. 49. num. 2. & 3.*

Eucharistiæ necessitas, & vnitas.

4. Eucharistia non est adultis ad salutem necessaria necessitate medij, in re, vel in voto: potest enim adultus saluari absque susceptione Eucharistiæ, & absque alia re loco Eucharistiæ, vt patet in adulto statim post Baptismum decedente. Est tamen adultis, saltem baptizatis, necessaria ex præcepto non solùm Ecclesiastico, verùm etiam diuino affirmatiuo, *tom. 1. pag. 50. 51. num. 1. & 3.* Non baptizatis autem necessaria non videtur. *num. 4.*

5. Sacra

5. Sacramentum Eucharistiæ est vnum formaliter, seu specificè; quia vnam tantùm habet formalem significationem refectionis spiritualis. Neque plures hostiæ consecratæ sunt plura formaliter sacramenta, cùm habeant rationem vnius refectionis spiritualis; si tamen materialiter spectentur, sunt plura indiuidua Sacramenti; at quatenus sumuntur simul, vnum efficiunt conuiuium spirituale, neque maiorem gratiam recipit qui plures sumit, quàm qui vnam tantùm, nisi eas sumat per modum plurium refectionum, vt accit in die Natali Domini. *pag.* 51. 52. *n.*2. *& seq.*

6. Quamuis probabile sit Sacerdotem sub vtraque specie communicantem, plus gratiæ recipere, quàm recipiat laicus sub vna tantùm, nihilominus communior Doctorum sententia est, laicum tantumdem gratiæ recipere communicando sub vna tantùm specie, ac si sub vtraque communicaret; ratione rei contentæ. *pag.*52. *n.* 5.

Eucharistiæ materia.

7. Materia remota Sacramenti Corporis Christi est panis triticeus, in quo ipse Christus consecrauit; modò sit verus panis pistus cum aqua naturali, & coctus igni per modum assationis, sit moraliter præsens; vnde sequitur panem dulciarium ex melle, vel lacte, vel aqua rosacea confectum in tanta quantitate, vt iam non dicatur panis vsualis, non esse materiam idoneam huius sacramenti. Sub nomine autem tritici non comprehenditur panicum, milium, auena, lolium, far, & hordeum; secala verò, cum specie non differat à tritico, potest esse materia huius Sacramenti; quanquam grauiter peccaret conficiens Sacramentum in secala; quia est materia dubia. *tom.*1. *pag.* 52.53.*n.*1.*& seq.*

8. Tàm panis fermentatus, quàm azymus, est materia apta huius Sacramenti; quia specie non differunt; grauiter tamen peccaret sacerdos Latinus consecrans in fermentato, & Græcus in azymo; debet enim quisque suæ Ecclesiæ consuetudinem, & ritum sequi, nisi Latinus in Ecclesia Græca, & Græcus celebret in Latina. At Sacerdos Latinus in Ecclesia Latina ob nullam necessitatem debet in fermentato consecrare, etiamsi infirmus absque viatico sit decessurus. *pag.* 53. *n.* 8. *& seq.*

9. Materia remota sacramenti sanguinis est vinum ex vite, nec non mustum; cauendum tamen ne sit fæculentum, alioquin

quin committeretur peccatum ex suo genere mortale contra reuerentiam sacramenti. At vinum satis decoctum non videtur apta materia, quia mutauit speciem; neque acetum, quia est vinum corruptum; neque agresta, quia nondum est vinum. Porrò vinum congelatum potest validè consecrari, quia adhuc est vinum. Secùs dicendum de vuis nondum expressis, quia sunt potius aptæ ad esum, quàm ad potum. *tom.* 1. *pag.* 54. *num.* 1. *& seq.*

10. Non est necessarium necessitate sacramenti sub vtraque specie consecrare; alioquin consecratio sub vna tantùm specie non esset valida; sed est necessarium necessitate præcepti, & sub vna tantùm specie consecrans graue sacrilegij peccatum committit. Illud autem præceptum est diuinum, quia est de iure diuino, vt quoties fit consecratio, simul etiam fiat sacrificium, quod non potest esse integrum absque vtriusque speciei consecratione, & oblatione. *tom.* 1. *pag.* 55. *num.* 2. *& seq.*

11. Præceptum diuinum consecrandi sub vtraque specie est affirmatiuum, neque obligat semper; dantur enim aliqui casus in quibus non est obligatio conficiendi sub vtraque specie, vt si sacerdos consecrata hostia comperiat vinum esse veneno infectum, nec aliud vinum suppetat; aut si Sacerdoti post consecrationem hostiæ immineat periculum vitæ; potest enim statim consumpta hostia fugere, quia præceptum sub vtraque specie consecrandi non obligat cum tanto detrimento. *ibid. num.* 8.

12. Summus Pontifex dispensare non potest vt Sacramentum Eucharistiæ sub vna tantùm specie conficiatur; quia vtraque species pertinet ad substantiam sacramenti. Vnde sequitur sacerdotem non posse in articulo mortis sub vna tantùm specie consecrare, vt se ipsum, vel alium infirmum communicet; quia tunc non obligat præceptum communicandi cum non possit seruari quin aliud præceptum consecrandi sub vtraque specie violetur. *tom.* 1. *pag.* 56. *n.* 13. *&* 14.

13. Vino, quod est materia remota sacramenti Sanguinis, ex necessitate præcepti Ecclesiastici admiscenda est aqua naturalis. Vnde patet eum grauiter peccare, qui vino aquam non miscet, aut qui miscet aquam artificiosam: immò qui scienter omittit aquæ admistionem, in pœnam delicti præcipitur priuari officio, & beneficio, si ex aperta malitia omittat. *ibid. num.* 1. *&* 2.

14. Per hanc mistionem repræsentatur vnio fidelium cum

Christo;

Chriſto; quippe aqua ſignificat populum, & vinum ſignificat Chriſtum qui ſe vitem appellauit. *pag.* 57.*num.*3. Modica aquæ quantitas adhibenda eſt in conſecratione calicis, ne ſacerdos exponat ſe periculo conficiendi in materia dubia. *ibidem numero* 4. Si ſacerdos ante conſecrationem aduertat ſe aquam non infudiſſe, debet illam ſtatim infundere; at peracta conſecratione, iam non poteſt eam infundere; quia non eſt miſcenda aqua ſanguini Chriſti, ſed vino. *ibidem numero* 5.

15. Aqua quæ vino miſcetur, non conuertitur immediatè in ſanguiné Chriſti; quia aqua non eſt materia conſecrationis; ſed conuertitur mediante vino, in quod ipſa prius conuertitur: at ſi ante conſecrationem non fuit conuerſa in vinum, non conuertitur in Chriſti ſanguinem poſt conſecrationem, ſed remanet in calice ſecundùm ſuam ſubſtantiam, aut conuertitur in vinum ſi tandiu remaneat miſta ſpeciebus vini, quamdiu ſufficit ad conuerſionem, quia in illis ſpeciebus conſecratis remanet virtus ad generandum vinum, ac ſi ipſa ſubſtantia vini adeſſet. *ibid.n.*7.8. & 11.

16. Quælibet quantitas panis, & vini quamuis exigua, modò ſit ſenſibilis, poteſt eſſe materia Euchariſtiæ. Neque obiicias Baptiſmum non poſſe adminiſtrari ſub qualibet parua quantitate aquæ: Eſt enim longè diſpar ratio, quia Baptiſmus conſiſtit in vſu, & actione abluendi; quare adhibenda eſt ea aquæ quantitas quæ ſufficiat ad abluendum: Euchariſtia verò non conſiſtit primariò in vſu, ſed in eſſe permanenti; ſub qualibet autem exigua quantitate poteſt Chriſti corpus vel ſanguis contineri. *tom.*1.*pag.*58.*n.*1.

17. Quælibet panis, & vini quantitas quamuis ingens, modò conſtituatur præſens, poteſt validè conſecrari; ſed non licitè: ſi quis enim conſecret in tanta quantitate, vt non poſſit opportuno tempore conſumi, grauiter peccat contra ſecundarium finem huius Sacramenti qui eſt vſus. Materia autem conſecranda debet eſſe aliquo modo determinata in mente conſecrantis. *ibid.num.*2. & 3. Vnde ſequitur nullam hoſtiam conſecrari ſi ſacerdos ex 20. hoſtiis præſentibus intendat 12. tantùm conſecrare nec eas determinet; nulla enim eſt ratio cur hæc potius quàm illa conſecretur. At ſi plures hoſtias detulit ad altare conſecrandas, etiamſi in ipſo actu conſecrationis, illius tantùm recordetur quam habet præ manibus, nihilominus omnes conſecrat; quia intentionem habet virtualiter determinatam ad omnes conſecrandas; at ſi quis, inſcio

Sacer

Sacerdote, hostias apposuit in corporali consecrandas, non remanent consecratæ; quia intentio non fertur in incognitum. *pag.59. num.5.6. & 8.* Vini etiam guttæ quæ sunt extra calicem, non censentur consecratæ, quia circa illas non versatur intentio consecrantis. Secùs dicendum de guttis quæ sunt in calice à vino separatæ, quippe intentio Sacerdotis ferri videtur in totum id quod calice continetur. *n.7.*

18. Materia consecranda debet esse Sacerdoti moraliter præsens, ita vt secundùm communem loquendi modum, possit designari per particulam *hoc*, vel *hic*. Vnde sequitur posse validè consecrari vinum in calice cooperto, aut dolio inclusum, aut hostias in pyxide contentas, vel sub mappa latentes; possunt enim per particulam, *hoc*, demonstrari. At materia 30. passibus distans, aut post parietem, vel intra tabernaculum existens, non potest validè consecrari; humano enim modo videtur absens, neque per particulam, *hoc*, designari potest. *pag.59. 60. num.1. & seq.*

Eucharistiæ forma.

19. Forma Sacramenti Corporis Christi sunt hæc verba, *Hoc est corpus meum*; hac enim vsus est ipse Christus. Atque hæc sola verba sufficiunt ad Corporis consecrationem; neque totus canon est necessarius necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti, vt patet ex vsu Ecclesiæ. Verbis autem consecrationis substantialiter variatis non conficitur sacramentum; quia non est eadem forma: at si mutatio est tantùm accidentalis, validè conficitur Sacramentum; grauiter tamen peccat qui sic mutat, nisi paruitas materiæ excuset. *pag.60.61.n.1. & seq.*

20. Forma sacramenti sanguinis Christi sunt hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, quæ sola sufficiunt ad consecrationem calicis: grauiter tamen peccat qui sequentia omittit; tùm quia facit contra præceptum, & ritum Ecclesiæ in re graui; tùm quia exponit se periculo non consecrandi, nam in materia sacramentorum eligendum est quod tutissimum videtur. *pag.61 n.1. & 2.*

21. Verba consecrationis proferuntur à Sacerdote in persona Christi, de qua verificantur, non solùm recitatiuè, narrando ea quæ Christus fecit; verùm etiam formaliter, significando id quod ipsa verba important; significant autem conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem; cùm enim

enim illa verba ſint vera, neceſſe eſt vt realiter eam conuerſionem efficiant, & conſequenter ipſo facto ſignificent tranſitum panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Chriſti. *tom.* 1. *pag.* 22. *num.* 2. *&* 3.

22. In forma conſecrationis particula, *hoc*, vel, *hic*, ſignificat confusè contentum ſub ſpeciebus, itavt ſit ſenſus; *hoc quod continetur ſub ſpeciebus, eſt corpus meum*; quamobrem Doctores dicunt particulam, *hoc*, directè, & primariò ſignificare contentum ſub ſpeciebus, ſecundariò verò reſpicere accidentia panis, & vini quæ ſenſibus ſubiiciuntur. *ibid. num.* 1.

23. Chriſtus verus Deus, & homo, per verba conſecrationis,, ſub ſpeciebus panis, & vini conſtituitur, itavt totus quoad ſubſtantiam & accidentia ſub qualibet ſpecie exiſtat; nec tantùm ſub qualibet ſpecie, verùm etiam ſub qualibet parte ſpecierum, ſacramentaliter, modo quodam admirabili, & ineffabili, per modum ſubſtantiæ ſpiritualis, ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam, quantitatem, & membra, eo modo quo in cœlis exiſtit ad dexteram Dei Patris; non autem exiſtit ſub ſpeciebus modo quantitatiuo, ſeu per extenſionem partium in ordine ad locum. *tom.* 1. *pag.* 63. 64. *n.* 1. *& ſeq.*

24. Ex vi verborum ſub ſpeciebus panis ponitur Chriſti corpus viuum, informatum anima cum ſanguine, & humoribus, cæteriſque partibus non tantùm ad integritatem, ſed etiam ad ornatum corporis Chriſti ſpectantibus, vt ſunt vngues, capilli, &c. Sub ſpeciebus autem vini, ex vi verborum ponitur tantùm Chriſti ſanguis; cætera verò quæ ſunt Chriſto coniuncta, ponuntur ſub ſpeciebus per concomitantiam; eò quod habeant connexionem, & vnionem cum Chriſti ſanguine. Vnde ſequitur diuinitatem quæ per hypoſtaſim eſt vnita corpori, & animæ Chriſti, eſſe in hoc ſacramento concomitanter, immò tres perſonas diuinas; præcipuè tamen, & immediatè filium cui natura humana hypoſtaticè eſt vnita: propterea filius dicitur incarnatus, & paſſus, quod de aliis perſonis dicere non licet. Denique ſub ſpeciebus panis, eſt Chriſti ſanguis concomitanter. *pag.* 64. 65. *n.* 11. *& ſeq.*

25. Tranſubſtantiatio eſt conuerſio ſeu tranſitus totius alicuius ſubſtantiæ in aliam. Chriſtus autem conſtituitur ſub ſpeciebus per tranſubſtantiationem panis in corpus, & vini in ſanguinem, itavt deſinat ſubſtantia panis, & vini adueniente corpore, & ſanguine Chriſti, & ſola accidentia remaneant ſine ſubiecto ſubſtantiali. *pag.* 65. 66. *n.* 1. *& ſeq.*

26. Illa tranſubſtantiatio, ſeu conuerſio eſt actio non modò

dò adductiua, verùm etiam productiua; neque enim constituit tantùm Christum præsentem sub speciebus, sed etiam producit aliquem modum, quo Christus habens iam suum esse substantiale vnitur per modum contenti cum speciebus, sicut priùs substantia panis sub illis continebatur; cum hoc tamen discrimine, quòd substantia panis sustentabat accidentia subiectiuè, & ab illis informabatur: Christus autem ea sustentat efficienter, nec ab illis informatur. *pag.66.n.4.*

27. Eo instanti quo completur significatio verborum consecrationis, Christi corpus incipit esse sub speciebus, tamdiuque ibi conseruatur, quamdiu conseruaretur panis si adesset. Quamobrem Christus non desinit esse sub speciebus per quamlibet specierum alterationem, neque statim atque in stomachum traiicitur. Caueant igitur fideles ne statim post Eucharistiæ sumptionem, cibum corporalem capiant, donec species alterentur, & corrumpantur; neque enim decet cibum corporalem cum Christi corpore miscere. *ibidem num.* 1. *& seq. pag.67.*

28. Christi corpus desinit esse sub speciebus panis quando ex iis vermes generantur, & sanguis sub speciebus vini quando per admistionem alterius liquoris specie distincti corrumpuntur. Si verò species vini misceantur cum alio vino, sub illis conseruatur Christi sanguis; neque tamen dicitur misceri cum vino; quia ibi non est Christi sanguis modo quantitatiuo. *pag.67.n.6.& seq.*

Eucharistiæ effectus.

29. Primus Eucharistiæ effectus est *augmentum gratiæ*, quippe Eucharistia per se primò instituta fuit ad gratiam augendam; nonnunquam tamen contingit, vt primam gratiam conferat. Hoc autem gratiæ augmentum per peccata venialia, aut affectum ad illa non impeditur; quia peccatum veniale non est incompatibile cum gratia, & charitate. *tom.*1. *pag.68. num.*2. *&* 3.

30. Secundus Eucharistiæ effectus est *præseruatio à peccatis mortalibus, & venialibus*, modò non adsit ipsorum complacentia, aut in ipsa Eucharistiæ sumptione non admittantur. Per Eucharistiam autem remittuntur venialia ex opere operato. *ibid. n.4 5.& 6.*

31. Tertius Eucharistiæ effectus est *auxilium ad rectè operandum, & temperandum fomitem peccati, necnon ad ten-*

tationes depellendas : cùm enim sit animæ cibus, illi robur & vires confert ad agendum, & pugnandum. Multi tamen Doctores putant huiusmodi auxilium non statim dari, sed tempore opportuno, modò suscipiens non se reddat indignum. *ibid.num.7.*

32. Quartus Eucharistiæ effectus est *vnio spiritualis cum Christo, & fidelibus*, & præterea *vnio moralis inter Christum, & suscipientem*, ratione effectuum quos Eucharistia parit, *ibid.num.8.*

33. Eucharistia vt est *sacrificium*, remittit pœnam temporalem; vt autem est *Sacramentum*, non aufert primariò pœnam ex opere operato, sed iuxta valorem actus, & dispositionem suscipientis : secundariò tamen remittit aliquando pœnam; cum enim per Eucharistiam aliquando infundatur prima gratia, sequitur per eius sumptionem, aliquando remitti pœnam; alioquin sequeretur eum qui suscipit Eucharistiam cum attritione, putans se esse in gratia, non recipere gratiam, & remissionem illius pœnæ, quod falsum est. *ibid. numero 9.*

34. Species consecratæ prosunt ad nutriendum corpus sumentis, non solùm quatenus in stomachum traiectæ ita alterantur, & corrumpuntur, vt noua substantia succedat sufficiens ad nutriendum; sed etiam quatenus in ipsis speciebus remanent qualitates panis, & vini. *ibid.n.10*

35. Tunc Eucharistia suos producit effectus quando pars aliqua hostiæ, aut sanguinis traiecta est in stomachum. Vnde sequitur eos qui diu retinent hostiam in ore, itavt species corrumpantur antequam deglutiantur, Eucharistiæ fructum non percipere, quia non dicuntur Christum manducare. Ratio autem, cur Eucharistia producat suum effectum quando pars aliqua est deglutita, est, quia in ea est totus Christus, & quælibet pars significat refectionem spiritualem, & significando efficit. *tom.1.pag.69.n.1.& seq.*

36. Si contingat vt communicans sit in peccato mort. tunc temporis quo partem aliquam hostiæ deglutiit, sed statim eliciat actum contritionis, antequam reliquas partes deglutiat, quæritur an eas manducando recipiat gratiam. *Resp. negatiuè* : quamuis enim illæ sumptiones, physicè sint plures, nihilominus est vna tantùm moraliter; per quam vnus datur effectus in primæ partis sumptione; at communicans cùm primam partem deglutiit, non erat sufficienter dispositus ad percipiendum effectum sacramenti : ergo, &c. *ibid.n.6.*

Eucha

Euchariſtiæ miniſter.

37. Solus ſacerdos eſt miniſter conſecrationis, etiam excommunicatus, vel degradatus, hæreticus, ſchiſmaticus,&c. modò debitam habeat intentionem;retinet enim characterem, in quo fundatur poteſtas conſecrandi. Ad hoc autem Sacramentum adminiſtrandum, ſolus ſacerdos eſt ordinarius miniſter, extraordinarius verò poteſt aliquando eſſe diaconus, vt in articulo mortis. Porrò non videtur eſſe tanta Euchariſtiæ ſumendæ neceſſitas, vt laicus, aut alius non ſacerdos, vel ſaltem diaconus, poſſit in articulo mortis, propria auctoritate ſibi Euchariſtiam miniſtrare. *tom.*1.*pag.*70.*n.*1. *& ſeq.*

38. Sacerdos qui ſine licentia Euchariſtiam adminiſtrat, per ſe loquendo mortaliter peccat, niſi hoc faciat ex præſumpta voluntate paſtoris, ſibi enim alienam iuriſdictionem vſurpat. Religioſis autem Euchariſtiam miniſtrantibus ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi, aut abſque ſpeciali priuilegio irrogata eſt pœna excommunicationis ipſo facto, Papæ reſeruata. Excipitur tamen articulus mortis in quo religioſi poſſunt, etiam inuito Parocho, infirmos communicare, ſi ipſe nolit. *ibid.n.*6.8.*&* 10.

39. Religioſi habentes priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam, excepto die Paſchatis, poſſunt nihilominus Euchariſtiam eo die porrigere illis qui iam in propria parochia,præcepto ſatisfecerunt. *ibid.n.*12.

40. Sacerdos extra Miſſæ ſacrificium poteſt ſeipſum ex deuotione communicare, modò non adſit alius ſacerdos qui ei porrigat, abſitque ſcandali periculum: Sacerdos enim eſt ordinarius huius ſacramenti miniſter, nec alienam iuriſdictionem vſurpat, Euchariſtiam ſibi adminiſtrando. Item ſacerdos qui non habet aliam hoſtiam conſecratam præter ſuam, poteſt, rationabili ex cauſa, illius partem infirmo porrigere; hoc enim nihil obeſt perfectioni ſacrificij. *tom.*1.*pag.*71. *numerò* 13.*&* 14.

41. Parochus ouibus ſuis tenetur Euchariſtiam adminiſtrare, non ſolùm quando tenentur communicare, ſed etiam quoties eam rationabiliter petunt: neque enim par eſt vt paruuli petant panem, & non ſit qui eis frangat. Excuſatur tamen Parochus ab adminiſtratione ſacramentorum, quando rationabilem habet cauſam ea denegandi, qualis eſt infirmitas,laſſitudo grauis, ſi fœminæ velint de nocte confiteri etiam in Eccleſia, &c. *ibid.n.*15.

42. Sacerdos administrans, vel conficiens Eucharistiæ sacramentum debet esse in gratia; quia est ad hoc munus ex officio deputatus. Quare sacerdos peccati mort. sibi conscius, antequam Eucharistiam administret, debet conteri; neque enim necessaria est confessio nisi Eucharistiam suscepturo. Qui verò pluribus successiuè administrat Eucharistiæ sacramentum in statu peccati mort. plura peccata committit. *ibid. num.* 1. *& seq.*

43. Parochus non potest Eucharistiam ad infirmum deferre, quoties eam ferre nequit cum habitu decenti, id est, cum stola, & superpelliceo, lumine præeunte; aut si timeat fore, vt eam non possit administrare infirmo, nisi valde festinanter currat; nimia enim festinatio repugnare videtur reuerentiæ tanti sacramenti, & decentiæ clericali. Secùs dicendum de Baptismo, aut Pœnitentiæ sacramento: quilibet enim tenetur non tantum honorem, & famam, sed ipsam etiam vitam prodigere ad saluandum proximum in extrema necessitate spirituali existentem. Neque potest Sacerdos Eucharistiam aliis digitis porrigere, si ob infirmitatem, vel chiragram non possit pollice, & indice administrare, *pag.* 71. 72. *numero* 8. *& seq.*

Eucharistiæ susceptio.

44. Ad Eucharistiæ sacramentum cum fructu suscipiendum tres requiruntur dispositiones. 1. vt suscipiens sit baptizatus, & habeat fidem. 2. est intentio actualis, aut virtualis, & implicita, vel etiam habitualis, qualis videtur esse in eo qui incidit in amentiam, aut phrenesim, cùm antea christianè vixerit. 3 est vt suscipiens sit in gratia, nec sibi sit conscius peccati mort. *tom.* 1. *pag* 72. *n.* 1. *& seq.*

45. Amenti, vel phrenetico non est statim administrandum Eucharistiæ sacramentum, sed expectandum donec habeat lucida interualla, si amentia non sit continua. At perpetua amentia laboranti potest Eucharistia ministrari in articulo mortis, si antequam incideret in amentiam, vitam duxit homine Christiano dignam, modò non sit periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Item obsessi à dæmone, si adhuc vtantur ratione, & semifatui, tempore Paschatis, & in articulo mortis, præciso irreuerentiæ periculo, videntur ad communionem admittendi *pag* 73. *n.* 4. 5. *& seq.*

46. Qui habet probabilem conscienttam peccati mort. tenetur

tenetur præmittere confessionem sacramentalem, nisi vrgente necessitate communicandi non habeat copiam confessarij. Qui autem dubitat an mortaliter peccarit, vel an omiserit aliquod peccatum mort. in confessione si magis propendeat in partem affirmantem, immò si æqualiter dubitet, obligatur ad confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. Quare damnanda est illorum temeritas, qui asserunt ante sumptionem Eucharistiæ non esse confessionem præmittendam. *ibid. num.*10.*&* *seq.*

47. Qui habet necessitatem communicandi, vel celebrandi; sed non potest confessionem præmittere absque scandalo, non tenetur illam præmittere, etiamsi habeat copiam confessarij; tenetur tamen elicere actum contritionis. Item Sacerdos qui inchoata Missa meminit peccati mort. non tenetur confessarium ad se vocare ad altare, si sit periculum scandali. Item qui inchoata Missa recordatur se esse excommunicatum, aut non ieiunum, non debet Missam dimittere cum scandalo; secùs si fieri possit sine scandalo, modò nondum facta sit consecratio; tunc enim debet Missam inchoatam prosequi sine confessione. *tom.*1.*pag.*74.*n.*14.15.*&* 16.

48. Laicus qui præmissa confessione ad linteum accessit communicaturus, ibique recordatur peccati mort. per obliuionem omissi, non tenetur recedere, & adire confessarium; exponeret enim se periculo infamiæ, indicando aliis habere se conscientiam peccati mort. *ibid.n.*17.

49. Sacerdos morti proximus, non habens copiam confessarij, potest celebrare, vel etiam accedere ad sacramentum, seque communicare præmissa contritione. Item Parochus deficiente confessario, potest præmissa contritione, celebrare in die festo, ne parochiani careant Missa. Item is qui ob vitandum scandalum, vel alia iusta de causa, cogitur communicare, vel celebrare, non tenetur confessionem præmittere, si nullus adsit confessarius approbatus. *ibid.n.*21.*&* *seq.*

50. Qui tenetur in Paschate communicare, non potest, per se loquendo, communicare non præmissa peccatorum mort. confessione; nam præceptum diuinum de præmittenda confessione ante Eucharistiam, præualet præcepto positiuo Ecclesiastico in Paschate communicandi. Idem dicendum de eo qui tenetur in die festo Missam audire, vel celebrare. *ibidem num.*25.

51. Qui habet conscientiam peccati mort. quod rationabiliter timet à confessario manifestandum, potest illud in con-

fessione reticere, si sit necessitas communicandi, donec habeat copiam alterius confessarij. *pag.*75.*n.*28.

52. Sacerdos ex necessitate celebraturus, si habeat aliqua peccata reseruata, & alia mortalia non reseruata, tenetur confiteri, etiamsi confessarius non possit absoluere à reseruatis; nam potest absolui directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis, modò propositum habeat comparendi coram superiore habente facultatem absoluendi à reseruatis. *ibid.n.*31.

53. Qui præmisso conscientiæ examine credit se esse in statu gratiæ, cum reipsa peccatum mort. habeat, quod inuincibiliter ignorat, recipit fructum huius sacramenti si actum contritionis, vel saltem attritionis eliciat ante communionem: nam sacramentum Eucharistiæ potest aliquando conferre primam gratiam, modò non ponatur obex. *ibid. n.*32.

54. Excommunicatus Eucharistiam sumens non præmissa confessione, sciens se obstringi vinculo peccati, & censuræ, duplex peccatum committit; facit enim contra religionem, indignè communicando, & contra obligationem censuræ, quia excommunicatus à sacramentorum participatione arcetur. *ibid. num.*34.

55. Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit non præmissa confessione peccati mort. tenetur quamprimùm confiteri; ita præcipiente Concilio Trid. *sess.*13.*cap.*7. Laicus verò, qui sine confessione suscepit Eucharistiam, non tenetur statim confiteri; quia Concil. Trid. non facit mentionem laicorum, sed sacerdotum tantùm, in necessitate celebrantium sine confessione. Vnde sequitur Sacerdotem vrgente necessitate communicantem more laicorum absque præuia confessione mortalium, non teneri ex decreto Tridentini statim post communionem confiteri. *tom.*1.*pag.*76.*n.*37.

56. Qui peccatum carnale commisit, debet per aliquod temporis spatium abstinere, sub veniali, à communione, etiamsi peccatum confessus fuerit, nisi adsit iusta causa communicandi, qualis causa videtur esse festum magnæ solemnitatis, aut dies Iubilæi, &c. Qui autem ad communionem accedit eo die quo pollutionem inuoluntariam passus est, ab omni peccato excusatur. *ibid. n.* 3. *&* 4.

57. Eucharistiam suscepturus, per se loquendo, debet à media nocte esse ieiunus, ieiunio naturali, itavt nihil prorsus cibi, aut potus sumpserit; non tamen necesse est vt post cœnam dormierit, aut cibum digesserit, quia id nullo iure cautum est. *tom.*1.*pag.* 77. *n.* 5. *&* 11.

58. Qui

58. Qui post sumptam ablutionem, aut post dictas orationes, aliquam hostiæ particulam, etiam grandiusculam reperit in patena, potest eam statim sumere; quia tota illa actio reputatur vnum conuiuium, & vna perfecta sacrificij consumptio: At si Sacerdos iam discessit ab altari, tunc non potest reliquias sumere; quia iam non reputatur vna actio. *ibid. num.* 13.

59. Sacerdos non ieiunus potest sumere Eucharistiam si aduertat, fore vt alioquin Eucharistia perueniat ad manus infidelium, qui eam iniuriosè tractabunt, aut si alia similis causa superueniat. Item Sacerdos qui pro vino aquam consecrauit, neque aduertit errorem nisi post aquæ sumptionem, debere denuo vinum consecrare, & bibere, quamuis ieiunium fregerit per sumptionem aquæ; quia consecratio vini pertinet ad sacrificij integritatem. Item si Sacerdos post consecrationem moriatur, nec adsit alius præter Sacerdotem non ieiunum, tenetur ille non ieiunus perficere sacrificium: Secùs si ante consecrationem moriatur. *tom.* 1. *pag.* 78. *numer.* 18. *& seq.*

60. Eucharistia, ratione necessitatis, administrari potest per modum viatici infirmo existenti in articulo mortis, immò etiam in casu mortis violentæ, dari potest homini non ieiuno, si commodè nequeat anticipari, vel differri; quia hic dicitur esse in articulo mortis, & sicut potest absolui à reseruatis, ita etiam non ieiunus ad Eucharistiam admitti. *ibid. num.* 21. *&* 22.

61. Infirmus qui sex, vel octo dies antea per modum viatici communicauit, potest iterum non ieiunus ad communionem admitti, si aliter commmodè nequeat. Non tamen licet quotidie infirmum non ieiunum communicare propter reuerentiam Sacramenti. Ad communicandum autem infirmum non potest Sacerdos non ieiunus consecrare; quia hoc non est vsu receptum. *ibid. n.* 23. *&* 24.

62. In articulo mortis naturalis, aut violentæ, præceptum diuinum sumendæ Eucharistiæ, per se loquendo, obligat sub peccato mortali; quia in illo articulo maxima est Eucharistiæ sumendæ necessitas, ad restaurandas animi vires, & perseuerandum in gratia, qui est finis huius Sacramenti. Qui tamen paulò antè communicauit quàm in periculum mortis incideret, non tenetur iterum communicare. *tom.* 1. *pag.* 79. *numero* 1. *&* 2.

63. Iudex præciso periculo notabilis damni communis,

aut alia iusta causa, tenetur, per se loquendo, concedere reo tempus communicandi, quandoquidem tenetur reus in articulo mortis communicare; etiamsi timeatur, fore vt concesso debito tempore reus eripiatur. Immò si nolit reus intra concessum sibi tempus se præparare, tenetur iudex aliquam dilationem duorum, vel trium dierum concedere, si speret fore, vt reus intra illud tempus, pœnitentiam agat, nec sit periculum alicuius damni ex ea dilatione. At si reus nolit Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum sumere, potest illum iudex morti adiudicare, quamuis credat fore vt in mortali peccato moriatur. *tom.* 1. *pag.* 80. *n.* 5. 6. *&* 7.

64. Qui semel in anno Eucharistiam sumit, satisfacit præcepto diuino, & Ecclesiastico. Non potest quis sæpius in die communicare, excepta Natiuitatis Domini solemnitate, qua licet Sacerdotibus ter celebrare; hoc tamen priuilegium non extenditur ad laicos communicantes. Qualibet autem diei hora potest ieiunus ad communionem admitti, per se loquendo; tamen ad vitandum scandalum nullus, extra necessitatem, sub vesperam, aut intempesta nocte est ad Eucharistiam admittendus. *ibid. n.* 10. *& seq.*

65. Præceptum Ecclesiasticum sumendæ Eucharistiæ obligat omnes fideles vtriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerunt: maius autem iudicium requiritur ad communionem, quàm ad confessionem. At in articulo mortis adolescens præditus vsu rationis, confessionis, & Extremæ vnctionis capax, debet non solum ex consilio, verùm etiam ex præcepto communicare. *tom.* 1 *pag.* 81. *n.* 1. *& seq.*

66. Omnes fideles, postquam annos discretionis attigerunt, tenentur Eucharistiam sumere à proprio Parocho, semel in anno, nimirum in Paschate, id est à Dominica Palmarum, vsque ad octauam Paschæ, nisi quorundam locorum consuetudo aliud ferat. At qui in hebdomada Sanctiori, in sua parochia præceptum communionis impleuit, potest in die Paschæ à quocumque Sacerdote, in alia Ecclesia Eucharistiam sumere. Potest item quilibet fidelis in Ecclesia Cathedrali suæ diœcesis, Eucharistiam, aliaque Sacramenta suscipere. *pag.* 81. 82. *n.* 5. 6. *& seq.*

damnata 67. Qui tempore Paschatis communicat in peccato mort. Ecclesiæ præcepto satisfacit; quia qui substantiam præcepti adimplet, satisfacit quamuis non obseruet modum. Qui autem non communicauit in Paschate, probabiliter non tenetur elapso tempore Paschatis, quamprimum commodè poterit,

terit, eodem anno communicare; quia præceptum affirmatiuum non obligat semper, sed pro tempore à legislatore determinato. Qui tamen de confessarij consilio distulit communionem, obligatur ad communicandum iuxta ipsius consilium. *tom.*1.*pag.*82 *n.*12.13.

68. Qui præuidet se ita impediendum tempore Paschatis vt intra illos 15. dies non possit communicare, non tenetur communionem anticipatè sumere; quia ante illud tempus præceptum non obligat. Secùs dicendum de eo qui in hebdomada sanctiori animaduertit se non posse sequentibus diebus communicare ob impedimenta; cum enim tunc temporis iam cœperit obligatio præcepti, tenetur omnino ea hebdomada communicare. Porrò excommunicatus tenetur excommunicationis absolutionem expectare vt satisfaciat præcepto communionis. *tom.*1.*pag.*83.*n.*15.

69. Qui omittit, sua culpa, communionem tempore Paschatis, nullam quidem censuram ipso facto incurrit; sed interdicendus est ingressu Ecclesiæ, & priuandus Ecclesiastica sepultura. *ibid.n.*19.

70. Possunt sacerdotes, per se loquendo, singulis diebus celebrare. Excipiendi tamen sunt aliqui dies qualis est feria quinta, sexta, & sabbatum hebdomadæ sanctioris, & alij quidam dies iuxta locorum consuetudinem. An autem feria 5. & sabbato hebdomadæ sanctæ liceat priuatim celebrare, præsertim si in eum diem incidat festum Annunciationis, consuetudini locorum standum est. *ibid.n.*17.

EXCOMMVNICATIO.

Quid & quotuplex sit excommunicatio.

1. EXcommunicatio significat *extra communionem*, quia homo per excommunicationem separatur à communione fidelium, & à participatione sacramentorum. Est enim excommunicatio censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus spiritualibus bonis, videlicet consortio fidelium, participatione sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragiis. *tom.*1 *pag.*374 *n.*1.*&* 2.

2. Excommunicatio diuiditur 1. in *comminatoriam*, seu *ferendæ sententiæ*, & in excommunicationem *ipso facto*, seu *latæ sententiæ*, vt patet ex dictis de censuris. 2. diuiditur in *maiorem*, & *minorem*; maior non incurritur nisi ob mortale

peccatum, minor aliquando ob veniale. Quando autem fertur excommunicatio absque restrictione maioris, vel minoris, sermo est de maiori, quæ simpliciter, & absolute dicitur excommunicatio. 3. diuiditur in excommunicationem *latam à iure*, & *latam ab homine*. Rursus excommunicatio *ab homine*, alia est per sententiam generalem, alia per sententiam particularem. *ibid.n.1.& 2.*

3. Censuræ contentæ in Bulla Cœnæ, censentur latæ per modum statuti; seu potius à iure: nam Summus Pontif. illas tulit intentione condendi perpetuam legem: hoc enim est peculiare huic Bullæ, vt non finiatur morte Pontificis qui eam tulit, quamuis singulis annis in die Cœnæ Domini publicetur. *tom.1.pag.375.n.4.*

Effectus Excommunicationis maioris.

4. Suffragia communia, & generalia sunt quædam auxilia spiritualia quæ à Clericis, tanquam Ecclesiæ ministris, pro fidelibus offeruntur, vt sacrificium Missæ, Orationes canonicæ, publicæ supplicationes, &c. in quibus clerici orant nomine Ecclesiæ. Suffragia verò priuata sunt orationes quæ fiunt à Christianis tanquam particularibus personis. Est autem hoc discrimen inter publica, & priuata suffragia, quod priuata perdunt valorem ex indignitate offerentis; publica verò minimè, quia valorem mutuantur ab Ecclesia cuius nomine offeruntur. *ibid.n.1.*

5. Maiori excommunicatione obstrictus priuatur communibus Ecclesiæ suffragiis. Quare peccat mort. qui excommunicato applicat huiusmodi suffragia: facit enim in re graui contra Ecclesiæ prohibitionem. Excipitur vnus casus in quo licet pro hæreticis excommunicatis, publicè orare, videlicet in feria. 6. Parasceues: tùm ad imitationem Christi, qui pendens in cruce orauit pro inimicis; tùm ad ostendendum valorem mortis Christi, qui pro omnibus mortuus est. *ibid. num.3.& seq.*

6. Quilibet excommunicatus etiam toleratus, & non vitandus, priuatur communibus Ecclesiæ suffragiis, neque licet fidelibus ea offerre etiam pro toleratis; alioquin propria excommunicationis ratio destrueretur. *ibid.n.1.*

7. Excommunicatus vitandus, & non toleratus dicitur is qui est nominatim denunciatus excommunicatus: ante denunciationem autem, non dicitur vitandus, etiamsi publicè

constet de excommunicatione ab ipso contracta. Hinc sequitur, si Pontifex excommunicet, & denunciet excommunicatum Titium cum fautoribus suis, Titium vitandum esse, non verò fautores, quia non sunt nominatim denunciati. Item si quis citetur sub excommunicatione *ipso facto*, nisi compareat, non esse vitandum, quamuis non compareat, quia nondum est denunciatus. Sequitur etiam Catholicos posse cum hæreticis nondum denunciatis loqui, & conuersari. Immò non desunt qui existiment licere Missæ sacrum cum hæretico audire, & illius funus comitari. *tom.* 1.*pag.* 376.*n.* 2.

8. Probabile est illum censeri nominatim denunciatum qui à iudice competente denunciatur commisisse delictum quod constat habere adnexam excommunicationem: propterea qui publicè declaratur incidisse in hæresim, statim vitandus est: nam eo ipso quod publicè declaratur hæreticus, satis expressè declaratur excommunicatus. *ibid.*

9. Notorius clerici percussor censetur vitandus, & non toleratus, hoc ipso quod est notorius, vt definit Concilium Constantiense. Potest autem quis dici *notorius clerici percussor* duobus modis. 1. *notorietate iuris*, quando in iudicio confessus est se clericum percussisse. 2. *notorietate facti*, quando percussit clericum multis præsentibus, itavt percussionem nequeat vlla tergiuersatione celare. Porrò qui notoriè percussit clericum notorietate iuris, non dicitur vitandus; sed is cuius percussio notoria est notorietate facti; si verò potest eam aliqua tergiuersatione celare, non dicitur excommunicatus vitandus; modò excusatio sit probabilis. *ibid.n.* 3

10. Ad notorietatem facti, in magna ciuitate, plures requiruntur testes, quàm in exiguo oppido, vel collegio. Vnde sequitur delictum commissum coram decem non esse notorium respectu magnæ ciuitatis; secùs respectu collegij, aut viciniæ: neque me teneri vitare eum qui coram me percussit clericum eo tempore quo non aderat sufficiens testium numerus ad faciendum crimen notorium. *ibid.n.* 5.

11. Excommunicatus qui nondum obtinuit absolutionem excommunicationis, priuatur communibus Ecclesiæ suffragiis, quamuis sit contritus, & iam resipuerit à delicto: quia excommunicatus etiam contritus, adhuc manet excommunicatus, donec absoluatur, & excommunicatio suum habet effectum donec auferatur. *tom.* 1.*pag.* 377.*n.* 1.

12. Missæ sacrificium oblatum à Sacerdote in persona Christi, prodest excommunicato si ei applicetur: quia malitia ministri

ministri non impedit effectum Sacramenti, neque Ecclesia per suam prohibitionem, aufert potestatem applicandi effectū sacrificij ei qui est in gratia, vt hic supponitur esse. *ibid.n.3.*

13. Missæ sacrificium applicatum excommunicato, non ei prodest quoad fructum, & valorem prouenientem ex parte Ecclesiæ: quia Ecclesia priuat excommunicatum suffragiis communibus; quale est sacrificium Missæ. Potest tamen Sacerdos in Missa, tanquam persona priuata, orare pro quolibet excommunicato: quia hoc non est prohibitum ab Ecclesia. *tom. 1. pag. 378. n. 5. & 6.*

14. Excommunicatus validè recipit Sacramenta quoad substantiam: multa enim fieri prohibentur quæ tamen facta tenent. Quoad effectum autem, id est, quoad gratiam, non semper validè suscipit sacramenta; quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, nisi inculpabiliter ignoret se esse excommunicatum, aut esse peccatum mortale accedere ad sacramenta cum excommunicatione. Quod verum est etiam de Sacramento Pœnitentiæ: potest enim validè quoad substantiam, & quoad effectum conferri excommunicato inculpabili ignorantia laboranti: tunc enim non ponit obicem gratiæ. Si verò culpabiliter ignoret se esse excommunicatum, committit peccatum mortale in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; ac proinde non suscipit sacramentum. Hinc colligi potest dari posse casum, vt quis absoluatur à peccatis, quamuis nondum absolutus fuerit ab excommunicatione; quando scilicet confitetur peccata sua bona fide, nesciens se esse excommunicatum. *tom. 1. pag. 378. 379. n. 1. & 2.*

15. Excommunicatus etiam toleratus, regulariter loquendo peccat mort. suscipiendo aliquod sacramentum: quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; nisi excusetur ob ignorantiam, vel necessitatem. Non tamen incurrit aliquam pœnam, excepta susceptione Ordinis sacri, propter quam incurrit irregularitatem. *tom. 1. pag. 379. n. 4. & 5.*

16. Sacerdos administrans sacramenta excommunicato tolerato, non peccat ex vi censuræ: nulla enim extat Ecclesiæ prohibitio: grauiter tamen peccat contra ius naturale, & diuinum, quo Sacerdos prohibetur administrare sacramenta indignè petenti, nisi forte petens sit peccator occultus, & publicè petat. Porrò Concilium Constantiense cùm facit potestatem fidelibus communicandi cum excommunicatis toleratis in diuinis, & sacramentis, tollit prohibitionem Ecclesiasticam non verò naturalem. *ibid. n. 1.*

17. Sacerdos

17. Sacerdos credere poteſt excommunicato occulto fide digno, petenti Euchariſtiam, & dicenti ſe abſolutum eſſe, immò quamuis hoc non aſſerat, poteſt Sacerdos præſumere eum eſſe abſolutum, hoc ipſo quod petit Euchariſtiam, niſi oppoſitum manifeſtè conſtet, aut niſi periculum ſit ſcandali, vel alterius incommodi: nullus enim præſumitur velle delinquere. *tom.* 1. *pag.* 380. *n.* 3.

18. Sacerdos ex vi cenſuræ, mortaliter peccat adminiſtrando ſacramenta excommunicato vitando: quia Eccleſia prohibet communicationem cum excommunicatis vitandis. Præterea incurrit minorem excommunicationem, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, vt habetur in cap. *Epiſcoporum, de priuilegiis in 6.* Addendum latam eſſe excommunicationem Papæ reſeruatam in cap. *ſignificaſti, de ſent. excomm.* contra clericos in diuinis officiis participantes cum excommunicatis à Papa. *ibid. n.* 5. *&* 7.

An excommunicatus validè miniſtret Sacramenta.

19. Sacramenta ab excommunicato tolerato validè miniſtrari poſſunt: neque enim priuatur iuriſdictione, & pœnitens ab eo petens Sacramenta non peccat mort. etiamſi ſciat illum eſſe excommunicatum, neque vlla vrgeat neceſſitas petendi; propter facultatem à Concil. Conſtantienſi conceſſam communicandi cum excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis, vel irregularibus toleratis, ad vitanda ſcandala, ſcrupulos, & animarum pericula. Neque petens cooperatur peccato Scerdotis adminiſtrantis, cùm ipſe Sacerdos rogatus, non peccet miniſtrando, non enim ſe ſua ſponte ingerit. *ibid. numero* 1. *& ſequent.*

20. Quælibet Sacramenta ab excommunicato vitando miniſtrata, valida ſunt, excepto Pœnitentiæ Sacramento; niſi miniſtretur in neceſſitate; quia excommunicatus vitandus caret iuriſdictione, quæ requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ validè miniſtrandum. Vnde fit vt confeſſio facta excommunicato vitando ſit inualida, extra articulum mortis etiamſi pœnitens ignoret ipſum eſſe excommunicatum: quia ignorantia pœnitentis non dat iuriſdictionem Sacerdoti. Modò confeſſio non fuerit facta in eo loco in quo Sacerdos ignorabatur eſſe excommunicatus, & ex communi errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote: tunc

tunc enim ius ſupplet iuriſdictionem. *tom. 1. pag. 381. numero 1. & ſeq.*

21. Excommunicatus adminiſtrans Sacramenta, vel celebrans, vel exercens actum proprium Ordinis, incurrit irregularitatem, niſi ob ignorantiam, vel inaduertentiam excuſetur. Petens autem ſacramenta ab excommunicato vitando, extra neceſſitatem grauiter peccat; quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in materia graui. *ibid. n. 6. & 7.*

An excommunicatus priuetur rebus ſacris & ſepultura.

22. Quilibet excommunicatus, ex vi excommunicationis, priuatur auditione Miſſæ; quare excommunicatus audiens Miſſam, grauiter peccat, niſi neceſſitas, vel iuſta cauſa excuſet. Neque tenetur vi præcepti de Miſſa in die feſto audienda, quamprimum procurare abſolutionem vt Miſſam audiat. Secùs dicendum videtur de eo qui ex negligentia non procurat abſolutionem excommunicationis vt poſſit in Paſchate communicare: hoc enim præceptum eſt grauius, & ſtrictiùs obligat ad remouenda impedimenta quæ obſtant quo minùs adimpleatur. *tom. 1 pag. 382. n. 1. & ſeq.*

23. Excommunicatus, Miſſam audiens, præter peccatum mort. nullam pœnam incurrit: nulla enim exprimitur in iure. Tamen Sacerdos excommunicatus qui ſua auctoritate eſt cauſa cur Miſſa, vel alia diuina officia coram ſe celebrentur, incurrit irregularitatem: nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Secùs dicendum ſi is qui præcipit coram ſe celebrari, non ſit Sacerdos; tunc enim non valet illa ratio, cùm ipſe celebrare non poſſit. *ibid. n. 6.*

24. Excommunicatus admonitus à celebrante vt exeat, incurrit nouam excommunicationem Papæ reſeruatam, ſi nolit exire, cap. *eos, de ſent. excomm.* Idem dicendum de interdicto. Eandemque excommunicationem incurrit, qui prohibet quo minus publicè excommunicati, vel interdicti, de Eccleſia exeant eo tempore quo Miſſa celebratur. *tom. 1. pag. 383. num. 8.*

25. Audientes Miſſam cum excommunicato denunciato, peccant mort. quia participant cum illo in diuinis. Qui verò ſcienter celebrat coram excommunicato vitando, incurrit interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu, vt patet ex cap. *Epiſcopum, de priuileg. in 6.* vbi interdicuntur qui excommunica-

tos vitandos admittunt ad diuina officia, seu Ecclesiastica sacramenta. *ibid. n.9.& 10.*

26. Qui interest Missæ, aut celebrat dum ibidem adest excommunicatus toleratus, non peccat prosequendo Missam. Si verò adest excommunicatus vitandus, admonendus est vt exeat; si verò post admonitionem nolit exire, potest etiam per vim expelli, quamuis sit clericus, neque propterea incurritur excommunicatio: quia vis non dicitur iniuriosa quando infertur ex iusta causa. *ibid. n.11.& 12.* At si neque vult exire, neque potest expelli sine periculo, omittenda sunt diuina officia, ipsa etiam Missa, modò consecratio nondum sit inchoata: si verò iam inchoata, vel perfectâ consecratione superuenit, neque potest expelli, Sacerdos prosequi debet sacrificium vsque ad sumptionem inclusiuè: nam integritas sacrificij quæ est de iure diuino, præponderat participationi cum excommunicato. Debent tamen in eo casu adstantes ab Ecclesia exire, excepto inseruiente; ipse etiam Sacerdos, sumpto sacramento, se recipiet in sacristiam, ibique reliquas orationes post communionem dicendas persoluet. *ibid. n.13.*

27. Excommunicatus, etiamsi non sit denunciatus, peccat mortaliter assistendo diuinis officiis: neque enim per Concilium Constantiense illi conceditur facultas communicandi cum fidelibus, quamuis aliis fidelibus liceat communicare cum excommunicato tolerato, in sacramentis, aliisque rebus diuinis. *ibid. n.1.*

28. Excommunicatus, siue sit religiosus professus, siue clericus habens beneficium, vel ordines sacros, tenetur priuatim horas canonicas persoluere: æquum enim non est vt delinquens reportet commodum ex suo delicto: non tamen potest socium adhibere quicum recitet; quanquam non peccat mort. ad priuatam recitationem socium adhibendo: hæc enim communicatio videtur leuis. *tom.1. pag.383.384. n.3.& seq.*

29. Excommunicatus non priuatur omni rerum sacrarum vsu, cùm possit diuina officia recitare, templum ingredi dum diuina non celebrantur, munire se signo crucis, mensæ benedicere, adorare Eucharistiam, aut etiam illam comitari, dum ad infirmos defertur, modò recitentur psalmi, vti imaginibus, & id genus aliis quæ inseruiunt priuatæ deuotioni: non tamen potest sumere aquam lustralem, seu benedictam, eò quod sit quoddam sacramentale, habens valorem ex meritis Ecclesiæ à quibus excommunicatus excluditur. *tom.1. pag.384. num.8.& 9.*

30. Ex

30. Excommunicatus etiam vitandus poteſt audire concionem : quia non excluditur ab ea communicatione quæ tendit ad ipſius emendationem. Immò poteſt excommunicatus toleratus concionari, ſi rogetur : peccaret tamen ſi ſe ſponte ingereret ad concionadum, quamuis non incurreret irregularitatem ; quia hic non eſt actus Ordinis, cùm etiam à laico, in caſu neceſſitatis, exerceri poſſit. *ibid.n.*10.*&* 11.

31. Magiſter legens lectionem coram multis diſcipulis, quorum vnus eſt excommunicatus vitandus, debet, ſecluſa alia neceſſitate, lectionem abrumpere vt vitetur excommunicatus denuntiatus. Toleratus tamen poteſt lectionem facere, ad quam tenetur ex officio, ſi per alium ſupplere non poteſt, ne communitas damnum patiatur. *ibid.n.*12.

32. Excommunicatus neque in vita, neque poſt mortem abſolutus, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura ; & ſepeliens excommunicatum vitandum in loco ſacro, grauiter peccat, etiamſi dederit ſigna contritionis. Secùs ſi ſepeliat excommunicatum toleratum ; id enim per Concilium Conſtantienſe licèt. Eccleſiæ autem, in qua ſepelitur excommunicatus vitandus, manet polluta, neque diuina officia poſſunt in ea celebrari donec reconcilietur. *tom.*1.*pag.* 384.385.*numero* 1. *& ſeq.*

33. Qui in mortis articulo fuit abſolutus ab excommunicatione in foro pænitentiæ, poteſt ſepeliri in loco ſacro. At qui in articulo mortis dedit ſigna contritionis, ſed nondum obtinuit abſolutionem ab excommunicatione, non eſt ſepeliendus in loco ſacro donec abſoluatur. Si verò iam fuit ſepultus, non videtur exhumandus, ſed petenda eſt quamprimum abſolutio à legitimo ſuperiore, vt fiat dignus Eccleſiaſtica ſepultura, & vt illius oſſa non proiiciantur. *pag.* 385.*n.*7.

34. Sepeliens excommunicatum vitandum in loco ſacro, incurrit maiorem excommunicationem, à qua nequit abſolui quoad ſatisfecerit ad Epiſcopi arbitrium. *ibid.n.*8. Vide tit. *Sepultura.*

An excommunicatus ſit inhabilis ad beneficia.

35. Inualida eſt collatio, & præſentatio beneficij, facta excommunicato quamuis tolerato : fruſtra enim ei confertur beneficium, qui ab exercitio ſui officij, & muneris ſuſpenditur. Idque verum eſt, etiamſi excommunicatus, inuincibiliter ignoret ſe eſſe excommunicatum : quamuis enim igno-

rantia

rantia excuset à noua culpa, & à noua censura; non tamen facit actum validum, qui aliàs erat inualidus. *tom.1.pag.*385. 386.*n* 1.*&* 2.

36. Collatio officij Ecclesiastici, vel sæcularis habentis adnexam iurisdictionem, facta excommunicato, est inualida. Quia prohibito vno, prohibitum etiam censetur id per quod ad illud peruenitur; cùm ergo prohibitum sit excommunicato actus dignitatis etiam sæcularis exercere, videtur etiam prohibitum dignitatem adipisci. Excipe duos casus. 1. quando Summus Pontif. confert dignitatem alicui quem scit excommunicatione innodatum: tunc enim præsumitur Pontifex cum eo dispensare. 2. quando quis ex testamento, vel ab intestato, dominium aliquod temporale acquirit, cui est adnexa iurisdictio, & dignitas: acquisito enim principali, acquiritur accessorium. *tom.*1.*pag.* 386.*n.*3.

37. Collatio pensionis facta excommunicato, titulo clericali, est inualida: quia obtinenti pensionem à Summo Pontif. concedi solet absolutio censurarum, ad hunc effectum, vt sit capax pensionis; quod argumento est excommunicatum esse incapacem pensionis. *ibid.n.*4.

38. Ex dictis collige excommunicatum qui obtinuit beneficium, vel pensionem titulo clericali, non posse fructus percipere; nullum quippe ius ad illos habet, cùm beneficij, seu pensionis collatio sit inualida. Sequitur item non posse excommunicatum, illud beneficium permutare cum altero: nullum enim ius habet ad beneficium. Hæc autem intelligenda sunt de beneficiis obtentis ab inferioribus Summo Pontifice; non autem de obtentis ab ipso Pontifice, qui cum litteris, & priuilegiis solet simul concedere absolutionem ab omnibus censuris, vt priuilegium suum effectum sortiatur, fitque valida beneficij collatio. Excipiendi tamen sunt quidam casus ad quos non videtur extendi hæc absolutio, in priuilegio contenta. 1. est casus excommunicationis ob hæresim contractæ, à qua non præsumitur Pontifex velle absolutionem impendere. 2. casus est excommunicationis, in qua quis insorduit per annum. *ibid.n.*5.*&* 6.

39. Acta per eum qui obtinuit beneficium in excommunicatione, sunt inualida, si sermo sit de actibus iurisdictionis, & officij: quia excommunicatus caret potestate, & iurisdictione; nisi forte adsit error communis, cum titulo colorato; tunc enim ius supplet defectum iurisdictionis. Acta verò per eum qui post obtentum beneficium, contraxit excom-

municationem, sunt valida, modò sit toleratus: cum enim valide retineat beneficium, retinet etiam iurisdictionem, quæ est quid consequens. *ibid. n.7.*

40. Validè acceptatur beneficium ab eo qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus dùm beneficium acceptat: quia iura solum irritant collationem, & electionem, non verò acceptationem beneficij. At si electio, & collatio facta est tempore excommunicationis, sed ante acceptationem beneficij, obtenta est absolutio excommunicationis, non videtur valida collatio; quia facta est ante absolutionem, neque per subsequentem absolutionem potest validari. Opposita tamen sententia non caret probabilitate, modò tempore acceptationis, electores, & præsentatores, permanserint in prima sua voluntate; prior enim electio, & præsentatio videtur sic ratificari, & approbari. *tom.*1*.pag.*387*.n.* 9*.&* 10.

41. Excommunicatus qui beneficium, vel pensionem obtinuit tempore excommunicationis, petere debet absolutionem, eâque obtentâ dare operam vt sibi de nouo beneficium conferatur: prior enim fuit inualida. Excommunicatus autem occultus, quando ei collatum est beneficium, non statim debet illud acceptare; non tamen tenetur se prodere; sed debet alio honesto titulo se excusare, si potest. Sin minus, acceptato beneficio, debet quam primùm occultè petere dispensationem. *ibid. num.* 11.

42. Qui post obtentum beneficium lapsus est in excommunicationem, non priuatur fructibus, vel distributionibus beneficij, consequenter non tenetur eos à se sponte abdicare, modò onera, atque officia beneficij exequatur. Excommunicatus tamen vitandus non videtur posse lucrari omnes fructus, & distributiones, quia diuina officia ab eo persoluta, nihil prosunt; cùm Ecclesia ipsum arceat à diuinis, neque velit per ipsum orare. *tom.* 1*.pag.*388*.n.*2*.&* 4.

43. Qui ob iniustam excommunicationem à choro exclusus, non potest suum officium exequi, videtur posse percipere fructus, & distributiones: quia priuatio distributionum est pœna quæ non videtur subeunda ab eo qui non deliquit. Iustè autem excommunicatus qui diuinis non assistit, non potest percipere distributiones, etiamsi per ipsum non stet quo minus absoluatur, & choro intersit: quia quamdiu est excommunicatus, iustè arcetur à choro. *tom.*1*.pag.*388.389*. num.* 5*. &* 7.

An

An excommunicatus priuetur iurisdictione.

44. Quæ geruntur ab excommunicato vitando, sunt inualida, si gerantur ex officio tanquam propriæ iurisdictionis: quia Ecclesia illum priuat vsu propriæ iurisdictionis: excipienda est electio Summi Pontificis à Cardinalibus excommunicatis. Quæ verò geruntur ab excommunicato vitando absque vsu propriæ iurisdictionis, sunt valida: sic validum est matrimonium ab excommunicato vitando celebratum; quia hic non est actus iurisdictionis; sed est actus factus à contrahente, tanquam à persona priuata. At testamentum factum ab eo qui excommunicatus fuit propter hæresim, vel percussionem Cardinalium, ipso iure est inualidum. *tom.*1. *pag.*389. *numero* 1..

45. Quæ geruntur ab excommunicato tolerato, valida sunt, etiamsi pertineant ad propriam iurisdictionem: quia Ecclesia illum tolerat, & permittit nos cum ipso communicare in rebus sacris, & in aliis spectantibus ad iurisdictionem: quanquam ipse excommunicatus grauiter peccat, si sponte se ingerat in actibus iurisdictionis, & potest contra ipsum admitti exceptio ad elidendum actum iurisdictionis. *ibidem numero* 3.

46. Resignatio beneficij facta ab excommunicato etiam vitando in fauorem tertij, valida est: quia illa resignatio non est actus iurisdictionis. Item validæ sunt scripturæ; & instrumenta facta à tabellione excommunicato vitando: quia tabellio non habet propriè iurisdictionem. Validum item est testamentum ab excommunicato, excepto testamento quod fit ab excommunicato propter hæresim, vel percussionem Cardinalium. *tom.*1.*pag.*390.*n.*7.*&* *seq.*

47. Non incurrit excommunicationem qui delictum sub excommunicatione prohibitum commisit eo tempore quo superior, qui tulerat excommunicationem, incidit ipse in excommunicationem, & fuit denunciatus. Quia censura lata ab homine per sententiam generalem, non est perpetua, sed in fieri, & in esse pendet ab ipso iudice; ergo si iudex moriatur, aut priuetur iurisdictione, antequam sententia suum sortiatur effectum, censura per sententiam lata, carebit effectu. *ibid. num.*10.

48. Quando suspenditur Episcopi iurisdictio per excommunicationem, Vicarius generalis non potest exercere iurisdictionem ab Episcopo acceptam ante excommunicationem,

vel suspensionem ipsius Episcopi : quia est vnum , & idem tribunal Vicarij generalis,& Episcopi,vnde suspensa iurisdictione Episcopi per excommunicationem , aut eâ sublatâ per eius mortem, manet etiam suspensa, vel sublata Vicarij auctoritas. Hinc sequitur vicarium generalem non posse validè conferre beneficia, & id genus alia præstare eo tempore quo Episcopus est excommunicatus vitandus. *ibid.n.*12.

An excommunicatus priuetur conuersatione humana.

49. Cuilibet excommunicato,etiam tolerato, vetitum est, per se loquendo,communicare cum aliis fidelibus:per accidens tamen,ratione necessitatis,&c. fieri potest vt excommunicatus non peccet communicando cum fidelibus , præsertim cum inuitatur. *tom.*1.*pag.*391 *n.*1.

50. Vetitum est fidelibus communicare in rebus ciuilibus cum excommunicato vitando , non verò cum tolerato. Communicans autem cum vitando,in actionibus humanis , & ciuilibus , vt plurimum venialiter tantùm peccat : quia hæc communicatio videtur materia leuis : communicans verò in diuinis , vt in Sacramentis , & sepultura , grauiter peccat. *ibid. num.*4.

51. Casus , in quibus non licet communicare cum excommunicato vitando,sunt hi:

Os,orare,vale,communio,mensa negatur.

Os , significat allocutionem, seu per literas, seu per nutus, seu per nuncios,&c.significat etiam acceptionem munerum. *Orare* designat orationem , in qua non licet communicare cum excommunicato vitando. Per *Vale* prohibetur honorifica salutatio;nam excommunicatus priuatur obsequiis , & officiis humanitatis in pœnam delicti. *Communio* significat societatem in habitatione, vel exercitio , vel contractu,nam cum excommunicato vitando neque licet dormire in eodem lecto , neque contractum inire , neque aliquod opus exercere quod mutuam postulet operam. *Mensa* innuit communicationem cibi , & potus, quæ dicitur communicatio mensæ. *tom.*1. *pag.* 392.*num.*1.*&* *seq.*

52 Casus in quibus licet communicare cum excommunicato vitando sunt hi:

Vtile,lex,humile,res ignorata,necesse.

Vtile significat vtilitatem seu spiritualem , seu temporalem, cuiusmodi

cuiusmodi est resipiscentia, & emendatio excommunicati: quare licet adhibere signa beneuolentiæ, & vrbanitatis ad illum inducendum ad saniorem mentem,&c. Per *legem* intellige iura matrimonij: quare licet coniugatis etiam excommunicatis vitandis, petere, vel reddere debitum coniugale: item licet coniugatis communicare inter se in colloquiis, in mensa,& in iis omnibus quæ pertinent ad domus gubernationem; in diuinis autem non possunt. *Humile* significat officium seruorum,& subditorum: licet enim subditis communicare cum suis superioribus,& illis obedire. Vassalli tamen non possunt communicare cum suis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis: ius enim saltem post sententiam criminis declaratoriam, eximit subditos ab onere quo se adstrinxerunt ad seruiendum domino ex fidelitate, illosque eximit à iurisdictione subiectionis;cùm dominus tunc temporis sit suspensus ab vsu iurisdictionis. Excipitur solutio tributorum quæ Principi debetur, quamdiu non priuatur dominio temporali. *Res ignorata* significat ignorantiam inculpabilem, vel inaduertentiam, quæ excusat à peccato, & à censura. Denique per *necesse* intelligitur necessitas, quæ excusat participantes cum excommunicato, & excommunicatum cum aliis participantem. In his casibus Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis denunciatis. *tom.*1. *pagin.* 393. *numero* 7. *& seq.*

An excommunicatus priuetur communicatione in foro ciuili.

53. Quiuis iudex seu Ecclesiasticus, seu sæcularis priuatur vsu iurisdictionis quandiu manet excommunicatus vitandus,& peccat mortaliter, ferendo sententiam: quia sibi vsurpat iurisdictionem quam non habet. Iudex verò excommunicatus toleratus, facilè videtur excusari posse à mortali, si sententiam ferat; probabilius tamen est non excusari, eò quod actio iudicandi, quæ prohibetur excommunicato, per se videatur valde grauis, & sufficiens ad peccatum mort. *tom.*1. *pag.*397.*num.*1 *&* 2.

54. Excommunicatus quamuis toleratus non potest esse actor in iudicio, in causis ciuilibus aut Ecclesiasticis, siue per se, siue per alium. Quare excommunicatus non potest in iudicio accusare,nisi forte ex necessitate;potest tamen se ipsum defendere, &appellare à sententia iudicis inferioris, & appella-

tionem prosequi. Verùm si actor excommunicatus non repellatur à iudice, nec ei ab aduersario obiiciatur excommunicatio, valida erunt ab eo gesta in iudicio: quamuis enim ius prohibeat excommunicatum in iudicio agere; non tamen irritat ipsius gesta. *tom.1.pag.398.n.5.& seq.*

55. Excommunicatus toleratus potest admitti ad ferendum testimonium, modò non se ingerat sua sponte. Excommunicatus verò vitandus non potest licitè testimonium ferre, eò quod prohibita sit cum ipso communicatio. Excipitur causa fidei, & matrimonij. Validum tamen est testimonium excommunicati vitandi, non tantùm in iudicio; sed etiam in testamentis, contractibus, & instrumentis, præsertim accedente iudicis consensu, & illius contra quem testis adducitur ad testandum; potest enim ab vtroque repudiari: at si admittatur ad testimonium ferendum, testimonium validum erit: nullo enim iure irritatur. *tom.1.pag.399.n.12.13.*

56. Excommunicatus vitandus non potest licitè aduocati, vel procuratoris officium exercere: illius tamen acta sunt valida, nisi repudietur, aut illi opponatur exceptio excommunicationis. Hinc colligi potest matrimonium celebratum à procuratore excommunicato, nomine alterius, validum esse. *ibid.num.14.*

57. Excommunicatio irritat, & annullat literas, & rescripta Apostolica, & processus virtute illorum habitos, excepto casu excommunicationis, & appellationis. Hic tamen effectus hoc tempore non magni penditur, quia in literis Apost. quæ modò obtinentur, includi solet absolutio ab omnibus censuris, ad hunc effectum, vt priuilegia, gratiæ, & literæ Apost. valeant; excepto casu excommunicationis ob hæresim, & eo casu quo quis per annum in excommunicatione insorduit: hic enim suspicionem hæresis incurrit. Persistens verò in excommunicatione per annum ob aliquam causam quæ mereatur excusationem, videtur frui absolutione; vbi enim cessat ratio culpæ, ibi etiam cessare videtur rigor pœnæ. *ibid. num.1.*

58. Etiamsi perseuerans in excommunicatione per annum, suspectus sit de hæresi; quia potestatem Ecclesiæ contemnit, & eius Sacramenta, cùm ab illis abstineat per annum; non tamen statim condemnandus est tanquam hæreticus: quia contumacia in excommunicatione per annum, non inducit certam hæresis probationem, sed præsumptionem tantùm, ob quam citandus est ad se purgandum: si nolit comparere, ob

contuma

contumaciam declarari potest excommunicatus; & si in hac excommunicatione, adhuc per annum perstiterit, condemnandus est vt hæreticus, modò non fuerit legitimo impedimento detentus. *ibid. num.2.* Priuandusque est beneficio si commisit crimen, beneficij priuationem inducens. *ibidem pag.* 400.

Excommunicatio minor.

59. Excommunicatio minor est censura Ecclesiastica separans fidelem excommunicatum à passiua sacramentorum participatione. Dicitur autem *minor*, respectiuè ad maiorem, & ad effectus illius. Huius enim duo sunt tantummodo effectus. 1. est priuare directè passiua sacramentorũ participatione; quare peccat mort. suscipiendo Sacramenta. 2. est priuare electione, præsentatione, & collatione beneficij, & Ecclesiasticæ dignitatis. Hæc tamen excommunicatio non priuat electione aut præsentatione actiua, sicut neque actiua administratione sacramentorum. Potest etiam minori excommunicatione affectus, diuinis officiis interesse, suffragiis frui, &c. item potest aliòs absoluere à censuris, & à peccatis, & actus iurisdictionis exercere. *tom.1. pag.* 400.*n.*1.*&* 3.*& pag.*401. *num.* 6. *& seq.*

60. Excommunicatio minor incurritur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando non tantùm viuo, sed etiam mortuo, vt si quis lauet cadauer excommunicati vitandi, vel eius funus prosequatur, &c. quia cui non communicamus viuo, nec communicare licet defuncto. *pag.*400. *num.* 2.

61. Ab excommunicatione minori, lata à iure, potest tantùmmodò proprius Sacerdos absoluere, id est qui habet iurisdictionem ordinariam supra excommunicatum, vt Episcopus, in sua diœcesi, & Parochus in sua parœcia. Potest etiam Sacerdos approbatus absoluere à minori excommunicatione: hic enim dici potest proprius Sacerdos per iurisdictionem delegatam. *tom.*1. *pag.* 401.*n.*11.*&* 15.

62. Probabilis est sententia nonnullorum asserentium quemlibet simplicem Sacerdotem posse à minori excommunicatione absoluere pœnitentem, nullo peccato mortali obstrictum. Quia habens tantum peccata venial. potest se subiicere simplici Sacerdoti, & ab eo absolui; ergo potest etiam ab eo obtinere absolutionem minoris excõmunicationis, quæ præ-

mittenda est absolutioni venialium, cùm minor excommunicatio priuet passiua sacramentorum administratione. Opposita tamen sententia est probabilior: quia aliud est absoluere à venialibus, & aliud à censuris. *ibid. n.* 15.

63. Parochus potest etiam extra confessionem absoluere à minori excommunicatione: quia facultas illi concessa non est restricta ad absolutionem sacramentalem. Immò potest ab ea absoluere etiamsi nondum sit Sacerdos: nam absolutio excommunicationis non est actus ordinis, sed iurisdictionis. *ibidem num.* 13. *&* 14.

64. Ad absolutionem minoris excommunicationis sufficiunt verba sufficienter exprimentia absolutionem: non sunt autem necessariæ cæremoniæ quæ adhibentur in absolutione aliarum censurarum; propterea non est necesse pœnitentem præmittere cautionem iuratoriam, &c. Porrò in dubio an pœnitens inciderit in minorem excommunicationem, potest absolui sub conditione, ea forma quæ vulgò adhiberi solet, *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, quantum possum, & tu indiges.* ibid. n. 16.

Excommunicatio ab homine propter quid ferenda.

65. Excommunicatio ferri potest pro causa temporali modò intentio ferentis sit recta, & non spectet rem temporalem tanquam finem; nam finis censuræ debet esse spiritualis, cùm ipsa censura sit pœna spiritualis, præcipuus autem finis est salus delinquentis. *disp. 2. quæst. 1. punct. vnico pag.* 154. *numero* 1. *tom.* 3.

66. Excommunicatio ad restitutiones faciendas ferri debet à Summo Pontif. vel ab Episcopo, non autem à Prælatis Episcopo inferioribus; sic enim præscribit Concil. Trid sess. 25. cap. 3. *Nisi sede vacante*; tunc enim ferri potest potest à Vicario generali Episcopi, aut à Vicario constituto à Capitulo. *ibid. n.* 2. *& seq.*

67. Excommunicatio quæ ad restitutiones faciendas imponitur, ferri potest contra personam determinatam præsertim Ecclesiasticam; cum enim iudicio Ecclesiæ subiiciatur, potest ab Ecclesia cogi, & puniri. Si verò persona sit laica, non licet Episcopo contra illam determinatè censuram ferre, nisi rationabilis causa aliud suadeat, sed debet corā suo iudice laico prius conueniri; si tamen ferat, erit valida. *ibid. n.* 5. *&* 6.

68. Causæ

68. Causæ ob quas huiusmodi excommunicatio fertur, sunt tres præcipuæ. 1. vt delictum commissum emendetur restituendo. 2. vt malum quod timetur vitetur. 3. vt damnum temporale alterius præcaueatur. *ibid.n.7.*

69. Causæ excusantes ab hac excommunicatione incurrenda sunt. 1. ignorantia iuris, & facti, vel etiam pœnæ. 2. legitima appellatio. 3. consensus illius in cuius fauorem lata est excommunicatio. 4. metus grauis. 5. iusta compensatio. 6. impotentia physica aut moralis, quia censura non incurritur nisi ob contumaciam; qui autem ob impotentiam non restituit, non dicitur contumax. *ibid. pag.15. num.8.* Impotentia moralis est illa, in qua debitor non potest sine diminutione status, vel sine graui infamia, aut alio graui incommodo restituere. *ibid.*

70. Prælatus potest sub censura obligare ad restitutionem cum graui debitoris incommodo quoties iusta subest causa sic obligandi; regulariter tamen loquendo non obligat; quia præceptum humanum non magis obligat quàm naturale, aut diuinum; præceptum autem naturale, & diuinum restitutionis faciendæ, regulariter non obligat cum graui incommodo. *ibid.pag.155.n.13.tom.3.*

71. Debitor qui præuidet se non posse termino præfixo restituere, excommunicationem incurrit si restitutionem non fecit dùm impotentiam futuram præuidit; vnde patet à fortiori eum, qui malitiosè factus est impotens, non excusari à censura. *ibid.n.14.*

72. Qui termino præfixo ob impotentiam non restituit, tenetur adhuc sub censura restituere, sublata impotentia; modò adhuc vigeat obligatio censuræ contrahendæ; nam si iudex qui censuram ab homine tulerat, mortuus est, aut denunciatus est excommunicatus, censura vim suam amittit. *ibid. numero 15.*

Excommunicatio contra vexantes excommunicationum latores.

73. Gregorius X. excommunicationem tulit in Concilio Lugdunensi quæ refertur in cap. *Quicumque, de sententia excommunicat.* contra vaxantes eos qui excommunicationem, aut censuram in aliquem tulerunt, seu quorum occasione censura lata fuit; necnon contra eos quidant licentiam vexandi seu in personis, seu in bonis, aut qui data licentia vtuntur. *disp.2.quæst.3.punct.15.pag.204.tom.3.*

74. Hæc excommunicatio incurritur ab eo qui dedit licentiam vexandi, nisi re adhuc integra, ideſt ante ſequutum effectum licentiam reuocauerit; aut niſi damnum bonis illatum intra octo dies reſarciuerit. *ibid.n.2.*

75. Hæc excommunicatio reſeruatur Summo Pontifici ſi delinquens in excommunicatione duorum menſium ſpatio perſeueret. *ibid.n.8.*

Cum excommunicato non participandum.

76. Innocentius III. in cap. *Nuper, de ſentent. excommunic.* ſubiicit excommunicationi omnes ſcienter participantes in crimine crimininoſo. Participare autem in crimine criminoſo, nihihil eſt aliud quàm cooperari crimini, vel contumaciæ ob quam alter nominatim excommunicatus eſt; vt ſi quis concubinario nominatim excommunicato ob retentionem concubinæ, præbeat conſilium, auxilium, aut fauorem ne concubinam dimittat. *diſp.2.quæſt 3.punct.21.pag.228. tom. 3.*

77. Ipſe etiam Epiſcopus ſcienter participans in crimine criminoſo cum eo quem nominatim ipſe excommunicauit, laqueo huius cenſuræ innodatur, quia iſta excommunicatio vniuerſalis eſt, & omnes Summo Pontifice inferiores attingit. Summus autem Pontif. cùm ſit ſupremus Legiſlator, ſuis legibus non ſubiicitur ex vi coactiua. *ibid.n.6.*

78. Abſolutio ab hac excommunicatione ab eo impendenda eſt à quo abſolui poteſt principalis excommunicatus cum quo habita eſt communicatio. *ibid. n.7.*

Excommunicatus perſeuerans.

79. In cap. *quærenti.de offic. & poteſt. iud deleg.* Excommunicati omnes à delegato Papæ perſeuerantes in excommunicatione per annum, contrahunt reſeruationem; nam delegatus Papæ non poteſt anno elapſo iuriſdictionem ad exequendam ſententiam exercere, ergo elapſo anno excommunicatio auferri debet à Summo Pontif. *ibid.punct.22.pag.228.*

Excommunicatio ſine admonitione præuia.

80. Qui excommunicationis ſententiam profert temere abſque præuia competenti admonitione, & præſentibus idoneis

neis teſtibus, ſuſpenditur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ; ſi tamen diuina celebret in tentorio, vel in domo priuata, non incurrit irregularitatem. Ab hac ſuſpenſione excipitur Epiſcopus, licet enim peccet ſententiam excommunicationis ferens ſine præuia admonitione; tamen non cenſetur comprehendi ſub cenſura niſi exprimatur. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *punct.* 1. §. 1. *pag.* 364. 365. *tom.* 3.

Excommunicatio ſine ſolemnitate.

81. Eccleſiaſticus iudex ſententiam excommunicationis ferens ſine ſcripto, vel ſine expreſſione cauſæ, aut non tradens, ſi requiſitus fuerit, intra menſem exemplar ſententiæ, interdicitur ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis officiis per menſem. Hoc intelligendum eſt de excommunicatione lata ab homine, non autem à iure; nam ſermo eſt de illis cenſuris quarum exemplar cum expreſſione cauſæ tradendum eſt reo, vt ſe coram alio iudice tueatur, quod fieri ſolet in cenſuris latis ab homine. *ibid.* §. 2. *pag.* 365. *n.* 1. *& ſeq. tom* 3.

82. Non eſt neceſſe iudicem Eccleſiaſticum per ſe ipſum ſententiam excommunicationis proferre alioquin deberet etiam ipſe ſententiam ſcribere quod nullus dixerit; neque opus eſt, vt ſcriptum ex quo profertur excommunicatio, ſit authenticum, & publicum, ſeu manu notarij ſcriptum, aut manu ipſius iudicis ſubſcriptum; debet tamen eſſe huiuſmodi vt ipſius exemplar in iudicium adduci poſſit ſi petatur: finis enim Summi Pontificis præſcribentis ſcripturam in promulgatione cenſuræ, eſt, vt cenſura maturiori iudicio feratur, & in iudicium proferatur ſi reus voluerit. *ibid. n.* 5.

83. In ferenda ſententia excommunicationis requiritur expreſſio cauſæ, tum ob ipſum reum, vt ſciens cauſam propter quam cenſura ligatus fuit, eam tollere poſſit; tùm propter ipſum iudicem cenſuræ latorem, vt ſciens cauſam cenſuræ ad ſuperiorem deducendam, cautè ſe gerat; tùm propter iudicem ſuperiorem ad quem reus recurrit, vt cognita cauſa, de æquitate cenſuræ melius iudicare poſſit; tùm denique proprer alios, vt ſcientes cauſam ob quam delinquens excommunicatus fuit, illum vitent. *ibid. pag.* 366. *n.* 10. *tom.* 3

84. Valida tamen eſt excommunicatio lata ſine ſcripto, vel ſine expreſſione cauſæ; hæc enim non pertinent ad formam cenſuræ ſubſtantialem, ſed accidentalem. *ibid. n.* 11.

85. Ab hac ſuſpenſione ſeu interdicto excipiuntur Epiſco-

pi,

pi,& Episcopis superiores:quia licet peccent non seruando iuris communis dispositionem;non tamen obstringuntur suspensione,aut interdicto nisi exprimantur. *ibid.n.*14.

86. Iudex qui infra mensem noluit tradere exemplar sententiæ requisitus, si post illum mensem moriatur, debet carere Ecclesiastica sepultura; quia priuatus est diuinis officiis actiuè,& passiuè:Si verò contracta illa suspensione celebret, vel alia diuina officia obeat cum actu alicuius sacri ordinis, incurrit irregularitatem, quia violat censuram. *ibid. pag.* 367. *num.*17.*tom.*3.

87. Absolutio ab hac suspensione reseruata est Summo Pontifici,quia lata est ad certum tempus; elapso autem mense cessat. *num.*18. *tom.*3.

Extrema Vnctio.

1. EXtrema Vnctio sic vocatur, quia est vltima inter vnctiones quæ homini viatori conferuntur. 1.enim confertur in Baptismo. 2. in Confirmatione. 3. in Sacerdotio. 4. & postrema in hoc Sacramento quod confertur homini versanti in extremis. *tom.*1. *pag.* 214.

2. Hoc Sacramentum fuit à Christo institutum, quo tempore, non constat. Est autem signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto, sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ, & corporis. *ibid. n.* 2. 3. *&* 4.

Extremæ Vnctionis materia, & forma.

3. Extremæ Vnctionis materia remota est oleum ex oliuis expressum,vt patet ex Iacobi. 5.& ab Episcopo benedictum ad vsum infirmorum, & quidem, ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ, eo anno benedictum. Potest autem Parochus oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet ne deficiat, modò id quod additur, sit minus eo quod est consecratum; sic enim minus censetur consecratum admixtione maioris. *ibid.n.*2.*& pag.* 215.*n.*4. *& seq.*

4. Materia proxima huius Sacramenti est vnctio: non est tamen necesse, necessitate Sacramenti, vnctiones fieri in formam crucis,sed tantùm de necessitate præcepti quod non videtur obligationem inducere sub peccato mortali, ob leuitatem materiæ. *tom.*1.*pag.* 215.*n.*9.

5.Forma

5. Forma huius Sacramenti continetur his verbis à Sacerdote prolatis *Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Quæ forma adhibetur etiam in vnctionibus aliorum sensuum, expresso nomine singulorum. Fit autem modo deprecatiuo, quia Christus ita instituit Iacobi 5. *Orent super eum.* Vnde infertur inualidam esse formam indicatiuam. *ibid.n.* 1. *& seq.*

6. Vrgente necessitate, quandò periculum est in mora, potest Parochus inuncta singulorum sensuum vnica parte vnicam formam proferre, quæ pluribus partialibus æquiualeat. In praxi tamen, à communi vsu, & consuetudine non est facilè recedendum, nisi euidens necessitas aliud postulet. *ibid. num.* 5.

Extremæ Vnctionis minister.

7. Proprius huius Sacramenti minister est solus sacerdos, Iacobi. 5. *Inducat presbyteros*, id est aliquem ex sacerdotibus. Si qui autem leguntur præter Sacerdotes inunxisse, illa vnctio non fuit sacramentalis. Quilibet Sacerdos potest quidem hoc Sacramentum validè ministrare; non tamen licitè, nisi habeat iurisdictionem, & non impediatur ab Ecclesia. Quare excommunicatus, & degradatus grauiter peccat hoc sacramentum ministrando; Item qui sine Parochi licentia illud administrat. Religiosi autem, licet exempti, qui sine priuilegio, vel Parochi facultate administrant Sacramentum Extremæ Vnctionis, incidunt in excommunicationem *Clementina* 1. *de priuilegiis.* Hæc tamen excommunicatio non incurritur à religiosis administrantibus cum ratihabitione Parochi, vel in articulo mortis. *tom.*1.*pag.* 216.*num.*1.*& seq.*

8. Potest hoc Sacramentum, vrgente necessitate, à pluribus Sacerdotibus vni, & eidem conferri, itavt vnus vngat vnam partem, & alius aliam, modò idem qui vngit, simul proferat formam tali vnctioni debitam; non enim potest vnus vngere, & alter formam proferre. Extra necessitatem autem non potest hoc Sacramentum à pluribus administrari absque peccato mort. *ibid. n.*7.

Extrema Vnctio cui conferenda.

9. Sacramentum Extremæ Vnctionis conferri potest solis

fidelibus de vita periclitantibus qui habent, vel habuerunt vsum rationis, hocque Sacramentum desiderauerunt. Vnde sequitur amentia vel phrenesi laborantes posse suscipere hoc Sacramentum cum fructu si cùm vterentur ratione illud optauerunt; Item eos qui habuerunt intentionem saltem interpretatiuam illud suscipiendi, qualem habent qui christianè vixerunt, vel qui dederunt signa contritionis. *ibid.n.*1.*& seq. pag.* 217.

10. Hoc Sacramentum conferri non potest gerentibus bellum, aut nauigantibus cum periculo, aut damnatis ad mortem, aut mulieribus parturientibus, aut infirmis nondum existentibus in periculo mortis. At potest conferri senibus qui senectute conficiuntur absque alia infirmitate; nam senectus ipsa est morbus: necnon morti proximis ob morbum, pestem, vulnus, &c. non tamen expectandum est extremum vitæ periculum, aut tempus quo infirmus prorsus sensu careat, aut omnino eius sit desperata salus; sed administrandum est hoc Sacramentum, si fieri potest, quando infirmus adhuc vsu rationis gaudet, vt se magis ad fructum sacramenti percipiendum disponat. Sin infirmus inter vngendum, è vita decedat, Parochus debet ab vnctionibus desistere, cùm non sit amplius viator. At in dubio an adhuc viuat, administrandum est hoc Sacramentum sub conditione. *tom.*1. *pag.* 217. *numero* 4. *& seq.*

11. Infirmus non suscipiens Sacramentum Extremæ vnctionis, per se loquendo non peccat mort. modò absit scandalum vel contemptus: nullum enim extat præceptum obligans sub mortali ad hoc suscipiendum. At Parochus tenetur ex officio illud ministrare. *ibid.n.*10.*&* 12.

12. Infirmo quem constat nunquam actualiter peccasse, potest hoc sacramentum conferri; est enim adhuc capax effectus sacramenti, & Iacobi. 5. dicitur, *si in peccatis sit, dimittentur ei*; ergo Apostolus supponit hoc sacramentum conferri posse cuicumque infirmo, neque opus esse vt actualiter peccauerit. *ibid n.*13.

13. Non peccat mortaliter qui sacramentum Extremæ Vnctionis confert infirmo antequam susceperit sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; quia per contritionem potest se disponere ad hoc sacramentum suscipiendum; seruanda tamen est praxis, quoad fieri potest, vt non nisi post sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ conferatur. *ibid.n.*15.

14. Ad essentiam huius sacramenti pertinet, vt vnctiones

fiant

fiant in singulis corporis sensibus, alioquin inualidum est sacramentum. At si quis careat vno corporis membro in quo viget aliquis sensus, v. g. aure, vngenda est pars vicinior. Fit autem vnctio in his tantùm partibus, ex quibus spiritualis morbus suam trahit originem. Porrò vnctio in renibus, vel pedibus adhiberi potest, vel præmitti iuxta loci consuetudinem. In feminis autem vnctio in renibus, vel vmbilico, propter decentiam, honestatem, semper est omittenda. Sacerdotes, quia iam semel in palma fuerunt inuncti, in susceptione ordinis sacerdotalis, in exteriori parte manus sunt inungendi. *tom.1.pag.218.n.16.& seq.*

Extremæ Vnctionis effectus.

15. Effectus huius Sacramenti est gratia habitualis, quæ specialia auxilia habet adiuncta ad expellendas habitudines, & propensiones ad malum, ad peccata venialia delenda, ad conferendam sanitatem quatenus expedierit, & ad Dæmonis insultus propulsandos, qui eo præsertim tempore acres esse solent. In vltima autem vnctione, virtute præcedentium confertur effectus huius sacramenti, quia tunc completur significatio remissionis peccatorum. *tom.1.pag.218.219.numero 1.2.& 3.*

16 Hoc sacramentum, cùm non imprimat characterem, iterari potest, non tamen in eadem infirmitate. At si existens in articulo mortis, percepit Extremam Vnctionem; deinde per aliquot dies periculum euasit, & per mensem v.g. conualuit, potest iterum suscipere hoc sacramentum si reincidat in periculum mortis. *pag.219.n.4.*

17. Circa ritus, & cæremonias in hoc sacramento seruandas, standum est rituali, consuetudini, & legibus Episcoporum: Peccat tamen Sacerdos omittens orationes, quæ in huius sacramenti administratione præscribuntur, modò infirmitas ægroti, moram patiatur. At sine vestibus ab Ecclesiâ præscriptis nunquam licet hoc sacramentum administrare. *ibid. num.5. & seq.*

F.

Fabrica S.Petri.

1. IN Extrauag. Pij V. quæ incipit, *Exigit*, lata est excommunicatio, & suspensio à diuinis contra molestantes Collegium, sed deputatos fabricæ S. Petri. *disp.2.quæst.2.punct.25.pag.175.tom.3.*

2. Licèt probabile sit hanc Bullam quoad aliqua editam fuisse ad tempus, vt consuleretur iuribus, & commodis fabricæ S.Petri; tamen quoad excommunicationem, & suspensionem credere par est perpetuam esse; quia est in fauorem Collegij fabricæ S.Petri. *ibid.num.2.*

Falsificatio literarum Apostolicarum.

1. FAlsificatio fit vel aliquid addendo, seu scribendo, seu subscribendo. Vel detrahendo, radendo, secando, aut delendo. Vel sigillum verum falsis literis apponendo. Vel fabricando falsas literas, aut signando falso sigillo, seu etiam vero, sed sine consensu illius ad quem spectat. *disp.1. quæst.7. punct.1.n.3.& 4.pag.26.tom.3.*

Falsificantium pœna.

2. Sub pœna 6. excommunicationis prohibetur in Bulla Cœnæ falsificatio literarum, seu supplicationum Summi Pontif. aut Vicecancellarij, aut alterius vices ipsorum gerentis. *ibid punct.2.n.1.pag.27.tom.3.*

3. Vt cognoscatur grauitas fasificationis sufficiens ad incurrendam censuram, non est attendenda quantitas verborum quæ adduntur, vel detrahuntur; sed spectanda est significatio; fieri enim potest vt additione vnius verbi, vel apicis mutetur sensus à Pontifice intentus. Quare qui addit aliqua verba, vel detrahit, quibus additis, vel detractis adhuc remanet sensus quem Papa intendit, non ligatur censura Bullæ contra falsarios lata; quia hæc non est formalis falsificatio. Secùs autem si verborum sensus mutetur, etiamsi fortè parti, vel

fisco

fisco graue damnum inde non sequatur : grauis enim iniuria irrogatur Pontifici sufficiens ad excommunicationem incurrendam, quippe cuius authoritas falsificatione formali literarum contemni videtur *ibid. n.* 2. 3. 4. 5. *tom.* 3.

4. Qui tempus prorogat in literis expressum, incurrit censuram Bullæ, vt si Summus Pontif. literas concessit ad triennium, & impetrans apposuit quinquennium. Ille tamen qui literas corrigit iuxta mentem Pontificis, non incurrit excommunicationem : Vt si in supplicatione Romam missa exprimebatur quartus consanguinitatis gradus, & Notarius in literis Apostolicis apposuit affinitatis, tunc enim corrigens iuxta supplicationem, non falsificat literas, sed potius falsitatem tollit : cauendum tamen ne hæc correctio propria auctoritate fiat. *ibid. n.* 6. 7.

5. Qui literas falsas apud se retinet, vel qui illis vtitur, non incurrit excommunicationem Bullæ ; quia in ea sermo est de falsificantibus, non autem de retinentibus, aut vtentibus. Quanquam his scienter, vel cum ignorantia culpabili vtentes contrahunt excommunicationem cap. *ad falsariorum. de crimine falsi*, si sunt laici ; si verò clerici, priuandi sunt officiis, & beneficiis Ecclesiasticis. Immò Clerici qui per se falsitatem exercuerint, degradandi sunt, & brachio sæculari tradendi, vt iuxta constitutiones puniantur. *ibid. punct.* 3. *n.* 6. 7. *pag.* 28. *tom* 3.

6. Qui literas falsas fabricare cœpit, sed pœnitentia ductus ab opere destitit antequam falsificationem perficeret, non incurrit censuram Bullæ ; quia cùm illæ literæ nondum sint perfectæ, non censetur Apostolicas literas falsas fabricasse. *ibid. num.* 12.

7. Qui obtinet à Summo Pontif. literas quæ inualidæ sunt ob taciturnitatem veri, vel expressionem falsi, non incurrit excommunicationem quamuis illis vtatur ; quia hîc non dicitur falsificare literas ; sunt enim verè Pontificiæ, inualidæ tamen ob defectum expressionis. *ibid. n.* 3.

8. Qui literas Pontificias impetrat sub nomine alieno quod ipse falsò assumit, non ligatur censura Bullæ ; quia non est falsarius literarum, sed proprij nominis. *ibid. n.* 4.

9. Qui comburit, aut lacerat literas Apostolicas, ita vt nihil earum remaneat quod vsui esse possit, non est obnoxius huic censuræ ; quia nullam falsificationem committit. *ibid. num.* 5.

10. Qui falsificat literas Apostolicas nondum signatas, &

munitas sigillo, seu plumbo, non afficitur pœna excommunicationis: quia illæ literæ non sunt appellandæ Apostolicæ, quibus deest conditio essentialis, vt litteræ Apostolicæ dicantur. *ibid. num.* 11.

Falsæ Literæ Apostolicæ non retinendæ.

11. In cap. *Dura, de crimine falsi.* Summus Pontif. præcipit Episcopis vt excommunicationem ferant contra eos qui falsas literas Apostolicas habent, nisi intra viginti dies destruant, vel resignent. Vnde infertur hanc excommunicationem non esse à iure communi, sed ab Episcopo ex præscripto iuris communis, reseruationem verò esse à iure communi; itavt hæc excommunicatio ab Episcopo lata, Summo Pontifici reseruata remaneat. *disp.2. quæst. 3. punct. 4. pag.* 189. *tomo* 3.

12. Hi viginti dies computandi sunt à die qua quis cognoscit se falsas literas habere; supposita excommunicationis promulgatione ab Episcopo facta. *ibid. pag.* 189. *num.* 5. *tomo* 3.

13. Qui apud se habet literas Apostolicas falsas quæ iam euanuerunt, nec ad vsum in ipsis expressum inseruire possunt, non tenetur sub pœna excommunicationis eas resignare, aut destruere; perinde enim est ac si non haberet. *ibid. n.* 7.

14. Ad hanc excommunicationem incurrendam sufficit generalis sententia excommunicationis ab Episcopo lata contra habentes falsas literas Apost. &c. etiamsi nullus nominatim exprimatur. *ibid. n.* 8.

Falsificatio monetæ.

15. Ioannes XXII. in Extrauag. *Prodiens, de crimine falsi*, excommunicationem tulit contra falsificantes monetas in regno Franciæ, aut falsas scienter introducentes. *disp.2. quæst. 3. punct. 50. pag. 266. num.* 1. *tom.* 3.

16. Expendens falsam monetam, quam ipse non cudit, neque introduxit, neque adulterauit, non subiicitur huic censuræ; quia de eo non fit mentio in textu. *ibidem numero* 4.

Festum.

Festum.

1. PRæceptum celebrationis festorum est partim *naturale*, partim *cæremoniale*, & partim *humanum* ex S.Thoma. Quatenus est *naturale*, obligat omnes: nam lumine naturæ notum est aliquos dies cultui diuino dicandos esse. Quatenus est *cæremoniale*, non obligat in ipsamet die Sabbati, quia cæremonialia veteris legis per Christi mortem sublata sunt. Quatenus est *humanum*, habet certos dies, ab Ecclesia præscriptos, vt diem Dominicum loco Sabbati, &c. *tom. 2, pag.272. num.1.*

2. Sabbatum significat *requiem*, seu *cessationem*, eò quod Deus die septimo requieuerit. Ecclesia autem in locum Sabbati diem Dominicam subrogauit, ne videremur consentire cum Iudæis, & eorum cæremonias obseruare, & propter multas illius diei prærogatiuas. Hinc collige obseruationem Dominicæ diei non esse de iure diuino, sed canonico. Idem sentiendum de festis Sanctorum, quæ iure optimo instituta sunt ab Ecclesia, tùm vt illorum exemplis ad bene agendum accendamur, tùm vt illos apud Deum intercessores, ac patronos adhibeamus. *ibid.num.2.& seq.*

Cuius sit dies festos instituere.

3. Summus Pontifex, & Concilium Generale ius habent instituendi dies festos, & receptos abrogandi in tota Ecclesia. Episcopi autem, iure communi possunt in sua tantum diœcesi festos dies instituere cum Cleri, & populi consensu: consuetudine tamen receptum est, vt festi dies instituantur ab Episcopo, adhibito solùm aliquot Clericorum consilio. Verùm non potest Episcopus instituere diem festum in honorem alicuius Beati, quem Summus Pontif. nondum retulit in numerum Sanctorum. *tom.2.pag.273.n.1.& 3.*

4. Princeps sæcularis, Ciuitas, vel Resp. non potest dies festos tanquam sacros instituere: quia potestas sæcularis nihil habet iuris in actus religionis. Potest quidem Princeps sæcularis, vel Resp. prætextu honoris ciuilis, vel alio titulo, præcipere subditis vt tali die à seruilibus operibus, forensi strepitu, &c. abstineant; non tamen potest absolutè præcipere prætextu religionis, vt dies festi instituantur, sacrum audiatur, &c. nam obseruatio diei festi inter opera spiritualia numeratur. *ibid.num.5.*

5. Potest Episcopus diem festum instituere colendum vsque ad meridiem, itavt Missæ sacrum eo die sit audiendū. *ibid. n.* 8.

In die festo à quibus operibus abstinendum.

6. Obseruantia diei festi duobus præceptis continetur; vno *affirmatiuo*, quo præcipitur auditio Missæ; altero *negatiuo*, quo opus seruile prohibetur. Præceptum igitur affirmatiuum continet obligationem audiendæ Missæ, non verò contritionis eliciendæ, vel specialiter abstinendi à peccatis. *tom.* 2. *pag* 274. *num.* 1. *& seq.*

7. Opera animæ, id est, quæ ab anima procedunt, vt legere, scribere, docere, disputare, &c. non sunt seruilia, ideoquè in die festo licitè exercentur, exceptis quibusdam casibus in iure expressis. Sunt autem hi quatuor. 1. *Mercatus*, id est, contractus emptionum, venditionum, locationum, permutationum, item mercatus qui singulis habentur hebdomadis, nisi consuetudo eos permittat, & superior non contradicat. 2. *Placitum*, id est, quælibet lis, & causa fori, quæ agitur in iudicio: nam die festo prohibentur omnia quæ spectant ad strepitum forensem; immò eo die acta irritantur; præciso casu necessitatis 3. *Iudicium criminale*, id est, sententia mortis, aut alia quæuis pœna corporalis; præcisa necessitate. 4. *Sacramentum publicum*, id est, iuramentum iudiciale; nam prohibetur ferri iuramentum in iudicio, die festo; seclusa necessitate, vel causa pia. *ibid. n.* 6. *& seq. & pag.* 275.

8. Contractus die festo celebratus validus est: nullo enim iure irritatur, cùm in iudicio non fiat: quæ verò fiunt in iudicio, non tantùm prohibentur, sed etiam irritantur. *tom.* 2. *pag.* 275. *num.* 11.

9 Quælibet sententia requirens strepitum iudicialem, vetita est in die festo. Aliæ verò sententiæ quæ non sunt cum strepitu forensi coniunctæ, non videntur prohibitæ, vt sunt actus voluntariæ iurisdictionis. Appellatio licita videtur in die festo: fit enim sine magno strepitu, & iure naturali cuique licet seipsum tueri quolibet die. Citatio autem cùm sit pars non modica strepitus forensis, si fiat in die festo sine necessitate, est irrita, ipsumque decretum citationis factum, aut intimatum die festo, seu etiam intimatum die profesto, in diem festum, est inualidum, vt si quis die profesto citetur pro die Dominica, aut alio festo: huiusmodi enim decretum est iniquum. *ibid. n.* 2. *& seq.*

10. Non

10. Non solùm testes, in die festo, examinari non possunt (propter iuramentum iuridicum quod eo die exigi non potest) verùm etiam si die profesto præmissum sit iuramentum, examen testium, in die festo continuari non potest; præcisa legitima consuetudine in contrarium: quia examinatio testium, est pars præcipua processus; irritatur autem processus factus in die festo *tom.2.pag.276.n.20.21.*

11. Executio sententiæ facta in die festo, non solùm est illicita, sed etiam inualida, quatenus actus ex dispositione iuris, fieri potest inualidus: quia executio sententiæ pertinet ad iudiciale forum, fitque cum magno strepitu, virtute sententiæ in iudiciali foro obtentæ. *ibid.n.22.*

12. Opera corporalia, quæ propriè seruilia sunt, cuiusmodi sunt fodere terram, arare, putare vites, &c. in die festo prohibentur. Hinc patet fas esse die festo iter facere, modò non addantur circumstantiæ, operibus seruilibus adnexæ, vt si imponenda sint iumentis, aut curribus onera, vel si iumenta, aut currus onusti aliò transferantur. Item fas esse venari, ludere, scribere, saltare, etiamsi hæc fiant ob lucrum: hæc enim ex se non sunt seruilia, cum dominis iuxtà ac seruis sint communia. Non tamen licet pingere in die festo: quia hoc opus vulgò fieri solet ab iis qui aliis inseruiunt, & per se loquendo, est seruile; quare ne addiscendæ quidem artis causâ in die festo exerceri potest. *tom.2.pag.277.n.25.& seq.*

13. Ea quæ licitè fieri possunt sine lucro, die festo, fieri etiam possunt eodem die cum lucro: quia spes, & intentio lucri facit quidem opus mercenarium; non tamen facit vt opus quod ex suo genere seruile non est, fit seruile; sicut neque seruile desinit esse seruile, ex eo quod spe lucri non fiat. *ibid. num 26.*

14. Fideles ex vi præcepti, quo festum diem colere tenentur, non obligantur ad concionem audiendam. Quamuis enim quilibet ex vi charitatis, qua debet animæ suæ consulere, teneatur ediscere præcepta, & alia quæ ad animæ salutem spectant: non tamen tenetur sub mortali diebus festis concionem audire, cùm aliis diebus audire liceat, & aliundè possit addiscere necessaria ad salutem. Per accidens tamen fieri potest aliquando vt in die festo præferenda sit concio auditioni Missæ, vt si vrgeat necessitas addiscendi necessaria ad salutem, quæ alio tempore commodè addisci non possint. *ibid. num.27.*

15. Pastores, verbi Dei prædicationem omittentes, toties

 peccant

peccant contra præceptum diuinum, quoties populus grauiter indiget pabulo illo spirituali:nam ex Dei mandato tenentur oues suas verbo Dei pascere vt patet ex Trident. *sess* 23. *cap.*1. Si verò vno integro mense, aut etiam duobus, vel tribus mensibus totius anni, discontinuis, non concionentur, mortaliter peccant: hæc enim est materia grauis, & Concil. Trid. *sess.*5. *cap.*2. decernit parochos, aliosque curam animarum habentes, si ab Episcopo moniti, trium mensium spatio, muneri suo defuerint, cogendos esse per censuras, & alias pœnas, ad hoc concionandi munus obeundum. *tom.*2.*pag.*278. *num.*30.*&* 31.

Causæ excusantes opus seruile in die festo.

16. Prima causa excusans à peccato mort. die festo seruiliter laborantes, est paruitas operis, seu leuitas materiæ. Quænam autem pars temporis censenda sit notabilis, qua seruilibus vacans, à peccato mort. non excusetur, arbitrio prudentis viri est iudicandum. Probabilius videtur seruiliter laborantes spatio vnius circiter horæ non excusari à peccato mort. hoc enim spatium temporis videtur notabile. *ibid. num.*1. *&* 2.

17. Secunda causa excusans est cultus Dei, quando scilicet opera seruilia in honorem, & cultum Dei fiunt. Quæ tamen ad Dei cultum remotè tantum spectant, ea non possunt licitè fieri in die festo, cùm præcedentibus diebus fieri possint, vt ornare templa, altaria, &c. non tamen est peccatum mort. hæc facere in die festo, præsertim si ex causa rationabili fiant. *tom.*2. *pag.*279. *num.*6.

18. Tertia causa excusans est pietas: opera enim pietatis, vt sepelire mortuum, seruire infirmis, &c. semper sunt licita. Quæ verò sunt opera pietatis solùm per accidens, vt domos religiosas extruere, &c. non excusantur à culpa si fiant in die festo, nisi adsit necessitas, vel alia iusta causa. Sic conficiens vestes lugubres, aut pingens insignia in funere, die festo, excusatur. *ibid. num.*7.

19. Quarta causa excusans est necessitas, vel alia iusta causa. Sic excusantur parantes necessaria ad victum, vt qui carnes coquunt, aut vendunt, &c. non tamen excusantur molitores; quia exercent opus seruile, & magni laboris, nisi id faciant ex necessitate; neque excusantur pistores, qui panem pridie conficere potuerunt. Excusantur item qui segetes metunt,

fruges colligant, &c. in die festo, ne corrumpantur. Item qui diurno labore victum quærunt. *tom. 2. pagin.* 279. *&* 280. *num.* 8. *& seq.*

20. Quinta causa excusans est obedientia, vel coactio: hinc excusantur famuli, & serui iussu dominorum laborantes. Sexta est absentia à loco vbi festum colitur. Septima est dispensatio ab Episcopo petenda, aut à Parocho si Episcopus commodè adiri non potest. Octaua denique est consuetudo; hæc enim legi derogare potest. *tom.* 2. *pag.* 280. *n.* 16. *& seq.*

FEVDVM.

Quid, & quotuplex sit Feudum.

1. Feudum, quod dictum est *à fide*, seu *fidelitate*, est contractus, quo infeudator, id est, dominus feudi, tradit feudatario, siue vassallo rem suam immobilem quoad dominium vtile, cum onere obsequij, & seruitij personalis. Vnde patet discrimen inter *feudum*, & *emphyteusim*, ratione pensionis: nam quatenus pensio est personalis, id est, consistens in obsequio personali, dicitur feudum; quatenus verò pensio est realis, id est, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia re simili, dicitur emphyteusis. Differt etiam *à venditione*, eóquod in venditione transfertur dominium vtile, & directum, in emphyteusi verò tantùm vtile. *tom.* 2. *pag.* 569. *num.* 2. *& seq.*

2. Feudum aliud est *proprium*, aliud *improprium*. *Proprium* est quod feudi naturam seruat: *Improprium* quod ex pacto naturam feudi mutat. Rursus feudum aliud est *regale*, quod à Principe qui superiorem non agnoscit, obtinetur, & præter iurisdictionem, confert etiam titulum honorificum, vt Ducatus, Marchionatus, &c. Aliud *non regale*, quod nihil dignitatis, vel eminentiæ tribuit, siue conferatur à Principe, siue ab alio inferiore. Item aliud est *antiquum*, quod maiores communis agnationis habuerunt, supra quartum gradum; aliud *paternum*, quod possederunt parentes, seu progenitores vsque ad quartum gradum; aliud *nouum*, quod non obtinetur ex successione; sed in ipsa inuestiti persona cœpit. Item aliud *nobile* quod nobilem facit, vel iam factum nobilem demonstrat; aliud *ignobile* quod nobilitatem non confert. Item aliud est *Ecclesiasticum*, quod vel ab Ecclesia, vel ipsi Ecclesiæ confertur; aliud *sæculare*, quod à laico obtinetur.

Item aliud est *masculinum*, aliud *fœmininum*. Item aliud est *hæreditarium*, quod ad hæredes licèt extraneos transmitti potest; aliud *non hæreditarium*, quod ad hæredes extraneos transire nequit, sed ad filios, seu agnatos, etiamsi fortè non sint hæredes. Item aliud est *reale*, quod ad hæredes transit; aliud *personale*, quod hæret in persona accipientis, nec ad alios transit. Item aliud est *diuiduum*, quod diuidi potest; aliud *indiuiduum*, quod diuidi non potest, vt sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus &c. Item aliud est *ligium*, quo quis iurat alicui se ei fidelem futurum, nullo excepto; aliud *non ligium*, quo quis iurat alicui fidelitatem, excepto supremo dominio, vt si quis iuret Duci, se ei fidelem futurum, exceptis iis quæ pertinent ad Imperatorem, vel Regem. Denique aliud est *francum*, quod est liberum à pœnalibus feudorum legibus, seu ab omnibus seruitiis, exceptis contentis in forma iuramenti fidelitatis; aliud *non francum*, quod à seruitiis non est immune. *tom.2.pag.574.n.1.& 2.*

Quis Feudum dare, aut accipere possit.

3. Omnes qui liberam bonorum suorum administrationem habent, dare possunt in feudum, nisi aliquo iure prohibeantur. Iure tamen feudorum, ius dandi in feudum iis tantùm competere videtur qui dignitatem, & iurisdictionem habent: nam feudum supponit vassallos. Hinc sequitur Episcopum, aut alios Prælatos non posse bona Ecclesiæ in feudum dare, nisi ab antiquo in feudum dari consueuerint. *ibidem numero 1.*

4. Omnes, regulariter loquendo, feudum accipere possunt. Vassallus tamen non potest in præiudicium domini principalis, feudum dare. At si sermo sit de successione in feudum, illi succedunt quos inuestitura comprehendit, & quos ius, vel consuetudo non excludit. Hinc sequitur illegitimos, nisi per subsequens matrimonium legitimentur, aut nisi exprimantur, non succedere in feudum, quia excluduntur à iure; necnon adoptiuos; quia ius illos excludit. *ibidem numero 1. & pag.575. num.2*

5. Propinqui laterales, deficientibus liberis, succedunt in feudum paternum, vel antiquum; dummodò in inuestitura aliud non habeatur, & descendentes sint agnati: nam si cognati tantùm sint, non succedunt in feudum; sicut enim fœminæ excluduntur à feudo, ita etiam descendentes ex eis. Ob id

masculi descendentes ex fœminis, non sunt agnati; sed alterius familiæ distinctæ à familia illius cui inuestitura concessa fuerat. Eandem etiam ob causam fratres vterini non succedunt sibi inuicem in feudo, quia non sunt eiusdem agnationis. *tom 2.pag.575.num.2.*

6. Filij, seu descendentes succedunt in feudum, etiamsi sint clerici, & beneficium Ecclesiasticum, vel Ordinem sacrum habeant; possunt enim domino seruitium, & obsequium per alium præstare, & iustam habent causam propter quam personaliter inseruire nequeant; modò in institutione feudi adiecta non fuerit clausula, *Ne in feudum clerici succedant. ibidem.*

7. Religiosus, seu potiùs monasterium, in feudum succedit, modò religiosus professionem emiserit in religione capaci successionis, nec feudum habeat adnexam dignitatem, & modò obsequium præstandum à feudatario, non dedeceat statum religiosum, aut saltem tale sit, quod per substitutum præstari possit. At si seruitium personale sit eiusmodi vt à religione decenter præstari non possit per se, vel per substitutum, tunc feudum ad monasterium non transit: quia feudum non transit nisi cum onere. igitur si monasterium sit incapax oneris, erit etiam feudi. *ibid.*

8. Quando feudum concessum fuit cum clausula excludente religiosos, nihilominus equites commendatarij, non solùm ij qui matrimonium inire possunt; verùm etiam equites S. Ioannis succedere possunt: quia licèt sint verè, & propriè religiosi, nihilominus cessant rationes ob quas religiosi in monasteriis degentes excluduntur: isti enim equites latum habent paupertatis votum, splendidè viuunt, familiæ decus, honorem, & agnationem conseruant, quod non faciunt alij religiosi. *tom.2.pag.576.num.4.*

9. Hæredes extranei non succedunt in feudum nisi sufficienter exprimantur: quia successio extraneorum est odiosa in feudis. Hinc patet feudum alicui concessum, non facta mentione hæredum, non transire ad hæredes extraneos. Immò si simpliciter exprimantur hæredes, communior est Doctorum sententia, feudum non extendi ad hæredes extraneos; quia nomine hæredum in feudis intelliguntur tantùm legitimi descendentes ab eo qui est caput agnationis cōmunis. *ibid.*

10. Quando feudum concessum est alicui pro se, & successoribus, seu agnatis, possunt agnati succedere vsque ad septimum gradum. *ibid.num.5.*

11. Fœminæ non succedunt in feudum, nisi earum mentio fiat in prima inuestitura, aut nisi feudum sit fœmineum, vel francum, aut nisi consuetudo loci aliud ferat: quia fœminæ iure communi non admittuntur ad feudum, cùm seruitia personalia præstare non possint. Quare deficientibus masculis, feudum ad dominum redit, etiamsi in inuestitura dicatur, *pro se, & hæredibus*; nam fœminæ in feudis non comprehenduntur nisi exprimantur. Tamen in feudum francum fœminæ succedunt deficientibus masculis, ab eo descendentibus qui inuestituram accepit: quia ratio præcipua ob quam fœminæ à feudis excluduntur, est, quia non sunt idoneæ ad bellum, & obsequia quibus feudatarij obstringi solent: si ergo alicui feudum concedatur sine onere, vel cum eo solùm obsequio quod à fœminis æquè ac masculis obiri possit, dicendum est fœminas ab huiusmodi feudo non excludi, nisi specialibus verbis in inuestitura excludantur. *tom. 2. pag.* 576. 577. *n.* 5. *&* 6.

Conditiones feudi.

12. Ad feudum quatuor saltem conditiones requiruntur. 1. vt dominium directum perseueret apud priorem dominum, dominium verò vtile transferatur in vassallum. 2. vt feudum constituatur super re immobili. 3. vt vassallus non alienet feudum sine consensu domini directi, cuius est inuestire, & in possessionem mittere, alioquin vassallus excidit à feudo. 4. vt vassallus præstet obsequium personale, si exigatur, alioquin incidit in caducitatem. 5. vt vassallus à domino inuestiatur, & in possessionem feudi mittatur, præmisso fidelitatis iuramento. Solent autem adhiberi testes, vt inuestitura sit valida. *tom. 2. pag.* 578 *n.* 1.

13. Quando plures factæ sunt inuestituræ inter se diuersæ, standum est primæ, quando in ea maius quæsitum est ius vassallo, quàm exprimatur in secunda, vt si prima inuestitura facta fuerat non solùm pro masculis, sed etiam pro fœminis; secunda verò pro solis masculis: quia ius per primam inuestituram acquisitum, non adimitur per secundam, absque iusta causa. *ibid. num.* 2.

Quid in feudum dari possit.

14. Quod datur in feudum, debet esse immobile, vel haberi pro immobili: sic enim vsu receptum est. Præterea debet esse

esse liberum,neque alteri obligatum: quia nullus potest ius in alterum transferre quod ipse non habet. Qui verò rem alteri obligatam tradit in feudum,tenetur damnum illatum resarcire,& qui rem illam accepit in feudum nesciens alteri esse obligatam, agere potest contra dominum, vt rem æqualis bonitatis,& valoris sibi restituat. *ibid.num.*1.*&* 2.

Ad quid feudatarius obligetur.

15. Prima feudatarij obligatio est,vt præstet iuramentum fidelitatis, vel etiam obsequij; iuramentum tamen non est de substantia feudi,sed promissio fidelitatis. Quandò autem plures sunt hæredes feudatarij, omnes tenentur iuramentum fidelitatis præstare:par enim est omnium ratio,& obligatio. Excipe communitatem, cui si feudum concedatur, sufficit vt vnus nomine totius communitatis iuret. Secunda obligatio feudatarij est,vt præstet obsequium domino promissum. Tertia, vt feudatarius non alienet feudum absque consensu domini directi. *tom.*1.*pag.*579.*n.*1.2.*&* 3.

16. Vassallus, seu feudatarius potest feudum alteri dare in feudum, modò det pari, nec mutet conditiones, & pacta quibus ipse feudum accepit, nec pretium inuestituræ accipiat: sic enim non affert damnum domino, sed meliorem efficit ipsius conditionem,cùm nouum ei vassallum acquirat,nec ipse per infeudationem desinat esse vassallus prioris domini: quò fit vt dominus exigere possit obsequium ab vtroque, & primum compellere vt cogat secundum ad obsequium sibi præstandum. *ibid. n.*3.

17. Vassallus potest feudo, inuito domino, renunciare, sicque fieri liber ab obsequio: quia hæc non est alienatio, sed repositio in priori statu, & obligatio feudatarij magis oritur ex re, quàm ex persona, ergo re dimissa, cessat obligatio. *ibid. num.*4.

18. In alienatione feudi paterni, vel antiqui, vel etiam noui, accepti pro se, filiis, & descendentibus, præter consensum domini,requiritur etiam consensus filiorum,seu agnatorum; quia per huiusmodi feudum ius ipsis acquisitum est. Si verò feudum est hæreditarium, itavt liberum sit vassallo illud relinquere cui voluerit, sufficit consensus domini ad eius alienationem. *ibid. n.* 5.

19. Sicut feudatarius obligationes contrahit,ita etiam iura, & actiones acquirit. 1. enim acquirit dominium vtile. 2. agere

agere potest vt post inuestituram, tradatur ei possessio; in feudo tamen antiquo sufficit renouatio inuestituræ 3. si feudale prædium euictum fuit, vasallus qui putabat prædium esse domini concedentis, potest contra dominum agere vt illud prædium, aut aliud æquale sibi restituatur. 4. si dominus grauem iniuriam inferat vassallo, datur illi actio qua petat se eximi ab omni obsequio, ad quod iure feudi tenebatur. *ibid. n. 7.*

20. Tribus modis potest quis acquirere feudum 1. inuestitura. 2. successione. 3. præscriptione. Feudum autem sæculare præscribitur spatio 30. annorum. Ecclesiasticum spatio 40. Verùm contra Ecclesiam Romanam requiritur spatium centum annorum. *ibid. n.8.*

Cur feudatarius feudum amittat.

21. Tribus de causis vassallus feudum amittit. 1. est crimen ingratitudinis, aut contumaciæ contra dominum. 2 est duplex crimen commissum in personam diuersam à domino directo. Primum est fratricidium, secundum homicidium proditorium. 3. causâ quinque modis contingit 1 *lapsu termini præscripti.* 2. morte vasalli, non relictis filiis legitimis, vel agnatis. 3. professione in religione incapaci successionis. 4. præscriptione 30. annorum. 5. renunciatione. *tom. 2. pag.* 580. *n.1. & seq.*

22. Melioramenta quæ vassallus fecit in re feudali, quando feudum reuertitur ad dominum, pertinent ad vassallum, quando ipsius industria facta sunt: quia vassallus non tenetur suis sumptibus dominum locupletem facere. Fructus item rei feudalis pertinent ad vassallum, nisi aliter conuentum sit: quia vassallus acquirit dominium vtile, ac proinde fructus percepti vsque ad mortem vassalli, pertinent ad vasallum; percipiendi verò post ipsius obitum, debentur illi ad quem feudum transfertur; nisi locorum consuetudo aliud ferat. *tom. 2. pag.* 581. *n.3. & 4.*

Quis sit iudex causæ feudalis.

23. Quando inter vassallos laicos non inuestitos à Rege, vel Principe, lis est de feudo, iudex competens, est dominus feudi: ab ipso enim iure constituitur iudex. At si controuersia sit inter vassallum, & extraneum, iudicium pertinet ad iudicem

dicem loci ordinarium. Quando est controuersia inter vassallum & dominum feudi, de re non feudali, iudicium pertinet ad ordinarium loci; quia nemo potest esse iudex in sua causa. Si verò inter vassallum, & dominum feudi lis sit de re feudali, controuersia dirimenda est per pares curiæ, id est per vassallos eiusdem domini conuocatos. *ibid. n.*1.

24 Quando inter vassallos clericos dissensio est de feudo, communior Doctorum sententia est, causam feudalem cognosci posse à domino laico: quia clericus tunc temporis non subiicitur laico tanquam persona Ecclesiastica, sed tanquam vassallus. Ad hæc, lex feudorum approbatur à Summo Pontifice; lex autem feudorum est, vt lis de re feudali nter vassallos, à domino dirimatur. *ibid.*

Fideiussio.

1. Fideiussio est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua, illius adimpletionem, séque obligans, in defectum illius. Quare fideiussor, regulariter loquendo, non debet conueniri antequam solutio petatur à principali debitore: nam iure nouo sancitum est, vt debitor principalis priùs conueniatur quando ipse præsens est, & est soluendo: si verò absens sit, vel non sit soluendo in totum, vel in partem, tunc in subsidium, fideiussor conueniri potest. *tom.2. pag.* 588. *n.*1. *&* 4.

2. Quando plures sunt fideiussores, si fideiubent in partem, tenentur tantùm ad partem: si verò fideiubent in solidum, creditor potest à singulis integram solutionem exigere; liberum enim est creditori conuenire quem voluerit ex multis in solidum obligatis. In hoc tamen casu, fideiussori conuento competit exceptio diuisionis, id est ius cogendi creditorem ad diuidendam actionem, itavt à quolibet fideiussore, partem contingentem petat. *ibid. n.*6.

3. Fideiussor qui vnus è multis in solidum soluit, potest vti priuilegio cedendarum actionum, cogendo videlicet creditorem vt sibi cedat actiones quas contra alios fideiussores habet, sicque potest ab aliis exigere pro rata, séque indemnem seruare; neque tenetur ipse in solidum soluere donec creditor huiusmodi actiones cedat. Debet autem fideiussor petere hanc cessionem antequam soluat creditori: nam si facta solutione illam petat, iam non potest creditor cedere illam actionem: quia nullum ei relictum est ius in alios fideiussores, cùm ei fuerit integrè satisfactum. *ibid. n.*7.

4. Fide

4. Fideiussor liber manet ab obligatione fideiussionis, si creditor proroget terminum debitori pro quo fideiusserat. Quia obligatio non se extendit vltra conuentionem partium, ergo qui fideiussit pro aliquo tempore, vltra illud tempus non obligatur. At si fideiussor se obligauit simpliciter, absque vlla limitatione temporis, non liberatur ab obligatione per termini prorogationem. *ibid. num.* 8.

5. Qui fideiussit pro reo adducto in periculum capitis, non est plectendus capite, reo fugiente: quia fideiussor non præsumitur se ad hanc pœnam obligasse; immò nec potuit se obligare, cùm non sit vitæ suæ dominus. *ibidem numero* 10.

6. In tribus casibus fideiussor potest contra debitorem agere vt liberetur à fideiussione. 1. quando fideiussor condemnatus fuit ad soluendum. 2. quando debitor ad inopiam vergit. 3. quando debitor diu fuit in mora soluendi post elapsum tempus constitutum. *tom.*2. *pag.* 589 *n.*11.

7. Potest fideiussor pecuniam accipere pro fideiussione: quia suscepit obligationem pretio æstimabilem, neque tenetur eam gratis suscipere, etiamsi nihil patiatur incommodi, aut laboris fideiubendo. Potest etiam creditor aliquid accipere à fideiussore volente se eximere ab obligatione fideiussionis; ratione periculi cui se exponit amittendi creditum. *ibid.n.*12.*&* 13.

8. Debitor tenetur non solùm restituere fideiussori id quod pro ipso soluit, verùm etiam expensas, & damna quæ passus est culpâ debitoris. Quia debitor peccauit contra iustitiam, non restituendo cùm posset, igitur tenetur resarcire damnum quod ex illa mora passus est fideiussor, cùm ex peccato contra iustitiam oriatur obligatio restituendi. At si nulla intercessit culpa debitoris, sed tantùm impotentia, videtur solùm obligandus ad restitutionem debiti principalis. *ibid. num.* 14.

9. Obligatio Fideiussionis transit ad hæredes: quia obligatio ex contractu, transmittitur ad hæredes. *ibidem numero* 16.

10. Qui habet bona ad satisfaciendum in defectum principalis debitoris, modò liberam habeat illorum administrationem, nec repellatur à iure, potest pro altero fideiubere. Hinc pupilli, filiifamiliâs, & minores excluduntur à fideiussione, nisi fideiubendum sit pro patre in carcerem coniecto. Extra hunc casum fideiussio à minore facta sine consensu curatoris,

ratoris, non obligat, nisi forte naturaliter, & minori competit priuilegium restitutionis in integrum ad obligationem elidendam. Item clerici non possunt nisi rarò fideiubere, quod sine Ecclesiæ damno fiat. Item mulier non potest pro viro validè fideiubere, neque pro alio, nisi cum instrumento publico, tribus testibus adhibitis, cum subscriptione; tunc enim valida est fideiussio: quamuis mulier possit eam rescindere priuilegio Senatusconsulti Velleiani; his casibus exceptis, 1. si fideiubet accepto pretio, vel addito iuramento. 2. si cessit priuilegio sibi concesso per renunciationem factam coram magistratu, vel cum iuramento. 3. si fideiubeat pro dote alterius. 4. si fideiubeat pro suo creditore. 5. si pro libertate serui. 6. si fideiussit in fraudem, vt deciperet. 7. si fideiussit, & postea elapso anno, pignus dedit, aut obligationem iterum suscepit. *ibidem numero* 1. *& sequent. & pag.* 590.

FIDES.

Quid sit Fides.

1. Fides est virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo reuelatas, propter ipsius auctoritatem. Hinc intelligitur fidei nostræ certitudo; quippe quæ infallibili Dei testimonio nitatur, qui nec fallere potest, nec falli. *tom.* 2. *pag.* 148. *n.* 1. *&* 5.

2. In Beatis neque est actus fidei, quia quæ cognoscuntur à Beatis, clarè cognoscuntur; neque habitus, quia frustra est habitus vbi possibilis non est actus. In dœmonibus item, & damnatis non est fides supernaturalis: illud enim Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*, intelligendum est de fide naturali. Item in hæreticis non est habitus fidei; quia amittitur per infidelitatem; neque actus, quia hæreticus non credit propter diuinam auctoritatem, tanquam propter rationem formalem credendi. *ibid. n.* 7. 9. *&* 10.

De Fidei necessitate.

3. Fides actualis omnibus præditis vsu rationis necessaria est necessitate medij ad gratiam, & ad gloriam, non solùm implicitè, verùm etiam explicitè quoad aliquos articulos, nempe quoad mysterium Trinitatis, Incarnationis, mortis, & resurre

resurrectionis Christi: nam vt ait Paulus Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* tom.2. *pag.* 149. *num.*5. *&* 6.

4. Non tantum necessaria est fides actualis necessitate medij, verùm etiam necessitate præcepti; quia Marci vltimo dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* ibid.n.7.

5. In his casibus tenetur homo, vi præcepti, elicere actus fidei. 1. quando baptizatus est in infantia, & postea adeptus vsum rationis cognoscit fidei necessitatem: quilibet enim tenetur assumere medium necessarium ad salutem, alioquin grauiter peccat exponendo se periculo damnationis. 2. tenetur homo fidei actum elicere, quando tenetur se ad Deum conuertere, & gratiam amissam recuperare: hoc enim fieri nequit sine spe; spes autem sine actu fidei haberi non potest. 3. quando fidem tenetur exterius confiteri, quod fieri non potest absque actu fidei interno. 4. quando est periculum incidendi in aliquod peccatum, nisi actus fidei eliciatur. 5. in articulo mortis: tunc enim tenetur homo se ad Deum conuertere per actum contritionis qui habet adiunctum fidei, & spei actum saltem implicitum. *ibid.num.*8. *& pag.* 150.*n.*10. *& seq.*

6. Illi, quibus alios docendi cura incumbit, tenentur explicitè nosse, & credere articulos fidei in Symbolo contentos, & alios iuxta suum statum, & officium. Idcirco Episcopus tenetur plura nosse, quàm simplex Sacerdos; & concionator, quàm alij fideles. Singuli autem homines postquam rationis vsum sunt adepti, tenentur explicitè credere Symboli articulos, præcepta decalogi, & Ecclesiæ, necnon pertinentia ad substantiam Sacramentorum, quæ tenentur, aut quæ volunt suscipere: ignorantia tamen inuincibilis excusat. *ibid. num.*13.

7. Confessarius tenetur interrogare pœnitentem circa articulos fidei, quando præsumit illos ignorari à pœnitente quos ex præcepto tenetur nosse. Quando verò inuenit pœnitentem ea ignorantem quæ scire tenetur, debet illum instruere ante absolutionem, vel dimittere donec ea didicerit, vel saltem ea docere quæ explicitè credenda sunt necessitate medij, tùm poterit illum absoluere, modò prius eliciat dolorem de præterita culpabili ignorantia cum proposito discendi quamprimùm quæ discere tenetur. *ibidem numero* 15. *&* 16.

8. Homo tenetur aliquando ex præcepto affirmatiuo fidem

dem exterius confiteri. 1. quando Dei honor agitur. 2. vt consulatur saluti proximi, & scandalum vitetur. Hinc sequitur Pastores grauiter peccare qui tempore persecutionis fugiunt, & suas Ecclesias deserunt, nisi alium idoneum in suum locum substituant, aut nisi christiana prudentia dictet ipsorum fugam maiori Ecclesiæ bono necessariam esse. *tom. 2. pag.* 151. *num.* 3. *& pag.* 152. *n.* 9.

9. Qui munus suscipiunt docendi artem aliquam literariam, vt Medicinam, Theologiam, Grammaticam, &c. etiamsi priuatim doceant, tenentur ex decreto Pij V. quod incipit, *In sacrosancta*, facere fidei professionem, sub peccato mort. nisi aliter vsu receptum sit. Item qui ad beneficia parochialia promouentur, vel canonicatum, aut dignitatem obtinent in Ecclesia cathedrali, tenentur sub mortali, per se, aut per procuratorem, fidei professionem facere coram Episcopo, vel ipsius Vicario intra bimestre, à die initæ possessionis. *ibid. num.* 14.

10. Præceptum de non neganda fide obligat semper, & ad semper. Quare grauiter peccat contra fidem qui interrogatus negat se esse christianum, aut dicit se esse Turcam, vel hæreticum, vel qui vtitur signis, vel factis protestatiuis falsæ sectæ, etiamsi id non faciat animo negandæ fidei, sed celandæ religionis: hoc enim est intrinsecè malum. At si actiones, & signa sint ex sua natura indifferentia, non est peccatum mort. contra fidem, illis vti citra scandalum, & absque animo protestandæ falsæ religionis. Hinc excusantur milites assumentes insignia infidelium, vt infideles in bello occidant, vel ne ab ipsis capiantur, modò illa signa non sint ex se falsæ sectæ protestatiua, cuiusmodi sunt vexilla quæ Mahumeti, vel falsi alicuius Dei effigiem præferunt. *tom. 2. pag.* 152. *numer.* 16. *& seq.*

11. Non licet metu mortis, aut proscriptionis bonorum, ingredi templa hæreticorum, aut ipsorum conciones audire, quando Princeps hoc fieri præcipit in contemptum, vel odium nostræ religionis, vel ad profitendam hæreticorum sectam: illo enim actu externo contemnitur religio, cuius conseruatio, vitæ propriæ est anteponenda. *tom. 2. pag.* 153. *n.* 22.

12. Qui metu mortis, vel amissionis bonorum, vel carceris, inter hæreticos vescitur carnibus feria. 6. vel die Sabbati, non peccat contra præceptum negatiuum fidei: quia esus carnium non est signum ex sua natura protestatiuum hæreseos. *ibid. num.* 23.

13. Licet homini Catholico in terris Gentilium, vel Turcarum, iustâ de causâ, vti signis, aut vestibus quæ iuxta regionis consuetudinem adhiberi consueuerunt; licet item carnibus vesci diebus ab Ecclesia vetitis: quia hæc non sunt signa ex se protestatiua falsæ religionis. Non tamen licet Hebræorum synagogas, & Moscheas adire quo tempore infideles ad eas confluunt orandi causa: hoc enim signum, ex se significatiuum est falsæ religionis. *ibid.n.27.*

14. Possunt viri docti, iustam ob causam, de rebus fidei disputare, exceptis laicis quibus, sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, interdicitur publica, vel occulta de rebus fidei disputatio, licèt alioquin sint harum rerum periti; nisi illud decretum sit alicubi per contrariam consuetudinem abrogatum, aut instet necessitas disputandi, si sit periculum ne quis ab hæretico peruertatur, nec vllus adsit clericus, aut religiosus qui hæretici errores confutare possit. Porrò illud decretum intelligendum est de disputatione formali, quæ suscipitur ad persuadendam veritatem, siue inter catholicos, siue inter catholicum, & hæreticum: non autem de disputatione quæ suscipitur exercitationis causa, vt in circulis, & scholis fieri solet. *tom.2.pag.156.n.1.& seq.*

Cummunicatio cum infidelibus.

15. Non possunt fideles cum infidelibus communicare, quando ex eorum communicatione periculum imminet perversionis. Specialiter autem prohibita est communicatio cum Iudæis in his casibus. 1. in cohabitatione. 2. in esu azymorum, seclusa necessitate. 3. ne aduocetur medicus Iudæus ad medendum, nisi sit longè aliis peritior, aut nullus alius haberi possit. 4. ne sumantur medicamenta à Iudæis parata. 5. ne infidelis in idem balneum ingrediatur, itavt cum Iudæo communicet in lotione. In his quinque casibus interdicitur communicatio cum Iudæis, sub pœna excommunicationis ferendæ si fuerint laici; clericis verò sub pœna depositionis. 6. interdicitur conuiuium cum Iudæis. 7. ne Christianæ mulieres nutriant filios Iudæorum, in ipsorum domibus. 8. ne Christiani accedant ad nuptias, vel solemnitates Iudæorum, nec choreas cum ipsis ducant. 9. ne Iudæi ad publica officia inter Christianos admittantur. *tom.2.pag.157.n.1.& 2.*

16. Infideles ad Missæ sacrificium admitti non possunt; ad orationem priuatam cum fidelibus, possunt. Porrò licet cum infide

infidelibus inire contractum venditionis, aut emptionis (excepta delatione armorum ad ipsos, quæ in Bulla Cœnæ, sub excommunicatione prohibetur) aut eis locare res nostras; hæc enim nullo iure prohibentur. Matrimonium verò fidelis cum infideli, propter impedimentum disparitatis cultus, est inualidum. *ibid.num.2.*

Species infidelitatis.

17. Species infidelitatis sunt tres, Paganismus, Iudaismus, & Hæresis. *Pagani* dicuntur qui quomodocumque peccant contra fidem, quam tamen nunquam promiserunt. *Iudæi*, qui promissione simplici promiserunt fidem, ante Christi aduentum, quem ipsi existimant falsò nondum aduenisse. *Hæretici* qui solemniter in Baptismo fidem promiserunt. Hæ autem species infidelitatis, inter se specie differunt, consequenter constituunt peccata specie diuersa in confessione explicanda. *ibid.num.1.& 2.*

18. Hæretici cogi possunt, propositâ pœnâ capitis, vel excommunicationis, ad fidem suscipiendam: quia sunt subditi Ecclesiæ. At infideles non baptizati, nulla lege cogi possunt; muneribus tamen, & blanditiis ad fidem allici possunt. Princeps autem ius habet prohibendi subditos infideles ab idololatria; immò cogendi ad audiendum Euangelium, sicque vsu receptum est Romæ cum Iudæis; neque propterea coguntur ad fidem suscipiendam. Infideles verò non subditi, cogi non possunt ad audiendum Euangelium, aut ad idololatriam abiiciendam; quia coactio, seu prohibitio supponit iurisdictionem, nullus autem habet iurisdictionem in non subditos. *tom.2. pag.158.num.1.2.& 3.*

Libertas Religionis an permittenda.

19. Libertas religionis neque est introducenda, neque permittenda, nisi aliud postulet commune religionis bonum: quia ex duobus malis, minus est eligendum. Ob commodum verò temporale permitti nullo modo potest: nam bona inferioris ordinis exponenda sunt periculo, ad tuenda bona ordinis superioris. *ibid.* §.1.

20 Princeps non tenetur stare promissioni, & pacto de permittenda libertate religionis, dum eam sine graui religionis damno potest impedire: quia promissio de re illicita, & turpi,

non obligat, etiamſi confirmata fuerit iuramento. Secùs dicendum ſi Princeps libertatem religionis, abſque graui religionis periculo impedire non poſſit: quia, in hoc caſu, permiſſio libertatis eſt licita; fides autem alteri data de re licita, ſeruanda eſt. *pag.*159.§.1.

21. Faciliùs tolerari poſſunt Iudæi, quàm hæretici: tum quia ritus Iudæorum non ita noxij ſunt religioni, ac libertas hæreticæ prauitatis; tum quia Iudæi ſeruiunt communi Reip. vtilitati, hæretici verò Reip. pacem, & tranquillitatem frequenter turbant; tum quia permiſſio Iudæorum conducit augmento fidei, quatenus ſperatur fore vt nonnulli in dies conuertantur; permiſſione verò hæreticorum plures in errorem inducuntur, quàm ad Chriſti fidem conuertantur; quippe hæreſis vt cancer ſerpit. *ibid.*

22. Fœdus, promiſſio, ſeu contractus cum hæreticis validè celebratus, per ſe loquendo, ſeruandus eſt: quia fidelitas, pars eſt veritatis, & qui fidem datam non ſeruat, non eſt verax: neque propterea licet fidem hæreticis datam fallere, quia ipſi fidem Deo datam non ſeruant; ſicut mihi non licet mentiri, quia alius mihi mentitus eſt. Hinc ſequitur fidem hæreticis ſeruandam eſſe in ſaluo conductu: illam enim conceſſit Concilium Trident. *ſeſſ.*13.*&* 15. itáque fieri expedit bono communi: ſic Carolus V. fidem Luthero datam ſeruauit *ibid.*§.2.

23. Obiicies Concilium Conſtantienſe decreuiſſe fidem hæreticis ſeruandam non eſſe, immò fidem datam non ſeruaſſe, cum Ioannem Hus, & Hieronymum Pragenſem, qui ad Concil ſub fide publica acceſſerant, capite damnauit. *Reſp.* Concilium Conſtantienſe nunquam decreuiſſe fidem hæreticis datam non eſſe ſeruandam; ſed ſanxiſſe poteſtatem Eccleſiaſticam impediri non poſſe ob conceſſionem Principis ſæcularis: conſequenter iudicem Eccleſiaſticum poſſe iuriſdictionem ſuam exercere in perſonam Eccleſiaſticam, etiamſi Princeps ſæcularis ſaluum conductum ei conceſſerit: Princeps enim ſæcularis non poteſt Eccleſiaſtico iudici facultatem adimere. Ideo Ioannes Hus combuſtus fuit, quia ſaluum conductum non acceperat à Concilio, ſed à Sigiſmundo Imperatore, qui fidem ei dederat modò non fugeret, & conditiones ſeruaret; & tamen fugit, & conditiones violauit. Hieronymus verò Pragenſis, flammis addictus fuit, tùm quia ſaluum conductum non acceperat à Concilio; tum quia poſt eiuratam hæreſim relapſus eſt. *ibid.*

FISCVS,

FISCVS.

Quænam pertineant ad fiscum.

1. EA bona pertinent ad fiscum, quæ sunt delinquentis eo tempore quo bona ipsius publicantur, modò non sint bona affixa personæ: quia post publicationem fiscus succedit in iura delinquentis. Non tamen censentur publicata bona, quæ post condemnationem obueniunt reo, ex vltima voluntate, vt ex testamento, legato, vel fideicommisso: fiscus enim succedit solùm in bona quæ pertinent ad delinquentem tempore publicationis. Secùs dicendum si reus adiit possessionem illorum bonorum ante condemnationem. Item hæreditas relicta reo ante patratum crimen, non deuoluitur ad fiscum, si reus non adierat hæreditatem ante bonorum publicationem: quia fiscus non succedit in bona futura. Immò reus potest in fraudem fisci, hæreditatem nondum aditam repudiare: quia non tenetur acquirere in commodum fisci. *tom. 2. pag.* 582. *n.* 1. *& seq.*

2. Publicatis alicuius bonis censetur etiam publicatus vsufructus quem delinquens habebat: quia vsufructus computatur inter bona delinquentis, Item res censui subiecta, cùm possit ad extraneum transire, & à censuario alienari, censetur etiam publicari, si censuarius committat delictum publicatione dignum. Item ius patronatus, quando ad extraneos peruenire potest, in generali publicatione bonorum delinquentis censetur comprehendi. *ibid. n.* 11. 12. *&* 13.

3. Publicatis patris bonis, censentur etiam publicata bona profectitia: hæc enim pertinent ad patrem, quoad dominium, & vsumfructum. At non censentur publicata filij bona castrensia, vel quasi castrensia: quia pertinent ad filium quoad proprietatem, administrationem, & vsumfructum. Bona autem aduentitia non publicantur quoad proprietatem; sed quoad vsumfructum; nisi pater illum remiserit filio ante crimen cõmissum, aut nisi filius fiat sui iuris, & eximatur à patria potestate. Porrò publicatis patris bonis, reseruandum est aliquid pro alimentis, & legitima filiorum; excepto crimine hæresis, & læsæ maiestatis; tunc enim ob criminis atrocitatem, filiis delinquentis nihil reseruatur. *tom. 2. pag.* 583. *num.* 14. *&* 15.

4. Publicatis mariti bonis, non censentur bona vxoris

publicata : neque enim par est vt innocens, ob delictum alterius, damnum patiatur. Nisi ipsa nupserit scienter viro hæretico : tunc enim in pœnam delicti publicatur dos vxoris, ob crimen mariti. Non tamen vice versâ maritus ducens scienter vxorem hæreticam, eandem pænam subit : quia iura loquuntur de bonis dotalibus ; maritus autem non affert dotem, sed vxor. Donata autem vxori à marito, ob mariti delictum publicantur : cum enim hæc donatio non sit valida nisi confirmetur morte, huiusmodi bona pertinent ad virum, quamdiu est superstes. *ibid.n.16.*

5. Publicatis vxoris criminosæ bonis, mortuo viro, censentur publicata omnia bona dotalia, paraphernalia, necnon accepta, causa nuptiarum, & alia quæ ad ipsam vxorem spectant. At veniente viro, dos vxoris non addicitur fisco, his quinque casibus exceptis. 1. crimine læsæ maiestatis. 2. violentiæ. 3. parricidij 4. veneficij. 5. homicidij; his adde crimen hæresis. *tom.2.pag.*583.584.*n.*17.

6. Publicatis bonis filiifamilias, censentur publicata non solùm bona castrensia ; sed etiam aduentitia, saltem quoad proprietatem : non tamen bona profectitia, quia pertinent ad patrem ; neque legitima filio debita ex bonis parentum adhuc superstitum : quia legitima non debetur filio, adhuc viuente patre, modò eam pater non assignauerit, & tradiderit filio. Item alimenta debita filiis à parentibus, non censentur publicata ; quia ius alimentorum est personale. *tom.2.pag.*584.*n.*18.

7. Publicatis bonis alicuius clerici habentis beneficium, censentur publicata patrimonialia ipsius bona ; non autem acquisita ratione beneficij, nisi forte in iis locis, vbi legitima consuetudine receptum est vt beneficiarij de prouentibus beneficij legitimè testentur in quoscumque etiam extraneos: fiscus enim succedit in bona delinquentis quæ possunt ad extraneum transferri. *ibid.num.*19.

8. Bona defuncti criminosi qui commiserat crimen, ratione cuius, bona ipsius erant ipso facto addicta fisco, possunt publicari, & à fisco capi, etiam post mortem criminosi, quia fiscus post mortem illius non amisit ius suum ; modò hæres illa non præscripserit legitimo tempore, & cum bona fide. Legitimum autem tempus præscribendi bona hæretici, est spatium 40. annorum, si hæres illa possedit tanto tempore nesciens defunctum, fuisse hæreticum. *tom.* 585.*numero* 22.

Alienatio

Alienatio bonorum in fraudem fiſci.

9. Valida eſt bonorum alienatio facta à delinquente, cui ob delictum non eſt interdicta bonorum adminiſtratio, & cuius bona non publicantur ipſo iure; modò non ſit facta in fraudem fiſci, aut poſt ſententiam: quia nullum ius competit fiſco in delinquentis bona. At ſi facta fuit alienatio in fraudem fiſci (quod ex circumſtantiis & coniecturis iudicandum eſt,) reuocatur à fiſco poſt ſententiam, non ſolùm quoad rem ipſam, ſed etiam quoad fructus pendentes; quia cenſentur pars fundi qui confiſcatur: non tamen reuocatur alienatio fructuum ante ſententiam perceptorum; quia dominium illorum erat penes poſſeſſorem in quem tranſlatum eſt per legitimam alienationem. *ibid. n.* 1. *& ſeq.*

10. Qui commiſit aliquod delictum propter quod ipſo facto bona cenſentur publicata, non ſtatim amittit bonorum dominium à die commiſſi criminis, abſolutè; ſed ſub conditione ſi iudex ſententiam ferat criminis declaratoriam: quia pœna ipſo iure lata, poſitâ ſententia criminis declaratoria, retrotrahitur ad diem patrati delicti, ac ſi tunc temporis lata fuiſſet declaratio; conſequenter delinquens, poſita declaratione criminis, amittit omnia bona quæ habuit à die criminis commiſſi, necnon bonorum fructus, omneſque contractus, & alienationes factæ à delinquente reuocantur. Huiuſmodi tamen alienationes, ſecundùm ſe, videntur validæ, quia fiunt ab eo qui nondum amiſit dominium: verùm ſequutâ ſententiâ criminis declaratoriâ, confiſcatio retrotrahitur ad diem commiſſi delicti; conſequenter ab eo die reſcinduntur omnes alienationes poſt delictum factæ, & omnia delinquentis bona deuoluuntur ad fiſcum, ſeclusâ præſcriptione. *tom.* 2. *pag.* 585. 586. *num.* 1. *&* 2.

11. Qui commiſit crimen propter quod bona ipſo facto publicantur, grauiter peccat ſi alienet bona etiam ante ſententiam criminis declaratoriam, contractu oneroſo, non admonito accipiente de periculo: quia exponit accipientem periculo damni, facitque ipſi iniuriam non admonendo de periculo. Secùs ſi delictum ſit ita occultum vt in iudicio probari non poſſit, aut ſi delinquens habeat bona non publicanda, quibus poſſit emptori integrè ſatisfacere. Adde delinquentem non peccare ſi alienat ob neceſſitatem, vel ad ſatisfaciendum creditoribus: hæc enim alienatio non tantùm eſt licita, ſed etiam valida, itavt à fiſco reuocari non poſſit. *pag.* 586. *n.* 4.

12. Quando delinquens, legitimè interrogatus à iudice, negat veritatem, & ob id non fertur sententia criminis declaratoria, non tenetur ad restituenda bona fisco: negans enim veritatem, non peccat contra iustitiam commutatiuam, in ordine ad eum cui pœna erat applicanda. *tom. 2. pag. 587. n. 6.*

13. Publicatis criminosi bonis, fiscus debet satisfacere debitis ab eo contractis: quia publicantur tantùm bona criminosi; bona autem alicuius dicuntur ea quæ remanent deducto ære alieno. Hoc autem intelligendum est de debitis ante delictum contractis: nam fiscus non tenetur satisfacere creditoribus ob debita post delictum contracta; non tenetur item refundere pretium iis qui bona emerunt à criminoso post crimen, cui est adnexa bonorum publicatio, ipso facto: quia hæc bona pertinent ad fiscum, ac si à die patrati criminis, fisco fuissent addicta: & quamuis fiscus non statim acquisierit dominium, acquisiuit tamen ius in illa bona; consequenter delinquens non potuit ea alienare in damnum fisci, neque fiscus tenetur pretium restituere nisi quatenus delinquens factus fuit ditior; quia par non est, vt fiscus habeat rem simul & pretium. *ibid. num. 1. & 2.*

14. Is cuius omnia bona fisco sunt addicta, non tenetur restituere creditoribus, si fiscus non satisfaciat, etiamsi criminosus aliunde acquirat bona, & ad pinguiorem redeat fortunam, modò bona publicata sint sufficientia ad debita persoluenda, & modò delinquens ex priuilegio Principis, rursus non obtineat eadem bona: quia tota obligatio, iure ita disponente, transit ad fiscum vnà cum bonis. Secùs se res habet in cessione bonorum; in ea enim non transmittitur ad creditores obligatio soluendi. *ibid. num 4.*

FOEMINA.

Fœminæ ad Religionem non cogendæ.

1. SAncitum est à Synodo Trident. *sess. 25. c. 18.* sub pœna excommunicationis ne quis vllam fœminam audeat ad ingressum in monasterium, vel ad suscipiendum habitum religionis, vel ad emittendam professionem cogere. *disp. 2. quæst. 2. punct. 2. pag. 156. tom. 3.*

2. Qui inducit fœminam ad religionem per metum leuem, hanc censuram non incurrit: quia metus leuis non sufficit ad coactionem. Item qui metum iustè incutit. Item qui

precibus

precibus etiam importunis ſed ſine minis inducit. Item qui ſuadet fæminæ ingreſſum religionis iniecto metu priuationis alicuius boni ad quod ipſa ius non habet: Cùm enim ab his nulla vis inferatur, nulla excommunicatio incurritur. *ibidem, pag.* 156. 157. *n.*3. *& ſeq. tom.*3.

3. Non incurritur hæc cenſura ab eo qui cogit fœminam ad emittendum votum ingrediendi religionem, etiamſi illud votum iuramento confirmetur; quia hic propriè non cogit ad vnum ex tribus ſub excomunicatione prohibitis, id eſt ad ingreſſum in monaſterium, vel ad habitum, vel ad profeſſionem; præſertim cùm iſtius voti diſpenſatio ab Epiſcopo facile obtineri queat. *ibid. pag* 157. *n.*7. *tom.*3.

4. Qui dat auxilium, conſilium vel fauorem ad ingreſſum in monaſterium, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad emiſſionem profeſſionis, vel qui interponit quoquo modo præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem ſuam ſciens fœminam non ſponte ingredi, &c. in eandem cenſuram incurrit. Hinc patet fieri poſſe, vt quamplurimi vinculo huius cenſuræ ligentur, vt Epiſcopus, Vicarius, Superiores, conſanguinei puellæ, qui ſcientes illam inuitam ingredi monaſterium, auctoritatem vel præſentiam illi actui præbent. Non tamen ſtatim dato auxilio, conſilio vel fauore, vel præſtita auctoritate incurritur excommunicatio donec ſecutus ſit effectus, id eſt, donec fœmina ingreſſa fuerit, vel ſuſceperit habitum, &c. Quia ob actionem acceſſoriam non incurritur excommunicatio antequam ſequatur effectus, ſeu actio principalis. *ibid. num.*9. *& ſeq.*

5. Excipiendi ſunt ab hac cenſura caſus in iure expreſſi. Quamobrem qui cogeret fœminam ad ingrediendum monaſterium in pœnam alicuius peccati, vel ad cautionem pudicitiæ, vel alia iuſta de cauſa à iure permiſſa, huius Concilij cenſuram non incurreret. *ibid. num* 14.

6. Cogentes viros ad religionem, huius decreti cenſura non ligantur, quia Trident. loquitur ſolùm de cogentibus fœminas; lex autem pœnalis non eſt extendenda. *ibidem, numero* 15.

7. Hæc excommunicatio nulli eſt reſeruata.

Fœminæ à Religione non retrahendæ.

8. In eod. Concilio Trid. cap. 18. *ſeſſ.* 25. additur alia excommunicatio contra eos qui ſine iuſta cauſa fœminam im-

pediunt ne velum accipiat, aut professionis votum emittat. *ibid. punct.* 3. *pag.* 157. *tom.* 3.

9. Impediens fœminam ne faciat votum ingrediendi religionem, aut assumendi habitum religiosum, in hanc excommunicationem non incurrit; quia hic solùm remotè, & indirectè impedit ingressum, aut professionem; & Concilium loquitur de voto professionis. *ibid. pag.* 158. *n.* 4.

10. Qui solis precibus fœminam à religione retrahit, hanc excommunicationem non incurrit: quia preces non impediunt nec tollunt libertatem. *ibid. n.* 5.

11. Qui dolo fœminam retrahit à religione, censuram incurrit; quia dolus aufert voluntarium. *ibid. n.* 6.

12. Qui virum retrahit à religione, aut impedit ne professionem emittat, in hanc censuram non incidit; quia Conc. non loquitur de impedientibus viros. *ibid. n.* 7.

13. Hæc excommunicatio nulli est reseruata.

Fœminæ ad testimonium ferendum non cogendæ ad iudicium.

14. In cap. *mulieres, de iudiciis in* 6. ob honestatem, & decentiam statuitur ne fœminæ personaliter in iudicium ad ferendum testimonium accedere cogantur, exceptis casibus in iure expressis; sed cum necessarium fuerit earum testimonium, decernitur vt iudex expensis partis producentis fœminas in testimonium, ad eas transmittat tabellionem, vel vt ipsemet accedat, quoties testimonium mulieris per alium excipere non potest: At si casus fingatur, aut fraus committatur vt iudex ad mulierem personaliter se conferat, qui confinxit, vel fraudem commisit, ipso facto pænam excommunicationis incurrit. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 36. *pag.* 184. *num.* 1. *tom.* 3.

15. Ipsa fœmina si aliquid confingat, vel vtatur fraude vt iudex ad se personaliter accedat, huic censuræ subiicitur; quia textus vniuersaliter loquitur. *ibid. num.* 6. immò si ipse Iudex causam accedendi ad fœminam contingat vt ipsius testimonium excipiat, huius excommunicationis reus erit. *num.* 7. Secùs autem si tantùm sit conscius fraudis ab alio excogitatæ; quia positiuè non cooperatur ad fraudem. *ibidem numero* 9.

16. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Fornicatio.

1. SImplex fornicatio eſt concubitus ſoluti cum ſoluta. *Solutus* autem dicitur qui eſt liber à coniugio, à voto, ab Ordine ſacro, à religione, & à cognatione. Fornicatio eſt peccatum mortale, vtpote rectæ rationi, & iuri naturali admodum repugnans. Vnde ſequitur fornicationem nunquam eſſe licitam, quia eſt intrinſecè mala. *tom.* 1. *pag.* 323. *numero* 2. *&* 3.

2. Poſſunt Principes permittere meretrices in aliquo loco ciuitatis, vt vitetur maius malum. Neque mortaliter peccant, qui meretricibus domos locant ad habitandum; non autem ad meretricandum; neque enim cenſentur cooperari peccato illarum, cùm locus ſe habeat extrinſecè, & remotè ad peccatum: modò domus quæ locatur non habeat ſpecialem aliquam opportunitatem ad peccandum, ratione ſitus, aut alterius cauſæ, & modò non immineat graue damnum perſonis honeſtis quæ in vicinia habitant. *ibid.n.* 4. *&* 5.

3. Famuli comitantes herum euntem ad meretrices, aut ducentes concubinam in domum heri, aut deferentes munera, vel epiſtolam, &c. excuſari poſſunt, ſi hæc abſque graui damno omittere nequeant. Famulus tamen non poteſt deferre literas quibus ſcit expreſsè peti concubinam ad copulam: hoc quippe eſt intrinſecè malum, cùm ſit cooperatio ad actum turpem. *ibid.n.6.*

Frumentum.

1. GRegorius XIII. Paulus V. & Vrbanus VIII. tulerunt excommunicationem contra exportantes frumentum, blada, legumina, & alia id genus extra ſtatum Eccleſiaſticum, vel è locis immediatè ſubiectis Eccleſiæ Rom. ad loca mediatè ſubiecta. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 42. *pag.* 254. *tom.* 3.

2. Extrahentes farinam eâdem cenſurâ afficiuntur; farina quippe nihil aliud eſt quàm triticum, neque molitura naturam mutat. Secùs dicendum de extrahentibus panem; tùm quia ſpecie differt à tritico, tùm quia extractio panis non ſolet annonæ caritatem inducere, cùm difficile ſit panem in magna quantitate extrahere; tùm quia in materia pœnali non eſt facienda extenſio. *ibidem numero* 4. *& pag.* 255. *numero* 5. *tom.* 3.

3. Transfe

3. Transferentes oleum extra statum Ecclesiasticum, ad ditionem alterius Principis, in hanc censuram incurrunt; id enim exprimitur in Bulla Pauli V. nomine autem *olei* intelliguntur etiam oleæ seu baccæ maturæ, & iam aptæ ad faciendum oleum; aliæ verò acerbæ quæ condiuntur, & asseruantur in cibum, non item. *ibid.n.6.*

4. Hæc excommunicatio afficit etiam exportantes frumenta in proprios vsus siue familiæ sine magna necessitate. Qui verò eam tantùm quantitatem extrahunt quæ ad necessariam sui, & familiæ sustentationem sufficiat ad vnum annum vsque ad nouam messem, ab hac censura excusantur. *ibid. num.* 11.

5. Excusantur item rustici, & pauperes operarij qui mercedem diurnam non nisi in grano, aut aliis annonæ generibus consequi possunt, aut qui ad mercatus pullos, oua, fructus, & similia in parua quantitate ferunt, & ex pretio harum rerum, panem, farinam, & similia pro suo, & familiæ vsu emunt, & extra statum Ecclesiasticum exportant, modò id fiat sine dolo, & non causa mercaturæ. *ibid.*

6. Excusat etiam paruitas materiæ quæ prudentis viri iudicio pensanda est: si quis tamen sæpius frumenta in parua quantitate exportaret, hanc censuram incurreret cùm ad eam quantitaté peruenisset quæ ad peccatum mortale sufficeret; illæ enim modicæ extractiones sæpius repetitæ statui Ecclesiastico notabile damnum inferunt. *ibid. pag.* 256. *n.* 13. *&* 14. *tom.*3.

7. Probabile est hanc excommunicationem esse Papæ reseruatam. *num.*16.

Furtum.

1. FVrtum est occulta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter inuito. Hinc patet illum non committere furtum, qui probabiliter credens dominum id permissurum si adesset, accipit rem alienam; aut qui extrema necessitate compulsus aliquid aufert. *tom.*2. *pag.* 447. *n.* 1.

2. Rapina propriè sumpta, est ablatio rei alienæ per violentiam, in quo differt à furto: nam ratione violentiæ dominus est magis inuitus quàm in furto. Furtum autem, & rapina sunt peccata mortalia ex suo genere; vtrumque enim est contra iustitiam. Ex triplici tamen capite furtum fieri potest peccatum veniale. 1. ex indeliberatione. 2. ex paruitate

tate materiæ. 3. quando dominus non est inuitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solùm quoad modum. Hinc fit, vt vxor clàm aliquid auferens marito, filius patri, vel auo, nepos patruo, &c. sæpè excusetur à peccato mortali, neque teneatur ad restitutionem: quia nihil inuito domino retinetur. *tom.2.pag.* 447. *numero* 3. *& pag.* 448. *numero* 5. *&* 6.

3. Illa quantitas sufficit ad peccatum mortale furti, quæ omnibus spectatis infert domino graue damnum. Notandum verò ex furto non semper oriri æquale damnum respectu omnium: nam respectu personarum illustrium, nummus aureus vt minimum, est materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mort. Respectu eorum qui viuunt ex suis reditibus, quatuor regales circiter, sunt materia notabilis. Respectu eorum qui suo sibi labore victum quærunt, duo regales sufficiunt ad peccatum mort. Denique respectu eorum qui mendicando stipem corrogant, dimidius regalis furto ablatus constituit peccatum mortale. *tom.2.pag.*448.*num.*7.

4. Furtum quod est veniale secundùm se, ratione paruitatis materiæ, potest fieri mortale ratione notabilis damni, vel alterius causæ concurrentis. Vt quando quis acum aufert sartori, & propterea sartor, multos dies desistit ab opere. Hoc tamen peccatum non est mortale in genere furti, propter leuitatem materiæ; sed est mortale ratione iniustæ damnificationis, eò quod per ablationem acus, sartori notabile damnum inferatur. Quod est diligenter obseruandum: nam excommunicatio quæ fertur contra fures, nisi restituant, non comprehendit illos qui furati sunt rem leuem, licèt inde sequutum sit graue damnum: quia hoc furtum non habet mortalem malitiam in genere furti. *ibid. n.*8.

5. Qui furatur minima animo furandi successiuè maiora, peccat mort. eiusdem enim malitiæ est velle surripere cuius est surripere. Item mortaliter peccat qui sæpius minima furatur, quando peruenit ad eam quantitatem, quæ continuata cum præcedente est notabilis; idque verum est siue illa minima paulatim ab vno, eodemque auferantur, siue à diuersis; alioquin iniusti venditores qui dolosis ponderibus, & mensuris vendunt, subtrahentes aliquid singulis emptoribus, possent ditari absque peccato mortali, neque tenerentur ad restitutionem, quod quàm sit falsum, & Reip. perniciosum nemo non videt. Verum quidem est non esse obligationem sub mortali restituendi totam quantitatem ablatam, sed illam solùm

qua-

qua restituta, iam non detinetur notabilis quantitas. *tom.2. pag.* 449. *n.* 1. *&* 2.

6. Quando plures de communi consensu, aut scienter auferunt ab eodem rem leuem, habita ratione singulorum; quæ tamen notabilis est si collectiuè sumatur respectu omnium, committunt singuli peccatum mortale, quia singuli cooperantur ad damnum notabile, tenenturque ad restitutionem. Secùs dicendum quando damnum fuit illatum absque communi consensu: quia tunc singuli leue damnum intulerunt; neque formaliter cooperati sunt ad damnum notabile, alioquin sequeretur quemlibet furantem vnum racemum, peccare mortaliter. *ibid. num.* 6. Quando tamen quantitas respectu omnium collectiuè est notabilis, tenentur singuli, sub mortali, suam partem restituere, postquam cognouerunt quantitatem ablatam esse notabilem; quia non est maior ratio cur vnus potius quàm alius teneatur. *tom.2.pag.*450.*n.6.*

7. Extrema necessitas excusat furtum à peccato mort. facit enim omnia communia; modò tamen dominus rei non patiatur æqualem necessitatem. At in graui necessitate non licet quidquam surripere: quia sola necessitas extrema facit res communes. *ibid. n.*3. *& seq.*

8. Potest quis ab aliis aliquid surripere ad subueniendum extremæ pauperum necessitati, si surripiens nihil habeat proprij quo possit illorum inopiam subleuare: quia sicut ipsi pauperes possunt surripere, ita etiam nos possumus illos adiuuare surripiendo: hoc enim nihil aliud est quàm ad actionem licitam cooperari. *tom.2.pag.*451. *n.*8.

Furtum filijfamilias, vxoris, religiosi, & famuli.

9. Filius qui notabilem summam accepit ex bonis quorum possessionem vel vsumfructum habet pater, peccat mortaliter peccato furti, & tenetur ad restitutionem. At si non habet vnde restituat, tenebitur in partitione hæreditatis cum fratribus, computare in suam partem id quod surripuit: nisi constet alios fratres tantumdem expendisse, aut nisi pater probabiliter credatur condonasse. Peccant item filij, qui pecuniam à patre datam ad emendos libros, aut vestes, profundunt in ludos, compotationes, meretrices, &c. nam pater est rationabiliter inuitus, nec absolutè dedit pecuniam, sed cum restrictione ad talem vsum, consequenter filij tenentur ad restitutionem. *tom.2.pag.*454.*n.*3.4.*&* 7.

10. Vxor accipiens notabilem quantitatem ex bonis mariti, vel quorum maritus habet administrationem: & vsumfructum, peccat mortaliter peccato furti, teneturque ad restitutionem, si hoc faciat absque expresso, vel præsumpto viri consensu: quia accipit rem alienam inuito domino: maior tamen quantitas requiritur ad peccatum mort. furti vxoris, quàm ad furtum seruorum; vel extraneorum. At si, nesciente viro, capiat, donet, vel expendat aliquid ex bonis quorum ipsa habet dominium, vel vsumfructum, non peccat peccato furti. Ex bonis verò communibus, si inscio aut inuito marito notabile quidpiam accipiat, mortaliter peccat: quia sibi vsurpat administrationem rei quæ ad ipsam non pertinet. Potest tamen expendere ea quæ mulieres sui status & conditionis solent; in eleemosynam, honestam recreationem, &c. quia maritus non est rationabiliter inuitus. Item potest, etiam inuito marito, accipere sibi, & familiæ necessaria, necnon vt subueniat parentibus, vel filiis suis ex priore matrimonio susceptis, si laborent inopia, & aliunde non possit illis prospicere. *tom.2.pag.455.n.2.& pag.456.n.4.& seq.*

11. Religiosus sibi vsurpans res non necessarias in notabili quantitate, post votum paupertatis emissum in approbata religione, peccat mort. peccato furti: sibi enim vsurpat dominium, & vsum rei non suæ. Hinc collige furtum mortale committi ab eo religioso qui absque superioris facultate, largitur alicui externo notabilem quantitatem rerum siue vsu consumptibilium, siue non, consequenter vtrumque nempe religiosum, & accipientem teneri ad restitutionem; nisi bona fide acceperit. *pag.456.n.2.& seq.*

12. Seruus qui ex contractu seruire debet vsque ad certum tempus, peccat mort. contra iustitiam, fugiendo absque rationabili causa: quia violat pacta, & conuenta. Interueniente vero rationabili causa fugere potest ante præfinitum tempus, vt si dominus dare nolit sufficientia ad victum, si sit nimiùm austerus, & iracundus, si non stet pactis, &c. *tom.2.pag.457. numero* 1.

13. Seruus qui aliquid domino surripit in notabili quantitate, peccat mort. quia accipit alienum inuito domino. Excusari tamen potest à mortali, quando successiuè victualia furatur in modica quantitate, quæ fit notabilis progressu temporis, modò illa victualia conuertat in proprios vsus. Secùs dicendum si ea vendat, aut in lusum, vel compotationes cum externis consumat: tunc enim dominus

non

non modò quoad modum, sed etiam quoad substantiam censetur inuitus. *ibid.num.2.*

G.

Gabella. Pedagium. Portorium.

1. GABELLA est tributum seu vectigal quod pro mercibus inuectis penditur. *Pedagium* est tributum quod soluitur pro transitu personæ. *Portorium* est species vectigalis quod soluitur pro rebus quæ naui deferuntur. Vnde infertur taxas, taleas, collectas, &c. non contineri sub nomine pedagij, seu gabellæ, ac vectigalis strictè accepti. *disp.1. quæst.6. punct.1. num.1.2.3. pag.23. tom.3.*

Gabellæ ius cui competat.

2. Illi possunt gabellas imponere qui in suis terris supremam obtinent potestatem, nullúmque in temporalibus superiorem agnoscunt: quia impositio vectigalium est effectus supremæ iuridictionis. Item ij quibus data est à supremis ipsorum Principibus facultas imponendi vectigalia. *ibid. punct.3. num.2. & 3. pag.24.25. tom.3.*

3. Potest Summus Pontifex alteri in temporalibus sibi nō subdito concedere facultatem imponendi gabellas, quoties id bono spirituali expedire iudicauerit: Quia Christus suo in terris Vicario concessit generalem in spiritualibus facultatem. *ibid. num.4. pag.25. tom.3.*

4. Rex seu Princeps in suis terris iniustè gabellas imponens vel augens incidit in 5. excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia in ea excommunicantur qui gabellas imponunt in casibus sibi à iure non concessis. *ibid. n.6.*

5. Princeps etiamsi iustam habeat causam imponendi gabellam in sua ditione, si eam præcipiat solui non solùm à laicis, sed etiam à clericis, & religiosis, incurrit censuram huius Bullæ: quia imponit gabellam in casibus sibi prohibitis. *ibid. num.7.*

6. Communitas imponens vestigalia in casibus sibi à iure non concessis non incurrit excommunicationem; quia communitas

munitas non excommunicatur; probabile tamen est singulos de communitate culpam admittentes excommunicari. *ibid. numero* 9.

7. Mandantes vel consulentes noua tributa imponi, non subeunt excommunicationem Bullæ; quia in ea non exprimuntur, & censura lata contra facientes non extenditur ad iubentes, mandantes, aut consulentes; peccant tamen grauiter, & grauissimis pœnis sunt digni. *ibid.num.* 10.

8. Qui gabellas antiquitus impositas, sed aliqua de causa intermissas de nouo exigunt, non incidunt in censuram Bullæ. *ibid.num.* 12.*pag.*26.*tom.*3.

9. Qui aggrediuntur viatores, & ab ipsis pecuniam extorquent, fingentes se gabellarum exactores esse, non incurrunt excommunicationem Bullæ; quia isti dicuntur potius furtum, & rapinam committere quàm vectigal exigere. *ibid. num.* 14.

10. Denique omnes qui in terris suis imponunt, augent, vel exigunt gabellas in casibus sibi à iure, vel ex speciali Pontificis facultate non concessis, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ. *ibid.punct.*3.*num.*1.*pag.*24.*tom.*3.

11. Iniusta vectigalium auctio, & exactio sub eadem excommunicationis pœna prohibetur qua impositio. Cùm enim voluerit Summus Pontifex consulere indemnitati subditorum ne plus iusto grauentur, operæ pretium fuit non solùm iniustam impositionem gabellarum, sed earundem etiam auctionem, & exactionem iniustam sub pœna excommunicationis prohibere. *ibid.punct.*2.*num.*6.*pag.*24.*tom.*3.

Restitutio ob defraudata vectigalia.

12. Fraudantes vectigalia iusta pro mercibus imposita, peccant contra iustitiam, tenentúrque ad restitutionem: quia quod iustè exigitur, non potest absque iniustitia denegari. Nec indigenæ solum, & subditi, sed ipsi etiam exteri peccant fraudando vectigalia: quia sub hac tacita conditione admittuntur exteri in regnum, ad negotiandum, vt vectigal pendant. *tom.*2.*pag.*451.*num.*3.*&* 4.*tom.* 3.

13. Fraudantes vectigalia imposita pro vsualibus, probabiliter excusari possunt à peccato mortali, & obligatione restitutionis: sic enim videtur vsu, & consuetudine receptum: quia per exactionem horum vectigalium subditi plus iusto grauantur. *ibid.num.*5.

14. Quando dubitatur de iustitia vectigalis quod de nouo imponitur, vel quando vetus augetur, de cuius iustitia non constat, præsumendum est in fauorem Principis, atque adeo soluendum est vectigal: quia Princeps possidet ius præcipiendi; melior est autem conditio possidentis. Si verò subditi habeant rationem probabilem cur credant vectigal esse iniustum, possunt non soluere: cùm quisque opinionem probabilem sequi possit. Porrò cessante causa propter quam vectigal impositum fuit, cessat obligatio soluendi. *tom.2.pag.452.num.7.& 8. tom.3.*

15. Creditor Principis, fraudatione vectigalium potest sibi compensationem facere, quando non potest solutionem sibi à Principe debitam obtinere. Idem sentiendum de decimis, censibus, & aliis iuribus alteri elocatis: quia conductor non habet maius ius, quàm habeat principalis dominus; nisi transtulerit totum ius, seu dominium vectigalis, seu census in alium: tunc enim non videtur fieri posse compensatio. *ibid num.12.*

H.

HÆRESIS. HÆRETICVS.

1. HÆRESIS est voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatẽ. *Pertinacia* autem non est attendenda penes durationem tẽporis; sed ex cognitione definitionis Ecclesiæ, vnde ille dicitur *hæreticus*, qui aliquid sentit quod ipse nouit esse contra definitionem Ecclesiæ, quamuis in eo errore non perseueret. Item qui dubitat in rebus fidei; cùm iudicet illa esse incerta, & dubia quæ certa sunt, & vera. Item qui negat propositionem euidenter deductam ex altera propositione de fide, & altera naturali; nam propositio ita deducta est de fide. cuiusmodi est hæc: *Christus est risibilis. disp.1.quæst.2.punct.1. num.1.pag.6.tom.3.*

2. Non est hæreticus qui ex ignorantia crassa errat circa res fidei, sed ita est affectus vt sit paratus corrigi, seu obedire Ecclesiæ, agnita veritate, seu Ecclesiæ definitione: hic enim

non

non censetur habere voluntarium errorem cum pertinacia, quia ignorat definitionem Ecclesiæ, quam si nosset resipisceret: ille tamen error cum sit ex ignorantia culpabili, est voluntarius in causa, nec culpa vacat. *ibidem, numero 6. pag. 7. tom. 3.*

3. Potest probabiliter sustineri illum esse hæreticum, & consequenter excommunicatum in Bulla Cœnæ, qui negat hunc Summum Pontificem Vrbanum VIII. esse verum Papam, & caput Ecclesiæ, postquam constat ipsum esse rite, & canonicè electum. Quia ex multorum DD. sententia de fide est hunc esse verum Papam: ergo qui negat, hæresim committit: discedit enim à fide totius Ecclesiæ, quæ credit hunc esse verum Pontificem Petri successorem, & Christi in terris Vicarium. *ibid. num. 9.*

4. Summus Pontifex non potest esse hæreticus, neque vt Pontifex, neque vt priuatus doctor; & consequenter non potest in controuersiis fidei, & morum errare. Quia cum sit successor D. Petri, debet habere infallibilitatem in rebus fidei Petro collatam. Potest tamen tanquam priuatus doctor in rebus fidei falli, & errare ex ignorantia; sed non cum pertinacia, aut contumacia, quæ semper est coniuncta cum hæresi. *ibid. n. 12. pag. 8. tom. 3.*

Hæreticorum pœna.

5. Hæreticus qui suam mentem exteriùs sufficienter manifestat verbis, aut signis, incurrit in primam excommunicationem Bullæ Cœnæ Papæ reseruatam; non tamen est vitandus, nisi sit nominatim denuntiatus licet sit notorius; sed possunt Catholici cum ipso consuetudinem habere, orare, sacramenta suscipere secluso scandalo: non potest tamen adhiberi ad suscipiendum filium de sacro fonte; quia ad patrimum pertinet docere filium susceptum de rebus fidei, quod non præstabit hæreticus. *ibid. punct. 2. num 2. & 9. pag. 8. & 9. tom. 3.*

6. Hæreticus purè mentalis, id est, qui errorem mente conceptum nullo externo signo prodit, non incurrit excommunicationem, atque adeo potest à quolibet Confessario approbato absolui. Quia Ecclesia sibi non vendicat iurisdictionem in actus merè internos, neque vllum vnquam ob hæresim purè mentalem excommunicatione perculit. *ibidem, num. 3. pag. 8. tom. 3.*

Hæreticorum fautores.

7. Pœna excommunicationis lata contra hæreticos extenditur ad credentes,receptatores,fautores,& defensores hæreticorum,si sequutus sit effectus. Dicuntur autem *fautores hæreticorum*, qui fauent illis quatenus sunt hæretici, seu ex motiuo hæresis: quare qui fauet hæretico ratione amicitiæ, vel consanguinitatis,v.g. qui illum occultat ob amicitiam ne à iudice capiatur,non incurrit excommunicationem. *ibid.punct.*3. *pag.*10.*tom.*3.

Hæreticorum libri.

8. Qui legit, aut retinet libros hæreticorum, vel alterius cuiusuis auctoris damnatos,atque prohibitos ob hæresim, aut ob falsi dogmatis suspicionem, incurrit excommunicationem latam in indice librorum prohibitorum. Hæc autem excommunicatio nulli reseruata est; sed iure communi potest à quouis Confessario approbato tolli; quia in præfato indice nulla apponitur reseruatio. Modò tamen eiusmodi libri non contineant hæresim,aut tractent de religione,vt paulò post dicetur. *ibid.punct.*4.*num.*2.*pag.*10.*tom.*3.

9. Eadem censura afficiuntur legentes libros, & scripta continentia diuinationes, sortilegia,veneficia,auguria,auspicia,& incantationes artis magicæ,& similia à vera fide aliena: quia huiusmodi libri sunt vetiti in indice ob falsi dogmatis suspicionem. Item legentes scholia,seu additiones hæreticorum quæ continentur in libris Catholicorum: quia hæc scripta sunt damnata ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem. *ibid.num.*4.*pag.*11.*tom.*3.

10 Qui scienter, & absque Summi Pontificis licentia publicè,vel occultè legit,retinet, aut imprimit, aut alio quouis modo defendit libros hæreticorum tractantes de religione,aut hæresim continentes,incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, Papæ reseruatam, quamuis legat, vel retineat curiositatis gratia,& absque prauo animo,imo quamuis non intelligat quæ legit; quia is iuxta communem loquendi modum dicitur legere; qui verò audit legentem, non subiacet excommunicationi. Qui tamen vnam, aut alteram lineam tantùm legit,ratione paruitatis materiæ excusatur. *ibid.num.*7.11.*&* 14.*pag.* 11.*tom.*3.

HOMI

HOMICIDIVM.

Quinam licitè occidi poſſint.

1. PVblica auctoritate licet occidere malefactores: hoc enim poſtulat bonum commune, vt homines à flagitiis deterreantur. *Proſcripti*, in quos lata eſt ſententia capitis, à quolibet priuato interfici poſſunt: quia hoc fit publica auctoritate iuſtitiæ, cuius quilibet eſt miniſter reſpectu proſcriptorum. Secùs dicendum quando non eſt lata ſententia capitis, aut quando proſcriptus eſt extra territorium eius qui ſententiam tulit; tunc enim non poteſt occidi cùm ſit extra ditionem eius à quo fuit condemnatus. Ipſi etiam proſcripti poſſunt ſe mutuo, etiam per inſidias, occidere, ob propoſitum præmium à Principe, vel ob promiſſam ſibi libertatem. Hic tamen vſus non ſatis probatur, propter periculum damnationis cui exponitur proſcriptus, ſi proditoriè occidatur. *tom.* 2. *pag.* 458. *num.* 1. *& ſeq.*

2. Non licet marito, ante iudicis ſententiam, occidere vxorem, aut adulterum in flagranti crimine deprehenſos; quamuis hoc illi permittatur impune à legibus, ob iuſtum dolorem. Quare peccat in conſcientia illos occidens priuata auctoritate; cùm ſit contra ius naturæ quemquam inauditum, ante ſententiam iudicis occidere. *ibid.num.* 5.

3. Principi, ſeu magiſtratui non licet ſententiam ferre, ſeu condemnare reum antequàm audiatur: quia defenſio ei competit iure naturæ. Præter quàm in crimine notorio, & prohibito ſub pœna mortis; ſic excuſatur Dauid qui Amalecitam Saulis interfectorem, abſque alia ſententia, occidi iuſſit; ſic excuſantur aliquando belli duces, dùm iubent aliquem occidi ob crimen admiſſum, vt cæteri eius exemplo, in officio contineantur. *ibid.num.* 7.

4. Neque publica, neque priuata auctoritate licet clerico quemquam occidere: quia iure humano prohibentur clerici ſe immiſcere in cauſa ſanguinis, ſeu mortis, ſeu mutilationis; hoc enim dedecet ſtatum clericalem. Poteſt tamen Summus Pontifex diſpenſare cum clericis vt abſque peccato, & irregularitate, in cauſa ſanguinis ſententiam ferant. Prælati autem Eccleſiaſtici habentes iuriſdictionem temporalem, dignitati, vel patrimonio adnexam, poſſunt abſque vlla diſpenſatione, iudices ſæculares conſtituere in cauſa ſanguinis; immò poſ-

ſunt bellum indicere, ſi nullum in temporalibus ſuperiorem agnoſcant. *tom.2.pag.459.n.1.& ſeq.*

5. Nemo poteſt ſeipſum directè occidere; quia nullus eſt vitæ,& membrorum ſuorum dominus, & in Concilio Bracharenſi decernitur vt pro illis qui ſibi violentas manus afferunt, nulla fiat oblatio, vel oratio, & vt careant Eccleſiaſtica ſepultura. Tribus tamen modis poteſt quis ad ſuam mortem cooperari. 1. indirectè, & per accidens, periculo caput obiiciens ob rationabilem cauſam, aut omittens actiones ad tuendam vitam neceſſarias. 2. immediatè, & directè, ex præcepto Dei, vt in veteri, & nouo inſtrumento legimus à nonnullis factitatum. 3. publica auctoritate licet ad ſuam mortem cooperari iis actibus qui non habent crudelem modum pœnæ,vt eſt ſumptio veneni: hæc enim cooperatio non videtur iuri naturæ contraria ſi coactè fiat. *ibid.num.1.*

6. Licet militibus de communi conſenſu iniicere pulueri tormentario ignem quo nauis incendatur, vel dare ſe præcipites in mare, etiam cum aperto vitæ diſcrimine, ne nauis veniat cum ipſis in manus infidelium. Item licet in bello iuſto turrim, & mœnia ſuffodere cum certo periculo oppreſſionis non ſolùm inimicorum, ſed etiam ſui; in hoc enim caſu non intenditur mors propria, ſed euitatio, & fuga crudelis mortis ab hoſtibus inferendæ. *tom.2.pag.460.n.8.*

7. Nullus poteſt habere intentionem abbreuiandi ſibi vitam per abſtinentiam etiam moderatam, aut alias afflictiones. At ſi quis per moderatam abſtinentiam, per macerationes, vel ſtudia præuideat fore vt vita contrahatur, non intendens mortem,ſed virtutem,non peccat: hæc enim eſt leuis, & indirecta tantùm cooperatio ad mortem, quæ licita eſt ob iuſtam cauſam, & vt corpus in ſeruitutem redigatur. *ibidem numero 9.*

8. Obſtrictus voto abſtinendi à carnibus, tenetur comedere carnes eo tempore quo nullum alium habet cibum: tunc enim votum non obligat contra ius naturale, & vrget obligatio conſeruandi vitam remediis ordinariis. Tenetur igitur carnes edere niſi adſit aliqua alia ratio, ob quam poſſit ab eo cibo abſtinere. *ibid.n.10.*

An licita ſit mutilatio.

9. Licet amputare ſibi membrum, ob ſalutem totius corporis. Immò ſi alia ratione periculum vitæ non poſſit vitari, tenetur

tenetur quis illam incisionem pati ita iudicante medico, si dolor sit exiguus: At cum magno cruciatu nemo tenetur vitæ suæ consulere, nisi sit Reip. admodum necessarius, aut nisi sit religiosus, séque totum permiserit voluntati superioris: quanquam in hoc secundo casu, probabilius videtur non teneri: quia hic actus est nimis heroicus, nec cadit sub imperium Prælati ob difficultatem. *ibid.n.2.*

10. Non licet sibi membrum, vel membri partem præscindere ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum: quia hoc non est medium necessarium ad animæ salutem. Laudandus tamen ille adolescens qui, teste D.Hieronymo in vita Pauli, linguam mordicùs præcisam expuit in faciem meretricis ad libidinem solicitantis, cùm alia ratio non suppeteret se defendendi. *tom.2.pag.461.num.6.*

Innocens an occidi possit.

11. Non licet directè occidere innocentem: aliquando tamen indirectè licet ad mortem innocentis cooperari: vt si hostis nolit ab obsidione desistere nisi ei tradatur aliquis innocens: tunc enim tenetur innocens mori pro patria séque vltro offerre tyranno, ergo resp. potest sine peccato ei traditioni cooperari: non tamen potest illum propriis manibus interficere; quia cædes innocentis est res intrinsecè mala. Item potest quis occidere innocentem qui suorum laterum oppositu defendit inuasorem vitam iniustè oppugnantem, si iniustus aggressor aliter occidi non possit. Pari ratione excusatur is qui non potest aliter suæ saluti consulere quàm fugiendo per angustum iter, vbi conculcat infantem, aut claudum: vtitur enim iure suo, illac transeundo. *ibid.n.1.*

12. Non licet occidere pueros Saracenorum, aut Turcarum, iusto bello captos, neque obsides innocentes, licèt qui eos dederunt, fidem datam violent: quia intrinsecè malum est occidere directè innocentem. *ibid.num.2.*

13. Nunquam licet ante vel post animationem fœtus præbere matri grauidæ pharmacum mortiferum fœtui, seu ordinatum ad procurandum abortum, vel mortem fœtus: quia illud est contra naturam generationis. Quando tamen mater periculosè laborat, neque superest aliud remedium præter pharmacum ex sua natura curatiuum illius morbi, potest illud adhiberi ad pellendum morbum, licèt indirectè, & per accidens sequatur mors fœtus nondum animati: quando autem

fœtus est animatus, vel dubitatur an sit animatus, hoc non licet; quia fœtus censetur esse in extrema necessitate spirituali, si spes subsit fore vt viuus edatur in lucem, & baptizetur. At quando id non speratur, & ex alia parte spes aliqua ostenditur salutis matris, potest remedium adhiberi, etiamsi fortè æquè sit ordinatum ad salutem matris, & ad mortem fœtus: mater enim vtitur iure suo, neque tenetur vitam exponere, quando conclamata est salus spiritualis fœtus. *ibid. n.3. & pag. 462.*

14. Fœmina quæ peccauit cum aliquo, etiamsi sit nobilis, aut monialis, aut etiam scandalum timeatur, non potest adhibere remedium impediens conceptionem fœtus, ad vitandam infamiam, aut mortem: hoc enim est intrinsecè malum, cùm aduersetur naturæ generationis. Abortum autem procurantibus constituta est pœna mortis, & excommunicationis, de qua vide tit. *Abortus.* Mulier tamen quæ ad impediendam conceptionem fœtus, potionem sumit, hanc excommunicationem non incurrit; aliud enim est procurare abortum, aliud impedire generationem. *tom.2.pag.462.n.5.& 6.*

An liceat alium occidere ad sui defensionem.

15. Vt quis alium licitè occidere possit ad sui defensionem hæ conditiones requiruntur. 1. vt vis ab alio inferatur, & inuasio sit iniusta. 2. vt occidatur inuasor in ipso actu aggressionis; ita tamen vt non præueniatur. 3. vt non occidatur post aggressionem: nam si aggressor iam percussit, & fugit, iamque destitit à percussione, non potest à percusso repercuti; hæc quippe esset vltio, & non defensio; nisi fortè id fieret ad defensionem honoris. 4. vt defensio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, quatenùs expedit ad vitam defendendam. 5. vt inuasus probabiliter credat se grauiter lædendum, vel occidendum, si vim non repellat. Hisce conditionibus adhibitis, inuasus occidens iniustum inuasorem, non peccat, etiamsi inuasus causam dederit inuasionis, v. g. per furtum, adulterium, contumeliam, &c. quia non amisit propterea ius vitæ propriæ defendendæ. *ibid n.2. & pag.463.n.3.*

16. Non tenemur tamen, regulariter loquendo, occidere inuasorem, ad vitæ nostræ defensionem, his casibus exceptis. 1. quando inuasus est reip. valde vtilis. 2. quando ex inuasi morte sequeretur maximum damnum familiæ, quam alere tenetur. 3. quando inuasus sibi conscius est peccati mort. & timet

timet damnationem si in eo statu occidatur. *tom.2. pag.463. numero 9.*

17. Possumus intendere mortem aduersarij tanquam medium ad propriam vitam defendendam: quia id quinto Decalogi præcepto non repugnat, nec habet malitiam homicidij, cùm fiat ad propriæ vitæ defensionem. *ibid.num.*10.

18. Non licet anteuertere aggressorem, antequam aggressus fuerit: quia non licet alium occidere nisi ad vim repellendam. Quare adultera sciens maritum conscium esse sui adulterij, non potest illum occidere, quamuis timeat ne ab illo occidatur; nisi maritus iam abdiderit pugionem sub ceruicali, aut venenum miscuerit, vel quid simile: tunc enim potest illum præuenire occidendo, si nulla alia spes subsit euadendi. *ibid.n.*1.*& pag.*464.*n.*2.*&* 3.

10. Quando me aduersarius prouocat ad duellum, nec aliter possum euadere nisi illud acceptem, possum acceptare, immò si sim inermis, rogare possum vt arma mihi permittat; hæc enim est vera vitæ defensio. *tom. 2. pag.* 464. *numero* 5.

20. Non mihi licet præuenire occidendo illum qui falsis testibus subornatis, famam, aut fortunas, aut caput meum oppugnat in iudicio: sic enim aperiretur via infinitis cædibus; quia homines sibi facilè persuaderent se per calumniam accusari, nullâque alia ratione obuiam iri posse calumniæ quam occidendo accusatorem. *ibid.n.*7.

21. Licet insequi, & occidere furem, ad recuperandam rem magni pretij furto sublatam: v.g. si quis mihi equum surripuit, & fugit, possum illum insequi, telo confodere, & occidere quando post minas, & mortem intentatam negat se redditurum: quia aggressio censetur adhuc durare, & possum cum moderamine, res meas tueri. Postquam autem fur se in tutum recepit, & rem cœpit quietè possidere, non licet illum occidere; quia iam non censetur vim inferre; sed tantummodò iniustitiam committere, propter quam non licet quemquam priuata auctoritate occidere. *ibid.n.*2.3.*&* 4.

22. Possum ingredi domum furis, & rem meam per vim recuperare, si aliter non possum; modo eadem res quæ fuit furto sublata extet apud furem: hæc enim non videtur aggressio, sed rei propriæ defensio. Secùs dicendum quando eadem res non extat apud furem: tunc enim non licet per vim domum furis ingredi ad faciendam compensationem: quia fur est dominus rerum suarum, habétque ius resistendi. *ibid.n.*4.

23. Licet viro honorato occidere inuaſorem, inferentem ignominiam quam alia ratione declinare non poteſt. Neque tenetur inuaſus fugere, ſi fuga eſt illi ignominioſa. Item vir nobilis, qui vulnus, vel alapam accepit, poteſt, ſpeculatiuè loquendo, inſequi fugientem, & repercutere, quantum ſufficit ad reparationem honoris: in praxi tamen, vt vitetur occaſio cædium, contrarium eſt conſulendum, præſertim ſi inuaſor veniam petat. *ibid.n.*5. *& pag.*465.*n.*6. *& ſeq.*

24. Ad impediendam infamiam non licet duellum acceptare: quia hoc non eſt medium ordinatum ad impediendam infamiam: immò Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.*14. perpetuam inurit infamiam duello decertantibus; neque recuſans duellum, apud probos, & pios vllam ſui honoris iacturam facit. *tom.*2.*pag.*465.*num.*9.

25. Clerici, religioſi, & infimæ ſortis homines qui alapa, vel fuſte percuſſi, aut alio quocumque modo inuaſi repercutiunt, & occidunt inuaſorem, cum abſque vitæ periculo fugere poſſint, grauiter peccant contra iuſtitiam: quia huiuſmodi homines nullam ſubeunt ignominiam fugiendo, & patienter ſuſtinendo, id quod viro ſæculari nobili eſſet ignominioſum. *ibid.num.*11.

26. Cuiuis licet ad ſuam pudicitiam propugnandam, occidere inuaſorem, quando fuga, aut vociferatione, vel alio modo defendi non poteſt: quia pudicitia bonum eſt longè præſtantiſſimum. Poteſt tamen inuaſus violationem pati potiùs quàm occidere, quando non eſt periculum conſenſus. *ibid. num.*12.

27. In iiſdem caſibus in quibus licet occidere inuaſorem vitam noſtram, famam, aut fortunas oppugnantem, fas eſt etiam vitam, famam, & fortunas proximi defendere etiam cum morte inuaſoris. Sic pater tueri poteſt pudorem filiæ, & maritus vxoris, &c. Nec ſolùm poſſumus, ſed etiam tenemur ſub peccato mortali vitam, vel bona proximi defendere, quantum fieri poteſt abſque noſtro graui incommodo: illud enim charitas à nobis exigit. Non tamen tenemur vitam proximi defendere cum vitæ noſtræ periculo: at honorem, & famam noſtram exponere tenemur pro vita proximi, niſi honor noſter tanti ſit momenti, vt præponderet vitæ hominis infimæ ſortis. *ibid.n.*1. *& ſeq. & pag.*466.*n.*6.

28. Teneor defendere vitam inuaſi, etiamſi nolit defendi, quando poſſum abſque meo graui incommodo: quia inuaſus non eſt dominus vitæ ſuæ; niſi fortè inuaſor ſit perſona publi-

ca quam occidere sit nefas; aut nisi inuasus, licitè vitam suam obiiciat morti, vt si causâ fidei ambiat martyrium. *tom.2. pag.466.num.22.*

Restitutio propter homicidium facienda.

29. Prouocantes se ad pugnam, vel ad duellum, ad nullam tenentur ad restitutionem si se occidant: quia censentur cedere iuri suo. Qui verò alium iniustè aggreditur, & vulnerat, aut occidit, tenetur ad omnia damna quæ inde consequuntur, quia fuit illorum causa efficax; cúmque sit difficile exactè definire quid restituendum sit, transigendum est cum parte cui facienda est restitutio, quæ vt plurimum solet aliquid remittere. *tom.2.pag.*470.*n.*1.*&* 6.

30. Pro vita, vel membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil est formaliter, & ex iustitia restituendum in censcientia: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. Ex quadam tamen æquitate, & charitate videtur aliquid restituendum arbitrio prudentis viri. *tom.2.pag.*471.*n.*10.

31. Qui interfecit paulò pòst moriturum, aut iustè occidendum, ad nullam tenetur restitutionem: quia nullum censetur damnum intulisse; quippe occisus, tam breui tempore nihil lucratus fuisset; licèt homicida peccauerit mortaliter contra iustitiam. *ibid.n.*13.

32. Homicida qui pœnam talionis soluit, tenetur adhuc omnia damna resarcire, quæ sequuta sunt ex homicidio: quia per pœnam talionis, id est, per mortem homicidæ non restituitur quod est ablatum; sed satisfit tantum iniuriæ illatæ reipublicæ, non autem damno quod passi sunt hæredes. Porrò hæres percussoris tenetur in illius defectum resarcire omnia damna ab eo illata, modò supersint bona vnde possint satisfacere: quia obligatio restituendi est realis, proindéque ad hæredes transit. *ibid.n.* 14.*&* 15.

33. Etiamsi percussus, antequam ex hac vita decederet, dixerit se condonare percussori, tenetur nihilominus percussor ad restitutionem; quia censetur percussus remisisse iniuriam, non verò condonasse restitutionem, nisi hanc esse suam mentem apertè ostenderit. *ibid.n.*17.

34. Qui occidit alium casu, & præter intentionem, non est propriè homicida, nec tenetur ad restitutionem: quia obligatio restituendi oritur ex iniusta actione voluntaria. Quare si leuiter vulneratus interiit ex negligentia, aut imperitia medicorum,

eorum, percussor non tenetur ad restitutionem damnorum prouenientium ex morte, sed tantùm ex vulnere. *tom.2. pag.* 472.*num.*3. & 4.

35. Qui per ebrietatem alium occidit, si ebrietas non fuit voluntaria, nec culpabilis, non obligatur ad restitutionem: quia illud homicidium neque est culpabile in se, neque in causa. At si homicida aliquo modo præuidit homicidium, neque adhibuit diligentiam ad illud præcauendum, homicidium imputatur ad culpam, cum obligatione restituendi. *ibid. num.*7.

36. Occidens Caium quem putabat esse Titium, peccat mort. & tenetur ad restitutionem: quia hæc actio est iniusta contra Caium, licèt falsò putetur Titius. Neque est eadem ratio de eo qui percutit clericum, quem ignorantia probabili putabat esse laicum: hic enim ratione ignorantiæ, non incurrit excommunicationem. *ibid. n.*8.

37. Restitutio propter homicidium facienda est hæredibus necessariis occisi, cuiusmodi sunt filij, vxor, parentes, &c. non verò aliis: quia soli hæredes necessarij censentur læsi in re sua. Vnde sequitur nihil esse restituendum fratri occisi, nisi fortè expensas factas in curatione vulneris, quia succedit in iura occisi. *ibid num.*2. & 3.

38. Homicida, vel eius hæredes, non tenentur restituere damnum iis quibus imputatur homicidium: quia illa actio homicidij non est causa, sed tantùm occasio illius damni, neque est actio iniusta respectu eorum quibus homicidium imputatur, v.g. tu occidisti occultè Titium, sed homicidium imputatur Caio, propter inimicitias quas cum illo exercebat, interim Caius capitur à satellitibus, & patitur multa damna, immò per falsos testes conuictus, capite plectitur; illa damna Caij non sequuntur ex tuo homicidio nisi indirectè, & per accidens, directè verò ex falsa testium depositione: quare non teneris ad illorum damnorum restitutionem. *tom.* 2.*p.*473.*n.*4.

HORÆ CANONICÆ.

Horarum Canonicarum definitio, institutio, numerus.

1. HOræ Canonicæ per se sumptæ nihil aliud sunt quàm quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ, singulis

lis diebus, statis horis, Deo persoluendæ, vnde dicuntur *Horæ*; *Canonicæ* verò, quia per sacros canones præscriptæ sunt. *tom.* 1.*pag.*503.*n.*1.*& seq.*

2. Horæ Canonicæ, si formaliter spectentur vt sunt actus orationis, nihil aliud sunt quàm actus quidam religionis, vel obedientiæ, aut etiam iustitiæ, quo non solùm Deus laudatur, sed etiam explicatur desiderium Ecclesiæ, & à Deo, vel à Sanctis petuntur res decentes, iuxta eiusdem Ecclesiæ præscriptum. *tom.*1.*pag.*504.*n.*6.

3. Horæ Canonicæ non sunt de iure diuino, sed Ecclesiastico: communiter enim appellantur *Horæ Canonicæ*, quia per sacros canones præscriptæ, & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum, exemplo Dauidis, qui septies in die laudes dicebat Deo. Si spectentur quoad substantiam, ab ipsis Apostolorum temporibus originem duxerunt: nam Actorum 3. *Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*: si verò considerentur quoad formam, & numerum *Horarum*, non constat quandonam fuerint institutæ. Certum tamen est illas ab initio formam aliquam habuisse. *tom.*1.*pag.* 505.*num.*3.

4. Summus Pontifex potest cum beneficiario, vel clerico sacris initiato dispensare circa obligationem diuini officij recitandi: quia Summus Pontifex potest in iure Ecclesiastico dispensare. At Cardinales cum suis familiaribus; Episcopi cum suis subditis; Superiores religionum cum suis religiosis circa horarum recitationem dispensare nullo modo possunt: quia est de iure communi Ecclesiastico supra quod solus Summus Pontifex habet potestatem. *ibid.n.*5.

5. Horæ Canonicæ sunt septem, *Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ*, & *Completorium*: hæc enim est communior Doctorum sententia, qui diuinum officium septem Horas Canonicas appellant: sunt enim institutæ ad Christi passionem recolendam quæ septem præcipuis mysteriis continetur. *ibid.num.*1.*& seq.*

Quinam teneantur Horas Canonicas recitare.

6. Omnes religiosi choro deputati ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis, tenentur post professionem, horas canonicas persoluere, etiamsi non sint sacris ordinibus initiati: consuetudo enim vim habet legis, & obligat sub mortali in materia graui. *tom.*1.*pag.*508.*num.*1.

7. Reli

7. Religiosus damnatus ad triremes, vel eiectus è monasterio, non tenetur horas canonicas recitare: amouetur enim ab eo statu in quo consuetudo obtinuit diuini officij recitandi, & transfertur ad statum in quo huiusmodi consuetudo non reperitur. Hoc tamen intellige modò religiosus nondum fuerit sacris initiatus. *ibid.n.3.* Idem dicendum de religioso fugitiuo. *num.6.*

8. Religiosi Societatis IESV, aliique qui non choro, sed aliis piis operibus exercendis deputati sunt, non tenentur ex vi professionis, horas canonicas recitare. *tom 1.pag.509.n.7.*

9. Religiosi, regulariter loquendo, non tenentur sub peccato mort. horas canonicas in choro persoluere: quia regula obligare non solet sub mortali. At Canonici strictiùs obligantur ad chorum; cum ob id beneficium accipiant: si tamen omnes religiosi ita negligant chorum, vt horæ canonicæ in Ecclesia omittantur, superior tenetur singulis strictum præceptum imponere, sicque singuli, sub graui peccato, tenentur interesse, tum ne chorus destituatur, tum ne præceptum superioris violetur. *ibid.num.8.*

10. Superior religionis potest cum suis religiosis ad sacros Ordines nondum promotis dispensare circa obligationem recitandi horas canonicas, ex iusta causa, vt propter studia, aut negotia: potest enim superior vt in legibus religionis, sic in hac consuetudine dispensare. Non tamen quilibet superior, sed supremus totius Ordinis religiosi, secluso priuilegio, videtur posse dispensare. *ibid. n.9.*

11. Clerici sacris Ordinibus initiati, iure Ecclesiastico, tenentur horarum canonicarum pensum persoluere, etiam post degradationem, vel postquam censuram excommunicationis, vel suspensionis contraxerunt. Obseruandum tamen clericum degradatum, vel excommunicatum non posse inter officium recitandum dicere, *Dominus vobiscum,* quia hæc est quædam communicatio, & functio ordinis. *ibid.num.1.& seq.*

12. Clericus qui de Summi Pontificis consensu duxit vxorem, tenetur ad pensum canonicarum precum, nisi fortè in hoc etiam fuerit dispensatus; quia cùm sit sacris initiatus, vt suppono, adhuc retinet characterem, ratione cuius viget obligatio diuini officij recitandi. *tom.1.pag.510.n.5.*

13. Habens beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sit in sacris constitutus, tenetur regulariter loquendo, ex institutione Ecclesiæ, horas canonicas recitare: quia beneficium datur propter officium. Hinc sequitur Equites Hierosolymitanos,

aut etiam alios gaudentes commendis Ecclesiasticis, teneri ad canonicas preces, quia Ecclesiastica beneficia habere dicuntur. Sunt tamen quædam commendæ quæ titulo sæculari conferuntur, nec diuini officij obligationem inducunt. *ibid.num.*1. *& pag.*511.*n.*3.

14. Capellania collatiua, seu Ecclesiastica, auctoritate Episcopi erecta, obligat ad canonicas preces recitandas. Ea verò quæ nondum instituta, & erecta est auctoritate Episcopi, etiam si ab Episcopo conferatur, non censetur beneficium Ecclesiasticum, consequenter non obligat ad diuinum officium recitandum. *ibid.n.*6.

15. Pensionarius non tenetur diuinum officium, quod vulgo magnum dicitur, recitare: quia pensio non est beneficium propriè acceptum. Pensionarius tamen qui vt clericus percipit pensionem, tenetur recitare paruum officium B.Mariæ Virginis, sub eadem pœna sub qua beneficiarij tenentur diuinum officium recitare. Tunc autem aliquis dicitur pensionem vt clericus percipere, quando prima tonsura seu status clericalis requiritur in eo cui pensio confertur. *ibid.n.*7.

16. Beneficiarij coadiutor non tenetur ratione coadiutoriæ præcisè canonicas preces persoluere: quia hæc obligatio residet penes proprietarium, neque afficit coadiutorem, alioquin duo ex eodem beneficio obligarentur ad diuinum officium recitandum, quod non est admittendum. Secùs dicendum si coadiutoria habeat rationem beneficij Ecclesiastici, vt si coadiutori assignati sint prouentus ad quorum titulum promoueri possit; vel si coadiutor assumatur in totum ad onera beneficij, aut saltem ad horas recitandas; tunc enim tenetur recitare, quia ad id tenetur ad quod assumitur. *tom.*1.*pag*.512. *num.*13.

17. Cuius beneficium est adeo tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, iuxta veriorem, & communiorem sententiam, tenetur integrum officium recitare: quia sponte acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi adnexum. *ibidem, num.*17.

18. Beneficiarius, seu capellanus qui maiorem fructuum partem tradit substituto ad beneficij onera sustinenda, aut qui suâ culpâ beneficij fructus non percipit, non eximitur ab onere diuini officij recitandi; quia adhuc retinet beneficium cum iure ad fructus. *tom.*1.*pag.*513.*num.*19. Immò qui omnes beneficij fructus loco pensionis tradit illi qui sibi resignauit, adhuc tenetur diuini officij pensum persoluere: quia habet ti-

tulum,

tulum, & possessionem beneficij. *tom.1.pag.513. num.19. & 21.*

19. Qui ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur omnibus fructibus beneficij, non videtur teneri ad pensum diuini officij, quamdiu priuatio iniusta durat, & beneficiarius credit se nunquam fructus illos recuperaturum, neque enim par est, vt ob iniustam alterius actionem teneatur onus officij recitandi subire, sine spe fructuum percipiendorum. Secus dicendum si iam fructus percepit, & postea iniustè subtrahuntur: iam enim fructus collegit propter quos diuinum officium tenetur recitare. *ibid.num.25.*

20. Beneficiarius illis diebus quibus cõmemorationes fiũt, tenetur commemorationem illius Sancti facere in cuius honorem beneficium est erectum: sic enim vsus obtinuit, iuxta ritum breuiarij Rom. Tot autem commemorationes faciendæ sunt quot sunt beneficia, modo id commodè fieri possit seruato Ecclesiæ more. *tom.1.pag 514.n.8.*

21. Beneficiarius non obligatur ad diuinum officium recitandum ante initam beneficij pacificam possessionem: quia habet ius incertum ad fructus, & impediri potest ne illos percipiat. Quare clericus qui per litem impeditur quo minus beneficij sibi collati possessionem adeat, non tenetur horas canonicas persoluere. *tom.1.pag.515.n.1.& seq.*

22. Clericus sacris Ordinibus initiatus, statim suscepto diaconatu tenetur horas recitare. Idem dicendum de religioso statim post professionem. *ibid.n.9.*

23. Beneficiarius qui horas canonicas prætermittit, non tenetur ad restitutionem fructuum, nisi post elapsos sex menses ab inita pacifica possessione: quia Summus Pontif. obligat ad restitutionem solùm elapsis sex mensibus quibus beneficiarius tenebatur ad officij recitationem, ad quam paulò antè dictum est non teneri ante pacificam beneficij possessionem. *ibidem num.8.*

In Horis Canonicis recitandis quid obseruandum.

24. Omnes qui sunt adstricti ad Horas canonicas recitandas, tenentur illas sub mortali iuxta breuiarium Rom. recitare: hoc enim Ecclesia præcipit, immò alia breuiaria irritat. Excipe Ecclesias quarum officia sunt à Summo Pontifice approbata, aut quæ à ducentis, & eo amplius annis ante editionem breuiarij Pij V. consuetudinem habebant horas canonicas

nicas recitandi aliâ formâ. Papa tamen illis Ecclesiis concedit facultatem recipiendi breuiarium Rom. cum Episcopi, & Capituli consensu; eo autem acceptato iam non erit illis integrum ad prius breuiarium sine licentia Pontificis redire. *tom.* 1.*pag.*516.*n.*1.& 2.

25. Probabile est habentes priuilegium vtendi breuiario non Romano, non posse priuatim vti Romano, relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesiæ: quia quisque debet se Ecclesiæ suæ accommodare. Contraria tamen sententia est etiam probabilis: nam recitans officium iuxta breuiarium Rom. conformat se Ecclesiæ Rom. quæ est omnium Ecclesiarum mater. *ibid.n.*3.& *pag.*517.*n.*5.

26. Clericus, v. g. Mediolanensis qui diuinum officium iuxta ritum Ambrosianum tenetur recitare, potest, dum Romæ, deuotionis, vel negotiorum causâ commoratur, officium iuxta ritum Rom. recitare: quia decretum D. Caroli Boromæi non afficit existentes extra territorium. *tom.*1.*pag.* 517. *num.*7.

27. Qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis quæ diuersis vtuntur breuiariis, debet eo vti, quod adhibetur in Ecclesia, in qua beneficiarius residet. Probabilis tamen est opinio asserentium extra chorum, adhibendum esse breuiarium quod in ea Ecclesia adhibetur, in qua quis habet dignius beneficium, etiamsi alibi habeat pinguius: quia obligatio diuini officij est personalis, & sequitur personam vbicumque sit, & maior dignitas præualet minori. *tom.*1.*pag.*518.*n.*9.

28. Qui studiorum causâ, in aliqua ciuitate commorantur, possunt diuinum officium recitare iuxta ritum illius loci, etiamsi alibi habeant beneficium, vbi officium diuerso ritu persoluitur. *ibid.num.*11.

29. Qui vtuntur breuiario Rom. Pij V. non tenentur extra chorum, defunctorum officium recitare, excepto ipso defunctorum die: sic enim expressè decernitur in Bullis Pij V. & Clement. VIII. Qui verò Pij V. breuiario non vtuntur, sui loci, & Ecclesiæ consuetudinem seruent. *ibid num.*12.

30. Qui tempore Litaniarum, & Rogationum, publicis processionibus non intersunt, tenentur priuatim Litanias sub peccato mortali recitare: hæc enim est pars diuini officij eo die recitandi. Qui verò Rogationum tempore, processionibus intersunt, sed Litanias, & preces non recitant, vel ad eas non attendunt, satisfaciunt recitando etiam breuiores quæ præscribuntur iis qui non interfuerunt: quia assistens non debet

eſſe deterioris conditionis quàm qui non aſſiſtit,neque æquum eſt vt ex ſua diligentia damnum reportet. *ibid.n.*14.

31. Recitans officium lingua Hebraica vulgari, aut Græca, ſeu alia, præciſis aliis circumſtantiis non peccat grauiter: ſatisfacit enim præcepto quoad ritum ſubſtantialem; venialiter tamen peccat, niſi hoc ex iuſta, & rationabili cauſa faciat: quia ab vſitato Eccleſiæ more diſcedit. *tom.* 1. *pag.*519.*num.*15.

32. Qui ſponte mutat officium vnius diei in officium alterius, peccat mortaliter, neque præcepto ſatisfacit: quia Eccleſia non ſolùm præcepit recitationem diuini officij in genere, verùm etiam in particulari, videlicet vt tali, & tali die, tale, & tale officium recitetur; igitur qui officium mutat, præceptum Eccleſiæ quoad ſubſtantiam non implet. *ibid. num.*17.

33. Epiſcopus non poteſt cum aliquo diſpenſare vt proprio breuiario relicto, recitet officium iuxta formam alterius breuiarij, vel vt mutet officium vnius diei in officium alterius. Quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, nempe Pontificis; quamuis poſſit ſuis ſubditis præſcribere formam officij recitandi, vbi breuiarium Rom. non eſt in vſu. Neque poteſt,per ſe loquendo,vbi breuiarium Rom adhibetur, concedere vt officium vnius diei, alio die recitetur, quippe in ritu, & forma breuiarij Rom. nequit Epiſcopus diſpenſare. *ibid.n.*19.

34. Breuiario Rom. non licet quidquam addere tanquam partem officij diuini. Nihil tamen vetat aliquid addere tanquam extrinſecum, & velut concomitanter ad maiorem ſolemnitatem, vt ſi inter vnum,& alterum Pſalmum aliquid canatur ad organum,vel muſicum inſtrumentum, modò cantus non ſit profanus. *ibid.n.*21.*& pag.*520.

35. Vt officium ſtudioſè recitetur, requiritur vt verba non omittantur, vel mutilentur, nec ſyllabæ abſcindantur, ſed ſine ſyncopa (vt ait gloſſa) recitentur:ſit autem ſyncopa cùm aliquid è medio tollitur. Quare omittens verba diuini officij in notabili quantitate,mortaliter peccat,niſi excuſetur ob vitium linguæ. *tom.*1.*pag.*520. *n.*1. *&* 2.

36. Qui cum ſociis ita feſtinanter officium recitant, vt nondum abſoluto priori verſiculo, ſequentem inchoënt, non ſatisfaciunt obligationi: quia pars quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum ſociis qui eam audire nequeunt, idque eſt contra conſuetum Eccleſiæ vſum, alioquin liceret dimidiam

midiam officij partem canere, alio reliquam canente, sicque dimidio temporis spatio, integrum officij pensum persolui posset;par enim est ratio partis,& totius. *ibid n.*3.

37. Qui cum socio recitat, satisfacit obligationi officij recitandi: sic enim vsu receptum est, dum horæ canonicæ in choro recitantur, estque ille mos antiquus in Ecclesia, vt alternatim canatur. Tamen qui ex officio, vel mandato superioris occupantur in pulsandis organis, vel thure adolendo, &c. non tenentur per se ipsos illam partem recitare, quæ ab aliis recitatur: modò sint attenti, quia tunc temporis distinentur ministeriis ad diuinum officium spectantibus. *tom.* 1. *pag.* 521. *num.* 5.

38. Dùm totus chorus canit Psalmos alternatim cum organo, aut alio musico instrumento, opus est vt versus qui per organum canuntur, alta voce ab aliquo in choro proferantur, vt officium integrè recitetur, quia organum verba non profert. Secùs dicendum si cum organo musici canant; tunc enim sufficit illos audire modò verba clara voce pronuncient. *ibid.n.*13.

39, Qui submissa voce recitat versiculos Psalmi, auditque socios canentes alternatim, satisfacit obligationi diuini officij recitandi: quia ipse recitat suam partem,& communicat in parte sociorum. Non tamen satisfacit debito seruitio chori: quia reditus Ecclesiastici dantur canonicis, vt cantent cum aliis. Quare recitans submissa voce, aliis canentibus, non potest distributiones integras percipere, sed earum partem duntaxat, quia sui muneris partem tantùm implet. Qui verò interest quidem choro, sed horas neque recitat, neque canit, non videtur vllam distributionum partem posse percipere; fructus tamen, modò priuatim recitet, non amittit. *tom.* 1. *pag.*522.*num.*17.

40. Ea pars chori quæ tacet, tenetur attendere ad aliam quæ cantat:nam tenetur ad officium concurrere, & totam orationem, aliquo pacto, facere suam. Neque satisfacit præueniendo, & priuatim recitando partem alterius chori, & postea vagando, aut confabulando: sic enim non satisfacit publicæ orationi chori, licet satisfaciat priuatæ. *ibidem numero* 21.

41. Non est opus, vt qui horas canonicas priuatim recitat, seipsum audiat; sed sufficit vt omnia verba distinctè proferat:quia præceptum Ecclesiæ obligat ad dicendum, non verò ad audiendum. Qui tamen recitat cum socio, debet ita

proferre vt ab illo audiatur:nam socius supplere debet audiendo,quod omittit recitando. *tom.1. pag.523.n.24.*

42. Vt officium studiosè recitetur, persoluendum est sine interruptione: hic autem sermo est non de interruptione inter vnam,& alteram horam; hoc enim perspicuum est fieri posse; sed de interruptione quoad partes vnius, eiusdemque horæ, vt si quis inchoato Matutino vocetur ad ludum, vel ad negotia,&c.quia non decet inchoatam cum Deo orationem abrumpere sine causa. Qui tamen diuinum officium interrumpit, non peccat mortaliter; sed satisfacit præcepto quoad substantiam: quia verum est dicere hunc intra eundem diem, totum officium recitasse, neque continuatio est de essentia singularum precum. In quo differt recitatio officij à prolatione formæ sacramentalis: nam in forma sacramenti requiritur continuatio moralis propter practicam verborum significationem: at diuinum officium non habet eiusmodi significationem practicam, cùm non sit institutum ad aliquid ex vi verborum significandum. Hæc tamen interruptio culpa veniali non vacat si absque iusta causa fiat; habet enim adiunctam indecentiam. *ibid.num.26.& seq.*

43. Satisfacit præcepto qui inchoatum officium interrumpit animo repetendi iam recitata, sed postea non repetit; item qui recitat diuinum officium, nolens tunc præcepto satisfasere,sed intendens iterum repetere, satisfacit, neque tenetur repetere iam recitata:hic enim facit opus ab Ecclesia præceptum; neque enim Ecclesia præcipit recitari officium, animo adimplendi præceptum; sed simpliciter præcipit diunum officium quotidie recitari. Idem sentiendum de eo qui Missam audit animo non satisfaciendi præcepto, sed intendens aliam audire. *tom.1.pag.524.b.31.*

44. Vt officium deuotè recitetur, requiritur intentio illius recitandi: quia diuini officij recitatio est actus humanus, qui humano modo exerceri debet. Præterea requiritur attentio non tantùm externa,sed etiam interna: licet enim Ecclesia non possit actum internum seorsim sumptum directè præcipere, nihilominus potest illum compræcipere tanquam necessarium ad orationem: nam oratio sine attentione interna non subsistit. Quare qui absque attentione recitat orationes ad quas tenetur ex præcepto, peccat mortaliter, nisi excusetur ob materiæ leuitatem, aut nisi intentionem habeat repetendi. *tom.1.pag.525.num.4.*

45. Ille satisfacit præcepto qui dum recitat officium, occupatur

cupatur aliquâ re exteriori non incompoſſibili cum attentione interna, vt ſi recitet dum ſe veſtit, aut exuit, vel dum faciem abluit, &c. Secùs dicendum ſi inter recitandum diſtineatur aliquo opere incompoſſibili cum attentione internâ, vt ſi ſcribat, vel pingat, &c. tunc enim non ſatisfacit præcepto, ſed iterum tenetur recitare ſub peccato mort. Sufficit autem attentio virtualis;cum hac enim ſubſiſtit oratio. Porrò illa dicitur attentio virtualis cum qua quis incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem; quamuis inter orandum, inuoluntariè diſtrahatur: illa enim prior attentio, in progreſſu orationis, virtualiter durat. *ibid. num.* 12. *& pag.*526. *num.*15.*& ſeq.*

Horæ Canonicæ quando recitandæ.

46. Tempus diuini officij recitandi incipit à media nocte antecedentis diei, & perſeuerat vſque ad mediam noctem ſequentis incluſiuè: quia officium ſingulis diebus recitandum eſt;dies autem,iuxta communem Eccleſiæ vſum, incipit à media nocte antecedentis diei, vſque ad mediam ſubſequentis. Excipe ab hac regula Matutinum, & Laudes quæ à veſperis antecedentis diei recitari poſſunt. *tom.* 1. *pag.* 527. *num.*2.*& pag.*528.*num.*10.

47. Recitantes officium in Choro extra horas præſcriptas, præciſo ſcandalo, aliáve circumſtantiâ, ſatisfaciunt præcepto quoad ſubſtantiam;non tamen quoad circumſtantiam temporis, quæ pluris facienda eſt in oratione publica quàm in priuata. In priuata verò recitatione ſeruanda eſt conſuetudo legitimè introducta. Excuſari poteſt à peccato qui Primam cum Tertia, Sexta, & Nona recitat duabus vel tribus horis poſt ſolis ortum: quia tempus à iure præſcriptum non conſiſtit in indiuiſibili: qui verò Matutinum ſine cauſa differt ad Veſperas, aut Completorium recitat ante prandium, venialiter peccat;quia hæc eſt extraordinaria peruerſio. *tom.*1. *pag.*527. *num.*7.*&* 8.*& pag.*528.*num.*9.

Horæ Canonicæ quo ordine recitandæ.

48. Qui ordinem horarum non ſeruat, recitando, v. g. Primam ante Matutinum, peccat quidem venialiter dum hoc facit cum aduertentia, & ſine iuſta cauſa: non tamen peccat mort. nec tenetur repetere, quia implet ſubſtantiam præcepti:

immò neque venialiter peccat si id faciat ex iusta causa, vt si ab amico, vel à superiore inuitetur ad recitandam Primam, cum ipse nondum recitauerit Matutinum, potest cum eo Primam recitare, Matutinum verò postea; habet enim iustam ordinis variandi causam. Item qui dum Tertiam recitat, recordatur se nondum recitasse Primam, vel Matutinum, potest Tertiam prosequi, cum intentione recitandi postea Matutinum, vel Primam. Idem dic de eo qui ad Chorum accedit dum canitur Tertia, sed ipse nondum recitauit Matutinum, vel Primam. Item qui recitatis nocturnis, non potest tunc recitare lectiones, potest dilatis in aliud tempus lectionibus, Laudes recitare, & officium prosequi. *tom.1. pag.529. num.2.& seq.*

49. Qui per inaduertentiam dixit officium de Sancto quod dicendum erat de feria, satisfacit repetendo omissa, quamuis ea non repetat in quibus vtrumque officium conuenit. Item qui aliquem Psalmum, vel aliquam Horam ex obliuione omisit, non tenetur iterum totum officium repetere vt Psalmum, vel Horam suo loco, & ordine dicat, sed satisfacit supplendo quod est prætermissum. *ibid.n.6.& 7.*

50. Qui in choro aliquid omisit seu culpabiliter, seu inculpabiliter, non tenetur omissum repetere, durante officio in choro; sed debet illud reseruare post expletum officium, aut non debet illius habere rationem si pars sit exigua: iustam enim habet causam differendi. *ibid.n.9.*

51. Non peccat mortaliter qui Missam celebrat, nondum recitato Matutino: quia Matutinum nullam habet connexionem, aut ordinem cum Missa; sed maiorem habet connexionem Matutinum cum Prima. Immò ne veniale quidem peccatum committit, qui hoc facit ex iusta causa. *ibidem num. 11.*

Horæ Canonicæ vbi recitandæ.

52. Canonici, cæterique Choro deputati, diuinum officium in Ecclesia, iuxta consuetudinem persoluere debent, nisi aliud postulet necessitas, consuetudo, vel fundatio. Qui autem in choro non recitat, non potest percipere distributiones, quæ canentibus in choro conferuntur: quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. *tom. 1. pag. 530. numero 1. & 2.*

53. Qui ad chorum deputati non sunt, possunt horas canonicas

nonicas vbilibet recitare; non tamen in loco vbi impediatur attentio, ſicut impediri ſolet in frequenti hominum conuentu, & ſtrepitu profano; aut in loco indecenti; eſſet enim peccatum veniale. *ibid.n.*5.

54. Epiſcopus, per ſe loquendo, non tenetur choro intereſſe, etiam diebus dominicis, aliiſque feſtis: quia ex nullo textu colligitur hæc obligatio, & Epiſcopi grauioribus negotiis diſtinentur quæ illos choro intereſſe non ſinunt. Aliquando tamen, præſertim ſolemnibus diebus, tenentur choro aſſiſtere ad exemplum. *ibid.n.*9.*&* *pag* 531.*n* 13.

55. De rigore iuris antiqui, non ſolum in Cathedralibus, & Collegiatis, ſed etiam in Parochialibus Eccleſiis publicè perſoluenda ſunt ſingulis diebus officia diuina. At vi conſuetudinis Parochi, non ſolum per ſe ipſos non tenentur, verùm neque per ſubſtitutos, ſingulis diebus feſtis omnia diuina officia publicè in choro perſoluere. Immò conſuetudine immemorabili, vel ſaltem ſufficienter præſcripta induci poteſt vt in Colleciatis, tenues redditus habentibus, canonici non teneantur ſingulis diebus Horas publicè canere: ratio enim dictat, vt vbi tenuiſſimum eſt ſtipendium, onus minuatur. *ibid. num.*12.*&* 14.

Horæ Canonicæ quo habitu, & ſitu recitandæ.

56. Per ſe loquendo non peccat qui diuinum officium priuatim recitat ſedendo cum ſtandum eſt, aut ſtando, vel ſedendo dum genu flectendum eſt. In publica verò recitatione facilè fieri poteſt vt aliqua culpa interueniat; quia debitam Deo reuerentiam exhibere non videtur qui aliis genu flectentibus, ſine vllâ causâ publicè ſtat, vel ſedet. *ibid.n.*1.

57. Concil. Trid.*ſeſſ.*24.*cap.*12. decentem habitum canonicis tam in Eccleſia, quàm extra præſcribit. *ibid.num* 3. Vide tit. *Diſtributiones.*

Horæ Canonicæ quo fructu recitentur.

58. Vt Horarum canonicarum recitatio ipſi recitanti, & aliis proſit, requiritur vt in ſtatu gratiæ fiat. Hinc ſequitur officium in ſtatu peccati mort. recitatum, non eſſe meritorium, nec ſatisfactorium ſi ſpectetur quatenus perſoluitur nomine proprio ab ipſo recitante. At ſi ſpectetur quatenus Eccleſiæ nomine offertur, prodeſt; quia ſanctitas Eccleſiæ,

supplet defectum recitantis. *tom.* 1. *pagin.* 532. *numero* 2. *&* 3.

59. Vt oratio infallibiliter impetratoria sit, hæ conditiones requiruntur. 1 vt orans sit vir iustus: peccatores enim infallibiliter Deus non exaudit. 2. est fides potentiæ, & clementiæ Dei certaque fiducia impetrandi quod petitur. 3 vt id quod petitur, conducat ad salutem petentis. 4 vt oratio fiat pro ipso orante, quanquam probabile videtur orationem etiam pro aliis factam, habere certam, & infallibilem impetrationem, modò sit subiectum capax. Christus enim vniuersaliter dixit Ioan. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* 5. conditio est perseuerantia. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* *ibid.n.*6.*& pag.*533.

60. Recitatio diuini officij, quoad fructum, infinita est extensiuè, potestque omnibus fidelibus, si fiat ab eo qui ex Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine, recitare debet: quia hæc oratio est publica, à qua non licet quemquam excludere. Oratio tamen videtur secundùm se efficacior ad impetrandum si pro vno offeratur, quàm si pro pluribus: experientia enim constat, etiam apud Principes, faciliùs, & efficaciùs obtineri quod pro vno petitur, quàm quod pro multis. *tom.*1. *pag.* 533.*n.*2.*& pag.*534.*n.*10.

61. Recitatio diuini officij non prodest ex opere operato, sed operantis: quia non prodest vltra meritum Ecclesiæ, cuius nomine offertur. Tamen quatenus fit nomine Ecclesiæ, prodest aliis, etiamsi recitans sit in statu peccati mort. ipseque fructum meritorium, vel satisfactorium ex illa recitatione non capiat: quia malitia ministri non officit merito Ecclesiæ offerentis. *tom.*1.*pag.*534 *n.*11.

Restitutio propter Horas Canonicas prætermissas.

62. Qui tenetur diuini officij pensum persoluere, mortaliter peccat illud omittendo, aut partem illius notabilem: quia violat præceptum Ecclesiæ in re graui. Hinc sequitur illum mortaliter peccare qui aliquam integram horam omittit; hæc enim videtur pars diuini officij notabilis. *tom.*1.*pag.* 535.*num.*1.

63. Qui ratione Ordinis sacri, & beneficij tenetur diuinum officium recitare, plura specie peccata committit: hic enim non solùm violat religionem, verùm etiam iustitiam, quia beneficiarius tenetur ex officio ad pensum canonicarum precum,

precum, & beneficium hac lege ei confertur, vt horas persoluat. *ibid.num.4.*

64. Diuinum officium omittens toties in die peccat peccato interno, quoties moraliter repetit voluntatem omittendi officium, vel notabilem eius partem: tot enim sunt peccata quot sunt actus peccaminosi interni moraliter interrupti. Qui verò vno die diuinum officium omittit, vnum tantùm committit peccatum externum omissionis consummatum: quia vnum tantùm transgreditur præceptum habens pro obiecto totum officium quod ex septem horis canonicis integratur. *tom.1.pag.536.n.7.&* 8.

65. Beneficiarius tenetur, etiam ante sententiam iudicis, ad restitutionem fructuum pro rata omissionis officij, si elapsis sex mensibus post obtẽtam beneficij possessionem, officium culpabiliter non recitauerit, etiamsi alio die pensum supplere conetur, nisi forte pars omissa sit leuis, vt patet ex Concil. Lateran. sub Leone X. & ex Bulla Pij V. *tom.1.pag.537.n.1.*

66. Qui diuinum officium absque attentione recitauit, tenetur ad restitutionem fructuum, & distributionum: quia perinde est ac si non recitasset; cum enim attentio sit de substantia orationis, sequitur recitantem sine attentione non satisfacere præcepto quoad substantiam; consequenter neque fructus, neque distributiones posse retinere, quia præsens non censetur qui non attendit *tom.1.pag. 539. num.17.* Pensionarius item qui tanquam clericus percipit fructus, paruum B. Virginis officium omittens, tenetur ad restitutionem eodem modo quo beneficiarius. *ibid.n.21.*

67. Diuinum officium omittens, præter obligationem restitutionis, incurrit pœnam priuationis beneficij, si post sex menses admonitus, neglexerit officium recitare. *tom.1.pag.* 540.*numero.23.*

68. Bulla Pij V. circa restitutionem faciendam propter omissionem diuini officij, patitur aliquam moderationem, ita vt beneficiarius diuinum officium omittens non teneatur ad restitutionem omnium omnino fructuum, sed solùm respondentium oneri diuini officij; ideo, inquiunt nonnulli, Parochus, aut Episcopus omittens officium debet restituere tertiam, vel quartam partem fructuum, pro rata: cæteras verò partes videtur sibi posse retinere ratione aliorum onerum: quia multi beneficiarij non solùm percipiunt fructus pro officio recitando, sed etiam pro aliis oneribus subeundis. *ibid. num.1.& 2.*

69. Restitutio propter omissionem diuini officij, facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus, modò aliud non ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum. Si verò beneficiarius qui tenetur facere restitutionem, sit pauper, potest sibi applicare quod restituendum est, modò verè sit pauper, neque aliud rationabiliter præsumatur de mente Summi Pontif. quia non videtur deterioris conditionis quàm alij pauperes: quamuis enim peccet officium omittendo; tamen cum restitutio facienda sit pauperibus, & ipse paupertate laboret, nihil est causæ quominus gaudere possit fructu eleemosynæ pauperibus erogandæ. *tom.* 1. *pag.* 541. *n.* 1. *&* 8.

70. Canonicus qui diuinis officiis non interfuit, non potest sibi retinere distributiones quarum remissionem obtinuit à reliquis canonicis quibus de iure obueniunt. At si donatione sibi traditæ fuerint, & restitutæ absque præuia collusione, vel remissione, poterit eas iure communi retinere. In prouincia tamen Mediolanensi cautum est, vt non retineantur, quouis prætextu donatæ, aut remissæ fuerint. *tom.* 1. *pag.* 542. *num.* 12.

Causæ excusantes ab Horis Canonicis recitandis.

71. Grauis infirmitas legitimè excusat ab horis canonicis recitandis. At leuis infirmitas, cuiusmodi est dolor stomachi, capitis, aut etiam febris tertiana, aut quartana, non excusat; neque enim huiusmodi infirmitas ægrum ita affligit, quin aliquid temporis concedat horis recitandis. Fieri tamen potest, vt infirmitas excuset à recitandis horis canonicis in choro, quamuis à recitandis priuatim non excuset, vt quando quis pedibus ita laborat, vt Ecclesiam adire non possit, quamuis alioquin commoda vtatur valetudine. *ibidem numero* 1. *& seq.*

72. Cui per morbum non licet horas recitare, non tenetur loco officij, alias orationes substituere, aut alium recitantem audire: hoc enim ab Ecclesia non præcipitur. Porrò qui peregrinationem suscipit ad loca pia, non eximitur à priuata diuini officij recitatione, etiamsi alium in suum locum substituerit: nam onus diuini officij est personale. Idem dicendum de adolescente qui in studia literarum incumbit. *ibid num.* 8. *&* 9.

73. Grauis occupatio honesta, & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non potest absque scandalo, vel pec-

cato, vel suo, aut alieno graui detrimento, excusat ab officio recitando. Sic concionatores, confessarij, vel etiam alij excusari possunt. Ratio petitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto onere obligare. Obseruandum tamen eum qui graui occupatione distinetur, si commodè fieri possit, teneri officium anticipatè recitare: quia tunc viget obligatio præcepti. Neque posse quemquam, munus, & officium voluntariè suscipere cuius executio cum recitatione Horarum sit incompossibilis: nam sponte suscipiens huiusmodi munus, implicitè censetur velle canonicarum precum omissionem, modò non vrgeat grauis necessitas illius suscipiendi, aut actio quæ suscipitur, non putetur maius bonum hic,& nunc, quàm sit recitatio diuini officij. *tom.* 1.*pag.* 543.*num.*1. *& seq.*

74. Impotentia, qualis est carentia breuiarij, excusat ab obligatione diuini officij recitandi. Qui tamen non potest totum, tenetur illam partem recitare quam potest, modò illa pars sit notabilis. Immò beneficiarius qui non potest solus recitare, tenetur socium adhibere, immò (si prouentus habeat sufficientes) conducere quicùm diuinum officium persoluat: fructus enim beneficij percipit vt onus officij subeat. *ibidem num.*8.*& pag.*544.

75. Qui domo discessit nihil de breuiario cogitans, aut rationabiliter iudicans se breuiarium alibi repertururm, non peccat, neque tenetur ad restitutionem, si postea diuinum officium prætermittat: quia non peccauit in causâ, excusante ipsum inaduertentia, vel bona fide;neque in actuali omissione ob impotentiam. *ibid. num.*10.

76. Qui tenetur choro interesse, etiamsi officium recitare non possit;debet tamen assistere, & attendere ad ea quæ canuntur:quia qui non potest totum præceptum,debet saltem partem adimplere quam potest; nisi aliter constet de voluntate superioris. *ibid.num.*12.

77. Quando beneficiarius non percipit, neque percepturus est beneficij fructus, non peccat Horas canonicas prætermitt ens, nisi ratione Ordinis sacri ad illud pensum persoluendum obligetur: quia æquum non est, vt is onus sentiat, qui commodum, & fructum non percipit. Qui tamen percipit distributiones, etiamsi aliis beneficij fructibus careat, tenetur ad preces canonicas recitandas. *tom.* 1. *pag.* 545. *numero* 3.*& seq.*

78. Ignorantia probabilis legis, nec non inaduertentia, seu

seu obliuio naturalis excusant ab obligatione diuini officij recitandi. Qui verò dubitat an officium, vel aliquam Horam recitauerit, tenetur iterum recitare: quia possessio stat pro præcepto. At qui officium recitauit, sed dubitat an Psalmum aliquem, seu antiphonam omiserit, non tenetur illum Psalmum iterum recitare: sic enim via infinitis scrupulis aperiretur. *ibid.num.*8.11.& 12.

I.

IDOLOLATRIA.

1. IDOLOLATRIA propriè sumpta est cultus quo quis alicui creaturæ tribuit honorem Dei. Ad idololatriam duo concurrunt. 1. vt idololatria eam habeat de creatura quam colit opinionem quæ soli Deo conueniat, siue eam habeat expresse, siue tacitè. 2. vt actu externo illam opinionem significet, ac prodat. *tom* 2.*pag.*178. *num.*1.& 2.

2. Idololatria peccatum est ex suo genere grauissimum: quia, quantum in se est, tollit honorem Deo, illumque tribuit creaturæ, ac si illa esset Deus. Neque metus mortis excusat à peccato mortali, quia Dei cultum transferre ad rem creatam, & vanam, est per se, & intrinsecè malum: immò neque ignorantia excusat, quia lumine naturæ notum est, creaturam non esse pro Deo colendam. *ibid.num.*4.

3. Qui ficto animo colit idolum, vt morti se eripiat, mortaliter peccat; quia committit idololatriam externam quæ intrinsecè mala est, & opere externo diuinum honorem impendit rei creatæ. Non tamen incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra hæreticos: quia illa fertur contra hæreticos credentes, non verò contra idololatras solùm externos: quanquam in foro externo præsumitur excommunicatus; quia præsumitur ex animo coluisse. *ibid.n.*5.

IEIVNIVM.

Quid sit Ieiunium.

1. IEiunium aliud est *naturale*, quod consistit in abstinentia à qualibet re sumpta per modum cibi, aut potus; aliud *Ecclesiasticum*, quo præcipitur vnica comestio in die, id est à media nocte, ad mediam vsque noctem futuram. Igitur ieiunium Ecclesiasticum, de quo hic est sermo, est voluntaria abstinentia à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Quare qui vnica refectione in die contentus est, dicitur ieiunare, quia voluntariè abstinet à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel communem vsum. *tom.2.pag.336.n.1.& pag.337.n.6.*

2. Ieiunium Ecclesiasticum non consistit in abstinentia à potu, sed in abstinentia à cibo, qui principaliter institutus est contra famem, siue cibus sit densus, vt panis; siue liquidus, vt iusculum, lac. Et quamuis olim fideles à vino, tempore ieiunij abstinerent, vt constat ex Chrysostom. *homil.6.ad popul Antioch.* tamen hoc tempore nulla extat apud nos huiusmodi obligatio. Quare qui extra refectionem bibit vinum, etiam immodicum, peccat illo quidem contra temperantiam; non tamen violat præceptum ieiunij, etiamsi sæpius bibat, non ad sedandam sitim, sed potius ad pellendam famem: quia ex communi Ecclesiæ vsu non prohibetur potus. *tom. 2. pag. 337. num.7.& 8.*

A quibus cibis abstinendum.

3. Abstinendum à carnibus tempore ieiunij inter omnes Catholicos constat. Nomine autem *carnium* intelliguntur, quæ à piscibus contradistinguuntur iuxta commune Christianorum, aut medicorum iudicium. Esus cochlearum, & testudinum licitus est diebus ieiunij. In vsu autem lacticiniorum, ouorum, butyri, & casei attendenda est locorum consuetudo, quæ est optima legis interpres. Romæ comedens lacticinia tempore ieiunij, grauiter peccat, quia sic vsus obtinuit. *tom.2.pag.338 n.1 & 2.*

4. Qui obtinuit priuilegium vescendi carnibus in die ieiunij, debet nihilominus abstinere à multiplici refectione, modò possit: quia priuilegium cùm sit odiosum, & contra ius

commune,

commune, strictè interpretandum est. Quippe in ieiunio duo præcepta distincta includuntur, vnum *negatiuum*, quod consistit in abstinentia à cibis vetitis; aliud *affirmatiuum*, quo præcipitur vnica refectio; & priuilegium quod conceditur in vno, non extenditur ad alterum. *ibid.n.*3.

5. Adueniente necessitate vescendi cibis vetitis, per se loquendo, non est necesse petere facultatem, modò necessitas sit euidens, & certa: quia necessitas tollit obligationem legis. Tamen ratione scandali, vel alterius circumstantiæ, fieri potest, vt licentia petenda sit. Porrò in dubio an necessitas sit sufficiens, petenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho, si Episcopus commodè adiri non possit. *tom.*2.*pag.*339.*n.*5.

6. Qui vouit certis diebus ieiunium, vel cui est à Confessario, vel Iubilæo indictum, extra Quadragesimam vesci potest lacticiniis, & aliis concessis. At tempore Quadragesimæ abstinendum à lacticiniis etiam diebus Dominicis ob peculiare Ecclesiæ præceptum. *ibid.n.*6.

7. Qui seruata ciborum qualitate ventrem ita replet, vt ieiunij difficultatem non modò non sentiat, nec carnem domet, sed potius libidinem excitet, ieiunij tamen præcepto satisfacit, modò vnica refectione sit contentus: quia facit id quod præceptum est: facit tamen contra temperantiam, & finem ieiunij. *ibid.*

An vnica refectio sumenda.

8. Vnica refectio in die ieiunij præcipitur, teste ipsa consuetudine; nullo tamen textu id constat. Nihilominus licet sub vesperam sumere secundam refectiunculam, modò non excedatur in quantitate, alioquin non iam esset cœnula, sed cœna. In ea tamen non ita strictè prohibetur cibi qualitas; sumi enim potest in cœnula iusculum modò non sit coctum cum cibis vetitis; potest etiam comedi pisciculus, aut exigua pars piscis maioris, immò varia degustari possunt, modò in quantitate non excedatur. Denique in secunda refectiuncula, seruanda est potius quantitas quàm qualitas, modò iis cibis non vtamur, qui tempore ieiunij in prima refectione prohibentur. *ibid.n.*1.*&* 2.*& pag.*340 *n.*3.

9. Excusatur etiam à veniali qui ob vrbanitatem, vel preces amici, vel ne potus noceat, exiguum quid sumit in die ieiunij extra refectionem, v.g. duas nuces, aut ficus, vt fieri solet dum amicus amicum inuisit. Cauendum tamen ne sæpius eadem

dem die id fiat: multa enim modica continuata, possunt constituere notabilem quantitatem quæ sufficiat ad peccatum mortale. *tom.2.pag.*340.*n.*4.

10. Qui absque causa manè sumit refectiunculam quæ vesperi sumi solet, dilato in noctem prandio, peccat venialiter: quia facit contra consuetudinem legitimè introductam. At si ex necessitate v.g. ob iter, aut studium, aut debilitatem id fiat, culpâ vacat: sic enim apud viros doctos, & probos vsu receptum est. *ibid.n.6.*

11. Obserua discrimen inter præceptum *negatiuum* de non sumendis cibis vetitis in die ieiunij; & præceptum *affirmatiuum* de vnica refectione sumenda, quod comedens cibos vetitos in die ieiunij, toties peccat, quoties illis vescitur, modò inter vnam, & alteram comestionem moralis distantia intercedat: at qui plures refectiones sumit, semel tantùm peccat. Quia sumptis semel cibis vetitis, adhuc viget obligatio non sumendi huiusmodi cibos; præceptum quippe negatiuum obligat semper, & ad semper: sumpta verò secunda refectione, iam non potest seruari præceptum affirmatiuum de vnica refectione sumenda. *ibid.n.7.*

12. Qui in die ieiunij sumpsit ientaculum intentione seruiliter laborandi, aut iter laboriosum eo die suscipiendi, non tenetur eo die ieiunare, etiamsi postea seruiliter non laboret, aut iter non suscipiat. Idem dicendum de eo, qui ex inaduertentia, aut ignorantia præcepti, bis comedit die ieiunij, in notabili quantitate. *ibid.n.8.*

13. Qui prætextu vrbanitatis, vel hospitalitatis eum inuitat ad cœnandum secum, quem probabiliter credit obligari lege ieiunij, & inde arrepturum occasionem non ieiunandi, grauiter peccat: quia petit rem iniquam, & malam, quam amicus sine peccato præstare non potest. Secus si id fiat solum causâ vrbanitatis, absque periculo violandi ieiunij. *tom.2.pag.* 341.*num.9.*

14. Caupo non potest in locis Catholicorum apponere cibos vetitos, præsertim carnes, suis hospitibus, ne cooperetur ad peccatum: in locis verò hæreticorum, vbi est consuetudo apponendi carnes, potest caupo carnes apponere si petantur, & nequeat sine suo graui incommodo recusare: quia appositio carnium in die ieiunij, non est adeo mala, quin ex iusta causa cohonestari possit, modò religionis contemptus absit. *ibidem.*

15. Qui ob negotium interueniens, prandium interrupit, nondum

nondum absoluta refectione, si interrupit animo continuandi, potest perfecto negotio repetere prandium: nam continuatio refectionis non constituit duplicem refectionem, sed vnam integrat, etiamsi longa mora interfluxerit. Si verò interrupit animo non continuandi, non potest licitè prandium repetere: qua refectio non diceretur physicè, aut moraliter continuari, consequenter duplex prandium reputaretur, nisi exigua intercessisset mora. *ibid.n.*10.

16. Qui ieiunij legem violauit, debet in confessione aperire, an violauerit anticipatione horæ, an multiplici refectione, an esu ciborum vetitorum. Nam violans anticipatione horæ, iuxta probabiliorem sententiam, venialiter tantùm peccat: violans multiplici refectione, mortaliter peccat; non tamen toties quoties refectionem sumit: violans verò legem ieiunij, esu ciborum prohibitorum, explicare debet in confessione, se toties cibos vetitos comedisse, quia, vt suprà dictum est, toties mortaliter peccauit. At qui non ieiunauit ea die in quam duplex ieiunium incidebat, non tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire; quia non est duplex peccatum. *ibid.n.*11.

De hora refectionis.

17. Refectio in die ieiunij, sumenda est circa meridiem: dilatio tamen cùm augeat difficultatem ieiunij, auget etiam meritum. Verùm hora sumendæ refectionis non est de substantia ieiunij, sed est circunstantia duntaxat: quare qui prandium vna, vel duabus horis anticipat, iuxta probabilem sententiam, mortaliter non peccat; sed venialiter tantùm, si anticipat absque iusta causa: qui verò anticipat ex iusta causa, ne venialiter quidem peccat. *tom.*2. *pag.* 342. *numero* 2. *& seq.*

18. Qui priuilegium obtinuit prandendi ante consuetam ieiunij horam, tenetur reliqua diei parte à cibis abstinere, nec censetur propterea ieiunij lege solutus: quia priuilegium hoc, cum sit odiosum, non est vltra verborum proprietatem extendendum. *ibid. num.*5.

Quo iure ieiunandum sit.

19. Ieiunium nullo iure diuino est inductum: nam ieiunium Quadragesimæ fuit ab Ecclesia, seu ab Apostolis institutum.

tutum. Neque obstat quod S. Ambrosius *serm.* 23. 25. *&* 27. Quadragesimam ait à Domino indictam, & ieiunia à Christo consecrata: sic enim loquitur, quia Ecclesia occasionem præcipiendi Quadragesimam sumpsit ex Christi exemplo. *ibid. numero* 1.

20. Ieiunium est de iure Ecclesiastico, & canonico: vnde sequitur aliquem posse à ieiunio eximi etiam per totam vitam, auctoritate Papæ, quamuis illud priuilegium sine causa concedatur. Quia Summus Pontif. in iure canonico dispensare potest. *ibid.*

21. Obligatio ieiunij per consuetudinem induci, & tolli potest: quia legitima consuetudo vim habet legis, & reipsa quædam ieiunia fuerunt per consuetudinem abrogata, vt ieiunium Rogationum, Aduentus, quartæ, & sextæ feriæ. Hinc sequitur vescentes butyro, & lacte in Quadrages. excusari à peccato, vbi illa consuetudo inoleuit. *ibidem numero* 2.

Quinam teneantur ieiunare.

22. Quilibet Christianus compos rationis completo 21. anno tenetur seruare ieiunia ab Ecclesia præscripta: neque potest quis per alium ieiunare; quia obligatio ieiunij est personalis. Potest tamen ieiunium alteri prodesse quoad satisfactionem. *tom.* 2. *pag.* 343. *n.* 1. *&* 2.

23. Qui aliquo die ieiunare non potest, non tenetur aliquid aliud loco ieiunij persoluere, vel alio die ieiunare, nisi fortè virtute alicuius priuilegij transtulerit ieiunium in alium diem; quia obligatio ieiunij est affixa diei, & transit cum ipso die. *ibid. n.* 3.

24. Religiosi non tenentur ad ieiunia quæ seruantur in oppido vbi habent monasterium, si ea sint tantummodò per consuetudinem particularem introducta. Ieiunia verò generali consuetudine recepta, seruanda sunt à religiosis; quia consuetudo generalis omnes obligat. Porrò ieiunia ab Episcopo præscripta, religiosos non obligant in ea diœcesi commorantes; quia religiosi exempti sunt ab Episcoporum iurisdictione. *ibid. n.* 5.

Causæ à ieiunio excusantes.

25. Prima causa à ieiunio excusans est impotentia. Excu-

ſantur autem ob impotentiam. 1. infirmi, & conualeſcentes, quibus vnica refectio in die non ſufficit. 2. excuſantur fœminæ prægnantes aut lactantes: tenentur tamen à carnibus abſtinere, niſi fortè prægnans, vehementer appetat carnem, cùm periculo abortiendi, & eiiciendi fœtum niſi eius deſiderio ſatisfiat. 3. ſenes ſaltem ſeptuagenarij, immò etiam ſexagenarij, vt multorum fert opinio; verùm ſexagenarij non videntur à ieiunio eximendi, niſi ſint debiles, vel infirmi. 4. pauperes qui ob inopiam carent alimento ſufficienti ad vnicam refectionem; immò veſci poſſunt carnibus, ſi nihil aliud habent quod edant. 5. adoleſcentes qui 21. annum nondum impleuerunt; quia ob teneram ætatem, & caloris abundantiam frequenti indigent refectione; non tamen poſſunt vetitis cibis veſci. *tom.2.pag.444.n.1.& ſeq.*

26. Secunda cauſa excuſans à ieiunio eſt labor cum quo non ſufficit laboranti vnica refectio. Vnde ſequitur eos qui opera laborioſa exercent, nec ita ſunt robuſti vt ea exercentes ieiunare poſſint, à ieiunio excuſari, non tantùm eo die quo laborant, verùm etiam eo die quo laborem intermittunt, vt ſi ſuperueniat dies feſtus, vel alia occupatio quæ ex ſe non afferat impedimentum ieiunio: excuſandi enim ſunt à ieiunio, ſi ieiunando graue ſentiant incommodum ob laborem præcedentis diei, aut ſi redderentur minus apti ad laborem ſequenti die ſuſcipiendum. Excuſantur item qui longum iter pedeſtre ſuſcipiunt. At tonſores, ſartores, pictores, ſcholares, & alij quorum eſt exiguus labor, à ieiunio non excuſantur. *tom.2. pag.345.num.8.*

27. Tertia cauſa excuſans à ieiunio ſunt opera pietatis, & miſericordiæ, quæ cum ieiunio exerceri non poſſunt. Ideo qui concionantur, vel adminiſtrant ſacramenta, vel viſitant infirmos, vel ornant templa, &c. à ieiunio excuſantur, etiamſi hæc opera ob mercedem ſuſcipiantur. Excuſatur item à ieiunio mulier, quæ metu incommodæ valetudinis, aut deformitatis, vel metu viri, non ſinitur ieiunare. Item maritus à ieiunio excuſatur, ſi nequeat reddere debitum ieiunando. *ibidem num.13 & 14.*

28. Facultas non ieiunandi, per ſe loquendo, petenda eſt ab Epiſcopo: quia ad ipſum pertinet diſpenſatio iuris communis, in iis caſibus qui frequenter accidunt. Parochus autem, ſeu alius, præciſa conſuetudine, non poteſt diſpenſare; quia poteſtatem non habet ſupra ius commune. *ibid.n.8.*

Imago.

Imago.

1. SAnctus D.N. Vrbanus VIII. in Generali Congregatione sanctæ Inquisitionis præcepit sub pœna suspensionis ne imagines eorum, de quibus fama vel opinio sanctitatis, vel martyrij inualuit, publicè proponantur cum laureolis, aut radiis antequam canonizentur, vel beati declarentur à Sede Apostolica: néve libri continentes eorum gesta, miracula, reuelationes, &c. imprimantur sine recognitione, & approbatione Ordinarij; néve tabellæ, aut imagines ex cera, aut alia materia ad eorum sepulchra appendantur, aut lampades, vel lumina accendantur, nondum facta ab Ordinario recognitione, eáque à Sede Apostolica approbata. Excipiendi tamen sunt ab hac bulla viri sanctimonia conspicui, qui communi Ecclesiæ consensu, vel tempore immemorabili coluntur tolerantiâ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij. *disput.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 7 *tom.* 3.

2. Vsus sacrarum imaginum licitus est, & honestus, vt constat ex Concilio Tridentino *sess.* 25. ex vsu Ecclesiæ, & ex innumeris miraculis quæ Deus per sacras imagines efficere consueuit. Imagines Dei, & Angelorum qui sunt incorporei, permittendæ sunt non vt Deum, & Angelos repræsentent secundùm propriam similitudinem, sed per quandam metaphoram, vel vt aliquando apparuerunt. *tom.* 2. *pag.* 144. *n.* 1. *&* 2.

3. In adoratione imaginis, ipsa imago propriè adoratur: est enim terminus adorationis, quippe coram ipsa caput aperimus, genua flectimus, &c. Hæc tamen adoratio non est absoluta, sed respectiua; colitur enim propter excellentiam illius quem nobis refert. Imago autem cum suo prototypo, seu exemplari, & exemplar in imagine adoratur: volens enim Christum adorare, osculando ipsius crucem, apprehendit Christum vt pendentem in cruce, consequenter apprehendit Christum, & crucem per modum vnius, & vno adorationis motu per se primò tendit in Christum, in imaginem verò, seu crucem concomitanter, & propter Christum. *ibidem*, *numero* 3. *&* 4.

4. Signum crucis adorandum est adoratione latriæ, sicut adorantur spinæ, lancea, claui, &c. quæ Christum tetigerunt; & hæc adoratio dicitur respectiua. Item adorandi essent capilli capitis Christi, aut aliqua sanguinis portio, si fortè extaret aliqua quæ non fuisset reassumpta à Christo rediuiuo, *ibid. num.* 6.

Incendiarius.

1. IN cap. *tua nos, de sentent. excommunic.* habetur excommunicatio contra incendiarios, idcirco conferuntur cum percussoribus clericorum. Hæc autem excommunicatio incurritur *ipso facto*, éstque reseruata Summo Pontifici, postquam incendiarius denunciatus est excommunicatus, etiamsi non fuerit nominatim expressus; sufficit enim generalis publicatio excommunicationis contra incendiarios. Non est tamen improbabilis eorum sententia qui asserunt istam excommunicationem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. *disp.2. quæst.3. punct.43. pag.256.257. tom.3.*

2. Dicuntur incendiarij qui scienter, & prauo animo contra iustitiam incendunt; qui enim præter intentionem est causa incendij, non solet incendiarius appellari, etiamsi fortè ex negligentia mortali sequutum sit incendium. *ibidem, pag.257. tom.3. num.3.*

3. Episcopi vi huius constitutionis præcisè non tenentur sententiam excommunicationis ferre, seu excommunicationem publicare contra incendiarios; quia nullum ibi legitur verbum præceptiuum; propterea id relinquitur arbitrio, & prudentiæ Episcoporum. *ibid. n.7.*

Incestus.

1. INcestus est congressus cum persona cognata intra gradus in quibus non potest matrimonium celebrari. Non potest autem matrimonium contrahi cum cognatis cognatione legali, vel spirituali, vel cognatione consanguinitatis, vel affinitatis, vsque ad quartum gradum. Quare si quis copulam habeat cum filia quam adoptauit, vel quam suscepit in Baptismo, committit incestum, *tom. 1. pag. 326. num. 1. & 2.*

2. Hoc peccatum est grauissimum, vt constat ex 1. *Corinth.* 5. cóque grauius, quò persona, cum qua copula habetur, est coniunctior. Omnes tamen incestus sunt eiusdem speciei, & differunt tantùm secundùm magis, & minus: nihilominus gradus incestus est in confessione aperiendus; quia licet circumstantia aggrauans non sit necessariò exprimenda in confessione; tamen qualitas personæ, cum quâ copula est habita, non est circumstantia actus, seu peccati; sed potiùs illius obiectum,

iectum, & quid pertinens ad ſubſtantiam actus ſpectati in indiuiduo; illum enim conſtituit in ſuo eſſe indiuiduali. *tom.1. pag.327.n.4 & ſeq.*

3. Copula inter Confeſſarium, & pœnitentem, non eſt inceſtus, ac proinde non eſt circumſtantia neceſſariò in confeſſione exprimenda: quia ſacramentum Confeſſionis non inducit propriè cognationem ſpiritualem, cùm nuſpiam in iure expreſſa inueniatur. Si tamen Confeſſarius ſollicitet pœnitentem in confeſſione, committit ſacrilegium, neceſſariò in confeſſione aperiendum, ob grauiſſimam irreuerentiam irrogatam Sacramento. *ibid.n.8.*

4. Inceſtus commiſſus cum conſanguinea vxoris, duos ſaltem parit effectus. 1. eſt, vt ille qui commiſit inceſtum, non poſſit petere debitum à coniuge propter affinitatem: nam qui habet copulam cum conſanguinea vxoris in primo vel ſecundo gradu, fit ei affinis in eodem gradu. 2. effectus eſt, vt poſt mortem vxoris, non poſſit aliam ducere, aut ſi ducat, multi cenſent non poſſe debitum ab ea petere abſque diſpenſatione, quam poteſt Epiſcopus concedere. *tom.2. pag. 328. numero 11.*

INDVLGENTIA.

Indulgentia quid, & quotuplex.

1. INdulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis, quæ homini exiſtenti in gratia conceditur à Prælato per applicationem theſauri Eccleſiæ, qui conſtat non ſolùm ex infinitis Chriſti meritis; ſed etiam ex Sanctorum ſatisfactionibus ipſis ſuperfluis: Cùm enim multi Sancti plus ſatisfecerint quàm ipſi indigerent, ipſorum ſatisfactiones ſuperabundantes in theſauro Eccleſiæ conſeruantur per legitimum Prælatum diſpenſandæ. Vnde patet eſſe in Eccleſia theſaurum, id eſt, abundantiam meritorum Chriſti, & Sanctorum exuberantes ſatisfactiones, ſimúlque eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias, & remittendi pœnas quæ peccatis debentur. Porrò hic Eccleſiæ theſaurus ante Chriſti aduentum inchoatus fuit; nullus tamen illius vſus fuit in veteri lege. *tom.1.pag.199.n.1.& ſeq.*

2. Indulgentia duplex eſt, *plenaria*, & *temporalis*. Per plenariam remittitur tota pœna ſimpliciter, vel in aliquo genere certo. Per temporalem non remittitur tota pœna, ſed tanta

quanta in Bullis exprimitur. Hinc collige, quando in Bulla conceditur indulgentia septem annorum, aut 40. dierum, significari, hominem qui consequitur talem indulgentiam, obtinere tantam pœnæ remissionem quantam obtinuisset, si tanto tempore pœnitentias iuxta canones egisset: non autem esse hunc sensum, per consecutionem talis indulgentiæ hominem liberari à pœnis in Purgatorio per septem annos, aut 40. dies luendis. *tom.1.pag.200.n.1.& 2.*

3. Iubilæus ab Indulgentia plenaria, & plenissima non differt, nisi quod in Iubileo concedi solet facultas commutandi vota, & absoluendi à casibus reseruatis. Inchoatur autem Iubilæus Romæ à primis vesperis Natiuitatis Domini, post apertas portas, & durat vsque ad annum subsequentem post clausas portas, nisi prorogatio à Summo Pontifice concedatur. In anno Iubilæi suspenduntur reliquæ indulgentiæ, immò & facultates absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis. Denique Iubilæus obtineri potest in anno sancto toties, quoties eo anno fiunt opera præscripta; ita enim declarauit S.D.N. Vrbanus VIII. *ibid. num.5.*

Indulgentias quis concedere possit.

4. Solus Summus Pontifex potest primariò concedere Indulgentias; alij verò quatenus ipsis à Summo Pontifice conceditur. Quamobrem facultas concedendi Indulgentias conceditur Episcopis cum limitatione, vt patet in dedicatione Ecclesiæ in qua Episcopi concedunt indulgentiam vnius tantùm anni, & in anniuersario dedicationis, indulgentiam 40. dierum. Item Episcopi non habent ius concedendi indulgentiam pro mortuis; ipsorum enim facultas videtur à Sede Apostolica restricta ad illorum subditos in hac vita degentes. *tom.1.pag.201.n.1.& seq.*

5. Episcopus in peccato mortali existens, immò excommunicatus, (modò non sit denunciatus, seu vitandus) potest validè concedere Indulgentias; quia non amisit iurisdictionem. Potest etiam hanc facultatem concedendi Indulgentias non tantùm suo Vicario, sed etiam clerico demandare; quia hæc facultas competit Episcopis iure ordinario, ergo possunt eam delegare: Solus tamen Pontifex, de plenitudine suæ potestatis, potest eam facultatem laicis delegare; quia solus potest in iure communi dispensare. *ibid. num. 8. & seq. & pag.202. num.13.*

6. Episco

6. Episcopus frui potest indulgentiis quas aliis concedit; neque enim est deterioris conditionis quàm alij; non tenetur tamen opus generaliter iniunctum præstare, sed secum potest hac in parte dispensare, faciendo aliud opus pium, loco illius. *pag.202.num.16.& 17.*

7. Clerici, etiam Cardinales qui non sunt Episcopi, non possunt indulgentias concedere; quia non sunt Ecclesiastici thesauri dispensatores, nisi ad id facultatem obtineant. Neque Capitulum Sede vacante; quia non succedit Episcopo in potestate extraordinariæ iurisdictionis, saltem in iis quæ sunt reseruata Episcopali dignitati. *ibid.n.22.23.*

8. Licèt Abbas possit efficere alios participes satisfactionum, & orationum quæ fiunt in religione; nulli tamen potest indulgentias concedere, tametsi in suis locis iurisdictionem obtineat Episcopalem; quia non est thesauri Ecclesiastici dispensator. *ibid.n.19.& 26.*

9. Indulgentiæ concedendæ non sunt absque iusta causa, cuiusmodi est honor Dei, vtilitas Ecclesiæ, bonum commune, &c. Pro quolibet autem actu pio etiam leuissimo, validè possunt indulgentiæ à Summo Pontifice concedi: experientia enim constat plenarias indulgentias aliquando pro leuissimo opere concedi, vt pro oratione Dominica, & Angelica; & frustra concederentur indulgentiæ si ad ipsarum consecutionem, necessarium esset opus æquiualens. Immò Summus Pontif. aliquando concedere potest indulgentias absolutè, nullum opus requirendo; vt si defuncto de Ecclesia optimè merito indulgentias applicet. *ibid.n.1.& pag.203.n.2.& seq.*

Indulgentiarum susceptor.

10. In suscepturo indulgentiam requiritur Baptismus, & fides; vnde patet hæreticos, & apostatas à fide non esse indulgentiarum capaces. Excommunicato autem licet contrito, indulgentiæ prodesse non possunt; quia vna ex pœnis excommunicationis est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum, quo in genere sunt indulgentiæ. *tom.1.pag.203.204. num.1.& seq.*

11. Suscepturus indulgentias debet esse in gratia; quia non potest remitti pœna, nisi priùs remissâ culpâ. Si verò in Bulla exprimatur confessio, non sufficit suscepturum esse in gratia per contritionem, sed necessaria est confessio, saltem si sibi sit conscius peccati mortalis. At si post vltimam confes-

ſionem, pœnitens nullum commiſit peccatum mortale, nec recordatur alicuius nondum per confeſſionem expiati, non eſt neceſſe ad conſequendam indulgentiam confiteri; quando enim in Bulla exprimitur confeſſio, ſermo eſt de confeſſione reſpectu illius qui conſcientiam habet peccati mortalis, niſi aliud exprimatur, ſiquidem confeſſio ſimpliciter dicta, ex communi Eccleſiæ vſu intelligitur confeſſio mortalium. *pag.* 204. *num.* 4 *& ſeq.*

12. Qui tempore Iubilæi confeſſus eſt peccata, ſed incidit poſtea in peccatum mortale, vel recordatur alicuius peccati mortalis, antequam cætera opera in Iubilæo præſcripta adimpleat, non obligatur ad nouam confeſſionem; nam videtur adimpleuiſſe conditionem in Iubilæo præſcriptam, cùm ſemel ritè confeſſus ſit, conſequenter poteſt indulgentiam conſequi, ſi de peccato mortali poſt vltimam confeſſionem commiſſo eliciat actum contritionis. *ibid. n.* 9.

13. Non eſt neceſſe, vt conſequuturus indulgentiam ſit in gratia toto eo tempore quo præſtat ſingula opera præſcripta; ſed ſufficit, vt ſit in gratia dum facit vltimum opus, quo poſito obtinetur indulgentia; quia opus præſcriptum non debet neceſſariò eſſe ſatisfactorium, ſed tantùm eſt conditio, qua poſita Summus Pontifex applicat indulgentias. *ibidem, numero* 10.

14. Qui in ſtatu peccati mortalis præſtitit vltimum opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam, expiato deinde peccato per pœnitentiam, non conſequitur indulgentiam: quia ſicut Sacramenta non reuiuiſcunt quando in ipſorum ſuſceptione appoſitum fuit impedimentum repugnans ſubſtantiæ Sacramenti; ita neque indulgentia reuiuiſcit, cuius eſſentiæ, & naturæ repugnat ſtatus peccati mortalis. *tom.* 1. *pag.* 205. *num.* 13.

15. Qui facit honeſtum opus præſcriptum in Bulla, v. g. qui largitur eleemoſynam tantùm ob vanam gloriam, non conſequitur indulgentiam; quia iam non eſt opus honeſtum: ſecus ſi ob vanam gloriam, & ob finem aliquem honeſtum. *ibid. num.* 15.

16. Licet ouis, & lacticiniis vti, iuxta locorum conſuetudinem, quando pro obtinendo Iubilæo indicitur ieiunium extra Quadrageſimam; quia abſtinentia ab ouis, & lacticiniis non eſt de eſſentia ieiunij. *ibid. n.* 16.

17. Qui cupit indulgentiam conſequi, debet opus præſcriptum per ſe ipſum adimplere; ſuperior enim eam concedit

dit sub hac conditione. Quamobrem qui curat coronam per alium recitari, aut Ecclesiam visitari, non consequitur indulgentiam concessam recitantibus coronam B.Virginis, aut visitantibus Ecclesiam; istæ enim sunt actiones personales. Secùs dicendum de eleemosyna, quæ licèt per alium fiat, fieri censetur ab eo cuius nomine fit. *tom.* 1. *pagin.*206. *numero* 24.

18. Qui vult obtinere indulgentiam concessam visitantibus quinque altaria, non tenetur ad singula accedere, sed potest ex eodem loco indulgentiam consequi orando versus quinque altaria. *ibid. num.*25. Item qui orat ante fores Ecclesiæ cùm præ turba ingredi non possit, consequitur indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam. *num.*26.

19. Potest indulgentia obtineri per opus aliquod internum, vt per examen conscientiæ, per inuocationem nominis IESV in articulo mortis, quæ fit mente, cùm ore fieri nequit, &c. experientia enim constat eiusmodi opera interna à Summo Pontifice præscribi ad consequendam indulgentiam. *ibid.num.*28.

20. Probabile est vno, & eodem actu, seu eadem oratione nos consequi non posse indulgentias diuersis viis concessas, vt si quis habeat plura grana benedicta diuersis benedictionibus, seu à diuersis Summis Pontiff. & in singulis granis concessus sit annus indulgentiæ recitanti Orationem Dominicam; videtur enim per orationem illam semel recitatam, non posse plures annos indulgentiæ obtineri, sed toties esse recitandam quot sunt grana. *ibid.num.*29.

21. Potest quis vno, & eodem tempore diuersis actibus consequi plures indulgentias, quando vnus actus non impedit alium, sed vterque simul subsistere potest, v. g. si concedatur vna indulgentia audienti missam, & alia diuinum officium recitanti, potest vtramque consequi, qui dum Missam audit, simul recitat officium; duobus enim illis operibus duplex indulgentia respondet, neque obstat circumstantia eiusdem temporis; est enim quid extrinsecum. *tom.*1.*pag.*107.*n.*31.

22. Non opus est vt volens Iubileum obtinere, omnia pia opera præscripta faciat vna, & eadem hebdomada: nam, iuxta communem sententiam, potest quis in prima hebdomada ieiunare, eleemosynam erogare, Ecclesias visitare, dilata confessione, & communione in Dominicam proximè sequentem, quamuis hæc præcipuè in Bulla præscribantur. *ibidem numero* 34.

Indulgentia pro defunctis.

23. Animæ fidelium in Purgatorio duplicem pœnam patiuntur; Altera dicitur *pœna damni*, estque præcipua, quæ consistit in priuatione visionis Dei, qui est summum hominis bonum. Altera dicitur *pœna sensus*, quam animæ ab igne patiuntur. Quomodo autem verus ignis agere possit in animas corporibus exutas, nulli mortalium est reuelatum. *tom.* 1.*pag.*208.*num.*2.*&* 3.

24. Indulgentiæ quamuis plenariæ non prosunt defunctis per modum iudicij: quia Ecclesia non habet iurisdictionem, aut iudiciariam potestatem in animas in Purgatorio detentas, cùm sint extra forum Ecclesiæ: sed prosunt per modum suffragij, id est, per modum auxilij, & adiutorij Ecclesiastici illis applicati. *ibid n.* 4.

25. Qui facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse, vt sit in gratia; quamuis enim existens in peccato mortali, non possit suis operibus satisfacere pro se, aut pro alio, nihilominus potest indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum; tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito Summus Pontifex applicat defuncto indulgentiam, id est, satisfactiones Christi, & Sanctorum. *ibid.n.*11.

26. Homo in hac vita degens, potest indulgentiam alteri homini item viuenti lucrari, si hoc in Bulla exprimatur; etiamsi non adsit consensus, & scientia illius cui applicatur, cùm passiuè se habeat, vt patet à simili de animabus Purgatorij. *tom.*1.*pag.*209.*n.*12.

27. Indulgentia pro defuncto accepta tantum illi prodest, quantum profuisset accipienti, si eam sibi applicasset. Quare si indulgentia est plenaria, prodest defuncto ad remissionem omnis pœnæ, modò Deus eam acceptet. Hîc autem quæri potest, cur acceptâ vnâ indulgentiâ plenariâ pro defuncto, alia de nouo, atque alia eidem applicetur. *Respond.* 1. quia fieri potest vt aliquis defectus interuenerit in concessione indulgentiæ, vt si concessa sit absque vlla causa. 2. quia potest contingere defectus ex parte accipientis indulgentiam, propter quem fiat irrita. 3. quia fieri potest, vt Deus indulgentiam non acceptarit: nam indulgentia non habet infallibilem effectum respectu animæ defuncti. Hinc fit vt indulgentiæ iisdem defunctis sæpius applicentur, vt repetitis suffragiis, à pœnis eruantur. *ibid.n.*14.*&* 15.

Indulgentiarum valor.

28. Qui moritur statim post obtentam indulgentiam plenariam, nulla interiecta mora, ad cœlum euolat: quia indulgentiæ tantum valent quantum sonant, indulgentia autem plenaria sonat remissionem omnis pœnæ. *ibidem*, *numero* 1. *&* 2.

29. Qui alienam habet coronam, seu granum benedictum inuentum, vel sibi commodatum, potest eandem consequi indulgentiam; quam dominus illius coronæ, seu grani consequeretur; modò coronam, seu granum apud se habeat, non verò domi tantùm. *ibid.n.*2.

30. Probabile est concessionem indulgentiæ, quando constat de potestate concedentis, latè explicandam esse, quantum verba patiuntur; quia hæc concessio est fauor; at fauor, & beneficium Principis latè explicandum est quantùm fieri potest sine præiudicio tertij. *ibid.n.*4.

31. Indulgentiæ durant iuxta intentionem concedentis, & non vltra. Quare indulgentia absolutè concessa, per se loquendo, perpetuò durat, neque expirat morte concedentis. Indulgentia concessa communitati, durat quamdiu manet communitas, neque desinit cum personis singularibus. Quando Ecclesiâ destructâ, alia in eodem loco reædificatur, adhuc durat indulgentia illi loco concessa. Quando templum, debita auctoritate, aliò transfertur, indulgentia illi templo concessa, vnà cum templo transfertur: secus si indulgentia concessa sit situi, & solo. *tom.*1.*pag.*210.211.*n.*1 *&* *seq.*

32. Solent indulgentiæ plenariæ anno Iubilæi suspendi, vt fideles Romam se conferant ad consequendas indulgentias. Tamen S. D. N. Vrbanus VIII. viua voce declarauit anno Iubilæi 1625. non suspendi vllas vrbis indulgentias. Item non suspendi vspiam terrarum indulgentias in articulo mortis concessas. Item nusquam suspendi indulgentias pro defunctis. Item non tolli à priuilegiatis facultates & priuilegia absoluendi, exceptis iis quæ concedi aliàs solent ratione indulgentiarum. *pag.*210.*n.*2.

33. Successor potest indulgentias ab antecessore concessas reuocare; nam vt succedit dignitati, ita & potestati. Inferior verò non potest reuocare à superiore concessas. Quamobrem Episcopus indulgentias à Sede Apostolica concessas reuocare nequit. Reuocata indulgentia non statim extinguitur ante-

quam

quam reuocatio perueniat ad aures eorum quibus concessa fuerat. Vnde sequitur eum, qui inuincibiliter ignorans reuocationem indulti sibi concessi, bona fide confessus est peccata reseruata, vel censuras, remanere absolutum virtute indulti. *tom.1.pag.211.n.7.& 8.*

34. Indulgentia perpetua concedi potest ob causam temporalem; quare cessante causa, ipsa non cessat. Indulgentia autem pro mortis articulo concessa, semel accepta non expirat, nisi id exprimatur in Bulla; sed adhuc licet ea frui, nouo mortis articulo superueniente: quia propositio indefinita æquiualet vniuersali. *ibid.n.11.*

35. Qui facultatem habet eligendi Confessarium, à quo virtute indulgentiæ, absoluatur in articulo mortis, capax est absolutionis, & indulgentiæ, etiamsi postquam petiit confessionem, sensibus destituatur; cùm enim, vt suo loco diximus, sit capax sacramenti Pœnitentiæ, quidni erit capax indulgentiæ, cùm sit viator? *ibid.n.13.*

INFIDELIS.

Infidelium fautores.

1. DEferentes, vel transmittentes equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, item lignamina, canapem, funes, ipsamque materiam funium, & alia id genus quibus infideles, & Catholicæ religionis hostes, Christianos, & Catholicos impugnant, excommunicationem 7. Bullæ Cœnæ incurrunt. Item deferentes, vel transmittentes pecunias, quæ sunt nerui belli, & victualia eo tempore quo vsui esse possunt ad bellum Christianis inferendum, eâdem excommunicationis pœna percelluntur. *disp.1.quæst.2. punct.2.pag.30.tom.3.*

2. Eâdem censura comprehenduntur Christiani militantes in castris, vel nauibus infidelium contra Christianos: Qui Christianæ fidei hostibus, & hæreticis auxilium, consilium, vel fauorem in damnum Christianorum quomodolibet præstant. Qui vendunt arma Iudæis, quando est probabilis suspicio arma ab ipsis emi in damnum Christianorum, vt scilicet ea transmittant ad alios infideles. Qui tradunt, vel tradi consulunt arcem, vel oppidum infidelibus: hi enim omnes adiuuant infideles contra Christianos. *ibidem pag.31. 32. tom. 3.*

3. Qui

3. Qui per se, vel per alios certiores faciunt Christiani nominis hostes, & hæreticos de rebus pertinentibus ad statum alicuius Reip. Christianæ in damnum Christianorum, & religionis Catholicæ, in eandem censuræ pœnam incurrunt; v. g. qui admonet infideles talem arcem non esse bene munitam, & facilè capi posse: qui hæreticis significat in tali vrbe magnam esse annonæ caritatem, quo cognito hæretici illam vrbem sunt occupaturi, &c. hæc enim omnia cedunt in damnum rei Christianæ. *ibid.pag.*32.*tom.*3.

4. Ab hac censura incurrenda excusare potest paruitas materiæ; quia non incurritur excommunicatio nisi ob grauem culpam: illa autem censenda est leuis materia, ex qua leue damnum timetur: v. g. qui titulo gratitudinis donaret infideli pugionem, galeam, arcum, &c. non ligaretur hac censura ob materiæ paruitatem. *ibid. punct.*4. *pag.*34.*n.*1.*tom.*3.

5. Qui arma ad infideles detulit, vel deferri mandauit non ligatur hac censura nisi arma ad ipsos perueniant; quia translatio non dicitur perfecta, donec res perueniat ad eum ad quem destinatur. *ibid num.*2.

6. Qui Turcas aliósve infideles, aut hæreticos certiores facit de rebus ad Reip. Christianæ statum pertinentibus quæ iam ipsis notæ erant modò nihil addat noui, non incurrit excommunicationem. Quia non facit actum completum sub censura prohibitum, neque enim propriè dicitur certiores facere infideles de rebus Christianorum, cùm ipsi iam essent certi. Sic à peccato detractionis excusatur, qui de occulto alterius delicto loquitur cum eo cui iam erat notum. *ibid. num.*5.

7. Metus grauis damni ab hac censura excusat, nisi forte grauius Reipublicæ Christianæ damnum præponderet: quia Ecclesia nunquam obligat sub excommunicatione cum graui damno, vel incommodo. Hinc sequitur Christianum in nauibus Turcarum metu mortis remigantem excusari ab hac censura, quia metu graui compulsus exercet actionem ex se indifferentem. Idem dicendum de iis qui naues armis onustas, aut arcem armis instructam metu mortis aufugientes dimittunt, ita vt ab infidelibus in damnum Christianorum capiatur. *ibid. num.*6.*&* 7.

8. Qui vi tormentorum adactus detegit infidelibus ea quæ ad statum Reipublicæ Christianæ pertinent, si potest verbis amphibologicis eludere interrogantes, & sic tormenta euadere, incurrit censuram Bullæ, detegendo; quia is non dicitur

grauem

grauem metum pati qui facilè poteſt ſe ab eo liberare. Sin non poteſt eludere, & rationabiliter credit ſe acriter torquendum ni detegat, probabile eſt non ligari cenſurâ detegendo; quia grauis metus excuſat. *ibidem, pag.* 34. 35. *num.* 9. *tom.* 3.

9. Grauis eſt controuerſia, vtrùm excommunicationem incurrat, qui fauorem, vel auxilium præſtat infidelibus, & hæreticis contra Principem Chriſtianum ad eius vires imminuendas, ne ita potens fiat, vt ei reſiſti nequeat. Suppetunt in vtramque partem probabiles rationes; affirmatiua tamen ſententia probabilior videtur: quia Summus Pontifex in ſua Bulla excommunicat eos, qui infidelibus vel hæreticis à Sede Apoſtolica denuntiatis auxilium vel fauorem quomodolibet præſtant, qua loquendi forma excludere voluit omnem tergiuerſandi rationem. *ibid. num.* 10.

10. Qui deferunt ad infideles arma, pecunias, vel alia pro redemptione captiuorum, non ſubiacent huic cenſuræ, modò redimere nequeant captiuos aliis rebus non prohibitis: quia hic caſus per epikeiam exceptus eſt, cùm Chriſtiani maximum commodum percipiant ex redemptione captiuorum. *ibid. num.* 11.

11. Qui ex priuilegio Summi Pontificis arma, vel alia prohibita defert ad infideles, non ligatur hac cenſura, modò in ipſo priuilegio huius prohibitionis quæ eſt in Bulla Cœnæ, expreſſa mentio fiat: quia legiſlator poteſt in ſua lege diſpenſare, *ibid. pag.* 36. *n.* 15. *tom.* 3.

12. Præter excommunicationem ſunt aliæ pœnæ in iure latæ contra eos qui res prohibitas deferunt ad Saracenos: nam bonis priuandi ſunt, & in ſeruitutem redigendi ſi capiantur, laborant perpetua infamia, ſunt incapaces teſtamenti, & inhabiles ad ſucceſſiones, & publica officia, tanquam excommunicati, & fidei Catholicæ hoſtes ſunt publicè denunciandi. *ibid. n.* 17.

13. Pius V. in Bulla 149. quæ incipit, *Licèt omnibus notiſſimum*, excommunicationem tulit contra capientes Chriſtianos in terris Turcarum, aut cogentes eos ad remigandum, aut taleam ipſis imponentes, aut ipſorum bona diripientes, quicumque illi ſint. *diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 46. *pag.* 258. *tom.* 3.

Inquisitio. Inquisitores.

1. PIus V. in Extrauag.quæ incipit, *Si de protegendis*, éstque 83. excommunicationem tulit contra eos qui occiderint, aut vexauerint quemlibet ex inquisitoribus, officialibus ac ministris officij S.Inquisitionis, vel Episcoporum hoc munus exercentium, seu qui accusatorem, aut testem in causa fidei occiderint, verberauerint, aut perterrefecerint, quíve Ecclesias, ædes, aliásve res ad officium aut ministros pertinentes inuaserint, incenderint, expilauerint, aut libros combusserint, &c. *disp.2.quæst.1.punct.*13 *pag.*165.*tom.*3.

2. Qui auxilium, consilium, aut fauorem in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nihil extractum, nihil expugnatum, nullum denique damnum sequutum fuerit, eodem excommunicationis vinculo innodatur: sic enim habetur in Bulla. *ibidem, numero* 4.

3. Præter excommunicationem, aliis etiam pœnis afficiuntur delinquentes; damnantur enim crimine læsæ maiestatis, priuantur dominio bonorum, ipsorum filij efficiuntur infames, &c. *ibid.n.*5.

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

5. In cap. *Vt Inquisitionis* 18. *de hæreticis in* 6. habetur excommunicatio contra dominos temporales resistentes Episcopis, & Inquisitoribus quando ab eis requiritur vt curent inuestigari, capi, ac diligenter custodiri hæreticos, eorum credentes, fautores, receptores, & defensores. *disp.2.quæst.* 10.*punct.*8.*pag.*315.*n.*1.*&* 2 *tom.*3.

6. Quoties inter Inquisitorem, & Episcopum dissensio suboritur, vno volente condemnatum de hæresi puniri, altero renuente, domini temporales debent supersedere donec Summus Pontif.consulatur; quia non est maior ratio cur vni potius quàm alteri obediat, nisi ex Summi Pontif. declaratione constaret præcipuum ius procedendi pertinere ad Inquisitorem, Episcopum verò habere tantùm ius suffragij. *ibidem, numero* 5.

7. Eandem excommunicationem incurrunt Iudices sæculares cognoscentes de crimine hæresis, cùm sit merè Ecclesiasticum, & liberantes à carcere captos pro crimine hæresis absque licentia, seu mandato Inquisitoris, vel Episcopi; aut renuentes exequutionem ab iis iniunctam quamprimum adimplere.

implere. *ibid. num.* 5. *& seq.* Excommunicantur item impedientes directè vel indirectè iudicium seu processum Inquisitoris, aut Episcopi, contra crimen hæreseos; aut prædicti auxilium, consilium, vel fauorem scienter dantes. *ibidem, numero* 9. *& seq.*

8. Pius V. in Bulla quæ incipit, *Sanctissimus D. N.* sub excommunicatione latæ sententiæ, & aliis pœnis arbitrariis iniungit omnibus Magistratibus, vt Cardinalibus Congregationis S. Inquisitionis pareant in iis quæ ad officium S. Inquisitionis spectant. *ibid. punct.* 9. *pag.* 316. *tom* 3.

9. In Clement. 2. *de hæreticis*, fertur excommunicatio contra Inquisitores & commissarios ipsorum, & Episcoporum seu Capitulorum extorquentes pecuniam prætextu officij Inquisitionis, aut applicantes fisco bona Ecclesiæ. *ibid. punct.* 10. Hæc autem excommunicatio respectu illius qui pecuniam extorsit, reseruata manet donec satisfecerit; post satisfactionem verò tollitur reseruatio. *ibidem*, *pag.* 317. *numero* 9. *tom.* 3.

10. In Clement. 1. §. *Verum*, *de hæreticis*, fertur excommunicatio contra Inquisitores, & alios S. Inquisitionis officiales, inferiores Episcopis qui propter odium, gratiam, amorem, vel lucrum, seu commodum temporale non procedunt contra suspectos, vel diffamatos de hæresi, vel qui temerè vexant aliquem imponendo illi notam, vel suspicionem hæresis. Episcopi verò aut superiores Episcopis facientes contra huius Clementinæ dispositionem, incurrunt pœnam suspensionis ab officio per triennium. Hæc excommunicatio reseruata est Summo Pontifici: Idem probabiliter dicendum de suspensione. *disp.* 2. *quæst.* 7. *punct* 5. *pag.* 286. *tom.* 3.

11. Fratres Prædicatores præsumentes perturbare officium Inquisitionis, quod fratres Minores contra hæreticos exercent, ligantur suspensione ab exercitio sacrorum ordinum, donec absolutionem à Sede Apostol. aut ab illo cuius officium perturbarunt obtineant. Eadem suspensio afficit fratres Minores respectu Fratrum Prædicatorum. *disput.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 16. *tom.* 3.

INTER

INTERDICTVM.

Quid & quotuplex sit interdictum.

1. INterdictum est Ecclesiastica censura, qua interdictus separatur à perceptione quorundam Sacramentorum, à diuinis officiis,& ab Ecclesiastica sepultura. Est autem aliud *locale*, quo directè interdicitur locus, ne in eo diuina officia ab incolis,vel extraneis audiantur,quamuis personæ loci interdicti possint alibi diuina officia audire; aliud *personale*, quo prohibetur populus, vel persona particularis, diuina officia audire vbicumque sit; aliud *mixtum*,quod locale,& personale complectitur. Rursum interdictum locale, & personale, aliud est *generale*, aliud *speciale*. *tom.*1.*pag.*439.*num.*1.2. *&* 4.

2. Interdicto Clero,non censentur religiosi interdicti:quia religiosi in odiosis non veniunt nomine cleri,sed in fauorabilibus tantum. Interdictâ autem familiâ, censentur clerici, & alij eiusdem familiæ interdicti; etiamsi autem post latum interdictum,aliquis ab ea familia recedat,adhuc manet interdictus. Secus dicendum de illo qui post latum interdictum, fit de familia interdicta: hic enim non comprehenditur interdicto: quia censura solum afficit eos in quos fertur. Interdicto populo ciuitatis, non censentur interdicti qui habitant in suburbiis,nisi sint de populo ciuitatis. *tom.*1.*pag.*440.*n.*14.16. *&* 18.

3. Ciues communitatis interdictæ, qui absunt dum fertur interdictum,nihilominus subiacent interdicto; quia sunt pars illius communitatis. Si verò aliò transferant domicilium, desinunt esse interdicti; quia desinunt esse pars communitatis interdictæ,modò ipsi non dederint causam culpabilem interdicto.Vice versa homines non interdicti,si fiant conciues communitatis interdictæ,fiunt interdicti. Item amentes,aut infantes, acquisito rationis vsu,subiiciuntur interdicto, & capella addita Ecclesiæ iam interdictæ, subiicitur interdicto. *tom.*1. *pag.*441.*num.*19.

4. Interdictâ ciuitate censentur etiam suburbia interdicta, etiamsi non sint temporaliter subdita illi domino, cuius causâ ciuitas est interdicta; immò etiamsi suburbia sint alterius diœcesis,nec sint subdita iudici Ecclesiastico à quo latum est interdictum: alioquin parui penderetur interdictum;

nam interdicta ciuitate possent ciues accedere ad loca vicina ad diuina audienda. Notandum tamen illa suburbia quæ non sunt subdita Episcopo interdicenti, non censeri interdici ab Episcopo, sed à iure communi. *ibid.n.*23.

5. Religiosi quibus ante Concilium Tridentinum concessa fuerant priuilegia celebrandi diuina officia, & admittendi laicos tempore interdicti localis, non possunt hoc tempore, his priuilegiis vti: quia Concilium huiusmodi priuilegiis derogauit. *ibid.n.*25.

6. Interdictum quo generaliter interdicitur terra alicuius Principis, cadit in omnes terras quarum Princeps habet dominium, aut vsumfructum: non tamen cadit in terram acquisitam post latum interdictum, nisi hoc exprimatur in sententia interdicti: illius tamen terræ venditæ post interdictum, subiacent interdicto: quia transeunt ad alium dominium cum onere quod illis adhæret. *tom.* 1. *pag.* 442. *numero* 27.

7. Superior, seu iudex qui tulit interdictum, non includitur in interdicto personali: quia seipsum non potest interdicere; locali tamen comprehenditur interdicto: licèt enim integrum sit iudici non ferre interdictum; nihilominus lato semel interdicto, etiam ipse tenetur illud seruare, quia est de iure communi. Quocirca iudex qui aliquem locum interdixit, tenetur abstinere ab officiis in eo loco persoluendis. *ibid. num.*28.

8. Religionum Prælati non possunt interdictum locale ferre, licèt possint personale: quia ipsorum iurisdictio potius cadit in personas quàm in loca; neque huiusmodi Prælati solent interdictum locale ferre, quod argumento est ipsos non posse. *ibid.n.*2.

Interdicti effectus.

9. Interdicti siue localis, siue personalis tres sunt effectus. 1. est priuatio aliquorum Sacramentorum; 2. priuatio diuinorum officiorum; 3. priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Hi tamen effectus non sunt ita inter se connexi, quin possint etiam ab Episcopo, qui interdictum tulit, separari, ad differentiam effectuum excommunicationis, qui non possunt ab Episcopo separari. Quare fieri potest vt quis interdicatur ab officio sacerdotali; non tamen à sepultura, &c. quapropter obseruandum est diligenter quibus verbis feratur interdictum. *ibid.n.*1.

10. Tem

10. Tempore interdicti localis, sacramenta Baptismi, & Confirmationis cum solita solemnitate administrari possunt. Interdictus item interdicto personali generali, potest suscipere sacramentum Confirmationis: quia est quoddam veluti complementum Baptismi. Ille tamen qui dedit causam interdicto, aut qui est speciali, & personali interdicto obstrictus, non potest ad hoc Sacramentum admitti, nisi priùs præstiterit condignam satisfactionem ab Ecclesia præscriptam, propter contumaciam. *tom.1.pag.443.n.1.& seq.*

11. Tempore interdicti localis licet, cum solita solemnitate, solis moribundis Eucharistiam ministrare. In regressu autem ab infirmo possunt indulgentiæ concedi; nam illa concessio est actus externæ iurisdictionis. Tempore interdicti localis, secluso mortis periculo, vel priuilegio, non licet suscipere Eucharistiam in loco interdicto. *tom.2.pag.443.num.1.pag.444.num.7.*

12. Clerici non existentes in probabili vitæ periculo, non possunt tempore interdicti, Eucharistiam more laicorum suscipere; quia ius nouum hac in parte non derogauit iuri antiquo. Possunt tamen Missam celebrare, sicque Eucharistiam sumere, quia sacrificium Missæ sine Eucharistiæ sumptione perfici nequit. *ibid.n.8.*

13. Quilibet Sacerdos, qui sublato interdicto ius habet Eucharistiam ministrandi, potest illam tempore interdicti ministrare in articulo mortis, modò ipse non dederit causam interdicto, nec sit specialiter interdictus: tunc enim, extra casum necessitatis non posset Eucharistiam ministrare. *ibidem, num.10.*

14. Interdictus personaliter interdicto generali, potest suscipere Eucharistiam per modum viatici, absque alia satisfactione, modò non dederit causam interdicto. Nam qui dedit causam culpabilem interdicto, vel qui est specialiter interdictus, non est ad Eucharistiam admittendus, nisi exhibitâ debitâ satisfactione, si potest exhiberi, sin minus, exigenda est cautio, tum absolutio impendenda, antequam Eucharistia illi ministretur.

15. Nullus potest neque tenetur, ad implendum præceptum annuæ communionis in Paschate, suscipere sacramentum Eucharistiæ, tempore interdicti localis generalis: quia interdictum priuat Eucharistiâ præterquam in articulo mortis. *ibid. num.12.*

16. Iure nouo licet sacramentum Pœnitentiæ ministrare

tempore interdicti, aut cuicumque interdicto, modò non sit excommunicatus, & non dederit culpabiliter causam interdicto, aut non sit specialiter interdictus. Quilibet autem Confessarius, qui non dedit causam culpabilem interdicto locali, potest tempore interdicti, in loco interdicto ministrare sacramentum Pœnitentiæ. Idem dic de Confessario ligato interdicto personali generali. At specialiter interdictus non potest, extra necessitatem, hoc Sacramentum ministrare; valida tamen esset absolutio ab eo collata. *tom.1. pag. 445. num.1. & 2.*

17. Tempore interdicti, aut personaliter interdicto non potest sacramentum Ordinis ministrari: quia interdictum priuat perceptione Sacramentorum, nisi sit aliqua specialis exceptio; at non excipitur sacramentum Ordinis. Excipe casum necessitatis, vt si deessent sacerdotes, qui tempore necessitatis conferrent Sacramenta. *ibid.n.3.*

18. Nulli personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis ministrandum est sacramentum Extremæ Vnctionis, nisi ex priuilegio speciali. *ibid.n.4.*

19. Non licet personis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, nisi aliud ferat consuetudo. Probabilis tamen etiam est opposita sententia. Sponsalia verò licitè & validè celebrari possunt; ipsa enim non sunt Sacramentum, sed contractus humanus, qui tempore interdicti non prohibetur à iure. Porrò benedictiones super coniugatos fieri solitæ, iure nouo sunt licitæ modò fiant ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, sine solemnitate; immò etiam cum solemnitate iis diebus quibus licet diuina officia solemniter persoluere: nam hæ benedictiones pertinent ad diuina officia: fieri tamen non possunt super coniugatos personaliter interdictos. *ibid.num 8. & 9.*

20. Ea officia diuina quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, non censentur prohibita tempore interdicti: quia non censentur officia Ecclesiastica, & communia, sed priuata. Huiusmodi sunt benedictio mensæ, oratio angelica, litaniæ, &c. *tom.1. pag.446. n.4.*

21. Bonifacius VIII. in cap. *Alma mater*, concessit facultatem celebrandi singulis diebus Missam, & diuina officia, tempore interdicti localis generalis, secreto, in Ecclesiis, & Monasteriis, ianuis clausis, summissa voce, exclusis excommunicatis, & interdictis, sine pulsu campanarum. Tempore autem interdicti localis specialis, licet tantùm semel in hebdomada

Missam

Missam celebrare ad Eucharistiam renouandam, vbi Eucharistiæ sacramentum asseruatur. *ibid.n.6.& pag.*447.

22. Tempore interdicti generalis licet pulsare campanas ad conuocandum populum ad concionem, ad comitandam Eucharistiam, dum ad infirmos defertur, ad salutationem angelicam, &c. Ad diuina verò officia, ad Missam non licet. Possunt tamen pulsari campanæ ad indicandas diei horas. *ibid.num.*8.

23. In festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariæ, Corporis Christi cum octaua, & Conceptionis B.M. V. item cum octaua, licet tempore interdicti localis generalis, non autem specialis, celebrare Missam, & diuina officia publicè, & solemniter, pulsatis campanis, ianuis apertis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis qui causam dederunt interdicto, modò non admittantur ad oblationes, & communionem; at excommunicati sunt excludendi. Illis tamen diebus non conceditur laicis communicare. *tom.*1.*pag.*447.*n.*14. *& seq.*

24. Amentes, & infantes, necnon clerici non coniugati, etiam extranei tempore interdicti localis generalis, ad diuina officia admitti possunt, modò ipsi non sint excommunicati, vel interdicti, nec dederint causam culpabilem interdicto. Laici verò sine priuilegio, ad diuina officia non sunt admittendi. Porrò quibus id ex priuilegio conceditur, possunt cum sua familia diuinis interesse: immò diebus festis tenentur sacrum audire. *tom.*1. *pag.*447. *num.*20. *& pag.*448. *num.*21. *&* 23.

25. Interdictum simpliciter latum absque vlla restrictione, priuat Ecclesiastica sepultura personas, & locum interdictum. At qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt tempore interdicti, sepeliri in loco sacro non interdicto. In iis autem festiuitatibus in quibus supra dictum est posse diuina officia publicè celebrari, possunt laici adulti in loco interdicto sepeliri. Cæterùm sepultus tempore interdicti in loco profano, sublato interdicto, exhumandus est, & in loco sacro sepeliendus: sepultus autem illicitè in loco sacro interdicto, exhumandus est durante interdicto, vt careat Ecclesiastica sepultura. *tom.*1. *pag.*448.*n.*1.*& seq.& pag.*449.*n.*7.*&* 8.

26. Infantes, & amentes tempore interdicti localis, vel generalis personalis, in loco sacro sepeliri non possunt. At tempore interdicti personalis specialis, in loco sacro non in-

terdicto ſepeliri poſſunt. Sepeliens interdictum toleratum in loco ſacro, non incurrit excommunicationem latam in Clement. 1. *de ſepulturis.* Ille autem cenſetur nominatim denunciatus, qui eſt membrum communitatis nominatim, & ſpecialiter interdictæ. *tom.* 1. *pag.* 449. *n.* 8. & 10.

27. Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt in Eccleſia, vel cœmeterio ſepeliri, niſi dederit ſigna contritionis; tunc enim poteſt abſolui, & in loco ſacro ſepeliri. Poteſt tamen interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, in cœmeterio diuinis operari, vel intereſſe; quia cœmeterium, in rigore, ſub nomine Eccleſiæ non continetur. Poteſt item ſuſcipere ſacramenta in Eccleſia, quando diuina non celebrantur. *ibid. num.* 11. & 12.

28. Clerici non interdicti qui ſeruarunt interdictum, nec illius cauſa fuerunt, poſſunt tempore interdicti localis, ſepeliri in loco etiam ſpecialiter interdicto, modò id fiat ſine ſolemnitate, & campanarum pulſu. Immò ſepeliri poſſunt cum diuino officio, & Miſſa, ſummiſſa voce, ianuis clauſis. Quod ſi cœmeterium extra Eccleſiam exiſtat, poterunt officia in Eccleſia celebrari, deinde cadauer in cœmeterium, cum ſilentio erit transferendum. *tom.* 1. *pag.* 449. *n.* 13. & *pag.* 450.

29. Interdictus non priuatur exercitio iuriſdictionis exterioris: quare interdictus, etiam nominatim denunciatus poteſt excommunicare, abſoluere, &c. indulgentias concedere, immò & lucrari modò ſit in gratia, & præſtet opera quæ præſcribuntur in Bulla. *tom.* 1. *pag.* 450. *n.* 1. & *ſeq.*

Interdictum violantium pœna.

30. Laici interdictum locale, vel perſonale violantes, ex ſuo genere mortaliter peccant; quia faciunt contra prohibitionem Eccleſiæ in materia graui. Nullam tamen pœnam præcisè ob violationem interdicti incurrunt; nulla enim habetur in iure expreſſa, præterquam in Clementina *grauis, de ſent, excomm.* de qua infrà. *ibid. n.* 1. & 2.

31. Clerici tam ſæculares, quàm regulares violantes interdictum, ex ſuo genere mortaliter peccant niſi ratione paruitatis materiæ, aut grauis metus, à potente incuſſi, excuſentur à mortali. Interdictum autem violantes per exercitium alicuius Ordinis ſacri, irregularitatem incurrunt, & ſuſpenſionem ab officio, & conſequenter à iuriſdictione, poſſuntque per ſententiam priuari beneficiis, aliiſque pœnis affici. *ibid. num.* 3. & *pag.* 451. *num.* 4.

31. Inter-

32. Interdictum à clericis tripliciter violari potest. 1. dum clericus vinculo interdicti irretitus, functionem ordinum exercet. 2. dum ipse non est quidem interdictus, sed in loco interdicto sacramenta confert. 3. dùm nec ipse, nec locus est interdictus, sed sacramenra confert interdicto. In duobus primis casibus incurritur irregularitas: in tertio verò, valde probabile est non incurri; quia hic casus non est in iure expressus. *tom.*1.*pag.*451.*n.*4.

33. Clericus communicans cum nominatim interdicto, in iis rebus à quibus est interdictus, mort. peccat, & interdicitur ab Ecclesiæ ingressu, donec satisfaciat ad arbitrium illius qui tulit interdictum. Communicans autem cum interdicto in rebus humanis non peccat: quia non teneor vitare interdictum in iis rebus à quibus non est interdictus. *tom.*1. *pag.*452.*num.*19.

34. In Clementina *grauis, de sent. excomm.* fertur excommunicatio contra eos qui tempore interdicti cogunt aliquem ad diuina officia celebranda in locis interdictis, vel qui aliquos vocant, præsertim excommunicatos, seu interdictos ad diuina audienda in locis interdicto suppositis, vel qui prohibent ne excommunicati publicè, vel interdicti exeant de Ecclesia tempore Missæ, postquam à celebrante moniti sunt vt exeant; hæc autem excommunicatio tantùm afficit dominos temporales qui hæc audent in terris suis interdicto suppositis. Quamobrem personæ priuatæ quæ hoc facere præsumunt in terris alienis, huic censuræ non subiiciuntur. *disp.*2. *quæst.*3. *punct.*20. *pag.*225. *& seq.* Hæc excommunicatio cadit etiam in publicè excommunicatos, & interdictos qui in Ecclesia nominatim à celebrante moniti vt exeant, nihilominus remanere præsumunt. *ibid. pag* 226.*num.*13.*tom.*3.

35. Qui dat causam interdicto locali, personale interdictum incurrit, iuxta probabiliorem sententiam. Quocirca si Princeps aut alius delictum commisit, propter quod oppidum fuit interdictum, ipse etiam manet interdictus; ac proinde non solùm in eo oppido diuina audire non potest; verùm etiam neque alibi. *disput.*4.*quæst.*1.*punct.*1.*pag.*287.*tom.*3.

Interdicta personalia.

36. Recipiens Episcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici interdicitur ab ingressu Ecclesiæ quousque resipuerit. *cap. si quis, quæst.*7. Ad incurrendam tamen hanc cen-

ſuram, opus eſt vt quis illius dignitatis poſſeſſionem iam adierit. Extenditur etiam ad laicos qui eam dignitatem conferre præſumunt. *diſp.4. quæſt.2. punct.2. pag.288. tom.3.*

37. Epiſcopi, & Abbates qui in alienatione benorum Eccleſiaſticorum non ſeruant formam præſcriptam in Extrauag. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.* interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi intra ſex menſes reſipuerint, ſuſpenduntur ipſo facto à regimine, & adminiſtratione in temporalibus & ſpiritualibus. *ibid. punct.3.*

38. Qui interdictum locale generale violant celebrando, aut faciendo celebrari diuina in locis interdictis, aut qui admittunt excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam, interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfecerint ad arbitrium illius cuius ſententiam neglexerunt cap. *Epiſcopor. de priuileg. in 6.. ibid. punct. 6.*

39. Confeſſarius excipiens in Eccleſia confeſſionem alicuius nominatim interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, hanc cenſuram non incurrit; quia ſic interdictus poteſt ſacramenta ſuſcipere in Eccleſia, ſaltem eo tempore quo diuina celebrantur. *ibid. pag.380. n 8. tom.3.*

40. Metropolitanus, ex decreto Trident. *ſeſſ.6. cap.1.* qui per nuncium aut literas non defert intra tres menſes Epiſcopos ſuffraganeos abſque iuſta, & rationabili cauſa non reſidentes vltra annum: & contrà Epiſcopus ſuffraganeus antiquior reſidens, qui non defert Metropolitanum vltra annum non reſidentem abſque legitimo impedimento, interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ. *ibid. punct.7. tom.3.*

41. Preſbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi qui in crimine fornicationis iacent, interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ donec reſipiſcant. Hoc tamen interdictum non eſt hodie vſu receptum. *ibid. punct.10. tom.3.*

42. Sacra Cardinalium Concilij Trident. Congregatio præcipit ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda. 1. vt pecuniæ, ac bona mobilia accepta pro perpetuo onere celebrandarum Miſſarum deponantur apud ædem ſacram, vel perſonam fide dignam, & idoneam, vt quamprimum in bonis immobilibus frugiferis collocentur 2. prohibet ſæcularibus ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; regularibus verò ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, officiorum quæ tunc obtinent, ac inhabilitatis ad alia, ne onera Miſſarum perpetua ſuſcipiant ſine licentia in ſcriptis

ab

ab Episcopo vel eius Vicario generali, vel à Generali aut Prouinciali Ordinis gratis concedenda. 3. præcipit præfatis Capitulis, superioribus, aut personis, vt dum onere celebrandarum Missarum detinentur, auferant capsulas ab Ecclesiis cum inscriptione illa *Eleemosyna pro Missis*: sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, sæcularibus; regularibus verò sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, & inhabilitatis ad illa. *ibid. pag.* 390. *punct.* 11. *tom.* 3.

43. Sixtus V. in Bulla quæ incipit *Sanctum, & salutare.* inter cæteras pœnas, simoniacè ordinantibus impositas adiunxit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, Papæ reseruatam. *ibid. punct.* 12. *p.* 391. *tom.* 3.

44. Pius IV. in Bulla quæ incipit *Rom. Pontif.* interdicti pœnam Sedi Apostol. reseruatam imposuit Cardinalibus, & Prælatis recipientibus beneficia, vel pensiones in confidentiam. *ibid. punct.* 13.

Interdicta Localia.

45. Collegium seu Vniuersitas exigens, aut extorquens, aut soluere compellens vectigalia, seu exactiones ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis, exceptis rebus quas negotiationis causa deferunt, subiiciuntur interdicto; singulares verò personæ excommunicationem incurrunt. *disp.* 4. *quæst.* 3. *pag.* 391. *punct.* 2. *tom.* 3.

46. Ciuitas quælibet (excepta Vrbe Roma) quæ insequentibus hostiliter Cardinales, auxilium, consilium, vel fauorem præbet, aut quæ illos punire negligit, dùm potest, subiicitur interdicto, cuius absolutio non est Papæ reseruata. *ibid. punct.* 3. *pag.* 392. *tom.* 3.

47. Territorium, seu ditio illius qui iniuriosè, aut temerè Episcopum percutit, capit, proscribit, vel hæc fieri mandat, consulit, vel rata habet, subiicitur interdicto, donec delinquens, condignam dederit satisfactionem, & Episcopus dimissus sit. At si delinquentis territorium porrigatur vltra vnam diœcesim, tunc terra, seu ciuitas principalis manet interdicta, & præterea terra seu ciuitas in qua commissum fuit delictum cum duabus aliis vicinioribus. *ibid. punct.* 4. *pag.* 392. 393. Eidem interdicto subiicitur ciuitas, quæ tale quid audet contra suum Episcopum in Clement. 1. *de pœnis.* Durat hoc interdictum quoad dominus territorij, seu ciuitas satisfecerit. *ibid. num.* 9. *tom.* 3.

48. Regna, terræ, & loca eorum qui impedire præsumunt Legatum, seu Nuncium Summi Pontificis, ne terras sibi subiectas ingrediatur, tamdiu subiiciuntur interdicto, quamdiu durat impedimentum; immò impedientes ligantur excommunicatione. *ibid. punct.* 5.

49. Locus in quo scienter sepultus fuit hæreticus, aut eius receptator, fautor, ac defensor, Ecclesiastica priuatur sepultura. *cap quicumque, de hæreticis, in* 6. In hac pœna non potest Episcopus dispensare. *ibid. punct.* 7. *pag.* 394. *tom.* 3.

Relaxatio ab interdicto.

50. Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel adimpleta conditione cessat. Absolutè autem latum non tollitur, nisi per absolutionem datam ab eo qui illud tulit, vel ab alio habente facultatem. Interdictum verò locale non cessat destructione ædificij: quia ipsum solum quod est basis ædificij censetur interdictum. *tom.* 1. *pag.* 454. *num.* 1. *&* 2. *tom.* 3.

51. Interdictum generale latum in communitatem, cessat respectu innocentum, si communitas dissoluatur: quia innocentes desinunt ligari interdicto cùm primùm desinunt esse pars communitatis interdictæ. Respectu verò eorum qui causam culpabilem interdicto dederunt, non cessat, quia hoc interdictum est affixum personæ. Immò interdictum latum in Collegium, si omnes collegæ, vno excepto, moriantur, ligat illum vnum superstitem: quia in eo collegium virtualiter perseuerat; superstes enim iura collegij retinet. *ibidem, numero* 3.

52. Episcopus potest absoluere ab interdicto locali lato à iure: quia non est reseruatum: ab interdicto personali non potest, nisi sit occultum; tunc enim potest, virtute priuilegij concessi à Concilio Tridentino *sess.* 24 *cap.* 6. Parochus autem potest iure communi absoluere ab interdicto personali particulari non reseruato. *ibidem, num.* 5. *& pag* 455. *num.* 6. *tom.* 3.

Inuidia.

1. INuidia est tristitia inordinata, qua quis dolet de bono alterius, non quatenus est bonum illius, sed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam. Quare is dicitur

peccare

peccare peccato inuidiæ, qui dolet de gradu ab altero adepto, aut de illius doctrina, vel de alio bono, quatenus putat inde suam dignitatem, vel aliud bonum minui. *tom.2.pag.*173. *num.*1.*tom.*3.

2. Ille non peccat peccato inuidiæ, qui occasione boni alicuius, cuius videt alterum compotem, tristitiam capit, nō quatenus alter possidet illud bonū, sed quia videt se eo destitutum. Quapropter pauperes excusantur à peccato, si dum alios cernunt opibus affluentes tristantur eò quod careant facultatibus, ad commodam sui, & familiæ sustentationem necessariis: hæc enim non est tristitia inordinata, sed ordinata, cùm non percipiatur dolor de bono alterius vt est in altero, aut quatenus est diminutiuum proprij boni, sed quatenus ipsi sunt eo bono destituti. Item qui videt alium virtute aliqua præditum, & tristatur non quia alius est bonus, sed quia ipse ea virtute, ac probitate caret, excusatur à peccato; quia non est hæc inuidia, sed sancta æmulatio. *ibidem.*

3. Inuidia est peccatum, ex suo genere, mortale, contrarium charitati: quia charitas gaudet de bono proximi; inuidia verò tristatur, & vt plurimùm reperitur tantum inter æquales, aut ferè æquales, quia inuidus nollet sibi æqualem, fieri maiorem. Tamen imperfectus consensus, & inaduertentia, necnon materiæ paruitas excusat à peccato mortali. Porrò hoc peccatum est inter capitalia numerandum; quia ex ipso tanquam capite, multa alia originem ducunt, vt odium proximi, susurratio, detractio, gaudium in rebus proximi aduersis, & tristitia in secundis. *tom.* 2. *pag.* 174. *num.* 3. *&* 4. *&* 5. *tom.*3.

IRREGVLARITAS.

Quid & quotuplex sit irregularitas.

1. IRregularitas est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens, quod directè impedit susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum vsum, ob reuerentiam diuinorum. Quamuis autem tonsura, propriè non sit ordo, sed depositio ad ordines, quia tamen in iure canonico intelligitur nomine Ordinis, irregularitas etiam impedit illius susceptionem. Hinc collige discrimen inter suspensionem, & irregularitatem; quòd suspensio supponit primam tonsuram, cum feratur solum in clericos; irregula-

ritas verò non ſupponit primam tonſuram, ſed reddit hominem ineptum ad illam ſuſcipiendam. *tom.*1. *pag.* 458. *n.*1. *& pag.*459. *num.*4.

2. Duplex eſt irregularitas; altera dicitur *ex defectu*, vel *indecentia*, quæ prouenit abſque culpa: altera dicitur *ex facto*, ſeu *delicto*. Irregularitatis *ex defectu* multæ ſunt ſpecies, 1. dicitur ex defectu animi. 2. ex defectu corporis, 3. ex defectu natalium. 4. ex defectu ætatis & libertatis. 5. ex defectu ſacramenti, id eſt, bigamia. 6. ex defectu lenitatis. Irregularitatis *ex delicto* hæ ſunt ſpecies. 1 ex iteratione Baptiſmi. 2. ex indebita ſuſceptione, vel vſu Ordinis. 3. ex actu infidelitatis, ſeu hæreſis. 4. ex infamia. 5. ex homicidio illicitè patrato. *tom.*1 *pag.*459. *n.*6.

Cauſæ irregularitatis.

3. Ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis: cum enim ſit pœna grauiſſima, non debet incurri ob leue peccatum, alioquin non eſſet proportionata delicto. Poteſt autem Summus Pontif. de poteſtate abſoluta, imponere irregularitatem pro delicto merè præterito: quia ad incurrendam irregularitatem non requiritur contumacia, ſicut requiritur ad incurrendam excommunicationem. Ad incurrendam autem irregularitatem ex defectu non eſt neceſſaria vlla culpa. *tom.*1. *pag.*460. *n.*1. *& ſeq.*

4. Ad incurrendam irregularitatem requiritur actus externus conſummatus: lex quippe requirit factum. Neque obſtat quod in quibuſdam Bullis concedi ſolet facultas abſoluendi ab irregularitatibus mentalibus: nam per irregularitates mentales intelliguntur occultæ quæ per actum externum occultè contrahuntur, itavt in iudicio probari nequeant: certum autem eſt irregularitatem contrahi poſſe ob huiuſmodi delictum quod appellatur occultum per accidens, eo modo quo contrahitur excommunicatio ob delictum hæreſis occultæ. *ibid num.*5. *& ſeq.*

5. Irregularitas impedit ſuſceptionem Ordinum, & primæ tonſuræ, ſicut impedit ordinum vſum, & officium: validi tamen ſunt Ordines in irregularitate ſuſcepti. Impedit autem irregularitas exercitium omnium ordinum, quando eſt totalis: at quando eſt partialis, impedit tantùm exercitium illius actus cui ponit impedimentum, vt accidit in irregularitate ex defectu corporis, contracta poſt ſuſceptionem ordinum,

num, cum qua irregularis poteſt exercere functiones ordinum ad quos non eſt inhabilis, v. g. cui amputatur digitus poſt ſuſceptum ordinem ſacerdotalem, non propterea manet inhabilis ad omnes ſacerdotij functiones, ſed tantùm ad celebrationem Miſſæ, *tom.*1.*pag.*461.*n.*1.*&* 2.

6. Irregularis ſuſcipiendo, vel exercendo ordines peccat mortaliter; non tamen nouam irregularitatem, vel aliam pænam incurrit; quia nulla expreſſa eſt in iure. *ibidem, numero* 4.

7. Irregularitas licet occulta, facit hominem incapacem beneficij; quare neque poteſt validè ſuſcipere beneficium, neque retinere, niſi obtenta diſpenſatione irregularitatis, curet beneficium ſibi de nouo conferri: quia beneficium datur propter officium. Non tamen irregularitas priuat beneficiarium beneficio, ante irregularitatem obtento, ſed poteſt illud reſignare in fauorem alterius; adhuc enim habet titulum, & ius. *ibid.n.*6.*& ſeq.*

8. Irregularis propter homicidium, priuandus eſt beneficio, non tamen penſione; quia penſio, ſtrictè loquendo, non eſt beneficium, ſicque per ſacram Congregationem declaratum fuit. *tom.*1.*pag.*462.*n.*11

9. Irregularis videtur incapax iuriſdictionis ordinatiæ; non autem delegatæ: quia iuriſdictio ordinaria fundatur in beneficio, & confertur ratione beneficij, non verò delegata. Non tamen priuatur iuriſdictione ob irregularitatem ſupervenientem. Quare confeſſio facta ſacerdoti irregulari, qui non eſt nominatim denunciatus, eſt valida. Immò valida eſt abſolutio collata à confeſſario nominatim denunciato, quem pœnitens ignorabat eſſe denunciatum: quia irregularitas non tollit iuriſdictionem. *ibid.n.*12.*& ſeq.*

10. In dubio iuris nullus iudicandus eſt irregularis: quia lex non obligat ſubditos quando non eſt ſufficienter propoſita. In dubio autem facti circa homicidium, iudicandus eſt irregularis: ſic enim ius præſcribit: at in aliis dubiis facti, nullus cenſendus eſt irregularis, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad explorandam veritatem. *ibidem numero* 3. *& pag.* 463.

11. Qui conſuluit homicidium, tenetur ſe tanquam irregularem gerere, quando dubitat an ſuo conſilio operatus ſit aliquid circa homicidium patratum ab eo cui dedit conſilium: nam præſumptio iuris ſtat contra conſulentem. Item qui prægnanti præbuit pharmacum ad abigendum fœtum,

ſed dubitat an fœtus eſſet animatus, cenſetur eſſe irregularis: hic enim verſatur in dubio facti circa homicidium iniuſtum. *tom.* 1.*pag.*463.*num.*6.*&* 7.

Irregularitas ex defectu.

12. Carentes omnino vſu rationis, vt amentes, non ſolùm ſunt iure humano irregulares, ſed etiam diuino, & naturali ſunt inepti ad ordines ſuſcipiendos; ſi tamen promoueantur, verè ſuſcipiunt characterem. Item defectus ſcientiæ facit irregularem; neque poteſt Summus Pontifex diſpenſare cum omnino illiterato, vt eos ordines ſuſcipiat, qui ſine ſcientia exerceri non poſſunt: quia hoc eſt contra ius naturale. *ibid. num.* 1.*&* 2.

13. Ad primam tonſuram requiritur vt initiandus ſit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, ſciátque legere, & ſcribere. Ad minores Ordines, vt teneat linguam Latinam. Ad Diaconatum, & Subdiaconatum, vt teneat ea quæ pertinent ad eos ordines exercendos. Ad preſbyteratum, vt habeat eam ſcientiam qua poſſit populum docere, & adminiſtrare Sacramenta. Ad Epiſcopatum, vt ſit doctor, aut licentiatus in Theologia, vel in iure canonico, vel vt publico teſtimonio conſtet ipſum eſſe idoneum ad alios docendos. Ita Concil. Trid. variis in locis. *tom.* 1.*pag.*464.*n.*3.

14. Neophyti, id eſt, qui à lege Iudaïca, Mahumetica, vel Ethnica recèns conuerſi ſunt ad fidem chriſtianam in adulta ætate, ſunt irregulares, & arcentur ab ordinibus, ne in ſuperbiam extollantur. Poteſt tamen Epiſcopus eum ad Ordines promouere, quem poſt aliquod tempus à ſuſcepto Baptiſmo, iudicat idoneum ad ordines ſuſcipiendos. *ibidem, numero* 4. *&* 5.

15. Ille defectus, ſeu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, cuiuſmodi eſt naſi amputatio, priuatio vnius oculi, &c. Carens tamen lumine, & vſu oculi dextri, non eſt irregularis, modò vtrumque habeat oculum integrum: ſecus dicendum de eo qui caret vſu oculi ſiniſtri, qui dicitur oculus canonis: quia non poteſt commodè legere canonem oculo dextro, ſine indecora vultus conuerſione ad populum. *ibid.num.* 1.*&* 2.

16. Hi cenſentur irregulares: qui linguam habet ita impeditam, vt verbum integrum vix poſſit exprimere: ſurdus vtraque

vtraque aure : at si defectus surditatis contingat post susceptum sacerdotium, potest Missam summissa voce celebrare, non tamen publicè, & solemniter, ne risum moueat: carens auriculis, est enim hæc notabilis deformitas, nisi occultari possit: gibbosus non est irregularis, nisi gibbus coniunctus sit cum nimia deformitate. Idem dicendum de eo qui ventre est prominentiori: hermaphroditus qui vtrumque sexum æqualiter participat, est incapax ordinis, & characteris. Item qui caret indice, vel pollice, qui febri continua laborat, aut lepra; aut morbo comitiali, aut amentia; qui obsidetur à dæmone, &c. hi inquam omnes censentur irregulares. *ibid.n.6.& pag.465. & 466.n.7.& seq.*

17. Licèt defectus qui reddit hominem inhabilem ad vsum ordinum, reddat etiam inhabilem ad ordines suscipiendos: tamen si huiusmodi defectus superueniat ordinibus iam susceptis, non semper reddit inhabilem ad illorum vsum: sic amputatio pollicis, vel indicis, reddit quidem inhabilem ad sacerdotium suscipiendum; at si superueniat sacerdotio iam suscepto, non reddit inhabilem ad reliqua sacerdotij officia, sed solùm ad Missæ celebrationem. Sic Sacerdos cæcus potest confessiones audire. Qui suscepto sacerdotio fit abstemius, itavt non possit vinum degustare, potest sacerdotium exercere, excepta celebratione. *tom. 1. pag. 466. numero 25. & 26.*

18. Qui patitur corporis defectum impedientem susceptionem ordinis sacerdotalis, iuxta communiorem sententiam, non potest ad reliquos ordines admitti, quia est irregularis; irregularitas autem directè impedit omnium ordinum susceptionem. *ibid.num.28.*

19. Carentia alicuius membri, vel partis membri etiam occulti, si propria culpa contingat, inducit irregularitatem; quamuis ea priuatio, vsum ordinis non impediat, neque notabilem afferat deformitatem. Secus dicendum si ea membri priuatio absque propria culpa contingat, nec ordinis executionem impediat, neque notabilem habeat deformitatem adiunctam. *ibid.num.29.*

20. Qui sibi virilia, vel testes amputauit, vel amputari permisit causâ cantus, vel etiam castitatis, est irregularis; est enim illicitum ob castitatem se hoc modo secare; quippe hæc sectio non est medium ad castitatem. Secus dicendum si id passus est ob sanitatem, vel iustam aliam ob causam. *ibid.num.32. & 34.*

21. Ad

21. Ad Summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate proueniente ex defectu, vel deformitate, vel infirmitate, nisi forte coniuncta sit cum impedimento iuris naturalis. Est autem Episcopi iudicare vtrùm defectus, vel deformitas inducat irregularitatem. *tom.1.pag.467.num.36.*

22. Illegitimus quamuis occultus, est irregularis: expedit enim illegitimum arceri ab ordinibus in detestationem delicti à parentibus commissi. Non censendi sunt autem filij illegitimi, quando matrimonium inter duos inualidè contractum fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed vterque contrahens, vel alter eorum bona fide, ex probabili errore iuris, vel facti contraxit in facie Ecclesiæ, id est coram Parocho, & testibus: quia par non est, vt vnus damnum patiatur ex culpa alterius. At si matrimonium non fuit celebratum in facie Ecclesiæ, filij ex eo matrimonio suscepti, non sunt legitimi; quia deest solemnitas quæ est de substantia contractus matrimonij. *ibid.n.2.& 3.*

23. Illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium, & consequenter habilis, & idoneus ad ordines, & Ecclesiasticas dignitates, excepto Cardinalatu, vt patet ex motu proprio Sixti V. Porrò fieri potest, vt natus ex legitimo matrimonio, sit irregularis, seu canonicè illegitimus, quamuis ciuiliter sit legitimus, vt quando maritus factus est Sacerdos de consensu, vel absque consensu vxoris, sed postea vxorem carnaliter cognouit, ex eaque filium suscepit; hic enim est canonicè illegitimus. *ibid.num.6.& pag.468.num.11.*

24 Illegitimus suscipiens ordines absque dispensatione, vel susceptos ordines exercens, peccat mortaliter: nouam tamen pœnam non incurrit; cùm nulla extet in iure. *tom. 1. pag.468.num.12.& 13.*

25. Irregularitas proueniens ex defectu natalium, tribus modis tolli potest. 1. per legitimationem factam à Papa; nam Princeps sæcularis potest quidem legitimare sibi subditos quoad honores, & officia sæcularia, non verò quoad Ecclesiastica, vel quoad ordines, vel beneficia. 2. per professionem: nam illegitimus fit per professionem habilis ad ordines; non tamen ad prælaturas. 3 per dispensationem, quæ strictè interpretanda est: quare dispensatus ad ordines, non censetur dispensatus ad ordines sacros; & dispensatus ad certum ordinem, non censetur dispensatus ad ordinem superiorem, &c. *ibid.n.14.*

26. Neque Episcopus, neque alius iurisdictionem habens

Episcopa

Episcopalem, potest cum illegitimo dispensare ad maiores ordines, ad dignitatem, & beneficium curatum : ad ordines verò minores, & ad beneficium simplex non requirens ordinem sacrum, potest. *tom.*1.*pag.*468.469.*n.*15.

27. Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad ordines, inducit irregularitatem quamdiu defectus durat. Exercens autem functiones ordinis sacri ante adeptam legitimam ætatem, fit nouo titulo irregularis, ob violatam suspensionem. *tom.*1. *pag.*469.*num.*1.

28. Defectus libertatis inducit irregularitatem. 1. in coniugatis. 2. in mancipiis. 3. in obligatis ad ratiocinia, id est, ad rationem reddendam administrationis publicæ, vel priuatæ : qui verò finita administratione, & redditis ratiociniis, adhuc remanet debitor, modò præstet securitatem soluendi debitum, non manet irregularis. 4. in curialibus qui scilicet ex obligatione, curiis Principum sæcularium inseruiunt; vt iudices, aduocati, milites, &c. Ex debito autem pecuniario, per se, non inducitur irregularitas, nisi debitum sit litigiosum, quanquam potest se ab eo eximere, facta bonorum cessione, & reseruata sibi congrua sustentatione. *ibid.num.*2. *&.seq & pag.* 470.*num.*5.*&* 6.

Irregularitas ex bigamia.

29. Triplex est bigamia. 1. est *vera*, quando quis duas vxores legitimè duxit, & cognouit carnaliter. 2. *interpretatiua*, quando quis reuera non contraxit cum duabus, sed secundùm interpretationem iuris censetur contraxisse cum duabus; vt cùm quis iam coniugatus, de nouo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet; vel cùm quis contrahit cum vidua, quæ cum priore viro matrimonium consummauerat; vel cùm quis contraxit cum virgine, eamque cognouit postquam adulterata est cum alio. 3. est bigamia *similitudinaria*, quandò quis post votum solemne castitatis emissum in professione religionis, vel susceptione sacrorum ordinum, matrimonium contrahit cum aliqua, eamque carnaliter cognoscit : nam obstrictus voto solemni castitatis, censetur spirituali quodam matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesia; ergò si velit carnaliter per matrimonium cum alio coniungi, censetur bigamus per quandam similitudinem. *tom.*1.*pag.*470.*n.*2. *& pag.*471. *num. eod.*

30. Bigamus ex quacumque bigamia, est irregularis, &

consequenter inhabilis ad ordines, & ad beneficia. Ad bigamiam autem requiritur copula actualis: neque enim est bigamus qui contraxit cum vna, eâque mortuâ ante matrimonij consummationem, nouum matrimonium contraxit cum virgine, cum eaque copulam consummauit, ac proinde non est irregularis. *ibid.n.3.& seq.*

31. Ille est bigamus, & irregularis qui carnaliter cognouit suam vxorem, postquam ipsa credens virum mortuum esse, contraxit bona fide, & consummauit matrimonium cum alio: quia titulo matrimonij, & affectu maritali accedit ad fœminam ab alio cognitam, in quo casu attenditur defectus significationis: nam sacramentum matrimonij, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia *Ephes.* 5. vnica autem est illa sponsa; consequenter ista spiritualis coniunctio non ritè repræsentatur per matrimonium vnius viri cum pluribus. *ibidem num.* 11.

32. In quacumque bigamia potest Summus Pontif. dispensare; quia est de iure humano. Episcopus autem non potest, nisi quatenus illi conceditur à Pontifice; excepta bigamia similitudinaria, in qua potest dispensare cum eo qui contraxit cum virgine, iure hoc sibi concedente. *tom.* 1. *pag.* 472. *num* 14. *&* 15.

33. Bigamus sacris ordinibus initiatus, absque dispensatione, gaudet priuilegiis clericorum: quia non potest viuere vt laicus, ergo debet viuere vt clericus, ac proinde gaudere priuilegiis clericorum. Secùs dicendum si minoribus tantùm ordinibus est initiatus; hic enim nullo gaudet priuilegio clericali. *ibid.num.*16.

Irregularitas ex delicto.

34. Infamia iuris, vel facti, facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines suscipiendos, & exercendos. Dicitur autem infamia iuris cui imposita est à iure canonico, vel ciuili, pœna infamiæ, cuiusmodi est apostasia à fide, raptus mulieris, simonia, sodomia, periurium in iudicio, crimen læsæ maiestatis, vsura, duellum, matrimonium cum duabus, lenocinium, prostitutio filiæ, vel neptis, matrimonium cum meretrice, vel repudiata. Infamia facti contingit quando committitur delictum quod infame censetur apud graues, & honestos viros, estque publicum. *ibid.n.*4. *&* 5.

35. Infamia quatuor modis auferri potest. 1. per emendationem,

tionem, si est infamia facti. 2. à Summo Pontif. si est infamia iuris. 3. dispensatione Episcopi, in iis scilicet criminibus, in quibus potest dispensare. 4. per Baptismum. *tom.1. pag.*473.*num.6.*

36. Inducitur etiam irregularitas per ignominiosam professionem alicuius artis quæ reddit hominem vilem, & indignum qui ad ordines, & beneficia promoueatur, cuiusmodi est ars histrionica, mimica, gladiatoria, macellarij, tabernarij, aleatoris, &c. verùm hæc irregularitas est personalis, neque transit ad filios. *ibid n.*12.

37. Olim pœnitentia publica, & solemnis inducebat irregularitatem, & impediebat susceptionem ordinum, & vsum susceptorum. Hoc tamen tempore nulla pœnitentia publica, vel solemnis inducit irregularitatem, nisi adiunctam habeat infamiam. *ibid. n.*3.*&* 4.

38. Ex culpabili iteratione Baptismi, contrahitur irregularitas, consequenter rebaptizans, & rebaptizatus fiunt irregulares. Hæc autem irregularitas non est totalis, sed impedit solùm promotionem ad ordines superiores. *tom.* 1. *pag.* 474.*num.*1. *& seq.*

39. Qui differt Baptismum vsque ad ægritudinem, vel senectutem, incurrit irregularitatem: quia non videtur sponte fidem suscipere, sed coactè. Item adultus baptizatus ab hæretico, fit irregularis; non autem infans; sic enim ius præscribit. *ibid.n.*11.*& pag.*475.*n.*13.

40. Hæretici, apostatæ à fide, eorumque fautores, & defensores, sunt irregulares, etiamsi sint occulti, modò suam hæresim signo aliquo externo sufficienter manifestent. Qui verò exterius hæresim profert, sed interius benè sentit, non est irregularis. Porrò qui lapsus est in hæresim, non potest ordines suscipere, aut exercere, ante obtentam legitimam dispensationem. *tom.*1.*pag.*478. *n.*1.*& seq.*

41. Religiosus professus apostata à religione, est irregularis. Apostata verò à clericali habitu, & tonsura, non item. *tom.*1.*pag.*479.*num* 8.

42. Filij hæreticorum sunt irregulares vsque ad secundam generationem per lineam virilem paternam; per lineam verò fœmineam, seu maternam, sunt irregulares vsque ad primam, si eorum parentes mortui sint in hæresi. Filij autem, & nepotes hæreticorum non censentur irregulares, quando parentes ipsorum ante mortem reconciliati fuerunt Ecclesiæ. *ibidem numero* 9.

43. In irregularitate ob hæresim contracta solus Summus Pontif. dispensat: probabiliter tamen sustineri potest, Episcopum ius habere dispensandi circa susceptionem, & vsum ordinum, quando hæresis est occulta. *ibid.n.*12. *&* 14.

Irregularitas ex homicidio.

44. Clericus, aut alius, seu iustè, seu iniustè mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium, sequuto effectu, fit irregularis defectu lenitatis. Quia omnes ordines referuntur ad conficiendam Eucharistiam: cum autem in Eucharistia contineatur Christus qui est auctor pacis, par est vt Eucharistiæ ministri hanc pacem, & Christi mansuetudinem præ se ferant. Hinc patet eum etiam, qui mortem accelerauit, aut dicto, vel facto, causam propinquam morti dedit, esse irregularem. *tom.* 1. *pag.* 481. *numeris* 3. *&* 4.

45. Iudices Summo Pontifice inferiores ferentes sententiam mortis, vel mutilationis, eorumque assessores, cooperatores, satellites, tortores, notarius scribens, vel legens sententiam, incurrunt irregularitatem si mors, aut mutilatio sequatur. Doctor consultus quam pœnam mereatur reus, si respondeat mereri mutilationem, vel mortem, fit irregularis; sequuta morte, seu mutilatione. Item qui dicit reo, *ascende scalam*, *&c.* est irregularis, si est causa cur mors acceleretur. Item qui tradit, ligna quibus hæreticus viuus comburatur. Clerici tamen assistentes excutioni sententiæ, non sunt irregulares, neque peccant, nisi forte venialiter: nam cap. *Si Clerici vel monachi*, videtur contraria consuedine abrogatum. *ibidem*, *numer.* 5. *& sequent.* *& pag.* 482. *numero* 18.

46. Inquisitores S. officij non fiunt irregulares cùm tradunt aliquos iudici sæculari comburendos, etiamsi nullam præmittant protestationem. Immò probabile est iudicem sæcularem differentem executionem sententiæ, posse absque periculo irregularitatis, ab Inquisitoribus admoneri, vt delinquentem puniat, seu comburat: nam Inquisitores, ob speciale priuilegium, prohibentur solummodò per se ipsos exequi sententiam sanguinis. *ibid.n.*27.

47. Confessarius qui pœnitenti nolenti punire reum dignum morte, denegat absolutionem, non incurrit irregularitatem, si generatim loquatur, neque determinatè hortetur ad condem

condemnandum hunc in particulari: poteſt enim ex officio dicere pœnitenti, ſe non poſſe illum abſoluere, niſi faciat quod tenetur. Excuſandus item confeſſarius ab irregularitate qui pœnitentem iuridicè interrogatum hortatur ad fatendam in iudicio veritatem; etiamſi reus ob confeſſionem ſit morte mulctandus: illum enim hortatur ad id ad quod tenetur. *tom.* 1. *pag.* 483. *num.* 32. & 33.

48. Accuſans alium in cauſa capitis, incurrit irregularitatem, ſecuta morte, vel mutilatione; niſi hoc faciat petendo ſatisfactionem pro iniuria, modò proteſtetur ſe non intendere pœnam mortis, aut ſanguinis: alioquin laici ſcientes clericos non poſſe abſque nota irregularitatis, querelam coram iudice deponere, audaciores fierent ad iniurias illis inferendas. Hanc autem proteſtationem in cauſa ſanguinis omittens, etiam ex obliuione, irregularitatem incurrit, defectu lenitatis. *tom.* 1. *pag.* 483. *n.* 1. & *ſeq.* & *pag.* 484. *n.* 8.

49. Ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis, incurrit irregularitatem, ſecuta morte, vel mutilatione: quia teſtis maximè cooperatur morti, vel mutilationi: vnde patet clericum cogi non poſſe ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis, contra reum: nam pro reo, de licentia Epiſcopi, ſeu Vicarij poteſt teſtari. Item aduocatus cuius imperitiâ, vel negligentiâ reus fuit morti adiudicatus, fit irregularis: quia mors ipſi imputatur. *tom.* 1. *pag.* 484. *n.* 1. & *ſeq.*

50. Conſulens Principi bellum iuſtum, non eſt irregularis. Immo neque pugnans in bello iuſto, modò ipſe non mutilet, vel occidat. Excuſatur item ab irregularitate, qui ſuadet alteri rem aliquam piam cum vitæ periculo coniunctam, v. g. ingreſſum fluminis ad liberandum hominem in proximo vitæ periculo verſantem: quia non intendit mortem ingredientis, ſed ſalutem periclitantis. *tom.* 1. *pag.* 485. *n.* 4. & *ſeq.*

51. Clerici poſſunt intereſſe bello iuſto abſque irregularitate, etiamſi hortentur milites ad pugnam. Bello autem iniuſto aſſiſtentes non excuſantur ab irregularitate, ſequuto homicidio, etiamſi ipſi non occiderint; propterea qui cuſtodiunt ſarcinas, fiunt irregulares, aliique bello iniuſto cooperantes. *ibid. num.* 7. & 11.

52. Clerici pugnantes de licentia Summi Pontificis non cenſentur irregulares, ſequuta morte: neque enim veriſimile eſt Pontificem velle clericum propriis manibus pugnare, & pugnando ſubiacere irregularitati. Porrò ſolius eſt Summi Pontificis, de iure communi, diſpenſare in irregula-

regularitate causâ belli contracta. *ibidem numero 12. & 13.*

53. Laicus exercens chirurgiam, vel medicinam, iuxta regulas artis, non fit irregularis etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis: in hac enim abscissione non deest lenitas, cùm pars abscindatur, vt totum conseruetur. At medicus, aut chirurgus cuius culpa ægrotus interiit, incurrit irregularitatem ex delicto: est enim causa mortis iniusta. *ibid.num.*1.

54. Medicus qui cùm habeat remedium certum, adhibet incertum, & dubium, sequuta morte fit irregularis ex delicto. Sin nullum habeat certum, debet adhibere melius, & opportunius, iuxta probabiliorem sententiam medicorum. At si habeat tantummodò remedium dubium, peccat, & fit irreguris, adhibens huiusmodi remedium, quando salus infirmi nondum est conclamata. Secùs dicendum si nulla subsit spes salutis. *tom.*1.*pag.*487.*num.*3.

55. Clericus, etiam beneficiarius non fit irregularis exercendo officium medici, seu chirurgi, iuxta regulas artis, citra abscissionem, vel adustionem: hoc enim est opus pietatis, & misericordiæ. Immò potest ex regulis artis præscribere incisionem, vel adustionem, absque irregularitate, etiamsi inde mors sequatur. At clericus sacris initiatus incidens venam ad missionem sanguinis, fit irregularis sequuta morte. *ibidem, num.*4 *&* 5.

56. Occidens alium ad vitæ suæ defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem: quia hæc actio non censetur iniusta, etiamsi ex odio, & studio vindictæ fiat, si non possit alia ratione se defendere. Excusatur item ab irregularitate occidens alium ad defensionem sui honoris, & rerum suarum, seruato moderamine inculpatæ tutelæ: hæc enim irregularitas non est in iure expressa. Item occidens inuasorem proximi, cum moderamine, non incurrit irregularitatem. Obseruandum tamen eum qui alterum occidit ad sui, aut proximi defensionem, in foro externo non præsumi hoc fecisse ad defensionem, nisi probet: quocirca non est ad ordines promouendus, neque susceptos ordines debet exercere antequam à iudice, vel potius ab Episcopo declaretur occidisse hominem causâ defensionis. *tom.*1.*pag.*488.*n.*3.*& seq.& pag.*489 *n.*10.*&* 11.

57. Homicidium casuale quod neque in se, neque in causa est voluntarium, non inducit irregularitatem, etiamsi

dans

dans operam rei illicitæ periculosæ, casu alium occidat, post adhibitam debitam diligentiam ne mors sequeretur: nisi detur opera rei illicitæ periculosæ, ex qua solet mors vt plurimùm sequi; tunc enim non videtur sufficiens diligentia adhiberi: quapropter qui ignem admouet bombardæ in magna hominum frequentia, si quem occidat non est ab irregularitate excusandus. *tom.1.pag.490.n 2.& seq.*

58. Occidens, vel mutilans voluntariè; Item mandans, aut consulens homicidium, seu mutilationem, necnon præbens auxilium aut cooperans ad homicidium, vel mutilationem, vt sunt rei homicidij, ita & irregularitatis, si sequatur effectus. *tom.1.pag.493. numero 4. & seq. & pag.494. numero 19.& seq.*

59. Qui voluntariè non impedit homicidium quod tenetur ex iustitia impedire, incurrit irregularitatem. Hinc collige Principem qui non impedit cædes; iudicem qui patitur iniustam sententiam ferri contra vitam innocentis; medicum qui non curat ægros, à quibus pretio conductus est, &c. obstringi irregularitate, si mors sequatur. Non videtur tamen pater incurrere irregularitatem si non impediat homicidium à filio patrandum, modò filius non sit commissurus homicidium intuitu patris: quia non tenetur ex iustitia illum custodire ne damnum extraneis inferat. Idem esto iudicium de domino repectu famuli. *tom. 1. pagin. 495. numero 37.& 40.*

60. Qui ratum habet homicidium suo nomine factum ipso inscio, non est reus homicidij, neque irregularitatis: grauiter tamen peccat propter affectum ad homicidium. Secus si approbet homicidium, dum ipse præsens est, & spectat, sciens illud suo nomine, seu sua causa committi: tunc enim censetur moraliter cooperari. *tom 1. pag. 496. numero 42.*

61. Episcopus non potest dispensare in irregularitate orta ex homicidio voluntario etiam iusto: Concilium enim Tridentinum *sess.14. cap.7. & sess.24. cap.6.* concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: Potest tamen Episcopus dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio casuali, modò sit occultum: quia Trident. excipit solum homicidium voluntarium. *ibidem, numero 2. & seq.*

Diſpenſatio irregularitatis.

62. Poteſt Summus Pontifex diſpenſare in omni irregularitate iure humano inducta: quia poteſt in iure communi diſpenſare. Probabile autem eſt abrogata lege irregularitatem inducente, cenſeri etiam ablatam irregularitatem antea contractam, modò illa abrogatio fiat ſimpliciter, & abſoluta; nam ſi apponantur verba reſpicientia ſolum tempus abrogationis, perſpicuum eſt irregularitatem antea contractam non auferri. *tom.*1.*pag.*497.*num.*1.*&* 2.

63. Epiſcopus exiſtens in ſua diœceſi, diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, excepto homicidio voluntario, aut delicto deducto ad forum contentioſum; ex priuilegio Concilij Tridentini *ſeſſ.*24. *cap.*6. quod ad alios Prælatos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes non videtur extendendum. *tom.*1. *pag.*498.*n.*3.*&* 7.

64. Epiſcopus poteſt dare alteri facultatem ſecum diſpenſandi in iis caſibus in quibus ipſe poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate, & cenſuris: quia Epiſcopus non debet eſſe deterioris conditionis quàm alij inferiores. Item poteſt Epiſcopus diſpenſandi facultatem aliis committere in iis caſibus in quibus per ſe ipſum poteſt diſpenſare: hoc enim vſu & conſuetudine, quæ eſt optima legis interpres, receptum eſt. *tom.*1.*pag.*499.

65. Nulla eſt certa, & determinata verborum forma in concedenda diſpenſatione irregularitatis. Immò non videntur neceſſaria vlla verba. *tom.*1.*pag.*500.*num.*7.*&* 8.

IVDEX. IVDICIVM.

Iudicis iuriſdictio.

1. IN iudice neceſſaria eſt iuriſdictio ad validè iudicandum. Ille tamen qui non eſt verus iudex, ſed titulo colorato, & communi errore putatur iudex, ſufficientem habet poteſtatem, & iuriſdictionem vt validè iudicet, modò non adſit impedimentum iuris naturæ, vel diuini, quod ab Eccleſia, vel humana poteſtate ſuppleri nequit. Vnde ſequitur illam ſententiam eſſe validam quæ fertur à iudice excommunicato, vel ſuſpenſo, ſed errore communi, & titulo colorato, pro

pro legitimo habetur. Item validam esse sententiam latam à delegato, mortuo delegante, seu à Vicario Generali, mortuo Episcopo, cuius mors vulgò ignorabatur. *tom.2. pag.*298. *num.*1. *&* 2.

1. Quadruplex est iurisdictio. *Ordinaria*, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate. *Delegata*, quæ competit alicui ex concessione seu commissione illius qui habet ordinariam iurisdictionem. *Arbitraria*, quæ communi partium consensu obtinetur. *Accessoria*, quæ alicui aliunde accedit, v.g. ratione delicti; quando enim quis in alieno territorio delinquit, superior in ipsum iurisdictionem acquirit, & delinquens, ratione delicti fit subditus illius. *ibid.n.*3.

3. Qui facit alteri iniuriam, nisi puniatur à suo superiore, potest iudicari ab eo iudice cui subest ille, qui passus est iniuriam: hic enim iudex acquirit accessoriam iurisdictionem in eum qui sibi subdito iniuriam intulit. *ibid.n.*4.

Iudicis veritas.

4. In iudice præter iurisdictionem requiritur veritas: dicitur autem iudex adhærere veritati, qui iudicat secundùm allegata, & probata, quamuis aliquando fieri possit, vt res aliter se habeat quàm probatum fuerit in iudicio. Si tamen iudex priuata scientia norit aliquem innocentem, qui in iudicio probatur nocens, non tenetur neque debet publicam scientiam sequi, illúmque secundùm allegata, & probata, ad mortem condemnare: id enim repugnat iuri naturali, & diuino: *Exod.*22. *Insontem, & iustum non occides.* At in aliis causis criminalibus mitioribus, vt in causa exilij, &c. & in causis ciuilibus, seruandus est ordo iuris, iudicando secundùm allegata, & probata, quando iudex ita cogitur iudicare, ne graue damnum patiatur. Ratio huius disparitatis est, quia iudex maius habet ius supra facultates, & bona externa, quàm supra vitam innocentis: est autem iusta causa priuandi innocentem suis bonis, ne ordo, & forma publicorum iudiciorum peruertatur; præsertim cùm adhuc ius competat innocenti vtendi occulta compensatione contra illum, cui facultates per sententiam iudicis applicatæ sunt. *tom.*2. *pag.*311. *n.*1. *& seq.*

5. Iudex inferior non potest condemnare eum, quem priuata scientia nouit innocentem, sed in iudicio publico probatur innocens: quia inferior iudex non potest derogare legibus superioris, sed tenetur iuris ordinem seruare. Idem dicen-

dum videtur de iudice supremo, quando crimen est ita occultum, vt probari non possit: quia ius defensionis, & probatio testium competit reo ex iure naturæ; quare supremus iudex, aut etiam Princeps, non potest occidere nocentem, qui in iudicio per testes probatur innocens, sed illum occidens peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Idque locum habet non tantùm in iudicio capitis, sed etiam vbi agitur de priuatione bonorum. *ibid.n.5.& pag.312. num.eod*

6. Quando crimen est publicum, potest aliquando iudex sine citatione, defensione, & processu reum morti adiudicare: quia reus in eo casu non potest iure se defendere in iudicio, vel alia via licita se tueri; scientia enim rei, quæ publicè est notoria, non dicitur priuata, sed publica; ob id latrones in flagranti delicto deprehensi iure statim suspenduntur, quia factum notorium, & publicum, est loco accusatorum, & testium, neque reo locum relinquit defensionis. *ibid.*

7. In iudice necessaria est scientia, & cognitio earum rerum quæ ad iudicis officium spectant: idcirco iudex ex imperitia malè iudicans tenetur ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis. Præterea requiritur puritas; quæ consistit in abstinentia à verbis contumeliosis, & in recta intentione. Denique requiritur celeritas in iudicando: peccat enim mortaliter iudex, qui sine iusta causa, causarum expeditionem nimium differt, tenetúrque ad restitutionem damni, & expensarum. *tom.2.pag.312.n.1.& seq.*

Forma iuris à iudice seruanda.

8. Forma iuris in hoc posita est, vt sententia feratur iuxta dispositionem legis: est enim sententia declaratio legis, & iuris. Est autem iudicandum iuxta verba legis, quando nulla inde sequitur iniustitia habita ratione loci, temporis, vel personæ. At si iudicis intentio contraria sit verbis legis, tunc licet à verborum proprietate discedere; is enim in legem peccat, qui verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem. Inferior tamen iudex non debet inconsulto legislatore à verbis legis recedere, nisi periculum sit in mora. *tom.2. pag.313.n.1.& 2.*

9. Sententia lata non seruato ordine iuris, est inualida, & nulla; quia non est conformis iuri. Item sententia lata contra veritatem facti, & quæ fundatur in falsa præsumptione, non obligat in conscientia, etiam si seruatus sit ordo iuris, & lata

ſit ſecundùm allegata,& probata:obligat tamen in foro externo in quo non tam attenditur veritas facti, quàm probatio iuridica,& ordo iuris. *ibid.n.4.& 6.*

10. Triplex eſt modus procedendi. 1. per denunciationem. 2. per accuſationem. 3. per inquiſitionem. Antequam autem ad inquiſitionem ſpecialem procedatur, debet præcedere infamia,vel inſinuatio clamoroſa, id eſt, publicus rumor, vel indicia, vel ſemiplena probatio quæ eſt depoſitio vnius teſtis oculati, vel aliàs fide digniſſimi,legitimè deponentis cum iuramento, atque hic teſtis dicitur omni exceptione maior. *tom.2.pag.314.n.1.& ſeq.*

11. Modus procedendi per inquiſitionem generalem, non requirit præuiam infamiam, neque accuſationem, neque denunciationem: alioquin vix puniri poſſent delinquentes. At modus procedendi per inquiſitionem ſpecialem, qua intenditur pœna delinquentis, requirit præuiam infamiam, vel clamoroſam inſinuationem quæ ſit loco accuſatoris;neque ſufficiunt ſola indicia manifeſta, præcisâ conſuetudine in contrarium: nam multis in locis vſus obtinuit vt inuento cadauere, habitiſque indiciis de aliquo, formetur contra illum inquiſitio. *ibid.n.7.& pag.315.n.10.& 12.*

12. Modus procedendi per inquiſitionem mixtam, qua inquiritur ſpecialiter de perſona,& generatim de crimine, requirit præuiam infamiam, vel ſemiplenam probationem, & accuſationem, aut ſaltem indicia manifeſta, iuxta receptam conſuetudinem loci: alioquin infamari poſſet aliquis, & puniri abſque accuſatore,vel ſupplente ipſius vices. Modus verò procedendi per inquiſitionem mixtam, qua inquiritur auctor criminis noti, non requirit infamiam delinquentis, nec ſemiplenam probationem, & accuſationem. Sic quando commiſſum fuit homicidium de quo publicè conſtat, poteſt in genere inquiri quis illud commiſerit;at non poteſt inquiri in ſpecie, niſi præceſſerit infamia, vel ſemiplena probatio, & accuſatio. *tom.2.pag.315.n.13.& 14.*

13. In his tamen caſibus poteſt abſque præcedenti infamia procedi ad inquiſitionem tam generalem quàm ſpecialem. 1. quando inquiſitio, vel manifeſtatio neceſſaria eſt ad impediendum malum ſeu publicum, ſeu priuatum, vt in crimine læſæ maieſtatis, aut hæreſeos, aut apoſtaſiæ. 2. quando proceditur ad conferendum beneficium, ad diſpenſandum in voto, ad celebrandum matrimonium, &c. cùm enim hæc inquiſitio non fiat ad pœnam, non requirit præuiam accuſationem,

tem, vel infamiam. 3. quando quis occultum crimen confessus fuit in iudicio licèt coram paucis, vt coram iudice, & notario: illa enim confessio facit notorium iuris. 4. quando delictum committitur coram ipsis iudicibus, aliisque circumstantibus. 5. quando iudex in generali inquisitione comperit aliquem deliquisse. 6. quando suspicio communis supplet vicem infamiæ. *ibid.n.15.& pag.316.num.eod.*

14. Iudex via accusationis iuridicè procedit, quando delata accusatione interrogat testes, & postea, habita saltem semiplena probatione, procedit ad interrogandum reum: pauciores enim requiruntur testes ad interrogandum, quàm ad condemnandum reum. Via autem denunciationis iuridicè procedit iudex quando crimine ad ipsum delato, procedit ad capiendas informationes, & examinandos testes nominatos à denunciatore, vel alios, tùm legitimè accedit ad examinandum reum. *tom.2.pag.316.num.4.*

15. Excusari potest praxis, & consuetudo iudicum sæcularium, qui ex denunciatione publici officialis ad id muneris deputati, aut alicuius priuati, vel ex querela partis offensæ, quæ tamen in se non vult onus probandi suscipere, procedunt ad capiendas informationes, & iudicia, quibus habitis formant specialem inquisitionem; modò id fiat in grauibus causis, dùm ita expedit ob bonum commune: alioquin multa crimina manerent inulta in damnum Reip. *ibid.n.5.*

16. Inferior iudex, regulariter loquendo, non potest pœnam à lege taxatam remittere, quia non potest in lege superioris dispensare. Arbitrariam verò minuere potest, vel augere, intra terminos æquitatis, habita ratione temporum, locorum, & personarum. Superior verò iudex potest pœnam à iure taxatam relaxare, etiam recusante parte, communi bono id exigente: resarciendum est tamen damnum parti læsæ. *tom.2.pag.317.n.1.& seq.*

17. Iudex peccat mort. liberando reum quem commune bonum postulat occidi, immò fit reus omnium malorum quæ inde sequuntur. Neque iudex debet se facilem præbere in commutandis pœnis corporalibus in pecuniarias; hinc enim diuites occasionem arriperent liberiùs peccandi: illas autem pœnas pecuniarias debet in pios vsus potiùs quàm in proprium commodum conuertere. *ibid.n.5.& 6.*

18. Periculosum est aliquando pro reis apud iudicem intercedere, in iis quæ ex iudicis arbitrio non pendent: fieri enim potest, vt petatur res illicita; quare tutius erit agere priùs

priùs cum parte, ab eaque remissionem obtinere, tum demùm apud iudicem intercedere. *ibid.n.7.*

19. Potest iudex, immò debet pœnam condonare reo à quo veritatem criminis admissi extorsit, promissa impunitate: quia illa confessio fuit extorta per dolum, fierique potest vt reus non commiserit crimen quod confessus est vt facilius dimitteretur. Limitandum tamen, nisi adsint alia iudicia sufficientia, coniecturæ, & præsumptiones, aut nisi alioquin magnum immineat Reip. damnum. *ibid.n.8.*

20. Iudex tam sæcularis, quàm Ecclesiasticus aliquid loco stipendij à litigantibus pro exercendo iustitiæ officio accipere potest: obligatio enim iuris dicendi est res pretio æstimabilis, dignusque est operarius mercede sua, modò tamen iudicibus stipendium assignatum non sit. Ecclesiasticus autem iudex cuius beneficio adnexum est onus iudicandi, non potest quidquam accipere, etiamsi beneficium sit tenue: beneficium enim datur propter officium, & onera beneficio adnexa. Immò neque potest à litigantibus, munera, vel sportulas accipere: hoc enim vetitum est iure canonico. Ea tamen munera quæ *xenia* nuncupantur, & consistunt in esculentis, & poculentis, à quocumque iudice, seu Ecclesiastico, seu sæculari accipi possunt; id enim nullo iure prohibetur. *tom.2.pag.318.n.2.& seq.*

21. Quiuis iudex sæcularis petere potest expensas quas facit dùm aliò proficiscitur extra locum domicilij. Ecclesiasticus verò iudex ordinarius non potest, quia datur illi beneficium pro officio excercendo, fructusque beneficij percipit pro stipendio, & expensis. Excipe duos casus. 1. quando Episcopus proficiscitur extra diœcesim ad visitandam prouinciam. 2. quando accedit ad consecrandam Ecclesiam, cum enim hic sit extraordinarius labor, iure optimo indulgetur facultas accipiendi expensas moderatas. *ibid.n.6.*

De Iudice clericorum, déque eorum exemptione à foro sæculari, seu laica iurisdictione, vide tit. *Ecclesiastica immunitas.*

Iudicum Ecclesiasticorum suspensio.

22. Iudex Ecclesiasticus, qui per gratiam vel sordes aliquid facit in iudicio contra conscientiam, & iustitiam in damnum partis, incurrit suspensionem ab officio per annum quoad ordinem, & iurisdictioné. *disp.3.q.5.punct.3.p.368.to.3.*

23. Ad hanc ſuſpenſionem incurrendam non ſufficit, vt Eccleſiaſticus iudex faciat contra conſcientiam, non verò contra iuſtitiam, vel contrà; ſed opus eſt vt faciat contra conſcientiam, & iuſtitiam ſimul; nam illa duo copulatiuè exprimuntur in iure. Hinc ſequitur iudicem qui ex odio, vel gratia, partem alteram in iudicio grauat, non excedendo terminos iuſtitiæ, non affici hac ſuſpenſione, quia non facit contra iuſtitiam, licet faciat contra conſcientiam. *ibidem, numero 2.*

24. Iudex qui per gratiam, vel ſordes aliquid facere omittit in iudicio contra conſcientiam, & iuſtitiam, ex quo ſequitur damnum parti, in hanc cenſuram non incidit; quia ſuſpenſio non fertur contra omiſſionem, ſed contra actionem iudicis iniuſtam; in materia autem pœnali non eſt facienda extenſio. *ibid. num. 3.*

25. Sententia per gratiam, vel per ſordes, ſeu auaritiam in præiudicium partis lata ſi ſit contra iuſtitiam, eſt inualida; quia non eſt actus iuſtitiæ, ſed iniuſtitiæ *ibid. num. 6.*

26. Ab hac cenſura excipitur Epiſcopus; quamuis enim grauiter peccet iudicando per ſordes, vel per gratiam, in detrimentum partis, & teneatur ad reparationem damni inde ſequuti; non tamen incurrit ſuſpenſionem; quia Epiſcopus non comprehenditur in cenſura ſuſpenſionis, aut interdicti, niſi exprimatur. *ibid. n. 7.*

27. Hæc ſuſpenſio reſeruata eſt Papæ; nam ligat per annum; elapſo autem anno ſtatim ceſſat. *ibidem, pag. 369. n. 10. tom. 3.*

Iudicium temerarium.

28. Inter iudicium temerarium, & ſuſpicionem hoc intereſt, quòd *ſuſpicio* eſt opinio mali orta ex leuibus indiciis, & cum formidine oppoſiti. *Iudicium* verò *temerarium* eſt quando quis ex leuibus indiciis aſſentitur firmiter, & credit aliquid mali de proximo. *tom. 2. pag. 444 num. 1.*

29. Qui malè iudicat de aliquo ex indiciis, & coniecturis probabilibus, ac ſufficientibus; iudicium temerarium non committit: illud enim iudicium non eſt temerarium, quod eſt conſentaneum prudentiæ, & rectæ rationi. Coniecturæ autem ſufficientes vt iudicium non ſit temerarium, peti poſſunt. 1. ex circumſtantia temporis, vt ſi quis noctu videat aliquem noctu ſcalas admouere, ad ingrediendum domum alterius

terius per fenestram. 2. ex circumstantia loci, vt si videam iuuenem ingredientem domum quam solæ meretrices inhabitant. 3. ex circumstantia personæ. 4. ex circumstantia famæ. *ibid.n.2.& pag.445.n.3.*

30. Qui in materia graui malè iudicat de alio, firmiter, & deliberatè, absque sufficienti fundamento, & probabilibus coniecturis, iudicium temerarium, atque adeo peccatum mort. committit: ius enim proximi grauiter violatur, dum sine fundamento improbus habetur. *tom. 2. pagin. 445. numero 4.*

31. Probabilius est esse peccatum mort. iudicare temere de aliquo defectu naturali, ex leuibus indiciis; v.g. aliquem esse spurium, vel natum ex adulterio &c. vel esse oriundum ex Iudæis, vel esse filium sacerdotis: licet enim huiusmodi defectus sint naturales, habent tamen dedecus, & ignominiam adiunctam. *ibid n.6.*

32. In dubio an quis commiserit peccatum mort. iudicando, necne, videndum est an is qui dubitat, sit conscientiæ timoratæ; tum interrogandus est, an si tunc aduertisset illud esse peccatum, deliberata voluntate consensisset; si respondeat negatiuè, censendus est non peccasse mort. Atque hoc diligenter obseruandum est in timoratæ conscientiæ viris, præsertim scrupulosis. *tom 2.pag.446.n.10.*

33. Licèt iudicium temerarium sit peccatum contra iustitiam; non tamen ex eo præcisè oritur obligatio restituendi: quia obligatio restituendi non oritur ex actu merè interno. Ex alia tamen circumstantia fieri potest, vt quis obligetur ad restitutionem; si v.g. suum iudicium alteri manifestet, non manifestatis leuibus indiciis: tunc enim, si sit materia grauis, committitur peccatum mort. detractionis, obligans ad restitutionem. *ibid.n.1.& 2.*

34. Qui habet indicia mouentia dubium an crimen fuerit ab aliquo commissum, non tenetur credere positiuè, non fuisse ab eo commissum, sed tenetur saltem suum suspendere assensum, seu iudicium, neque bene, neque malè iudicando: quia proximus non habet ius vt de ipso benè positiuè iudicemus; sed ne malè iudicemus: si tamen absque sufficientibus indiciis velimus de proximo iudicium ferre, tenemur benè iudicare, v. g. cum audio quempiam proferentem propositionem hæreticam, possum quidem ex regulis fidei iudicare illam propositionem esse hæreticam; non tamen possum iudicare proferentem esse hæreticum, cùm nesciam, an ex animo, an

ex

ex inaduertentia illam protulerit. *ibid. num.2. & pag. 447. num. eod.*

35. Quando agitur de damno vitando, aut malo præcauendo, licet aliquo modo dubia in peiorem partem interpretari, non definitiuè, & positiuè, sed per quandam suppositionem, v.g. si ego aduenam in ædes meas admittam, non possum quidem positiuè, & definitiuè iudicare illum esse furem; possum tamen ita mihi cauere ac si esset fur. *tom. 2. pag. 447. num. 3.*

IVRAMENTVM.

Quid & quotuplex sit iuramentum.

1. IVramentum est inuocatio diuini nominis in testimonium, vel est actus quo diuinum nomen adhibemus fidei faciendæ causa. Hæc autem verba, *Deus scit*, *Coram Deo loquor*, &c. si inuocatiuè accipiantur, continent iuramentum: Secùs si enunciatiuè, absque intentione inuocandi Deum. Cùm tamen hæc verba proferuntur à viris qui iurare solent, præsumuntur iuramenta; actus enim præsumitur factus iuxta consuetudinem. *tom. 2. pag. 214. n. 1. & 2.*

2. Iurare per falsos Deos non est verum iuramentum; est tamen mort. peccatum blasphemiæ, si seriò & ex animo fiat. Item iurare per dæmonem, siue iuramentum sit execratorium, siue contestatorium, est peccatum mort. quia honor Dei videtur tribui dæmoni, & videtur dæmon magni fieri etiam per iuramentum execratorium: iuramentum tamen per dæmonem, nullam inducit obligationem: cum enim dœmon si mendax, & pater mendacij, eius testimonium non potest confirmare humanam promissionem. *ibid. n. 2.*

3. Ad iuramentum sufficit tacita Dei inuocatio, quæ fit. 1. cùm quis rogatus vt iuret, manu tangit crucem, vel librum Euangeliorum, vel aliud signum edit quo se iurare ostendit. 2. quando iuramentum fit per creaturas, in quibus specialiter elucet bonitas Dei, vt per Sanctos, per animam rationalem, &c. aut quando adducitur creatura in testem, expresso simul Dei nomine in obliquo, vt si dicatur, *per ignem Dei*; tunc enim adducitur creatura in testem, per ordinem ad Deum. Qui autem dicit. *Iuro me facturum hoc*, nihilque aliud addit, non præsumitur habere animum perficiendi iuramentum. *ibidem num. 3. & 4. & pag. 215. n. 7.*

4. Multi

4. Multiplex est iuramentum, 1. cùm verbis enunciatur, aut nutu, signo, manu sublata, tactu Euangeliorum, vel reliquiarum, &c. 2. per simplicem contestationem, qua Deus in testem adducitur, aut per execrationem, seu imprecationem. 3. per Deum, aut creaturas in ordine ad Deum. 4. aliud est *solemne*, quod fit cum certa iuris formula; aliud simplex sine formula. 5. aliud est *assertorium*, aliud *promissorium*. 6. aliud est *absolutum*, aliud *conditionale*. Quouis autem modò fiant iuramenta, sunt eiusdem speciei; omnia enim Deum adhibent testem. *tom.2.pag.215.n.1.& 2.*

Conditiones iuramenti.

5. Vt licitum sit iuramentum, tria requiruntur, *veritas, iustitia*, & *iudicium*. Ierem.4. *Iurabis viuit Dominus, in iustitia, in iudicio, in veritate.* Veritas in eo consistit, vt iurans, non leui, sed probabili coniectura ductus, prudenter putet verum esse quod iurat, alioquin committitur peccatum mortale periurij, cùm Deus adducatur in testem falsi, nisi inaduertentia, aut ignorantia excuset. Quare iuramentum falsum, etiam in materia leui, aut ioci causa, est peccatum mortale. Item qui rem dubiam confirmat iuramento tanquam certam, aut qui iurat se aliquid facturum, siue licitum, siue illicitum, absque intentione faciendi, peccat mortaliter. *tom.2.pag.216.num.4. & seq.*

6. Iudicium quod requiritur ad iuramentum, in eo consistit, vt fiat cum necessitate, & reuerentia; propterea si absit necessitas, vt in re leui, quam non sit necesse iuramento confirmare, peccatur defectu iudicij; sed venialiter tantùm, quia non fit grauis irreuerentia in Deum, sed est quædam vanitas, & leuitas. *ibid.n 8.*

7. Iustitia iuramenti in eo sita est, vt iuramentum non fiat de re illicita, & turpi: committitur enim irreuerentia in Deum, cùm adducitur in testem rei illicitæ, éstque peccatum graue, aut leue, pro grauitate, aut leuitate materiæ. Porrò qui de alio grauiter detrahit, & suam detractionem confirmat iuramento, præter mortale peccatum detractionis, grauem culpam committit defectu iustitiæ iuramenti in re graui: nonnulli tamen existimant, regulariter solum peccatum veniale committi quando iuramentum assertorium cadit super rem veram, etiamsi mortaliter illicitam. *ibidem, numero 9.*

Materia iuramenti.

8. Materia iuramenti debet esse res licita, non autem indifferens, nec impossibilis, nec quæ impediat maius bonum, aut diuinis consiliis aduersetur. Immò iuramentum de re indifferente, vel quam melius est non fieri, non obligat: quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otiosum, vel suis consiliis contrarium. Quare si iurasti, v. g. te non lusurum in tali loco, vel cum tali persona, aut te non transiturum per talem viam, si hæc sunt indifferentia, non teneris seruare iuramentum. At si ratione alicuius circumstantiæ desinunt esse indifferentia, v. g. si non transeundo per talem viam, vitabis aliquod periculum peccandi, &c. seruandum est iuramentum. *tom.2.pag.217.n.1.& 2.*

9. Seruandum est iuramentum de re licita, factum in fauorem, aut commodum alterius: iuramentum enim, in hoc casu, est actus veracitatis, & fidelitatis, & quilibet tenetur dare operam ne Deus in testem rei falsæ adductus esse videatur. Seruandum est igitur iuramentum homini præstitum, quod absque salutis æternæ dispendio seruari potest. Quare inualida est secunda promissio, iuramento firmata, contra aliam prius factam de re licita: secunda quippe est de re illicita, & contra ius alterius. Hinc patet inualida esse secunda sponsalia iurata, contra alia sponsalia prius facta etiam sine iuramento. Immò si prima sponsalia legitimè dissoluantur, secunda adhuc manent inualida, iuxta illam regulam iuris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. ibid num.2. & 3.*

10. Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò dirigitur ad bonum publicum, non obligat: quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Factum verò contra legem quæ primariò & immediatè lata est in fauorem & commodum personæ priuatæ, obligat, modò non vergat in damnum tertij: quia persona priuata potest cedere iuri suo, absque præiudicio tertij. Sic mulier quæ iurauit se non habituram regressum ad paterna bona, tenetur stare iuramento, quamuis lex ciuilis irritet eiusmodi promissionem: hæc enim lex immediatè respicit commodum priuatum. *ibid. num.1 & pag.218 num.2.& 3.*

11. Promissio, seu iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut priorem promissionem validam,

dam,

dam, non obligat: quia secundum iuramentum est de re quæ licitè seruari nequit. Sic sponsalia facta post votum castitatis, sunt inualida. *tom.2.pag.218.num.1.*

12. Gesta contra obligationem iuramenti, valida sunt, nisi aliunde sint irrita: sic matrimonium contra votum simplex castitatis, aut contra sponsalia iurata cum alia, validum est. Fieri tamen potest vt eiusmodi acta irritentur à iure; nam si mulier iuret se non alienaturam fundum dotalem, & postea alienet absque iudicis auctoritate, alienatio non est valida, non quia est contra iuramentum, sed quia irritatur à iure. *ibid.num.2.*

Iuramentum fictum.

13. Iuramentum factum absque animo iurandi non obligat coram Deo ex vi iuramenti: in foro tamen externo cogetur seruare iuramentum, quia præsumetur ex animo iurasse. Tenebitur item stare iuramento ratione scandali quod orietur ex transgressione iuramenti, aut ratione damni quod tenetur impedire. *tom.2.pag.219 n.2.*

14. Ex iuramento facto, animo quidem iurandi, sed non animo se obligandi non oritur obligatio ex vi iuramenti: quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem. Ad hoc tamen, vt iuramentum obliget, sufficit vt iurans velit iurare, sciens naturam iuramenti: hoc enim ipso censetur velle facere actum iuxta suam naturam, natura autem iuramenti est obligare. *ibid.num.3.*

15. Ex iuramento facto cum animo non adimplendi, nascitur obligatio ex vi iuramenti: quia intentio adimplendi non est de substantia iuramenti. Peccat autem mortaliter quisquis iurat animo non iurandi, vel non se obligandi, vel non adimplendi, quando iuramentum rationabiliter exigitur: quia interuenit grauis exceptio, quæ repugnat fini iuramenti valde necessario rebus humanis. *ibid.n.6.*

Iuramentum dolo, aut metu extortum.

16. Iuramentum non obligat quando error, & dolus sunt circa substantiam rei promissæ: quia deest consensus cui nihil magis repugnat quàm error. Item non obligat quando error, aut dolus versatur circa causam finalem, ita vt error det cau-m iuramnto: iurans enim non iurasset si dolum cognouisset. *ibid n.3. & 4.*

17. Iuramentum metu graui extortum etiam iniustè, modò sit de re licita, obligat coram Deo, ne Deus adducatur in testem falsi: licèt erga hominem, nullam inducat obligationem: homo enim per iniuriam, nullum ius acquirit. Hinc sequitur eum qui iuramento promisit vsuras, teneri eas soluere, non vi promissionis, quæ est inualida, sed vi iuramenti: facta tamen solutione, potest repetere solutum, quia non iurauit se non repetiturum. *tom.2.pag.220.num.1.& 2.*

Quis possit iurare.

18. Masculis ante 14.annum, & puellis ante 12.interdicitur iuramentum solemne in iudicio, in causis ciuilibus: quia non habent maturitatem iudicij requisitam ad iurandum cum debita reuerentia; propterea non possunt à iudice cogi ad iurandum. In causis verò criminalibus non admittitur ad iurandum minor 20.annis. Item periurij conuicti repelluntur à iuramento iudicialiter præstando. *ibid.n.1.*

19. Interdicitur etiam Sacerdotibus, & Prælatis iurare in iudicio sine graui causa, & necessitate: quia iuramentum exigitur à laicis ob dubiam illorum fidem; hoc autem dubium in personam Ecclesiasticam cadere non debet; quare non est ab ea exigendum iuramentum pro leui causa. Exigente autem necessitate, vel magna vtilitate licet sacerdotibus iurare; non tenentur tamen sacra tangere, sed satisfaciunt tangendo proprium pectus, sicque vsu receptum est. *tom.2.pag.221. num.1.*

20. Iuramentum præstari potest per nuncium, vel procuratorem, cum hac triplici limitatione. 1. modò actus sit talis, qui per procuratorem præstari possit. 2. modò procurator speciale habeat mandatum ad iurandum. 3. modò dominus non reuocauerit mandatum. *ibid.n.2.& seq.*

21. Iuramentum licitè exigi potest ab eo qui creditur peieraturus, modò iusta subsit causa exigendi iuramentum: quia non intenditur periurium, sed iuramentum, quod alter licitè potest emittere absque mendacio. Absque iusta autem causa exigere iuramentum ab eo qui creditur peieraturus, non licet: esset enim cooperari peccato alterius. *ibidem, num.1. & sequent.*

Iuramentum amphibologicum.

22. Qui alio ſenſu iurat quàm alter intelligat, non peccat, ſi iuſtam habeat ita iurandi cauſam: ſic enim iurans non eſt periurus, cum ipſius iuramentum ſit de re vera iuxta ſenſum quem ipſe intendit. Sic qui iurans latroni promiſit centum, cum hac reſtrictione mentali, *ſi debeo*, non peccauit iurando, neque tenetur ſoluere centum; quia non debet. *tom.2. pag.222.num.4.& 5.*

23. Qui ab alio quàm à ſuo iudice interrogatur, vel qui interrogatur quidem à ſuo iudice, ſed non iuridicè, poteſt iurare amphibologicè, & cum reſtrictione: Idem dicendum de teſte, cùm iuſtam habet cauſam non ferendi teſtimonium in iudicio. *ibid.num.5.*

24. Ille non cenſetur periurus, qui abſolutè negat cum iuramento ſe debere centum, cùm re ipſa debeat tantum quinquaginta, aut qui interrogatus de fundo, an ſuus ſit, abſolutè negat ſuum eſſe, ſi tantùm pars fundi ſua eſt. Immò ſi iniuſtè interrogetur, omni culpa vacat ita reſpondens, quamuis interrogans ſcire velit num fundus ſuus ſit in totum, an in partem: cùm enim iniuſtè interrogetur, iuſtam habet cauſam vtendi tergiuerſatione. *tom.2.pag.223. n.5.*

25. Reus qui iuridicè interrogatus, crimen ſuum verbis amphibologicis occultat abſque iuſta cauſa; peccat mortaliter: facit enim iniuriam iudici iuridicè interroganti. Idem dic de eo qui vtitur amphibologia in contractibus: tum quia facit iniuriam parti; tùm quia ſic nihil eſſet certi in contractibus. *ibid. num.7.*

26. Venditores qui cùm non poſſint alia ratione pretium iuſtum ab emptore obtinere, iurant rem tanti ſibi ſtetiſſe, alio ſenſu quàm emptor percipiat, non videntur mortaliter peccare, neque teneri ad reſtitutionem, modò non inferant notabile damnum emptori. *ibid.num.8.*

Iurandi conſuetudo.

27. Qui habet conſuetudinem iurandi, ſed non mentiendi, non peccat mort. etiamſi non conetur talem conſuetudinem euellere: quia non cenſetur eſſe in proxima occaſione mortaliter peccandi; cùm illa occaſio non pertrahat ad periuria, ſed ſolùm ad iuramenta ſine neceſſitate, quæ ſunt tantùm

venialia. Qui verò consuetudinem habet iurandi, & mentiendi simul, peccat mortaliter, si eiusmodi consuetudinem euellere non conetur: censetur enim esse in proxima occasione peccandi mortaliter, cùm illa consuetudo inducat ad iurandum falsum. Porrò qui habet consuetudinem iurandi, & mentiendi, sed non coniungendi mendacium cum iuramento, peccat mortal. nisi hanc consuetudinem conetur extirpare: quia versatur in morali periculo peierandi. *ibid. num.* 3. *&* *pag.* 224 *num.* 4. *&* 5.

28. Qui habet consuetudinem iurandi, & mentiendi, in rigore, & per se loquendo, absolui potest, si firmum habeat propositum abstinendi in posterum ab huiusmodi iuramentis. Tamen ad vitandum scandalum, quod peierans, aliis præbere solet, deneganda est illi absolutio, iuxta prudentis confessarij iudicium, vel differenda prout saluti pœnitentis iudicauerit expedire. *tom.* 2. *pag.* 224. *n.* 7.

Obligatio iuramenti.

29. Probabilius videtur violantem iuramentum etiam in re parua, seriò promissa, peccare mortaliter: quia facit, quantum in se est, vt Deus sit adductus in testem falsi; nisi is cui facta est promissio, non admodum curet rem illam paruam; tunc enim censetur obligationem condonare, consequenter cessat obligatio iuramenti. *ibid. n.* 2.

30. Qui emisit iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna iusta, tenetur iuramentum adimplere, modò id non obstet maiori bono, aut non sublata fuerit causa adimplendi: quia iuramentum obligat, ne Deus in testem falsi adductus videatur; propterea parentes, vel domini comminantes filiis, aut seruis pœnas ad correctionem, tenentur seruare iuramentum, nisi cessauerit causa puniendi. Sin iuramentum factum fuerit ex ira, seu animo vindictæ, non obligat. *ibid. num.* 3.

31. Obligatio iuramenti præcisè, non transmittitur ad successores iurantis: iuramentum enim est vinculum personale; obligatio tamen contractus in quem cadit iuramentum, transmittitur ad hæredes, modò contractus sit validus. Hinc patet hæredes non seruantes contractum iuratum, vel promissionem iuratam defuncti, non esse periuros, quia ipsi non tenentur vinculo iuramenti; peccare tamen contra iustitiam, quia obligatio realis in ipsos deriuatur. *tom.* 2. *pag.* 225. *n.* 2. *&* 3.

32. Iura

32. Iuramentum cadens ſupra promiſſionem factam cum aliqua conditione tacita, eo modo explicandum eſt quo explicatur ipſa promiſſio: quia iuramentum ſortitur conditiones actus, ſuper quem cadit. Hinc ſequitur eum qui cum iuramento promiſit nuptias Bertæ diuiti, ſanæ virgini, &c. quæ poſt promiſſionem incidit in morbum incurabilem, vel in paupertatem, vel in fornicationem, &c. non teneri ſtare iuramento, aut eam ducere vi iuramenti; quia huiuſmodi iuramentum habet eandem tacitam conditionem quam habent ſponſalia. *ibid. num.* 1. *&* 2.

33. Qui cogitur à ſocio prior ingredi domum, quam vrbanitatis cauſa iurauerat ſe non ingreſſurum priorem, non peccat contra iuramentum; vt ſi quis vrbanitatis gratia dicat alteri, *per Deum non præcedam, non ingrediar, niſi tu prior ingreſſus fueris, &c.* hoc enim iuramentum cenſetur factum cum hac tacita conditione, *non præcedam niſi me coëgeris. tom.* 2. *pag.* 226. *num.* 2.

34. Iuramentum in dubio ita explicandum eſt quàm minimè obliget, ſeruata verborum proprietate. Hinc collige quomodo explicandum ſit iuramentum, aut votum non ludendi: intelligendum enim eſt de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur niſi aliter coniiciatur de iurantis intentione: in dubio enim benignè interpretanda eſt intentio iurantis, vbi agitur de obligatione contrahenda.

35. Obligatio iuramenti impediri poteſt ne inducatur. 1. per legem deſtruentem omnino contractum humanum in quem cadit; deſtructo enim fundamento corruit id quod ipſi innitebatur. 2. prohibendo executionem, itavt ſine peccato nequeat adimpleri. *tom.* 2. *pag.* 228. *n.* 1.

36. Obligatio iuramenti iam inducta, quatuor modis tolli poteſt. 1. mutatione materiæ, vt ſi materia iuramenti fiat illicita, vel impoſſibilis. 2. remiſſione ſeu relaxatione illius in cuius fauorem factum eſt iuramentum; is enim cedere poteſt iuri ſuo. 3. irritatione facta per ſuperiores. 4. per commutationem, aut etiam per diſpenſationem. *ibidem numero* 2. *&* *ſeq.*

37. Iuramentum factum in fauorem hominis qui illud acceptauit, non poteſt commutari, vel diſpenſari, eo inuito in cuius fauorem factum eſt, niſi aliqua iniuria præceſſerit, vel niſi hoc fiat in iuſtam ipſius pœnam, vel niſi ita poſtulet commune bonum: quia ſuperior non poteſt ſine legi-

tima causa quemquam priuare suo iure. *tom.2.pag.229.n.8.*

38. Præter Summum Pontif.Episcopi,aliique Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, facultatem habent dispensandi in iuramentis. Excipe. 1.iuramenta Summo Pontif. reseruata, cuiusmodi sunt iuramenta quibus confirmantur statuta Collegiorum, Academiarum, & iura bonorum Ecclesiasticorum. 2. excipe iuramenta quæ annexum habent votum,Papæ reseruatum.Laica autem potestas in iuramentis dispensare non potest; quia vinculum iuramenti est spirituale, consequenter ipsius relaxatio ad spiritualem pertinet potestatem. Secùs dicendum de condonatione; hæc enim à Principe sæculari fieri potest; quia non est relaxatio vinculi spiritualis, sed remissio materiæ, seu crediti,quæ fieri potest à creditore,qua facta cessat obligatio iuramenti. *ibid.n.9.&* 10.

39. Iuramenta facta in honorem Dei, possunt ab ipso iurante,in melius, aut æquè bonum commutari: si enim possunt vota sic commutari, quidni iuramenta? At iuramentum homini factum non item;quia non semper gratius est homini, quod est melius. *ibid. num.*11.

40. Probabilius est eos qui facultatem habent delegatam commutandi vota,non posse commutare iuramenta,præsertim promissoria, talibus votis adnexa: quia hoc priuilegium est odiosum,cùm agatur de facultate dispensandi in iure naturali, & diuino;ergo strictè est explicandum. *ibid.n.12.*

Excommunicatio contra exigentes iuramenta.

41. Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit. *Inter Apostolicos*, decernit nulla iuramenta illicita,impossibilia,damnosa, vel libertati Eccles.aut decretis Concilij Trid. contraria, præstanda esse,reddenda,vel exigenda;deinde censuram addit contra transgressores;cum hoc tamen discrimine,quod Episcopos, aliosque Antistites suspendit à diuinis;Capitula, & conuentus, Ecclesiastico subiicit interdicto; regulares verò personas, excommunicationis gladio ferit, addita etiam inhabilitate ad officia, vel beneficia obtenta, & obtinenda. *disp. 2. quæst. 3. punct.17.pag.224.tom.3.*

42. Hæc censura tantùm afficit exigentes huiusmodi iuramenta; non autem præstantes; quanquam hi grauiter peccant, nisi ob ignorantiam excusentur; quia Deum adhibent testem rei illicitæ; & præterea priuantur vsu, & commodo rei cuius causâ scienter iurauerunt. *ibid.n.6.*

LAICVS

L.

LAICVS.

Ad laicam potestatem recurrentes.

1. QVI prætextu appellationis à violentia, seu grauiamine, aut à futura executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem, seu Curiam sæcularem recurrunt, in excommunicationem. 13. Bullæ Cænæ incurrunt, etiamsi id faciant ad necessariam sui defensionem, vel ad manifestam iniuriam Ecclesiastici iudicis propulsandam: Quia hoc fit in præiudicium iurisdictionis Ecclesiasticæ; neque hæc appellatio est legitima, quæ fit à superiore ad inferiorem: sic enim datur occasio Curiæ sæculari vsurpandi iurisdictionem Ecclesiasticam. Ideo dùm iudex Ecclesiasticus iniuriam infert, adeundus est superior Ecclesiasticus, immò ipse Summus Pontifex per viam appellationis, aut per supplices libellos. *disp.* 1. *quæst.* 14. *pag.66.67.tom.*3.

2. Obiicies Summum Pontif. excommunicare eos qui ad Curias sæculares confugiunt prætexentes friuolam appellationem; ergo qui ad sæculares Curias confugiunt ad iniuriam propulsandam non subiiciuntur excommunicationi, quia non prætexunt friuolam appellationem, sed veram. *Resp.* omnem appellationem quæ fit ab Ecclesiastico tribunali ad laicum esse friuolam, etiamsi fiat ad iniuriam Ecclesiastici iudicis propulsandam; adhuc enim sacrilega est, iniuriosa, & irrita cùm ab Ecclesiastico iudice ad laicum non detur appellatio. *ibid.punct.*1.*pag.*67 68.*num.*5.*tom.*3.

3. Consuetudo immemorabilis confugiendi ad laicam potestatem ad propulsandam iniuriam ab Ecclesiasticis illatam, non dat vllum ius laicis cognoscendi de causis Ecclesiasticis. Quia consuetudo præscribi non potest cum mala fide, & incapacitate subiecti, idest dum subiectum est incapax illius quod per consuetudinem inducitur: sed laicus non est capax Ecclesiasticæ potestatis; ergo non potest illam acquirere, per vllam consuetudinem etiam immemorabilem.

Ad hæc illa consuetudo singulis annis in Bulla Cænæ reprobatur & reuocatur. *ibid. pag.* 68. *n.* 6. *tom.* 3.

4. Qui ad repellendam iniuriam, seu ad necessariam sui defensionem auxilium laicorum implorat tanquam personarum priuatarum, in excommunicationem huius canonis non incurrit. Quia Summus Pontif. excommunicat eos qui ad Curias sæculares recurrunt: Curia autem sæcularis, seu laica potestas, formaliter loquendo ea dicitur; quæ publicam exercet iurisdictionem. *ibid. n.* 7.

5. Literæ Apostolicæ à quibus ad laicam potestatem non licet appellare, sunt Bullæ, Breuia, Citationes, Inhibitiones, Sequestra, Monitoria, Processus, Executoriales literæ, & quæuis alia Decreta quibus aliquid decernitur à Summo Pontif. vel ab aliis iudicibus, & officialibus Apostolicis. *ibidem, num.* 9. *& seq.*

6. Qui per appellationem ad Curiam sæcularem impedit executionem literarum Apostolicarum, vel alia quacumque ratione, in hanc censuram incurrit. Qui autem appellat à decreto Episcopi, vel eius Vicarij, vel alterius Prælati, eximitur ab hac censura: quia non impedit executionem literarum Sedis Apostolicæ, aut eius officialium, de quibus in hoc canone est sermo. *ibid. pag.* 69. *n.* 20. *tom.* 3.

7. Non solùm is qui appellationem interponit, verùm etiam qui alia ratione confugit ad laicam potestatem vt impediat literarum Apostolicarum executionem, ligatur excommunicatione: siue recurrat ad laicam potestatem in causis spiritualibus, siue in temporalibus, & profanis, licèt iudices laici ad quos confugit, sint subditi Ecclesiæ, & à Summo Pontif. constituti; licèt sint personæ Ecclesiasticæ, habentes tamen laicam & temporalem ditionem; denique licèt laici iudices interpositam appellationem non admittant. *ibid. numero* 25.

8. Qui impediunt ne tabelliones, & notarij conficiant acta, vel instrumenta super executione literarum Apostolicarum, aut ne acta vel instrumenta confecta tradantur parti cuius interest. Item qui vexant impetrantes literas Apostolicas, aut ipsorum consanguineos, affines, vel familiares, vt hoc pacto literarum executionem impediant, censuræ huius canonis subiiciuntur. *ibid. punct.* 2 *pag.* 70. *n.* 4. *& seq. tom.* 3.

9. Magistratus qui prohibet literas Apost. executioni tradi, antequam adueniat sui principis consensus, vel examen, eandem excommunicationem incurrit: quia consensus Magistratus,

ſtratus, & Principis pro eadem re accipitur, & quaſi vnum, & idem vtriuſque videtur eſſe tribunal. *ibid.pag.71. num.17. tom.3.*

10. Prælati, ſeu Clerici ad quos literæ Apoſtolicæ diriguntur, non incidunt in hanc excommunicationem, ſi præfatis literis non vtantur, aut eas executioni non tradant antequam Principis, vel magiſtratus beneplacitum accedat. Quia Summus Pontif. excommunicat eos qui impediunt, vel prohibent executionem literarum Apoſt. non autem eos qui non exequuntur. Idem dicendum de inferioribus iudicibus, capitaneis lictoribus, &c. qui rogati opem ferre renuunt ad harum literarum executionem. Item de notariis, qui acta vel inſtrumenta ſuper illarum executione conficere recuſant ſine Principis, vel Magiſtratus beneplacito; hi enim non dicuntur impedire executionem, ſed non exequi. Secùs autem ſi impediant ne inſtrumenta, vel acta ab aliis conficiantur. *ibid. num.18.*

11. In dubio an literæ Apoſt. ſubreptitiæ ſint, & inualidæ, non poteſt Magiſtratus ſæcularis, ſeu laica poteſtas illarum executionem impedire, aut de illarum validitate iudicare: Quia literæ Apoſt. iuxta ſacros canones diſcutiendæ ſunt, & examinandæ; ergo illarum diſcuſſio ad Eccleſiaſticum iudicem pertinet; neque iudex laicus eſt competens. *ibid.num.19.* Immò etiamſi conſtet ipſas ſubreptitias eſſe, & inualidas, non eſt Iudicis laici de illis cognoſcere, aut illarum executionem impedire; ſed fieri poteſt oppoſitio coram Eccleſiaſtico Iudice, vel etiam Summo Pontif. ſupplicatio exhiberi. Sin aditus ad Eccleſiaſticum Iudicem non pateat, & graue damnum timeatur, ſi eiuſmodi literæ ſubreptitiæ executioni tradi ſinantur, poteſt executio impediri, donec Summus Pontif. informetur. *ibid.n.20.& 21.*

12. Princeps laicus non poteſt literas Apoſtolicas à Legato, vel Nuncio Summi Pontif. exigere, non ſolùm vt illarum executionem impediat, ſed etiam vt illas auctoritatiuè recognoſcat. Quia auctoritatiua eiuſmodi recognitio ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectat. Poteſt tamen à Legato literas petere vt ſciat an verè ſit Legatus. Immò tenetur ipſe Nuncius ſeu Legatus literas ſuæ legationis teſtes exhibere, non vt à Principe laico auctoritatiuè iudicentur, ſed vt ipſe Princeps, & populus cognoſcat eum eſſe Summi Pontif. Nuncium. Si tamen Princeps ſeu Magiſtratus ſæcularis literas Apoſtolicas ſibi poſtulet exhiberi, non vt illarum executionem

nem impediat, sed vt illas examinet, & recognoscat, non incurrit excommunicationem. Quia Summus Pontif. excommunicat impedientes literarum Apost. exequutionem, non autem examinantes. *ibid. pag. 72. n. 22. & seq. tom. 3.*

13. Licet Principis, & Magistratus consensum petere, vt maior auctoritas, & fides literis Apostolicis accedat si Princeps subscribat, aut sub temporalibus pœnis illis obtemperari præcipiat, & executoriales literas ad hunc finem concedat. *ibid. num. 26.*

14. Ad excommunicationem huius canonis incurrendam non requiritur vt quis actu impediat literarum Apostolicarum executionem, sed sufficit sola prohibitio, etiamsi non obstante prohibitione suum effectum sortiantur, & executioni mandentur. Quia Summus Pontif. excommunicat impedientes, vel prohibentes sub disiunctione. *ibid. n. 27.*

15. Qui auctoritate publica vel priuata iniustè audent directè, vel indirectè, in genere vel in specie prohibere, vel mandare ne quis ad Rom. Curiam accedat, vel recursum habeat ad sua negotia prosequenda, aut gratias ac literas impetrandas; aut qui impediunt ne quis gratias, aut literas à Sede Apost. impetret, seu ne impetratis vtatur, aut qui audent præfatas literas retinere apud se, vel apud notarios, seu tabelliones, huius canonis excommunicationi subiiciuntur. *ibidem punct. 3. pag. 72. num. 3.* Hinc sequitur Episcopum nolentem admittere ad sacros Ordines spurium qui dispensationem circa defectum natalium impetrauit, aut impedientem ne capiatur possessio beneficij à Rom. Pontifice collati, in excommunicationem huius canonis incidere, nisi iusta de causa id faciat. *ibid. pag. 73. num. 12. tom. 3.*

16. Vt incurratur excommunicatio ob præfatas actiones in hoc canone prohibitas, requiritur præsumptio, temeritas, audacia, & scientia; quamobrem ignorantia nisi sit cum ingenti temeritate coniuncta excusat. *ibid. punct. 3. pag. 72. num. 2. tom. 3.*

Laicus Iudex ad se causas auocans ab Ecclesiastico Iudice.

17. Auocare causam nihil est aliud quàm cognitionem seu definitionem causæ apud alium iudicem pendentis ad se trahere, & reuocare. Hoc autem tribus modis fieri potest. 1. expressè citando partes litigantes ad prosequendam causam coram

ram suo tribunali. 2. prohibendo iudici coram quo agitur, ne amplius in ea causa procedat. 3. inhibendo partibus ne causam coram primo iudice prosequantur. *disp.*1. *quæst.* 15. *pag.*74. *punct.*1. Vnde sequitur ad incurrendam excommunicationem 14. Bullæ Cœnæ latam contra auocantes causas ab Ecclesiasticis iudicibus opus esse vt auocentur ad sæculare tribunal causæ quæ iam coram Ecclesiastico tribunali fuerant introductæ. *ibid.num.*3.*tom.*3.

18. Auocatio causarum à iudicibus Ecclesiasticis per eum facta qui fungitur auctoritate Ecclesiastica, non est sufficiens ad incurrendam huius canonis excommunicationem, modò fiat ab eo quatenus Ecclesiasticam iurisdictionem exercet: quia Summus Pontif. excommunicat eos qui cùm laicam iurisdictionem exerceant, auocant causas à iudicibus Ecclesiasticis. Si verò auocatio fit per eum qui fungitur auctoritate laica, etiamsi aliàs habeat iurisdictionem Ecclesiasticam, vt si auocatio fiat ab Episcopo, vel Cardinali qui iure patrimonij laicalem obtinet principatum, vel qui in Curia Principis sæcularis temporalem administrat iurisdictionem, hæc auocatio sufficit ad incurrendam censuram, quia derogat Ecclesiasticæ iurisdictioni. *ibid.num.*5.

19. Probabiliter sustineri potest ad incurrendam censuram latam contra auocantes causas à Iudicibus Ecclesiasticis, opus esse vt illæ causæ auocentur non solùm auctoritate iudiciaria; verùm etiam prætextu exemptionum, & priuilegiorum Apostolicorum: Quia Summus Pontif. vtriusque meminit absque disiunctione, ergo vtrumque est necessarium; verba enim legis pœnalis strictè sumenda sunt. *ibi.p.*75.*n.*6.*t.*3.

20. Causarum spiritualium, vel eis adnexarum auocatio ad laicum tribunal vetita est sub excommunicatione, etiamsi iudices Ecclesiastici negligentes sint in huiusmodi causis cognoscendis: quia iudex laicus incapax est iurisdictionis spiritualis, nec eam per consuetudinem etiam immemorabilem acquirere potest. Sed in hoc casu monendus est iudex Ecclesiasticus de neglecta, vel iniquè administrata iustitia, vel recurrendum est ad Summum Pontif. *ibid.n.*8.

21. Eandem excommunicationem incurrunt qui impediunt causarum spiritualium, vel spiritualibus annexarũ cursum, prosecutionem, audientiam, & personas, Capitula Conuentus, vel Collegia quæ prædictas causas prosequi volunt; & qui se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt. *ibid.pag.*76.*n.*13.*tom.*3.

22. Eadem

22. Eadem censura ligantur qui compellunt partes actrices ad reuocandum, vel reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, &c. vel ad consentiendum vt ij contra quos tales prohibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absoluantur. *ibid. num.* 19. Qui verò via iudiciaria, aut precibus, aut promissionibus, aut pecunia inducunt partes actrices ad consentiendum, non incidunt in excommunicationem; quia non compellunt vi aut metu *ibid. num.* 20. Neque incurrit excommunicationem qui compellit iudicem à quo excommunicatio, & aliæ pœnæ inflictæ sunt, vt absolutionem impendat. Quia in Bulla non est sermo de compellente iudicem, sed de compellente partes: hic tamen aliam excommunicationem incurrit, de qua suo loco. *ibid.num.*21.*tom.*3.

23. Mandans, consulens, fauens vt causæ spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis auocentur, vel vt ipsarum cursus impediatur, &c. incurrit excommunicationem modò sequatur effectus. At verò ratam habens illam auocationem, hoc vinculo non innodatur; quia illa approbatio est posterior effectu, ac proinde in illum non influit. *ibidem pag.* 77. *num.*25. *& seq. tom.*3..

24. Ecclesiastici qui sponte patiuntur se trahi in causis spiritualibus ad iudices sæculares, non videntur in hanc censuram incurrere; quia non fauent auocationi auctoritatiuè, sed permissiuè tantùm. *ibid.n.*26.

25. Priuilegium Summi Pontif. legitimè concessum, ab istius excommunicationis vinculo excusat auocantes causas spirituales, & Ecclesiasticas à Iudicibus Ecclesiasticis, vel illarum cursum impedientes: Tùm quia canon hic loquitur de auocantibus auctoritate propria; qui autem ex priuilegio aliquid facit, non dicitur auctoritate propria facere, sed auctoritate concedentis priuilegium: tum quia legislator in sua lege potest dispensare. *ibid.punct.*4.§.1. *pag.*77. Simplex autem tolerantia Summi Pontif. si qua est, priuilegium non inducit, *ibid. pag.*78.*num.*3. Porrò priuilegia ante Bullam Cœnæ concessa, per hanc Bullam reuocantur; nisi aliquod priuilegium confirmatum fuerit, aut peculiari aliqua, & inusitata forma concessum, vt per verba huius Bullæ reuocatum non censeatur. *ibid.num.*6.*tom.*3.

26. Priuilegium cognoscendi causas Ecclesiasticas Principibus concessum reuocari potest, non obstante immemorabili consuetudine, quia priuilegium inferiori concessum, potest

poteſt à ſuperiore reuocari; tum quia huiuſmodi priuilegium eſt odioſum, vtpote libertati Eccleſiaſticæ contrarium. *ibid. num. 6.*

27. Impedientes literarum Apoſtolicarum executionem, excuſari poſſunt ab excommunicatione, ſi impediant prætextu informandi, aut ſupplicationem exhibendi Summo Pontifici, modò tamen ſupplicationem coram Sede Apoſtol. legitimè proſequantur. Qui autem malitioſè, & abſque legitima cauſa impedit, non excuſatur etiamſi id faciat prætextu ſupplicationis Summo Pontifici exhibendæ; tùm quia dolus, & propria culpa nemini patrocinatur; tum quia is non poteſt ſupplicationem legitimè proſequi, quam ipſe ſcit eſſe iniuſtam. *ibid.* §.2.

28. Non licet Clerico ad laicum iudicem recurrere, & appellationem à Iudice Eccleſiaſtico interponere eo prætextu vt vim vi repellat; quia hoc fieri non poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ: quia moderamen inculpatæ tutelæ non ſeruatur quoties maior vis infertur, quàm opus ſit ad tuendum oppreſſum: in noſtro autem caſu maior vis infertur; tum quia innocens defenditur publica auctoritate cum vſurpatione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, cùm priuatim defendi poſſet abſque læſione Eccleſiaſticæ libertatis; tum quia defendi poteſt admonendo ſuperiores Eccleſiaſticos, iuxta ſacros canones, aut ſupplicationem porrigendo Summo Pontif. eámque legitimè proſequendo, non adito laico tribunali. *ibid.* §.3.*pag.*79.*num.*2. *tom.*3.

29. Prætextus prohibendæ violentiæ, ſeu iniuriæ, non eſt titulus ſufficiens ad excuſandos eos qui cauſas ſpirituales, & Eccleſiaſticas à iudicibus Eccleſiaſticis auocant, aut literarum Apoſtolicarum executionem impediunt, aliáve in Bulla prohibita faciunt; tum quia iure canonico prohibetur ne cauſæ Eccleſiaſticæ ad profanos, & ciuiles iudices deuoluantur; etiamſi Eccleſiaſtici iudices in adminiſtranda iuſtitia errauerint, aut negligenter ſe geſſerint; tum quia in hac auocatione non ſeruatur moderamen inculpatæ tutelæ, vt ſuprà probatum eſt. Tum quia propulſare auctoritatiuè iniuriam, eſt actus iuriſdictionis; ſed actus iuriſdictionis non poteſt à laicis exerceri in Eccleſiaſticos, qui laicæ poteſtati non ſubſunt. ergo. *ibid.* §.4.*pag.*80.*tom.*3.

30. Obiicitur primò. Qui facit id ad quod tenetur ex officio, non peccat, neque cenſuram incurrit. Sed Principes qui ſuperiorem in ſua ditione temporali non agnoſcunt, faciunt id

ad quod tenentur ex officio, dùm ab oppressis violentiam & iniuriam propulsant, & innocentes ad se confugientes tuentur, eorúmque appellationes admittunt; præsertim cum Reges & Principes ante Christi aduentum vtriusque iurisdictionis temporalis, & spiritualis vsum habuerint, vt patet in Mose. Deinde potestatem spiritualem Christus ademit Principibus sæculi eámque D. Petro, eiusque successoribus contulit. Quò fit, vt si iudices Ecclesiastici facultate sibi à Christo collata abutantur, inferendo aliis violentiam, iurisdictio spiritualis quæ fluxit à regia, & politica, redeat ad suum principium, idest ad Principes sæculares vt possint per viam protectionis clericos, & laicos ab iniuriis per iudices Ecclesiasticos illatis vendicare. *Resp.* negando minorem; falsum enim est Principes cognoscentes causas Eccles. per viam violentiæ facere id ad quod tenentur ex officio; quippe ex officio tenentur causas cognoscere sibi subditorum; Ecclesiastici autem non sunt subditi laicis. Falsum item est iurisdictionem spiritualem fluxisse à laica potestate; quia potestas Ecclesiastica est superioris ordinis. Si qui autem olim temporalem, & spiritualem iurisdictionem simul exercuerunt, hi fuerunt Reges simul, & Sacerdotes. *ibid. pag.* 81. *num.* 4. & *seq. tom.* 3.

31. Obiicitur secundò. Ecclesiastici sunt ciues, & membra Reip. temporalis; sed ciues, & membra Reip. subsunt Principi temporali; ergò Ecclesiastici subsunt Principi sæculari, ergo tenentur legibus Principum politicis ad violentiam arcendam. *Resp.* Ecclesiasticos esse quidem ciues, & membra Reip. sed immunes, & exemptos à Iurisdictione Principis sæcularis in causis spiritualibus: fatendum tamen ex vi directiua Ecclesiasticos teneri legibus Principum politicis quæ ad commune bonum spectant. Neque dixeris D. Paulum cùm ciuem Rom. se esse dixit, ad Cæsarem appellasse, proindeque se eius potestati subiecisse saltem quoad protectionem: Nam *Resp.* ipsum non appellasse à iudice Eccles. ad laicum, sed à laico, ad laicum vt ab eo protegeretur, cùm aditum ad alium non haberet. *ibid pag.* 82. *n.* 11. *tom.* 3.

32. Quæres quid igitur faciendum si Iudices Ecclesiastici, ipseque Summus Pontif. delicta impunita relinquat, innocentes iniustè vexent, & alia contra ius naturale, & diuinum faciant? nonne poterit Princeps, & magistratus sæcularis innocentum iura tueri, & ab illis violentiam propulsare? *Resp.* neque in hoc casu fas esse Iudicibus sæcularibus Summo Pontifici

tifici auctoritatiuè resistere, aut iurisdictionem in ipsum exercere; quia Summus Pontif. nullum habet in terris superiorem à quo iudicari aut in sua iurisdictione impediri possit. *ibid. pag.* 83. *n* 14. *tom.* 3.

34. Prætextus Bullæ non acceptatæ in iis locis in quibus non obseruatur, non est titulus sufficiens ad excusandos transgressores ab excommunicatione. Quia etiamsi nonnulli concedant legem non modo sæcularem, verùm etiam Ecclesiasticam non obligare vbi acceptata non est; id tamen non habet locum vbi constat Superiorem velle independenter ab acceptatione obligare. Atqui Summus Pontif. vult hanc Bullam independenter ab acceptatione obligare, excludit enim omnem prætextum; ergo obligat etiam in iis locis vbi non est acceptata. *ibid.* §. 5 *pag.* 84. *num.* 2. *tom.* 3.

L E X.

Quid, & quotuplex sit lex.

1. LEx, à S. Thomæ discipulis definitur Ordinatio rationis promulgata ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, seu qui potestatem habet obligandi. Ad condendam legem hæ requiruntur conditiones. 1. vt sit iusta. 2. vt promulgetur. 3. vt feratur à legitimo superiore. 4. vt feratur ob commune bonum immediatè, vel mediatè: lex enim omninò inutilis communitati non obligat. *tom.* 2. *pag.* 2. *num.* 1. *& seq.*

2. Prima legis diuisio est in æternam, diuinam, humanam, & naturalem. *Lex æterna* est mens, & ratio Dei, bona præcipiens, & mala prohibens. *Lex diuina* est ea quæ vim habet quatenus à Deo proficiscitur, éstque duplex, *vetus* seu *Mosaica*, & *noua* seu *Euangelica*. Rursus lex diuina subdiuiditur in diuinam naturalem qua idem præcipitur quod lege naturali, vt sunt præcepta decalogi; & in diuinam positiuam, qua præcipitur aliquid quod lege naturali, non est sancitum, vt est præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ, ab eo qui sibi conscius est peccati mortalis. *Lex humana* est illa quæ fertur auctoritate humana, dependenter tamen à Deo; estque duplex, Ecclesiastica, & sæcularis. *Lex naturalis* est dictamen, seu lumen naturale nostræ rationis, quo cognoscimus quæ facienda sint, quæ vitanda. *tom.* 2. *pag.* 3. *num.* 1. *& seq.*

3. Secunda legis diuisio est in naturalem, gentium, & ciuilem. Lex naturalis paulò ante definita est. *Lex gentium* est illa quam omnes homines, naturali ratione ducti constituunt; cuiusmodi est illa: *Possessiones sunt diuidendæ. Lex ciuilis* est illa quæ simpliciter auctoritate hominum decernitur. Quando verò lex ciuilis, canonicæ videtur aduersari, parendum est potiùs canonicæ, seu Ecclesiasticæ: nam Ecclesia leges ciuiles potest abrogare, *tom.2.pag.4.n.13.& seq.*

4. Tertia legis diuisio est in affirmatiuam quæ præcipit aliquid faciendum; & negatiuam quæ aliquid fieri vetat. *ibid.num.18.*

Quis possit legem ferre.

5. Lex condi potest ab eo qui habet publicam potestatem, iurisdictionem, & vim cogendi. Quare Summus Pontif. ferre potest leges Ecclesiasticas in toto orbe. Leges autem ciuiles non tantùm in suo territorio potest ferre, sed etiam in alieno, saltem indirectè, per ordinem ad finem spiritualem, quoties id necessarium esse duxerit ad salutem animarum. Hanc autem potestatem ferendi leges in Ecclesia, Summus Pontif. accepit immediatè à Christo: est enim proximus, & immediatus Christi Vicarius. Episcopi verò à Summo Pontif. hanc potestatem mutuantur. *tom.2.pag.5.n.1.& 5.*

6. Imperator legitimè electus potest in regna, & prouincias sibi subditas leges ciuiles ferre; non verò in orbem vniuersum: multi enim Christiani non sunt subditi Imperatori. Quare prouinciæ quæ neque iure dominij, neque iure feudi, neque alio titulo, Imperatori subsunt, non tenentur legibus Imperatoris. *ibid.n.5.& pag.6.num.eod.*

7. Reges in suis regnis possunt leges ciuiles ferre, cum in iis potestatem publicam, supremamque habeant iurisdictionem. Idem proportione dicendum de aliis Principibus supremis, qui superiorem in temporalibus non agnoscunt. Qui verò superiorem agnoscunt, possunt leges, iuxta limites à Principe sibi præscriptos, sancire. Ipsa etiam Regina quæ regni domina est, nullumque in temporalibus superiorem agnoscit, idem ius habet legum ferendarum. Contracto autem matrimonio, si ius & dominium regni, iure hæreditario, vel alio titulo competit fœminæ, ad Reginam pertinet leges ferre, nisi suas vices marito committat. Quia ad ipsam pertinet ius, & dominium regni, neque matrimonium transfert hoc dominium,

nium,

nium, seu administrationem regni in maritum, cùm regnum alienari non possit, nec in dotem dari *tom.2.pag.6.n.7.8.& 9.*

8. Respubl. seu Communitates perfectæ, quæ per se ipsas gubernantur, possunt in suis territoriis leges condere. Item Ciuitates quæ supremæ Reip. formam aliquam retinent. Quæ verò potestatem in Principem transtulerunt, leges propria auctoritate condere non possunt. *ibid.num.*10.*&* 11.

9. Concilia generalia Summi Pontif. auctoritate conuocata, possunt leges, & statuta generalia condere, iuxta facultatem sibi à Summo Pontif. concessam. Vnde licet inferre à Summo Pontif. ad Concilium generale, non dari appellationem: quia Summ. Pontif. non habet superiorem. Concilia verò non vniuersalia, sed prouincialia, nationalia, & synodalia, vim habent condendi leges obligantes territoria ipsorum iurisdictioni subiecta; neque faciunt ius commune, nisi à Summo Pontif. generaliter approbentur. *tom 2.pag.* 7.*num.*13.*&* 14.

10. Generales religionum approbatarum in Capitulo generali, & Prouinciales in prouinciali, concurrente maiori suffragiorum parte, possunt leges ferre. Reliqui verò Prælati possunt ea præcipere quæ ad obseruantiam regulæ sunt accommodata. Non tamen possunt subditos compellere ad obseruantiam regulæ quæ, dùm ipsi professionem emiserunt, auctoritate Summi Pontif. aut consuetudine legitimè præscripta, iam erat abrogata. Secùs dicendum si regula, paucorum culpâ non seruabatur, nondum tamen erat legitima consuetudine abrogata: tunc enim subditi, nouis constitutionibus compelli possunt ad eam seruandam; vouerunt enim regulam illius religionis, consequenter ad eius obseruantiam compelli possunt. *ibid.n.*15 *& pag.*8.*n.*18.

11. Collegium Cardinalium non potest, seu viuente Summo Pontif. seu sede Apostolica vacante, legem vniuersalem condere, immò nec particularem nisi in propriis titulis, in quibus iurisdictionem habent Episcopalem: cùm enim Collegium Cardinalium, vt probobilior fert sententia, non sit de iure diuino, nullamque habeat iurisdictionem quæ à Summo Pontif. non pendeat (si quidem Cardinales à Syluestro Papa instituti sunt) nuspiam legitur hæc facultas condendarum legum Cardinalibus à Pontifice concessa: sed illis tantùm permittuntur ea quæ ad electionem Summi Pontificis & ad Ecclesiæ defensionem spectant. *tom.2.pag.*8.*num.*26.*& pag.*9. *num. eod.*

12. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede Episcopali vacante, potest leges & statuta facere in diœcesi duratura donec reuocentur ab Episcopo successore. Immò potest statuta ab antecessoribus Episcopis facta reuocare, & contraria statuere, si ita expedire iudicauerit: Capitulum enim, exceptis casibus in iure expressis, sede vacante, succedit in iurisdictione Episcopi. Viuente autem Episcopo, non potest leges, vel statuta condere nisi circa ea quæ ad bonum regimen, & ordinem Capituli pertinent. *tom.2. pag.9. n.29. & 30.*

Conditiones legis ferendæ.

13 Ad ferendam legem sex potissimùm conditiones requiruntur. 1. vt feratur à legitimo superiore. 2. vt feratur ob bonum commune. 3 vt sit iusta. 4. vt promulgetur. 5. est lapsus temporis, seu termini à legislatore præscripti: nam lex vltra voluntatem legislatoris non obligat. 6. vt lex vsu recepta sit, seu acceptata *tom.2. pag. 11 n.1. & seq.*

14. Promulgatio legum quæ ab Imperatore, Rege, aut Principe supremo feruntur, in singulis prouinciis facienda est, neque obligat subditos illius prouinciæ in qua facta non est; distinctæ enim prouinciæ censentur distinctæ vniuersitates, proindeque distinctam postulant promulgationem. Promulgatio verò legum Pontificiarum facienda est in Curia Romana: & hæc promulgatio sufficit ad inducendam vbique obligationem seruandæ legis: vsus enim obtinuit vt leges Pontif. in sola Romana Curia promulgentur. *tom. 2. pag. 12. num 16*

15. Qui legem rescissoriam contractus, sufficienter promulgatam ignorat, licèt non peccet si contractum ineat contra legem: inualidè tamen celebrat contractum. Quia leges rescissoriæ hoc habent vt post promulgationem obligent etiam ignorantes: leges verò reuocatoriæ priuilegiorum, non obligent antequam reuocatio perueniat ad illius aures cui concessa fuerant priuilegia: quia priuilegium est fauorabile, fauores autem sunt ampliandi. *tom.2. pag 13. n.20.*

16. Lex statim post promulgationem obligat, quando nullus terminus ad obligandum fuit appositus, nisi aliter constet de mente legislatoris: solet autem legislator, quando non intendit ante certum tempus obligare, hoc exprimere: quare si nullum tempus exprimat, censetur velle legem statim post sufficientem promulgationem obligare, prout sonant verba legis.

Hoc

Hoc tamen est speciale legibus ab Imperatore conditis, vt non obligent ante duos menses à promulgatione. *ibidem, num.* 25.

17. Leges sub hac tacita conditione feruntur, vt vim habeant si fuerint acceptatæ, & vsu receptæ. Tunc autem lex dicitur non esse vsu recepta, quando populus, vel maior pars populi pergit facere quod consueuerat ante legis promulgationem, siue sciat legem esse promulgatam, siue ignoret. Tunc verò dicitur lex vsu recepta, & acceptata, quando maior pars communitatis facit quod lex præcipit, aut eam approbat verbo, vel scripto, aut eam non improbat. Potest tamen legitimus superior legem ferre quæ obliget subditos independenter ab ipsius acceptatione, & consensu: alioquin maior esset potestas populi, quàm Principis, quandoquidem populus posset legislatoris potestatem, ac iurisdictionem impedire. *ibidem, num.* 27. *& pag.* 14. *num.* 29.

18. Lex acceptata quoad vnam partem, obligat quoad eam tantùm partem quæ acceptatur. Quia quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. Potest etiam aliquando per consuetudinem abrogari quoad vnam partem, aut quoad pœnam, reliquis partibus in suo robore permanentibus. *tom.* 1. *pag.* 14. *num.* 30.

19. Possunt subditi ex iusta causa non solùm supplicationes, & preces ad legislatorem transmittere, vt legem reuocet, verùm etiam legis obligationem interim suspendere, donec iterum constiterit de voluntate legislatoris. Quia posita iusta, & rationabili causa legis reuocandæ, consonum videtur rationi, vt subditis pateat aditus ad legislatorem pro legis reuocatione, & interim legis onere non premantur, donec legislator mentem suam aperiat. *tom.* 1. *pag.* 15. *num.* 41.

20. Princeps potest subditos intra decennium, pœnis compellere ad seruandam legem promulgatam: transacto verò decennio, si lex acceptata non fuit, non potest Princeps, per se loquendo, subditos compellere ad seruandam legem: lex enim per desuetudinem, seu non vsum decennalem abrogatur, & tollitur. *ibid. num.* 46.

21. Vt lex obliget, non requiritur scriptura tanquam conditio necessaria: potest enim lex promulgari, & acceptari etiamsi non sit scripta; modò contrarium non sit vsu receptum, aut sancitum. Hinc licet inferre priuilegium absque scriptura concessum, non expirare morte concedentis, etiamsi literæ nondum essent expeditæ: quia priuilegium absque

ſcriptura conceſſum, eſt validum. Vt plurimum tamen, & regulariter loquendo, lex per ſcripturam ferri conſueuit. *ibid. num.*49.*& pag.*16.*num.*50.*&* 51.

Circa quam materiam lex verſetur.

22. Actiones humanæ ſunt materia legum: verſantur enim leges circa humanas actiones, præcipiendo bonas, & malas prohibendo. Ipſi etiam actus interni poſſunt aliqua ratione præcipi, vel prohiberi, non quidem ex ſe præcisè (quia merè interna ſoli Deo reſeruantur:) ſed quatenus pertinent ad complementum actus externi. Sic Eccleſia præcipiens recitationem diuini officij, ſimul etiam præcipit attentionem, quæ eſt actus internus: nam attentio eſt planè neceſſaria ad orationem. Item præcipiens annuam confeſſionem, ſimul etiam præcipit dolorem peccatorum, qui eſt actus internus ad ſubſtantiam confeſſionis omninò neceſſarius. Eodem modo prohibens actum aliquem externum, ſimul etiam prohibet internum illi reſpondentem, ſic cum prohibet furtum, prohibet etiam voluntatem furandi. *tom.*2. *pag.*16. *num.*2. *& ſeq. & pag.*17.*num.*9 *& ſeq.*

Quiſnam legibus obligetur.

23. Subiectum legis eſt homo ſubditus, capax rationis, iuxta tenorem legis. Hinc ſequitur infideles, aut catechumenos, legibus Eccleſiaſticis non adſtringi, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ. Pueros autem ratione vtentes, Eccleſiæ legibus obligari, conſequenter teneri ad confeſſionem annuam, ad Miſſam in die feſto audiendam, ad abſtinentiam à cibis vetitis in die ieiunij, &c. Item Auguſtam, id eſt Reginam, coniugem Principis condentis legem, ex natura rei obligari legibus à Principe conſtitutis, niſi eximatur, vti re ipſa eximitur. *tom.*2.*pag.*18. *num.*1.*& ſeq. & pag.*19.*num.*8 *& ſeq.*

24. Princeps non tenetur, præciſo ſcandalo, ſuorum prædeceſſorum leges obſeruare: quia non ſunt latæ à ſuperiore, cùm Princeps eâdem gaudeat facultate qua gaudebant prædeceſſores. Idem dicendum de Generalibus, reſpectu conſtitutionum ſui ordinis, niſi ob ſpecialem aliquam rationem illas ſeruare teneantur. *tom.*2.*pag.*19.*num.*12.

25. Princeps non obligatur, propriè loquendo, ex vi coactiua, ad ſeruandam propriam legem: quia lex obligat ſubdi-

tos,

tos, nullus autem est sibi subditus, neque vllus habet potestatem, & iurisdictionem coactiuam in seipsum. Propterea si Papa percutiat clericum, non ligatur excommunicatione. Item qui cum Summo Pontifice contractum celebrat aliàs simoniacum, non committit simoniam iure humano prohibitam, quia Summus Pontifex cum eo dispensare præsumitur. At si loquamur de vi directiua, & æquitate fundata in iure naturæ, dicendum est Principem teneri ad seruandas suas leges: debet enim alios suo exemplo mouere, vt sit conformitas inter caput, & membra; modò leges sint vniuersales, & ad statum Principis accommodatæ: nam Princeps qui lege cauit, v. g. ne magni sumptus fiant in vestes, non tenetur huic legi obtemperare. Si verò ferat legem præscribentem ieiunium, vel celebrationem dierum festorum, vel legem taxantem pretium rerum, tenetur eam seruare. *ibid.num.*14. *& seq. & pag.*20.*num.*19. *&* 20.

26. Clerici, aliíque Ecclesiastici non tenentur legibus ciuilibus ex vi coactiua: quia Princeps laicus non habet in clericos iurisdictionem. Ex vi autem directiua, tenentur legibus ciuilibus spectantibus ad bonum commune, Ecclesiasticæ libertati non repugnantibus; quia decet clericos esse aliis exemplo. *tom.*2.*pag.*21.*n.*29.

27. Cardinales ligantur legibus generalibus etiam odiosis à iure communi latis, consequenter afficiuntur censuris per verba generalia impositis à iure communi: sunt enim subditi iuri communi, seu Summo Pontifici: modò in quibusdam casibus aliter non constet de mente Summi Pontificis. *ibidem, num.*34.

28. Peregrinus, seu viator qui ad aliquem locum peruenit absque intentione ibi constituendi domicilium, vel ibi manendi maiori anni parte, non ligatur legibus particularibus, ac propriis illius loci: quia per breuem moram non acquiritur in illum iurisdictio, nisi fortè obligetur ratione scandali vitandi, aut alterius circumstantiæ. Qui verò accedit ad aliquem locum, animo ibi manendi maiore anni parte, ligatur legibus in eo loco receptis, fitque parochianus illius loci quo ad Sacramenta, excepto ordine, & tonsura. *tom.*2.*pag.*22.*n.*36. *&* 44.

29. Vagi qui nusquam certam habent sedem, obligantur legibus, & consuetudinibus locorum in quibus reperiuntur; alioquin exempti essent ab omnibus legibus, & statutis municipalibus, aut etiam decretis Episcoporum, quod non vide-

tur consentaneum rectæ gubernationi. *tom. 2. pag. 23. numero* 54.

30. Ciuis Mediolanensis, qui primis quatuor diebus proximè antecedentibus primam Dominicam Quadragesimæ (quibus diebus Mediolani non ieiunatur, nec abstinetur à carnibus, aut lacticiniis) si aliò se transferat vbi ieiunatur, tenetur ieiunare, & à carnibus abstinere: quia illa consuetudo Mediolani recepta est, & localis; præceptum verò ieiunandi illis quatuor diebus, est præceptum generale, latum à iure communi, quod vbique gentium obligat, exceptis iis locis in quibus non est receptum, aut in quibus contraria consuetudine fuit abrogatum. *tom. 2. pag. 24. num.* 55.

31. Qui præceptum obligans non solùm in loco proprij domicilij, sed etiam alieni, iam adimpleuit in proprio domicilio, non tenetur idem præceptum iterum adimplere in loco in quo postea reperitur, etiamsi ibi figat domicilium, aut ibi manere maiori anni parte statuat. Quia iam illud præceptum adimpleuit, neque idem præceptum bis obligat. Id contingere potest in celebratione alicuius diei festi qui non eodem tempore vbique celebratur. *ibid. n.* 57.

32. Qui in alieno territorio versatur, non tenetur seruare leges proprij territorij ibi non obligantes. Quia sicut agentia naturalia non agunt vltra sphæram suæ actiuitatis, ita Principes vltra proprium territorium, suam iurisdictionem non extendunt; & subditus in alieno territorio existens, non est actu subditus legislatori. Idque extenditur non solùm ad leges municipales, verum etiam ad leges iuris communis, quarum obseruatio viget in proprio territorio, non verò in eo loco vbi ad tempus versatur. *ibidem, num.* 59.

Obligatio legis humanæ.

33. Non omnes leges humanæ obligant in conscientia, præsertim sub peccato mortali: leges enim vetantes venationem, aut piscationem sine damno proximi, aut prohibentes delationem armorum nocturno tempore, per se loquendo, & præcisis aliis circumstantiis, non videntur obligare sub mortali. Ad hæc legislator præsertim ciuilis, vt plurimùm non intendit obligare sub peccato mortali, sed tantùm sub aliqua pœna. *tom. 2. pag. 25. n. 2.*

34. Lex

34. Lex pœnalis, qua scilicet aliquid præcipitur, aut vetatur, addita transgressoribus pœna, obligat sub peccato mort. aut veniali, iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem, nisi aliunde constet legislatorem nolle ad culpam obligare: quia pœna supponit culpam. Hinc sequitur præceptum recitandi horas canonicas sub pœna amissionis fructuum, aut legem soluendi vectigalia sub pœna amissionis mercium, obligare in conscientia, & sic de cæteris. *tom.2.pag.26.n.3.*

35. Leges quæ neque obligant ad culpam, neque ad pœnam, non sunt propriè leges, sed potiùs regulæ, seu ordinationes dirigentes ad bonum. Idem dicendum de regulis nonnullarum religionum, quæ ne ad culpam quidem venialem obligant. *tom.2pag.27.num.5.*

36. Lex inferens, ipso facto, pœnam transgressoribus, non obligat in conscientia, ante sententiam declaratoriam, ad subeundam pœnam quæ non potest executioni mandari absque actione hominis, nisi manifestè appareat eam esse legislatoris mentem. Potest enim legislator obligare ad soluendam pœnam ante sententiam; regulariter tamen non obligat. Immò etiamsi delictum ita notum sit, vt non possit vlla tergiuersatione celari, non tenetur delinquens, ante sententiam declaratoriam, soluere pœnam quæ ad sui executionem requirit hominis actionem, nisi aliter constet de mente legislatoris: hic enim est vsus, & praxis. Pœna verò ipso facto lata, quæ ad sui executionem non postulat hominis actionem, statim incurritur post legem violatam. Quare si lex ita feratur. *Qui hoc fecerit, sit excommunicatus ipso facto*: delinquens statim patrato delicto incurrit excommunicationem, cùm ad hanc pœnam subeundam nulla actio requiratur, neque expectanda est sententia criminis declaratoria. Tamen circa pœnam priuationis officij, beneficij, vocis actiuæ, & passiuæ, &c. nota delinquentem non teneri, cum periculo grauis infamiæ, hanc pœnam subire, ante iudicis sententiam. *ibid. num.6. & seq.& pag.28.n 9.& 10.*

37. Lex conditionalis, seu pœna sub conditione apposita, obligat ante sententiam iudicis, v. g. fœmina cui relictum est legatum sub hac conditione, *si à secundis nuptiis abstineat*, non potest accipere legatum, aut acceptum retinere, si ad secundas nuptias aduolarit. Quia hæc non est lex propriè pœnalis, priuans alterum re iam acquisita, sed priuans iure acquirendo: non acquiritur autem nisi adimpleta conditione. *tom.2. pag.29.num.24.& 25.*

38. Post iudicis sententiam reus tenetur eas sibi pœnas infligere,easque actiones exercere; quas licitè potest exercere, & quæ commodiùs ab alio quàm à reo exerceri non possunt, & quæ non sunt nimis acerbæ, modò iudicium sit completum, itavt reo nullum suppetat remedium ad infirmandam, & inualidandam sententiam, cuiusmodi remedium est appellatio ad superiorem. Quia reus tenetur parere sententiæ iudicis. Sic tenetur reus post sententiam, soluere pecuniam ad quam fuit condemnatus;modò tamen petatur:nam si dominus sciat, & non petat, reus soluere non tenetur, cùm sibi persuadere possit, dominum cedere iuri suo, consequenter potest huiusmodi pœnam,30. annorum spatio præscribere. *tom.2.pag.30. num.29.& 30.*

39. Hæres tenetur soluere pœnam realem, quam soluere debebat defunctus ob delictum prohibitum sub pœna ipso iure lata. Quia hæres succedit in onera defuncti realia, & viam vnius personæ gerit cum defuncto in obligationibus realibus. Obligationes autem personales non transeunt ad hæredes. *ibid.num.35.*

40. Illa lex non obligat in conscientia quæ aduersatur iuri diuino, aut bono communi, aut quæ excedit potestatem legislatoris, aut qua onus improportionatum imponitur, aut quæ in falsa præsumptione fundatur; modò absit periculum scandali, & perturbationis Reip. Quare hæres qui non confecit inuentarium,non tenetur in foro conscientiæ, soluere creditoribus testatoris, vltra vires hæreditatis: quia lex illa de soluendo vltra vires hæreditatis, fundatur in præsumptione, hæredem bona defuncti surripuisse. *tom.2.pag.31 num.2. & seq.*

41. Tenemur parere legibus, & sententiis ab eo latis,qui tyrannus est solo regimine, & administratione,id est, qui iustè quidem possidet regnum, sed iniustè grauat & vexat subditos: hic enim est legitimus superior, & pastor. Tyranno verò qui per vim regnum vsurpauit,tenemur obedire, quamdiu pacificè possidet regnum,& Resp. non resistit. Alioquin sequeretur Christianos in terris Turcarum, nullis Turcæ legibus teneri, cùm Turca sit tyrannus vsurpatione regni. Neque peccat tyrannus ferendo leges,& sententias: hoc enim facit auctoritate Reip. quæ, ex suppositione tyrannidis, vult ab ipso iudicia exerceri, ne multiplicentur incommoda in Republ. Peccat tamen tyrannus vsurpando regnum,illudque iniustè retinendo. *tom.2.pag.32.n.12.*

42. Ex

42. Ex his regulis intelligi potest an lex obliget sub peccato mort. necne. Prima fundatur in intentione legislatoris, quæ colligitur tum ex grauitate materiæ, tum ex aliis coniecturis, & signis infra tradendis. Quocirca quando legislator legem absolutè condit, neque addit sub qua culpa velit obligare, illud iudicandum est iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem. *tom.2.pag.33.n.1.& 2.*

43. Secunda regula sumitur ex verbis quibus lex fertur, modò leuitas materiæ non excuset. Hinc sequitur legem illam obligare sub mortali, quæ in materia graui fertur in hæc verba. *Iubemus, præcipimus, prohibemus*, &c, *præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub indignatione Dei*, aut *SS. Petri, & Pauli*, &c. legislator enim hac loquendi forma censetur velle obligare quantum potest. Item verbum, *oportet*, regulariter loquendo, in materia graui, inducit obligationem sub peccato mort. Item lex verbo imperatiuo condita, regulariter loquendo, obligat sub mortali, posita materiæ grauitate. Item hæc verba, *Sancimus, volumus, statuimus*, &c. inducunt obligationem sub mort. *ibid. num.3. & seq. & pag. 34.num.9.& seq.*

44. Tertia regula est grauitas materiæ quæ præcipitur; ex ea enim colligitur grauis obligatio legis. In materia autem leui non potest legislator obligare sub peccato mort. alioquin lex non esset iusta. Vt cognoscatur autem an materia sit grauis, an leuis, non potest certa regula præscribi, sed prudentis arbitrio relinquendum. Spectandus est potissimùm finis quem legislator intendit: res enim quæ ex se leuis est, fit aliquando grauis, habita ratione finis. Potest tamen legislator, in materia graui, obligare solùm sub veniali: quia actus moralis non excedit intentionem agentis. *tom.2.pag.34.num.13.& seq.& pag.35.n.23.*

45. Quarta regula petitur ex vna lege aliam explicante, aut ex communi hominum æstimatione arbitrantium legem obligare sub peccato mortali: non enim præsumendum est in eo errorem committi quod communi hominum sensu admittitur. Consuetudo etiam, vim habet legis, & inducit obligationem ad culpam. *tom.2.pag.35.n.24.*

46. Quinta regula sumitur ex acceptatione legis: lex enim obligat quatenus acceptatur; si ergo non acceptetur tanquam obligans ad grauem culpam, nõ obligat sub culpa lethali, etiãsi legislator intentionem habeat grauiter obligandi; nisi legislator intẽdat obligare indepẽdẽter ab acceptatione. *ibid.n 25.*

47. Sexta

47. Sexta regula fundatur in grauitate pœnæ : nam pœna debet habere proportionem cum delicto. Lex tamen quæ grauem pœnam continet, non obligat sub mortali, quando pœna in re leui imponitur tantummodò ad terrorem, vt si sub pœna capitis prohibeatur venatio leporum, vel ceruorum : lex enim videtur iniusta ob leuitatem materiæ. Quapropter subditus non tenetur illi legi, vtpote inualidæ, in conscientiâ, obedire, nisi ex aliqua circumstantia, iusta præsumatur. *ibid. numero* 26.

48. Septima regula petitur ex graui aliqua censura, vel pœna Ecclesiastica imposita transgressoribus legis : nam grauis censura, cuiusmodi est excommunicatio maior, aut grauis suspensio, non fertur nisi ob peccatum mort. *ibidem, numero* 30.

Lex irritans.

49. Acta quæ fiunt contra legem irritantem ipso facto, sunt inualida in vtroque foro. Quare qui contractu irrito rem accepit, non potest illam tanquam propriam retinere vi talis actus præcisè : quia per contractum irritum non acquiritur dominium. Incurritur autem irritatio ipso facto, ante declarationem, quando irritatio non fundatur in falsa præsumptione, seu quando non seruatur forma substantialis ad valorem requisita. *tom.*2. *pagin.*36. *numero* 2. *& pag.* 37. *numero* 5.

50. Ad incurrendam irritationem actus, illius præsertim qui defectu formæ substantialis irritatur, non requiritur scientia legis irritantis. Quare matrimonium clandestinum, est inualidum, etiam respectu illius qui ignorat decretum Concilij Trident. irritans matrimonium clandestinè initum. Item qui beneficium obtinet bona fide, per pactum simoniacum, quod ipse ignorat ; inualidè obtinet. *tom.*2.*pag.*37 *n.*6.

51. Actus humana lege irritus non obligat in conscientia : Ecclesia enim & Principes possunt actus in vtroque foro irritare. *ibid.num.*7.

52. Actus contra legem prohibentem, non sunt inualidi per se, ex eo solùm capite, quia prohibentur à lege : multa enim illicitè fiunt quæ tamen facta tenent. Neque verò omnes actus, qui iure naturæ prohibentur, sunt irriti : validus est enim contractus quo quis rem vni promissam, alteri vendit : validum item matrimonium, de præsenti celebratum

cum

cum vna, poſt ſponſalia priùs cum alia celebrata; quamuis peccet qui tale matrimonium celebrat. *ibid.n.*8.

53. Actus contra ius commune, videtur ipſo facto irritus; non quidem ſecundùm ſe, & in foro conſcientiæ ante ſententiam iudicis; ſed quia per ſententiam iudicis ita declarari poteſt irritus, ac ſi fuiſſet irritus à principio; hoc autem procedit in iis tantum locis in quibus lex Theodoſij Imperatoris, quæ incipit, *Non dubium*, recepta eſt. *ibidem. num.*10.

54. Actus celebrati ſine forma ſubſtantiali, ſeu ſine ſolemnitate requiſita à iure, inualidi ſunt in vtroque foro. Cenſetur autem ſolemnitas eſſe ſubſtantialis, quando apponitur clauſula irritans factum ſine tali forma celebratum: ſicut enim in phyſicis illa dicitur forma ſubſtantialis, qua deſtructa corrumpitur compoſitum, ita in moralibus illa dicitur forma ſubſtantialis, qua non ſeruata, actus non ſubſiſtit. *ibid. n.*14. Excipe actus qui fiunt ad cauſas pias: ſunt enim validi etiam abſque ſolemnitate præſcripta à iure ciuili. *tom* 2.*pag.* 38.*num.*16.

55. Licet leges interpretari, non ſolùm exponendo, verùm etiam ampliando, aut coarctando: hic enim eſt vſus, & praxis. Concilij autem Tridentini decreta fas eſt obiter, & humiliter, in rebus dubiis interpretari. Porrò declarationes ſacræ Congregationis Cardinalium circa Tridentinum, maximi quidem ſunt ponderis, ab iiſque non eſt facilè recedendum: vim tamen legis non habent, antequam ſufficienter proponantur, & publicentur. *tom.* 2.*pag.* 39.*num.* 2. *& ſequent. & pag* 40. *num.*4.

56. Lex humana odioſa, explicanda, & extendenda eſt iuxta naturalem verborum proprietatem, non verò ſtrictiùs, aut laxiùs. At in materia fauorabili, lex explicanda, & extendenda eſt quantum verba patiuntur, non ſolùm iuxta naturalem, ſed etiam iuxta ciuilem proprietatem, v. g. lex fauorabilis loquens de filiis, extendenda eſt ad adoptiuos; loquens de legitimis, extendenda eſt ad legitimatos. In dubiis autem in materia legis pœnalis, mitior pars amplectenda eſt, ſeruata verborum proprietate. *ibid.n.*8.*& ſeq.*

57. Lex pœnalis, ob paritatem rationis, non eſt extendenda ab vno caſu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna perſona ad aliam. Iuxta tritum illud axioma, *In lege pœnali non valet argumentum à ſimili*, ſeu *ab identitate rationis*, ſeu *à fortiori*, ſeu *à maiori ad minus*, ſeu *à contrario ſenſu*. Si

tamen

tamen lex ſit generalis, generaliter intelligenda eſt de omnibus caſibus ad quos verba legis extendi poſſunt; & licet vnius tantùm perſonæ fiat mentio, non tamen propterea cæteræ cenſentur excluſæ. *tom.2.pag.42.num.23.*

58. Non ſolùm in lege pœnali,ſed etiam in fauorabili non eſt facienda extenſio ad ſimiles caſus, niſi ad ipſos extendantur verba legis iuxta proprietatem verborum naturalem, vel ciuilem,niſi aliter cogat neceſſitas. Quia diſpoſitio legis pendet à voluntate legiſlatoris, qui poſita paritate rationis poteſt pro ſuo arbitrio vnum velle, & non aliud. *tom. 2. pag. 42. num.26.*

Quomodo ſatisfiat præcepto, ſeu legi.

59. Præceptum poteſt adimpleri per actum ex aliqua circumſtantia malum,vt quando quis ieiunat ob vanam gloriam, aut in die ieiunij, vnica refectione contentus, intemperanter comedit. Modus quippe non cadit ſub præceptum; modò non ſit de intrinſeca ratione actus præcepti; alioquin præceptum non poteſt adimpleri, niſi adimpleatur modus. Sic qui dormiens aſſiſtit ſacro Miſſæ ſacrificio, non ſatisfacit præcepto Miſſæ audiendæ; quia aſſiſtentia humana requiritur tanquam modus pertinens ad ſubſtantiam præcepti. *tom.2. pag.43.n.1. & 2.*

60. Poteſt vnico actu pluribus præceptis ſatisfieri,quando ſuperior id concedit: nam obligatio legis pendet à mente legiſlatoris. Quare qui vouit ieiunium in vigilia omnium Sanctorum, eodem ieiunio ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, & obligationi voti *ibid.n.4.*

61. Poteſt eodem tempore, per diuerſos actus, ſatisfieri pluribus præceptis,quando vnus actus non impedit alium. Sic qui tempore Miſſæ recitat Horas Canonicas,ſatisfacit vtrique obligationi; quia vnus actus non impedit alium. *tom.2. pag. 44.num.8.*

62. Vt præceptum adimpleatur, requiritur intentio faciendi opus quod præcipitur, v.g. vt quis ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, requiritur intentio audiendi Miſſam: nam opus præceptum adimplendum eſt humano modo, id eſt, cum intentione illud præſtandi. Non tamen eſt neceſſe ,vt opus præceptum fiat intentione ſatisfaciendi præcepto: licèt enim lex præcipiat opus fieri,non tamen præcipit illud fieri cum intentione implendi præcepti. Sic qui Miſſam audit neſciens eſſe

esse diem festum, satisfacit præcepto. *ibidem, num.2. & 9.* Immò qui facit opus præceptum, cum intentione non adimplendi præcepti per illud opus, nihilominus satisfacit præcepto, v. g. Titius audit Missam intendens non satisfacere præcepto, illa auditione; sed alia: si tamen postea aliam Missam non audiat, præceptum impleuit: quia fecit opus iniunctum. *tom.2.pag.46.num.19.*

Legis abrogatio.

63. Lex antea recepta, vim obligandi amittit per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per correctionem, seu per restrictionem, iuxta correctionis, aut restrictionis qualitatem. Quia posterior voluntas Principis derogat priori, etiamsi in posteriori lege, nulla prioris mentio fiat. *tom.2.pag.46.num.1.*

64. Cessante causa motiua, seu finali legis, respectu totius communitatis, cessat obligatio legis, etiam absque alio decreto, vel declaratione Principis: quia non præsumitur velle obligare, cessante fine legis. Item legis obligatio cessat in iis casibus, qui per epiikeiam non censentur comprehensi in lege, etiamsi verba legis illos casus comprehendere videantur: quia legislator non præsumitur velle illos casus comprehendere, qui ob superuenientem aliquam circumstantiam fiunt illiciti, aut perniciosi Reipublicæ, aut nimis difficiles, seu moraliter impossibiles, &c. *tom.2.pag.47.num.1.8.& seq.*

65. Per contrariam consuetudinem legitimè introductam, leges vim obligandi amittunt: legitima enim consuetudo vim habet legis. Tres autem sunt præcipuæ consuetudinis proprietates. 1. est interpretari legem; quando enim oritur dubium circa legis intelligentiam, recurrendum est ad consuetudinem, quæ dici solet optima legum interpres. Item ad validitatem contractuum non leue ducitur argumentum ex consuetudine. 2. proprietas consuetudinis est legem inducere. 3. legem inductam mutare, & abrogare, vel in totum, vel in partem. *tom. 2. pag. 48. num. 1. & pag. 49. num.4.*

66. Vt consuetudo veterem legem abrogare, & nouam introducere possit, hæ conditiones requiruntur. 1. vt id quod per consuetudinem introducitur, possit esse materia legis; hinc fit vt contra ius diuinum, aut naturale, consuetudo legitimè induci non possit; quia materia huius consuetudinis est res

mala,

mala,& vetita. 2. vt consuetudo per actus voluntarios inducatur: lex enim est actus voluntarius, & liber. 3. vt consuetudo abrogans legem inducatur ab iis qui tenentur legem seruare. 4. vt adsit intentio eximendi se per consuetudinem, à lege abroganda, vtque id quod inducitur per consuetudinem, obseruetur tanquam præceptum, seu per modum obligationis, alioquin consuetudo non pariet obligationem, nec vim habebit legis: quod enim frequenter fit ex sola deuotione, vel gratitudine, aut liberalitate, nullam inducit obligationem, seu legem 5. vt consuetudo sit vniuersalis: minor quippe populi pars, consuetudinem inducere non potest, maior potest. 6. vt consuetudo inducatur per eos qui legem condere possunt, vel habent capacitatem actiuam condendi leges, vel saltem passiuam eas recipiendi, interueniente aliquo superioris consensu. 7. vt consuetudo sit longæua, id est, vt seruata fuerit per spatium decem annorum: decem quippe anni sufficiunt ad consuetudinem præscribendam, modò non sit contra ius Ecclesiæ: ad præscribendam enim consuetudinem contra Ecclesiæ iura, requiruntur 40 anni, cum aliquo titulo, aut etiam tempus immemorabile, si ius resistat. 8. conditio est vt adsit Principis consensus, saltem tacitus. *tom. 2. pag. 49. num. 6. & seq. & pag. 50. 51.*

67. Consuetudo potest legem abrogare, etiamsi in lege damnetur, vel reprobetur consuetudo, vt si dicatur: *Volo hanc meam legem seruari, non obstante quacumque consuetudine contraria*: quia consuetudo vim habet abrogandi legem, modò accedat aliquis Principis consensus: secus si Princeps non consentiat, sed reprobet consuetudinem contrariam, & in sua sententia persistat. *tom. 2. pag 52. n. 36.*

68. Lex potest vi sua, & absque alia clausula, præcedentem consuetudinem abrogare, modò habeat omnimodam contrarietatem, & repugnantiam cum consuetudine, & legislator conscius sit consuetudinis: quia consuetudo non adimit superiori facultatem, & auctoritatem condendi leges. *ibidem, numero 38.*

69. Per legem vniuersalem non abrogantur consuetudines speciales locorum, aut statuta particularia, nisi eorum fiat mentio in lege, aut nisi saltem, per clausulam generalem reuocetur expresse qualiscumque contraria consuetudo, statutum, aut priuilegium. Quia Princeps censetur ignorare consuetudines speciales locorum, consequenter non censetur eas velle abrogare, nisi earum mentionem faciat. *ibid. n. 40.*

70. Per

70. Per hæc verba ; *Non obstante contraria consuetudine*, non reuocatur consuetudo immemorabilis, nisi in reuocatione addatur : *Non obstante consuetudine, etiam immemorabili*, aut nisi aliquid æquiualens apponatur : quia consuetudo immemorabilis peculiaribus priuilegiis in iure gaudet. *ibid. num.*43.

51. Introducentes consuetudinem contra legem, seu contra antiquam consuetudinem legitimè receptam, peccant toto eo tempore quo faciunt contra legem, vel consuetudinem, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem introducendam, nisi forte Princeps hoc sciat, & toleret, aut nisi bona fides excuset. Quia lex, eiusque obligatio viget, donec elapsum sit tempus requisitum ad consuetudinem inducendam. *tom.*2.*pag.*53.*n.*45.

Libellus famosus.

1. Libellus famosus dicitur signum vel scriptura quæ alicuius infamiam continet nondum antea publicam, vt publica fiat. Literæ priuatæ ad priuatum missæ exprimentes occultum alicuius delictum infamatorium, non habent rationem libelli famosi, sed detractionis. *tom.*2. *pag.*436. *num.*1.*&* *seq.*

2. Qui tacito suo nomine schedulam defert ad superiorem de delicto alicuius occulto, eam v. g. reponendo super mensam, censetur libellum famosum conficere, si hoc faciat vt superior de crimine inquirat, illudque notum, ac publicum efficiat notorietate iuris : cum enim superior per huiusmodi scripturam non possit procedere ad inquisitionem, quia illi scripturæ non est fides adhibenda, sequitur illam scripturam libelli nomine nuncupari. Item qui apponit aliquod signum quo alter infametur, vt si cornua ad ianuam affigat, ad indicandum aliquem habere vxorem adulteram, censetur auctor libelli famosi. *ibid. num.*5.*&* 6.

3. Conficiens libellum famosum, vel ad illum concurrens, grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem famæ, prout fuit causa infamiæ, propterea tenetur publicè famam restituere, si publicè infamauit, vt fiat restitutio ad æqualitatem. *ibid. num.*7. *&* 8.

4. Auctor libelli famosi, iure communi excommunicandus est. Immò Alexander IV. tulit excommunicationem Papæ reseruatam in eos qui libellos famosos faciunt contra sta-

tum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum; quod priuilegium extendi potest etiam ad alios religiosos quibus communicata sunt illorum priuilegia. *ibid.n.9.*

LIBRI.

Librorum editio.

1. IN Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 10. & in Indice librorum prohibitorum regula 10. habetur excommunicatio contra imprimentes, aut imprimi facientes libros sine superiorum licentia, & approbatione, & in Concilio Trident. *sess.* 4. renouatur decretum Concil. Lateran. & extenditur ad vendentes, & retinentes prædictos libros, agentes de rebus sacris. *disp.2.quæst.2.punct.16 pag.167.n.1.tom.3.*

2. Hinc collige legentem præfatos libros non ligari excommunicatione, modò illos apud se non retineat, sed apud alium existentes legat: si tamen liber sit hæreticus, vel aliqua contineat contra bonos mores, incurritur in excommunicationem Bullæ Cœnæ. *ibid.pag.168.n.4.tom.3.*

3. Vt excommunicationis pœna in imprimendis libris euitetur, hæc sunt seruanda. 1. vt si liber Romæ imprimendus sit, adsit approbatio Vicegerentis, & Magistri sacri Palatij. 2. in aliis diœcesibus requiritur approbatio Ordinarij, vel alterius ab eo deputati qui peritus sit illius materiæ, de qua in eo libro agitur. 3. requiritur approbatio inquisitoris, quæ approbatio facienda est in fronte libri propria manu, & gratis, vt expresse habetur in præfatis constitutionibus; ad censuram autem vitandam non requiritur approbatio laicorum. 4. si liber est alicuius regularis, requiritur licentia Superiorum religionis. 5. adhibendum est nomen auctoris, si liber tractat de rebus sacris; non tamen necesse est apponere nomen determinatæ personæ, sed sufficiat nomen Academiæ, Collegij, aut Vniuersitatis. *ibid.n.6 & seq.*

4. Qui communicat alteri conciones, scripta theologica, orationes, prælectiones, annotationes, obseruationes de rebus sacris, non examinatas, neque approbatas, non incidit in excommunicationem; quia hæc manuscripta non fuerunt scripta vt diuulgetur, sed tantùm ad priuatum vsum. *ibid.pag.169. num.12.tom.3.*

5. Transcribentes libros hæreticorum, eósque aliis communicantes, puniendi sunt tanquam hæreticorum fautores, vt habe

habetur in Bulla Cœnæ. Qui verò libros Catholicorum corrumpunt,aut ſanam doctrinam, dogmatibus hæreticorum deprauant,incurrunt pœnam excommunicationis in VI. Synodo Conſtantinop. *ibid.n.*13.*&* 14.

6. Qui librum examinatum, & approbatum à ſuperioribus non admittit, in nullam incurrit cenſuram; exceptis libris canonicis,& traditionibus Apoſtolicis, quas qui contempſerit ſciens, & prudens, excommunicationem ipſo facto incurrit; quia cenſetur hæreticus. Dicuntur autem libri canonici, qui à Spiritu ſancto dictati ſunt,& ab Eccleſia inter ſcripturas canonicas annumerati. *ibid.n.*15.*& ſeq.*

7. Inquiſitores, vel Ordinarij locorum Clementis VIII. decreto, antequam licentiam concedant imprimendi Breuiarium, iubentur ipſum ante & poſt impreſſionem conferre cum Breuiario auctoritate ipſius Clementis recognito, & ne quid addi, vel detrahi ſinant, alioquin Inquiſitores ipſo facto priuantur ſuis officiis tanquam inhabiles: Ordinarij ſuſpenduntur à diuinis,& interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ, ipſorum verò Vicarij excommunicationi ſtatim ſubiiciuntur, officiorum, & beneficiorum priuationem, & inhabilitatem ad quæuis alia hoc ipſo incurrunt. *ibid.num.*17.

8. Hæc excommunicatio non eſt reſeruata.

Commentarij in Concil. Trident.

9. Pius IV. in Bulla quæ incipit, *Benedictus Deus*, éſtque 73. edicit Prælatis quidem ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, aliis verò quicumque fuerint,ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne quis ſine licentia Summi Pontificis vllos commentarios,gloſſas,annotationes,ſcholia, vllúmve omnino interpretationis genus ſuper Concilij Tridentini decretis edere audeat. *diſput.*2.*quæſt.*2.*punct.*17.*pag.*170.*tom.*3.

10. Doctores qui Concilij Tridentini decreta nonnunquam interpretantur occaſione doctrinæ de qua diſſerunt,non delinquunt contra hanc prohibitionem; quia non dicuntur edere gloſſas, commentarios, &c. cùm id incidenter,& quaſi per accidens faciant, occaſione aliunde ſumpta. *ibidem, num.*2.

11. Qui deciſiones ſacræ Congregationis quæ interpretationi Concilij præeſt ſcribunt, & aliis vendunt,huius Bullæ cenſuram non incurrunt. *ibidem, num.*4. Neque qui ſolas remiſſiones Doctorum circa Concilij Tridentini decreta edunt;

quia nihil ipsi asserunt, sed solum innuunt Doctores, qui ea de re incidenter agunt; huiusmodi tamen libri Romæ sunt interdicti. *ibidem, num.* 5. Neque item qui librum edit in laudem Concilij Tridentini, aut historicam narrationem eorum quæ tempore Concilij contigerunt; quia non edit scholia, aut glossas super decretis Concilij. *ibid. n.* 6.

12. Ignorantia ab hac censura excusat, modò non sit cum ingenti temeritate coniuncta. *ibid. n.* 8.

13. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Libri Thalmud.

14. In constitutione 20. Clementis VIII. quæ incipit, *Cum Hebræorum malitia*, habetur excommunicatio contra eos qui libros *impij Thalmud*, & alia huiusmodi scripta prohibita, & damnata, blasphemias, & impietates contra Deum, SS. Trinitatem, & Saluatorem nostrum IESVM Christum, &c. continentia legunt, & retinent. *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 40. *pag.* 252. *tom.* 3.

15. Hæc censura extenditur ad eos qui opem, consilium, auxilium vel fauorem Hebræis præstant pro habendis, scribendis, imprimendis, vel vndecumque aduehendis, aut transuehendis huiusmodi libris. *ibid. num.* 2.

16. Huic excommunicationi affinis est alia quæ refertur in Bullario *tom* 1. contra Principes, & rectores locorum quorumcumque, qui non faciunt diligenter inquiri per domos, & Synagogas Iudæorum libros *Thalmud*, & inuentos comburi. *ibid. pag.* 253. *n.* 5. *tom.* 3.

LITERÆ PONTIFICIÆ.

Literas Pontificias impugnantes.

1. IN Extrauaganti vltima inter communes, de sententia excommunicationis excommunicantur illi qui putantes Summum Pontif. ante coronationem non habere Pontificiam auctoritatem, inde arripiunt occasionem temerè impugnandi ipsius rescripta, concessiones, seu literas super quibuscumque negotiis confectis ante coronationem. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 11. *pag.* 164. *tom.* 3.

2. Hinc sequitur illum qui literas Summi Pontif. impugnat eò quod putet ipsum non esse legitimè electum, non incide

incidere in hanc censuram: quia in hac Extrauaganti excommunicantur impugnantes literas ex opinione quod Summus Pontif. careat auctoritate Pontificia ante coronationem. *ibid. pag.165.num.3.tom.3.*

3. Hæc Extrauagans quamuis edita fuerit occasione Clementis V. & literarum illius quæ impugnatæ fuerant; tamen etiam nunc vires,& robur habet: quia ratio istius constitutionis semper durat. *ibid.n.5.*

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

In literis Apostolicis nomen mentientes.

5. Innocentius VIII. in Bulla 9. quæ incipit, *Cum sicut*, & Leo X. in Bulla 28. quæ incipit, *Inhærendo vestigiis*, excommunicationem tulerunt contra eos qui in literis Apostolicis, vt illarum expeditionem gratis obtineant, fingunt se nepotes, fratres, aut familiares, continuos commensales Cardinalium,aut aliorum, quorum literæ ex priuilegio, vel consuetudine gratis expediri solent: & Leo X. excommunicationem extendit ad officiales permittentes huiusmodi fictionem, adiecta suspensione per annum à perceptione, emolumentorum sui officij. *disput. 2. quæst. 3. punct. 5. pagin. 189. tom.3.*

Literæ Pœnitentiariæ.

6. Iulius III. in Bulla 1. quæ incipit, *Rationi congruit*, excommunicationem infligit iis qui executionem literarum sacræ Pœnitentiariæ impediunt, vel ad id consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstant. *disp. 2. quæst. 3. punct. 19. pag 225.tom.3.*

7. Si is ad quem præfatæ literæ diriguntur vt eas exequatur, exequi nolit,non subiicitur huic excommunicationi;quia aliud est impedire, aliud non exequi: nam impedire dicit actionem positiuam contra executionem literarum; non exequi autem significat tantùm omissionem actionis. *ibidem, numero* 4.

8. Hæc excommunicatio reseruata est Summo Pontif.quia Iulius III. imponit delinquentibus omnes censuras,& pœnas in Bulla Cœnæ latas contra eos qui literarum Apostolicarum executionem impediunt;reseruatio autem est pœna in ea Bulla contenta. *ibid. num.6.*

LOCATIO, ET CONDVCTIO.

Quid sit locatio, & quæ eius materia.

1. LOcatio est contractus, quo persona, seu res mercede conceditur ad vsum, vel fructum. Conductio verò est contractus, quo accipitur. Quidquid potest vendi, potest & locari, nisi obstet specialis aliqua prohibitio. Quædam enim prohibentur locari, quæ tamen vendi possunt, vt seruitutes prædiales; & vice versâ quædam locari possunt, quæ vendi prohibentur, vt res pupilli, & minoris, bona dotalia. *tom. 2. pag. 561. num. 1. & 2.*

2. Res Ecclesiæ, ad breue tempus locari possunt; non tamen vltra triennium: nam in Clement. quæ incipit, *Ambitiosæ*, cautum est sub grauissimis pœnis, ne de rebus Ecclesiæ, vt fundis, prædiis, domibus, locatio fiat vltra triennium, alioquin sit inualida. *ibid. n. 3.*

3. Conductor potest rem quam ipse conduxit, alteri locare, æquè idoneo, & ad eundem finem, modò primus locator inde non patiatur damnum. Quare conductor non potest locare domum meretrici; hoc enim cederet in damnum, & dedecus primi locatoris. Secundus autem conductor debet pensionem soluere secundo locatori cum quo iniit contractum: ipsius tamen bona quæ reperiuntur in illa domo, manent tacitè hypothecata pro pensione soluenda domino domus. *ibid. num. 4. & 5.*

4. Quando fundus, aut domus est communis pluribus, vnus autem vult vni locare, alter alteri, hic ad vnum vsum, alter ad alium, hic personæ honestæ, ille inhonestæ; præualebit contractus illius qui habet maius ius in re, seu maiorem partem, vel qui vult locare personæ honestæ: illius enim, cæteris paribus, potior est conditio. Sin æqualis sit omnium conditio, res erit sortibus permittenda, vel recurrendum ad iudicem qui controuersiam dirimat. *ibid. n. 6.*

5. Quisquis facultatem habet vendendi, & emendi, potest contractum locationis, & conductionis inire, nisi specialiter prohibeatur. Sic militibus, & curialibus, id est, iis qui obstricti sunt Curiæ, vetitum est prædia conducere ad colendum. Item clericis, & monachis non licet, præcisa necessitate, conducere prædia laicorum, quamuis possint succedere conductori. *tom. 2. pag. 652. n. 9.*

Locator, & conductor ad quid obligentur.

6. Locator tenetur rei locatæ vitium conductori aperire. Quò fit, vt is qui mala fide domum alienam locauit alteri, à quo verus dominus eam euicit, teneatur ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis; est enim causa iniusta damni. Secùs dicendum si bona fide locauit domum quam nesciebat esse alienam: nam bona fides ipsum excusat à culpa, & pœna: verùm euicta domo, non potest exigere pensionem, tempori futuro respondentem; cùm non sit dominus domus. *ibidem, num.* 1. *& seq.*

7. Locator tenetur non solùm resarcire expensas necessarias, factas à conductore in re conducta reparanda; sed etiam vtiles quæ vltra conductionis tempus sunt duraturæ: nam hæ expensæ cedunt in commodum ipsius locatoris. Tenetur item ad onera, & vectigalia imposita pro re locata, nisi pactum, aut consuetudo loci aliud ferat. *ibid.* 6. *&* 7.

8. In quatuor casibus licet locatori rem locatam repetere ante lapsum termini, & conductorem expellere. 1. quandò conductor cui res ad quinquennium, vel plures annos, fuit locata, per continuum biennium distulit solutionem annuæ pensionis: verùm tunc non tenetur conductor soluere pensionem respondentem tempori futuro, à die expulsionis. 2. quando conductor abutitur re conducta, immò conductor in hoc casu tenetur soluere damna quæ locator iniustè patitur ob rei suæ abusum. 3. quando locatori superuenit casus inopinatus, ita vt ipse cogatur domum suam habitare, vt si prior domus corruat, aut incendio absumatur, nec locator commodè possit aliam inuenire. 4. quando domus indiget reparatione, qua non indigebat tempore locationis; in his tamen casibus locator tenetur pensionem remittere pro rata temporis. *tom.* 2. *pag.* 563. *dum.* 9. *& seq.*

9. Conductori quatuor incumbunt obligationes. 1. vt non possit absque iusta causa rem conductam dimittere ante expletum tempus locationis. 2. vt non vtatur re conducta nisi ad eum vsum, ad quem conduxit. 3. vt transacto locationis tempore, rem eandem numero, & integram restituat, nisi aliter sit conuentum, aut nisi casu perierit absque vlla sua culpa. 4. vt soluat pensionem tempore præfinito. *ibidem, numero* 1. *& seq.*

10. Conductor qui non potuit vti re conducta, aut fructus

ex ea percipere, propter aliquod impedimentum ſuperueniens abſque ſua culpa, vt propter bellum, peſtem, &c. non tenetur ſoluere penſionem pro rata temporis quo re conducta vti non licuit; ſic enim decernitur in iure. Secùs dicendum ſi impedimentum contigit ex parte ipſius conductoris. *tom. 2. pag. 564. num. 6.*

11. Conductor prædij non tenetur ad integram penſionem, ſuperueniente magna ſterilitate ob caſum fortuitum, citra ipſius culpam, v.g. ob grandines, niues, inundationes, hoſtilem exercitum, &c. niſi aliter conuentum ſit inter contrahentes. Vt autem par ſit vtriuſque conditio, poteſt locator maiorem exigere penſionem propter vbertatem, & abundantiam frugum inſolitam, prouenientem ex clementia cœli, modò inde redeat longè maius lucrum ad conductorem; nam ſi copia fructuum facit vilitatem, conductor ad maiorem penſionem non eſt obligandus. *ibid. n. 13. & 14.*

12. Si frumentum in area poſitum, caſu aliquo periit citra culpam conductoris, locator tenetur facere remiſſionem. Secus ſi frumentum iam erat conditum in horreo, ibique periit; tunc enim perit conductori, cùm verè dicatur collectum. *tom. 2. pag. 565. num. 15.*

Conductio famulorum.

13. Famulo, qui operam ſuam locauit, & fideliter non laborauit, non debetur integrum ſtipendium. Immò tenetur ad reſtitutionem damni, & lucri ceſſantis, ob iuſtum, ac debitum laborem prætermiſſum. *ibid. n. 2.*

14. Famulus, qui conqueritur ſe iuſto ſtipendio fraudari, non poteſt in rebus domini vti compenſatione, ſi re vera ſtipendium quod ei datur, ſit iuſtum, nec ei ex iuſtitia, maius debeatur. Qui verò præſtitit, ſpe mercedis, aliqua obſequia; ad quæ alioquin non tenebatur, poteſt ſibi facere compenſationem: præſtitit enim aliquid pretio æſtimabile. *ibidem, num. 3. & 4.*

15. Dominus abſque graui cauſa famulum domo expellens, tenetur ad integram pactæ mercedis ſolutionem: tenetur enim conductor ſoluere penſionem, quando per ipſum ſtetit quo minus re conducta vteretur: ſic aduocatus qui operam ſuam locauit ad litem proſequendam, ſi deinde lis, domini culpa intermittatur, non tenetur ſtipendium reſtituere, &c. *tom. 2. pag. 566. n. 11.*

16. Famulo

16. Famulo ante finitum tempus diſcedenti, totum ſtipendium non eſt denegandum, niſi fortè in compenſationem damni quod dominus patitur iniuſtè; alioquin denegandum eſt quidem ad ratam temporis futuri; ſoluendum verò pro rata temporis præteriti, & obſequij exhibiti. *ibidem, numero* 12.

17. Qui ſuam operam locauit ad ædes conſtruendas certo pretio, poteſt augmentum petere, vel compenſationem facere, ſi in eo fabricando maiores fecit expenſas, quàm ſit pretium ſibi aſſignatum; fuit enim deceptus ob rationes malè ſubductas. Ob caſum verò fortuitum ſuperuenientem, non poteſt petere compenſationem; conductor enim non tenetur locatori caſum fortuitum præſtare: nam ſi locator citius abſoluiſſet, non teneretur ad reſtitutionem. *tom. 2. pag.* 567. *num.* 18.

18. Mercator qui nautæ dedit pretium pro vectura nauis Indiam verſùs, ſi reflantibus ventis, aut alia de cauſa, nauis non peruenit in Indiam, putà quia capta fuit à piratis; aut quia in medio curſu periit; tenetur tamen ſoluere pretium pro rata itineris: quia vſus eſt naui, ille autem vſus eſt pretio æſtimabilis; alioquin tolleretur vſus nauigationis, ſi nautæ cogerentur omnibus infortuniis ſubiacere. *ibid. n.* 20.

Locatio quomodo finiatur.

19. Duobus modis finitur locatio. 1. lapſu termini conſtituti. 2. mutuo contrahentium conſenſu. Locatio autem facta ſub hac conditione, *Vt duret, donec locator voluerit*, cenſetur finiri morte locatoris; nam voluntas finitur morte. *tom. 2. pag.* 567. *num.* 1. *& pag* 568. *num. eod.*

20. Locatio tranſit ad ſucceſſorem vniuerſalem, qui ſcilicet ſuccedit non ſolùm in re locata, verùm etiam in aliis: quia vices gerit prædeceſſoris, illiúſque perſonam repræſentat, & in ipſius iura, atque onera realia ſuccedit. Succeſſor verò ſingularis, qualis eſt emptor, legatarius, &c. non tenetur ſtare contractui locationis, celebrato ab eo cui ſuccedit in re particulari; quia in ipſius onera non ſuccedit. *tom. 2. pag.* 568. *num.* 2. *& ſeq.*

21. Colonus poſtquam agrum ſeminauit, non poteſt expelli ab emptore agri: quia expelleretur intempeſtiuè cum damno fructuum. Immò ſi venditor accepiſſet omnes fructus, colonus poſſet agere contra venditorem. *ibid. n.* 6.

22. Vxor,mortuo marito,vel soluto matrimonio, tenetur stare locationi factæ à marito quoad bona paraphernalia;hæc enim locatio censetur facta à marito, nomine vxoris. Non verò tenetur stare locationi fundi dotalis; maritus enim censetur illum locasse nomine proprio: tenetur tamen vxor seruare maritum indemnem. *ibid.n.*8.

23. Prælatus qui alteri succedit, tenetur stare locationi antea factæ,nomine ipsius Ecclesiæ, de rebus ad ipsum Prælatum non pertinentibus,sed ad Ecclesiam; Ecclesiæ tamen, ius competit restitutionis in integrum. Non tenetur autem stare locationi factæ ab antecessore, nomine proprio, de rebus sui beneficij, vel de redditibus pertinentibus ad suam sustentationem: quia antecessor non poterat pacisci, nisi pro tempore quo ipse beneficium retinebat. *ibid.n.*10.

LVDVS.

Quid sit ludus, & an licitus.

1. LVdus est contractus,quo ludentes res suas periculo exponunt, propter spem acquirendi rem alterius. Non est autem illicitus ex natura sua: potest enim esse actus virtutis, si cum debitis circumstantiis, ob honestam recreationem fiat. Ex sequentibus tamen circumstantiis fit illicitus. 1. ex effectu ad malum, vt si ludens velit omittere sacrum in die festo, ob amorem ludi. 2. quando admiscentur facta, & dicta praua, vt blasphemiæ, conuicia, &c. 3. quando fiunt fraudes contra leges ludi. 4. quando alter vi, dolo, aut metu pertrahitur ad ludum. 5. quando committitur irreuerentia in Deum. 6. quando timetur notabile aliquod damnum. 7. quando quis ludit cum eo qui non potest pecuniam ludo exponere, vt cum religioso. In his casibus ludus est mortaliter illicitus, supposita materiæ grauitate. *tom.*2.*pag.*425.*num:*1.*& seq.*

2. Ludus ex sequentibus circumstantiis non fit peccatum mortale. 1. ratione intentionis lucrandi; hæc enim intentio non est ex se mala, nisi aliunde vitietur. 2. ex circumstantia personæ; clerici enim, & religiosi aliquando licitè ludunt, recreationis gratia,modò scandalum absit. 3. ex circumstantia loci sacri; hoc enim nullo iure prohibetur, nisi fortè fiat cum scandalo,vel irreuerentia Dei,aut Ecclesiæ. 4. ex circumstan-

tia

tia temporis præcisè; nam ludere in die festo, per se loquendo, non est peccatum mortale. Hæ inquam circumstantiæ non addunt ludo malitiam mortalem. *tom.2. pag.426. num.11. & seq.*

3. Clericis non licet ludos facere laruales: dedecet enim Ecclesiasticos personatos in scenam prodire, víxque possunt à mortali excusari; nisi id faciant rarò, breui tempore, & absque scandalo. *ibid.num.17.*

4. Sponsio, per se loquendo, & ex natura rei, est licita; est enim contractus quo vterque exponit se periculo perdendi, & acquirendi: modò tamen absit dolus, vel dissimulatio; nam qui certò scit rem pro qua spondet, certò euenisse, vel euenturam esse, peccat si sponsione certet, tenetúrque ad restitutionem rei per sponsionem acquisitæ, nisi suam scientiam alteri manifestauerit; æqualis enim esse debet spondentium conditio: at si alter nihilominus velit sponsione certare, scienti, & volenti nulla fit iniuria. *ibid.n.18.*

5. Illicita est sponsio qua quis in mensa spondet, se alterum edendo, vel bibendo superaturum; sic enim datur occasio intemperantiæ. Illicita item est sponsio circa mortem, vitam, vel creationem Summi Pontificis, aut circa promotionem Cardinalium: quamuis enim huiusmodi sponsiones, ex natura rei sint licitæ, cum sint de re dubia, & inter spondentes seruetur æqualitas; sunt tamen illicitæ quia prohibitæ à Gregorio XIV. sub pœna excommunicationis. de qua vide tit. *Papa. ibidem.*

6. Qui votum fecit non ludendi ludo aliquo illicito, potest ex iusta causa, voti dispensationem obtinere: quamuis enim is qui facultatem habet dispensandi, non possit illiciti ludi malitiam auferre; potest tamen subtrahere occasionem peccati, quod propter obligationem voti committitur ab eo qui affectum, & propensionem habet ad ludum. Magna tamen cautio, hac in parte est adhibenda. *ibid.n.21.*

Conditiones ludi.

7. Prima conditio est, vt ludens non vtatur fraudibus: quare non excusatur à peccato, & restitutione qui vt socium alliciat ad ludum, se ludi minus peritum fingit. Excusantur tamen qui vtuntur iis fraudibus, quæ iuxta consuetudinem adhiberi solent. Qui verò ob maiorem ludendi peritiam, alteri ignotam, aliquid lucratus est, non potest lucrum retinere; quia

error

error,ſeu dolus dedit cauſam ludo: quare tenetur ad integram reſtitutionem. *tom.2.pag.427.num.1.& ſeq.*

8. Secunda conditio eſt, ne alter alterum cogat ad ludum per vim,aut minas, ſeu conuitia: ſic enim alteri fieret iniuria. Qui tamen alterum ſic pertraxit ad ludum,non tenetur ad reſtitutionem lucri: contractus enim ludi fuit validus, & iuſtus, modò æqualis fuerit ludentium conditio. *ibid.n.9.& pag.428. num.eod.*

9. Tertia conditio eſt, vt ludens poſſit diſponere de re quam ludo exponit. Religioſus, mulier coniugata,filiusfamiliâs non poſſunt, niſi exiguum quid ludo exponere ob honeſtam recreationem. Poteſt tamen filiusfamiliâs ludo acquiſita,ludo exponere: quare qui heri perdidit 50. ludens cum filiofamilias qui non poteſt quidquam alienare, ſi hodie ab eodem lucretur 50. non tenetur ea reſtituere: nam filiusfamilias acquiſiuerat dominium illorum 50. conſequenter potuit ea ludo exponere. Porrò filiusfamilias, ſeu alius qui non habet facultatem diſponendi de re quam ludo exponit, non poteſt ſibi retinere lucrum quod ludo acquirit, niſi colluſor ſciat ſe ludere cum filiofamilias,debet enim eſſe æqualis ludentium conditio: hæc quippe eſt quarta conditio ludi, vt ludentes æqualem ſubeant aleam lucri, & damni. *tom.2.pag.428.n.10. & ſeq.*

10. Qui ludo lege humana vetito, nempe alea perdidit, non tenetur in conſcientia ſoluere quod perdidit credita pecunia, niſi iurauerit ſe ſoluturum. Immò perdenti conceditur actio repetendi in iudicio id quod ſoluit; non tamen licet vti compenſatione; id enim iura non concedunt. *tom.2. pag 429.num.2.& ſeq.*

11. Qui aliquid ludo vetito lucratus eſt, non tenetur ante iudicis ſententiam illud reſtituere, modò ſeruatæ fuerint coditiones ludi ſuprà recenſitæ; ius enim poſitiuum non reddit ludentes inhabiles ad acquirendum dominium illius lucri ludo vetito acquiſiti. *ibid.n.8.*

12. Qui ludens ludo vetito intendit non ſoluere, aut intendit ſolutum repetere, non poteſt retinere lucrum eo ludo acquiſitum: dolus enim dat cauſam ludo; alter quippe ſi ſciret ipſum nolle ſoluere, aut velle repetere ſolutum, non luderet. *tom.2 pag.430.n.9.*

Luxuria.

Luxuria.

1. CONcupiſcentia, ſeu ſenſualitas,ex ſe non eſt peccatum. Appellatur autem à D.Paulo *Rom.* 7. peccatum, cauſaliter, quia ad peccatum inclinat. Motus concupiſcentiæ, ſeu ſenſualitatis primò primi qui repentè conſurgunt, & rationem anteuertunt,non ſunt peccata,quia non ſunt in noſtra poteſtate. Motus autem ſenſualitatis ſecundò primi, qui præuideri, & caueri potuerunt,non ſunt peccata quando proueniunt ex cauſa habente honeſtatem, vel vtilitatem, vt quando proueniunt ex peccatis carnalibus in confeſſione auditis: iſti enim motus facile oriuntur ex infirmitate naturæ, conſequenter non ita facilè imputantur ad culpam, & maius voluntarium requirunt quàm aliæ actiones prauæ. *tom.* 1. *pag.* 313. *num.* 1. *& ſequent.*

2. Vt motus concupiſcentiæ ſint peccata, requiritur actualis aduertentia circa malitiam ipſorum, vel ſaltem dubitatio, ſeu ſcrupulus: quia ſine aduertentia nihil eſt voluntarium, cùm voluntas non feratur in incognitam. *ibidem, numero 6.*

3. Motus concupiſcentiæ, ſunt peccata mortalia quando interuenit conſenſus directus, & expreſſus. Item quando voluntas negatiuè ſe habet, non impediendo, neque reprimendo huiuſmodi motus quos poteſt reprimere, cenſentur indirectè voliti, atque adeo ſunt peccata mortalia: quippe interuenit conſenſus interpretatiuus. Non eſt tamen improbabilis eorum ſententia qui aſſerunt neceſſariam eſſe poſitiuam complacentiam in motibus ſenſualitatis, vt imputentur ad peccatum mort. neque ſufficere conſenſum interpretatiuum, modò abſit periculum expreſſi conſenſus. *ibid.num.*7.

4. Delectatio moroſa de ſola cogitatione rei illicitæ, & turpis, non eſt ex ſe peccatum, vt ſi quis concionaturus contra peccatum carnis, delectetur de argumentis inuentis contra res turpes, dicitur delectari de cogitatione rei turpis abſque peccato.Delectatio verò de re turpi,& mala,eſt mala iuxta motiuum ipſius delectationis: quia delectatio cùm ſit inefficax, totam ſuam malitiam ſumit à motiuo. Hinc ſequitur delectationem de actu carnali, eſſe peccatum mort. ſi delectatio ex affectu carnali capiatur ab eo qui non eſt coniugatus. *tom.*1.*pag.*314.*n.*4. *& ſeq.*

5. Probabilior eſt, & tutior in praxi ſententia negans in rebus

rebus venereis dari paruitatem materiæ excuſantem à peccato mort. quia quilibet tactus,ſeu delectatio venerea, ex ſua natura tendit ad ſeminis emiſſionem,quæ extra coniugium eſt peccatum mortale; & quamuis reipſa ſemen non effundatur, nec intendatur,adeſt tamen ipſius periculum. Præterea eſt impoſſibile, moraliter loquendo,in re tam lubrica, diſtinguere materiam leuem à graui,& mortalem delectationem à veniali,dum adeſt aduertentia,& conſenſus. *tom.*1.*pag.*315.*n.*17.

6. Venereæ delectationes ſunt eiuſdem ſpeciei cum opere externo, habentque eandem ſpecie malitiam quam habet opus externum. Hinc fit vt in confeſſione explicanda ſit circumſtantia perſonæ circa quam fuit delectatio;nam delectatio de aliena vxore habet malitiam adulterij; delectatio de conſanguinea,maliciam inceſtus; delectatio de moniali, malitiam ſacrilegij. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis affirmans delectationem de re venerea eſſe illius tantùm ſpeciei cuius eſt motiuum,ac proinde de vxore aliena, de moniali,&c. ex ſolo affectu libidinis, habere tantùm malitiam ſimplicis fornicationis; quia delectatio ſumit ſpeciem à motiuo: Excipiuntur duo caſus. 1. eſt coniugatorum qui non ſolùm corpus, ſed etiam internum affectum coniugi obligarunt: quare coniugatus habens delectationem veneream, peccat contra caſtitatem, & fidem matrimonij. 2. eſt habentium votum abſolutum caſtitatis, qui ſi delectentur de re turpi, peccant contra caſtitatem, & religionem; quia votum obligat Deo omnes internos affectus. *tom.*1.*pag.*316.*n.*19.20.

7. Non eſt peccatum habere actum deſiderij, & velleitatis de re aliqua illicita, vel turpi, ex motiuo honeſto, vel ſub conditione, qua poſita, actus ille non eſſet peccatum: quia hoc deſiderium eſt actus inefficax qui totam ſuam militiam habet à motiuo: ſi ergo motiuum non eſt malum, neque malus erit actus. Eſt autem longè maximum diſcrimen inter hos duos modos *vellem*, &, *volo*: nam *vellem* denotat actum deſiderij inefficacem;at *volo*,eſt actus voluntatis efficax. Sic excuſatur à peccato qui dicit: *vellem rem habere cum Berta ſi eſſet mea vxor.* Non excuſatur autem qui dicit. *Niſi eſſem Sacerdos, vellem committere fornicationem*: quia non adeſt motiuum ſufficienter honeſtum ad cohoneſtandam fornicationem: nam fornicatio eſſet adhuc peccatum, etiamſi ipſe non eſſet Sacerdos. *ibid.num.*21.*&* *ſeq.*

8. Oſcula,& amplexus,amicitiæ cauſa,& iuxta morem patriæ licitè fiunt, immò delectatio inde ſequens non eſt illicita: ſicut

ſicut enim licet delectari de amicitia, & pace, ſic etiam de eius ſigno nempe oſculo delectari, modò abſit periculum conſenſus in motus ſenſualitatis inde conſurgentes. *tom.* 1. *pag.*317.*num.*1.*&* 2.

9. Fœmina aduertens ſe ab alio libidinosè tangi, licèt ille tangat iuxta morem patriæ, vt fit in aduentu amici, vel conſanguinei, peccat mortaliter ſe non retrahendo quando tactus ſunt impudici. Secùs dicendum ſi oſcula, & tactus ſint extrinſecè honeſti, vt fieri ſolent ad ſignificandam beneuolentiam, præſertim ſi fiant in publico. *ibid.n.*10.*&* *pag.*318.

10. Leuis tactus manuum, vel pedum fœminæ, aut vellicatio, aut digitorum intorſio, regulariter loquendo, non eſt peccatum mort. huiuſmodi enim tactus potius fiunt ex leuitate,& ioco, quàm ex venerea delectatione. In hac tamen materia non ſunt laxandæ habenæ; nam in via lubrica procliuis eſt lapſus. *tom* 1.*pag.*318.*n.*11.

11. Aſpectus fœminæ ob curioſitatem pulchritudinis, non eſt peccatum mort. etiamſi fiat propter delectationem quæ inde capitur, modò abſit periculum turpis, & venereæ delectationis: minus enim eſt periculi in aſpectu, quàm in tactu. Sunt tamen quidam aſpectus ex ſe impudici,& mortaliter mali, etiamſi non fiant ob malum finem, vt quando vir aſpicit partes pudendas fœminæ, niſi fortè hic aſpectus fiat obiter ob curioſitatem, ita vt non ſit periculum magnæ commotionis in corpore. *ibid.num.*13.

12. Non eſt facile excuſandus à mortali, confricans inhoneſtas brutorum partes, ad eliciendum ſemen: eſt enim actus nimis inhoneſtus, & repugnans rectæ rationi: non videtur tamen eſſe peccatum mortale, aſpicere coïtum brutorum, vel eorum partes turpiter commotas, modò aſpiciens non inde capiat nimiam delectationem ſenſualem. *ibid.n.*14.*&* 15.

13. Puella, quæ deditâ operâ præbet ſe conſpiciendam adoleſcenti, abſque vlla neceſſitate, ſed potius ex quadam vanitate, non ignorans turpem illius amorem, peccat mortaliter peccato ſcandali. Sin hoc faciat ex aliqua neceſſitate, aut ne ſe priuet ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium, vel ad feneſtras, non videtur peccare mort. hoc enim eſt potius ſcandalum acceptum, quàm datum, vt contingere ſolet quando fœminæ ſe ſuperfluè ornantes præuident fore vt turpiter amentur ab aliis, modò id non faciant animo eos incitandi ad libidinem. *ibid.n.*17.

14. Turpiloquium, ſi fiat animo oblectandi ſe rebus ipſis

turpibus

turpibus narratis, & obuersantibus imaginationi, est peccatum mort. si vero fiat absque affectu venereo, est tantùm veniale, modò absit scandalum adstantium. *ibid.num.*18.

15. Componentes, & exhibentes comœdias valde turpes, & ad libidinem prouocantes, peccant mortaliter; quia dant causam ruinæ, quamuis illam non intendat. Idem sentiendum de scribentibus, aut pingentibus turpia. Fœminæ verò pectus nudantes excusari possunt à mortali si hoc faciant iuxta consuetudinem patriæ, & absque praua intentione. Est tamen peccatum mort. inducere huiusmodi morem, quia insolita, & inusitata magis afficiunt. *ibid.n.*23.

16. Clerici qui intersunt comædiis, secluso scandalo, vel alio periculo peccati, non peccant mort. Ecclesiasticos tamen non decet huiusmodi spectaculis, & nugis interesse, cùm hoc sit illis prohibitum; non tamen sub peccato mort. *ibidem, num.* 22.

16. Mulier fuco illinens faciem, non peccat si hoc faciat ob rationabilem causam. Sin absque causa, videtur peccare venialiter, peccato vanitatis, & leuitatis. At si hoc faciat ex fine mortaliter malo, peccat mortaliter. Denique mulieres superfluo ornatu vtentes, non excusantur à veniali. *tom.* 1. *pag.* 319. *num.* 25. *&* 26.

Luxuria sacrilega.

18. Sacrilegium, de quo hic sermo, est peccatum luxuriæ, quo res sacra violatur, siue res illa sit persona Deo dicata per votum, siue locus sacer, siue aliud quippiam. Quare qui copulam habet, aut habere desiderat cum moniali professa; sacrilegium committit. Item Sacerdos, aut clericus sacris initiatus, aut religiosus professus committit sacrilegium, peccando carnaliter cum fœmina, vel committendo aliquod luxuriæ peccatum externum, aut etiam internum. Peccatum tamen est grauius quando persona sacra peccat circa personam aliam sacram, videturque duplex sacrilegium; ideoque hæc circumstantia est in confessione explicanda. *tom.* 1. *pag.* 232. *num.* 1. *& seq.*

19. Copula, etiam coniugalis, habita in loco sacro absque necessitate, est sacrilegium: polluitur enim Ecclesia, fitque iniuria loco sacro. At coniugalis copula, in loco sacro occultè habita ex necessitate, ob periculum incontinentiæ, non est sacrilega. Idem dic de nocturna pollutione inuoluntaria, &

do

de sanguinis effusione facta in loco sacro ad sui defensionem: vbi enim nulla est culpa, ibi nullum est sacrilegium. *ibid. num. 6.*

20. Qui concupiscit fœminam in Ecclesia, non committit speciale sacrilegium: quia non violatur directè locus sacer. Secùs si habet desiderium, seu intentionem coëundi in Ecclesia: hæc enim intentio est eiusdem rationis cum ipso actu externo. Item verba turpia, aspectus inhonesti, & tactus etiam impudici facti in Ecclesia, non habent specialem malitiam sacrilegij mortalis, necessario in confessione exprimendam, modò absit periculum pollutionis: nam per huiusmodi actus, non violatur specialiter locus sacer, sicut violatur per pollutionem; nisi fortè dicatur illos actus proximè disponere ad pollutionem, & consequenter ordinari ad loci sacri violationem, sicque specialem malitiam continere. *ibidem, numero 7.*

21. Monasteria, dormitoria, cubicula sacerdotum, vel religiosorum, & oratoria priuata, non constituta auctoritate Episcopi, quamuis gaudeant immunitate Ecclesiæ; non tamen ita sunt sacra vt copula, vel pollutio in illis habita, specialem habeat sacrilegij malitiam; nisi ibi sit altare ad rem diuinam faciendam. *ibid. n. 9.*

22. Illa Ecclesiæ pars, seu spatium, dicitur locus sacer, quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus, à tecto scilicet interiori vsque ad pauimentum. Quare locus Ecclesiæ subterraneus, modò non sit sepultura, nec campanile, nec sacristia, dicitur locus sacer. At cæmeterium, & oratorium Episcopi auctoritate constitutum, est locus sacer. Ecclesia diruta, non est locus sacer, nisi fortè sit destructa vt reædificetur. *ibid. num. 10. & 11.*

23. Ecclesia polluitur per voluntariam seminis, & per iniuriosam sanguinis humani effusionem. Neque est necesse vt semen, aut sanguis in terram, aut pauimentum decidat: non sufficit tamen vna, aut altera stilla. Polluitur etiam Ecclesia per vulnus in Ecclesia inflictum, etiamsi vulneratus statim exeat, antequam sanguinem mittat: nam in Ecclesia, data est causa naturalis effusionis. Pollutâ autem Ecclesia, censetur etiam pollutum cæmeterium attiguum; est enim accessorium Ecclesiæ: polluto verò cæmeterio, non censetur Ecclesia polluta, quia minus nobile non trahit ad se nobilius. *tom. 1. pag. 333. n. 19. & 20.*

24. Valdè probabile est, vnum tantùmmodò sacrilegij

 pecca

peccatum committi ab eo qui cum sit Sacerdos, & religiosus, aliquod luxuriæ scelus admittit: idem dic de fœmina copulam habente cum Sacerdote religioso professo. Quia votum solemne castitatis, sacris Ordinibus adnexum, est eiusdem rationis cum voto emisso in professione: neque diuersitas peccatorum sumitur ex diuersitate præceptorum, sed ex virtutibus, aut motiuis specie distinctis; at religiosus tenetur seruare castitatem, ob idem motiuum, & eandem virtutem, propter quam Sacerdos tenetur eam seruare; ergo, &c. *tom.* 1. *pag.*334.*num.*28.

25. Qui obstrictus est voto simplici, & solemni castitatis, duplex sacrilegij peccatum committit per peccatum luxuriæ: quia votum solemne, à simplici, differt specie; & peccatum luxuriæ habet priuationem perfectionis alio modo debitæ in eo qui adstrictus est voto solemni, quàm habeat in eo qui adstrictus est voto simplici: peccata autem distinguuntur penes priuationes perfectionum diuersarum. *ibid.num.*30.

M.

MAGISTER. DOCTOR.

1. IN cap. *vt periculosa.ne Cler.vel Monach.in 6.* duplex habetur excommunicatio. 1. est contra ipsos religiosos qui habitum suæ religionis temere dimittunt, vel ad studia literarum sine licentia accedunt. 2. contra Magistros, seu Doctores qui religiosos habitu dimisso medicinam aut leges docere, aut in suis scholis retinere præsumpserint. De priori excommunicatione suus erit agendi locus, *titulo* Religiosus. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 32. *pag.* 189. *tom.* 3.

2. Ad incurrendam huius canonis excommunicationem sufficit alterutra actio docendi, vel retinendi in scholis: quare qui retinet huiusmodi religiosum in suis scholis tametsi non doceat; vel qui docet illum medicinam aut leges, etiamsi non retineat, hanc excommunicationem incurrit. *ibid. pag.* 180. *num.*7.*tom.*3.

3. Quæres quid facere debeat magister dùm aduertit aliquem religiosum in sua schola adesse, qui dimisso habitu vult ipsum

ipsum audire. *Resp.* magistrum posse huiusmodi religiosum a i jua vi expellere, sed sine scandalo; ius enim prohibet illum admitti. Sin exire nolit, lectionem esse dimittendam; quia sub excommunicatione vetitum est huiusmodi religiosum docere leges, aut medicinam. *ibid. num.* 10.

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Magistri Bononienses.

5. In cap. *ex rescripto*, fertur excommunicatio contra Magistros, & studiosos Academiæ Bononiensis qui aliorum hospitium conducunt intra tempus conductionis, sine licentia inquilinorum. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 37. *pag.* 185. *tom.* 3.

6. Hæc excommunicatio tantummodo fertur in magistros, & scholares. Mercatores autem, & alij non afficiuntur excommunicatione si domos ante finitum locationis tempus conducant: Idem dicendum videtur de iis qui scholaribus deseruiunt, & eorum priuilegiis gaudent; isti enim non sunt scholares, neque magistri. *ibid. n.* 2.

7. Qui ante finitum locationis tempus domum quam scholaris inhabitat, conducit, absque vllo inhabitantium incommodo, hanc censuram non incurrit: quia hæc censura afficit tantùm conducentes aliorum hospitia in præiudicium inhabitantium. *ibid. num.* 4.

8. Hæc excommunicatio non cadit in magistros, & scholares aliarum Academiarum; quia in materia pœnali non valet argumentum à pari. *ibid. num.* 5.

9. Hæc excommunicatio non est reseruata.

Magistri ad gradum promouentes.

10. Pius IV. in quodam motu proprio qui incipit. *In sacrosancta*, excommuuicationem tulit contra Magistros, & alios qui promotioni seu doctoratui præsunt, si quemquam promouerint ad gradum in Medicina, Theologia, &c. non facta priùs fidei professione; Antistitibus autem non est imposita excommunicatio, sed interdictum ab ingressu Ecclesiæ. *disp.* 2. *quæst.* 10. *punct.* 14. *pag.* 319. *tom.* 3.

11. In Clementina. *Cum sit, de magistris*, fertur suspensio à collatione doctoratus per 6. menses contra promouentes ad gradum Doctoratus, nisi iuramentum priùs extorqueant à promouendis, vt in solemnitate recipiendi doctoratum, non

pendant vltra ſummam trium millium Turonenſium argenteorum;verum hæc conſtitutio hodie exoleuit. *diſp.*3. *quæſt.* 5.*punct.*5.*pag.*371.*tom.*3.

MAGISTRATVS.

Contra Rectores ſtatus Eccleſiaſtici Excommunicatio.

1. PAulus II. in Bulla 3. quæ incipit, *Munera*, excommunicationi ſubiicit non ſolùm rectores ciuitatum, & terrarum ſtatus Eccleſiaſtici, accipientes munera præter eſculenta, & poculenta, verùm etiam ipſos dantes. Hæc Bulla confirmata fuit à Sixto IV. in Bulla 15. quæ incipit *Etſi. diſp.* 2. *quæſt.* 7.*punct.*8. Ab hac cenſura ſoli Cardinales eximuntur. *pag.*287.288.

2. Accipientes munera præter excommunicationem, contrahunt etiam obligationem reſtituendi id quod acceperunt etiam ante iudicis ſententiam;hanc enim eſſe mentem legiſlatoris patet ex verbis legis. Hæc autem reſtitutio fieri debet pauperibus, non ei qui dedit; cùm enim eadem excommunicationis pœna puniatur,iudignus eſt effectus cui vlla reſtitutio fiat. *ibid.numero* 9.

3. Hæc excommunicatio eſt Summo Pontifici reſeruata.

Contra Magiſtratus & Dominos temporales Excommunicationesnon reſeruatæ.

4. In cap. *nouerit de ſent. excommunic.* habetur excommunicatio lata contra facientes ſeruari ſtatuta, & conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrarias, vel non facientes deleri dicta ſtatuta de capitularibus ſuis infra duos menſes;Item contra ſtatutarios, ſtatutorum ſcriptores, contra conſules, rectores, & conſiliarios locorum vbi hæc ſtatuta edita ſunt, vel obſeruata, ſi fuerunt delicti participes, & contra præſumentes iudicare iuxta præfata ſtatuta. *diſp.*2.*quæſt.*10.*punct.*3. *pag.*312.*tom.*3.

5. In cap. *eos qui de immunit. Eccleſ. in* 6. extat excommunicatio latæ ſententiæ contra obtinentes dominium temporale, dum ſuis ſubditis interdicunt, ne Prælatis, aut clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſt. quidquam vendant, aut ab illis emant, neue ipſis molant, coquant, &c. *ibid. punct.*4.*n.* 1.

Vnde

Vnde patet herum qui suo famulo præcipit ne contractum cum Ecclesiasticis ineat, aut alia obsequia ipsis præstet, non affici hac censura; quia non dicitur habere temporale dominium. Idem dicendum de iudice qui temporali dominio caret, *ibid.pag.*313.*n.*5.*tom.*3.

6 In cap. *Fœlicis, de pœnis in 6.* fertur excommunicatio contra Magistratus, Senatores, Consules, Dominos, rectores, eorumque officiales qui intra mensem post habitam criminis cognitionem obseruari non faciunt constitutionem in eo capite contentam contra insequentes hostiliter Cardinales, aut iis cooperantes. *ibid. punct.*5.*n.*1.

7. In præfato cap. hæc præscribuntur contra hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, iisque cooperantes: vt huiusmodi delinquentes sint infames, intestabiles, non habeant ius succedendi, eorum domus destruantur, bona fisco applicentur, priuentur ipso facto feudis, locationibus, officiis, vel beneficiis, ipsorum filij, & descendentes per rectam lineam priuentur beneficiis, & dignitatibus, & inhabiles fiant ad ea in futurum obtinenda, in iudiciis non audiantur, &c. *ibid. num.*2. vide tit. *Cardinalis.*

8, In cap. *administratores*, extat pœna priuationis ab omni communione contra Principes, seu Magistratus sæculares, si requisiti ab Episcopis, & aliis viris Ecclesiasticis negligant Ecclesiam, pupillos, & viduas defendere, latrocinia, & id genus alia crimina extirpare, &c. post trinam admonitionem. Remanent autem excommunicati donec condignam satisfactionem præstiterint, id est, Ecclesiastico præcepto paruerint, & Ecclesiis, pupillis, ac viduis satisfecerint ob damnum quod ex eorum negligentia subierunt. Hæc excommunicatio hodie vix est in vsu. *ibid.punct.*6.*pag.*313.314. *tom.*3.

9. In Bulla quæ incipit, *Superna prouidentia*, Pius IV. excommunicationem tulit contra Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Iudices, Magistratus qui se intromittunt in officiis, & scripturis notariorum per Cameram venditis, in præiudicium ementium, aut qui vexant notarios illa officia ementes. *ibid. punct.*12.*pag.*318.*tom.*3.

10. Pius item IV. in Bulla quæ incipit, *Decet Rom. Pontificem*, tulit censuram excommunicationis, aut suspensionis sub disiunctione, contra Rectores, Gubernatores, Magistratus, & ministros qui pœnas, & mulctas pecuniarias, & confiscationes alteri applicant quàm Cameræ Apostolicæ, si hæc confiscationes seu mulctæ soluendæ sint in ciuitatibus, & locis Summo

Pontifici immediatè ſubiectis. Relinquitur autem arbitrio delinquentium eligere vtram maluerint ex his duabus cenſuris quæ feruntur diſiunctiuè. *ibid.punct.*13.

11. In Clement.vnica, *de vſuris*, habetur excommunicatio contra Magiſtratus facientes ſtatuta de ſoluendis vſuris, vel non reſtituendis cùm repetuntur, vel non delentes intra tres menſes huiuſmodi ſtatuta de libris communitatum, vel præſumentes ea ſeruare, aut conſuetudines vim ſtatuti habentes. Quælibet autem prædictarum actionum ſufficit ad excommunicationem incurrendam; textus enim loquitur diſiunctiuè. *ibid.punct* 15 *pag.*320.*tom.*3.

12. Pius IV. in Bulla 49. quæ incipit, *Cum ciues*, & Pius V. in Bulla 145. quæ item incipit, *Cum ciues*, tulerunt pœnam ſuſpenſionis à diuinis, & excommunicationis latæ ſententiæ contra Magiſtratus, & officiales ciuitatum, ſeu locorum ſtatus Eccleſiaſtici, qui concedunt facultatem deferendi cuiuſuis generis arma breuioris menſuræ trium palmorum in dictis ciuitatibus aut locis. *ibid.punct.*16.*pag.*321.*tom.*3.

Maleficium.

1. MAleficium eſt ars nocendi aliis ope Dæmonis. Poteſt quippe Dæmon, Deo permittente, pluuias, ventos, grandines, &c. inducere, & multa facere applicando actiua paſſiuis, ſicque hominibus nocere. *tom.*2 *pag.* 185.*n.*1.*&* 2.

2. Magia naturalis, quæ viribus rerum naturalium occultis, mira quædam efficit, non eſt ſuperſtitioſa, nec malefica. Diabolica verò ſuperſtitioſa eſt, & illicita; quæ licèt faciat planè ſtupenda, oculis illudendo, corpora celeriter aſportando, vel alterando, &c. non tamen poteſt vera edere miracula; quæ enim fiunt à dæmone, virtutem cauſarum naturalium non exuperant, fiúntque applicando actiua paſſiuis. *ibid.n.*4.

3. Nefas eſt maleficos, licèt alioquin paratos, adhibere ad maleficium faciendum pro re graui, aut bono publico: quia maleficium eſt intrinſecè malum. Nefas item petere vt maleficus vno maleficio aliud diſſoluat: rogari tamen poteſt vt maleficium diſſoluat modo licito, faciendo ea quæ fieri poſſuet citra opem dæmonis; hoc enim non eſt intrinſecè malum, vt tollere ligaturas, nodos, &c. eo fine vt dæmon nocere deſinat. *tom.*2.*pag.*186.*n.*5.7.*&* 8.

4. Contra maleficia, hæc remedia poſſunt adhiberi. 1. magna fides. 2. ſuſceptio Baptiſmi. 3. confeſſio peccatorum.

4. ſum-

4. sumptio Eucharistiæ. 5. exorcismus Ecclesiæ. 6. aqua benedicta. 7. sanctorum reliquiæ. 8. signum Crucis. 9. inuocatio nomiuis Iesv. B.Virginis, S.Angeli custodis,& aliorum sanctorum. 10. oratio cum ieiunio. 11. dissolutio eorum quæ pertinent ad pactum cum dæmone. *ibid. n.*10.

5. Confessarius hæc inquirere debet à malefico. 1. an pactum inierit cum dæmone; potest autem pactum dissolui agendo pœnitentiam, neque est necesse vt maleficus curet sibi chirographum à dæmone restitui; si tamen maleficus illud habet penes se,debet lacerare,ad detestandum crimen,& scandalum vitandum, si chirographum ab aliis inueniretur. 2. an exhibuerit honorem Sathanæ, aut sacrilegia commiserit contra augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. 3. an in pacto cum dæmone inito interuenerit hæresis. 4. quomodò confecerit maleficium,an scilicet ad illud abusus fuerit rebus sacris. 5. an damnum alicui intulerit; tenetur enim damnum illatum resarcire. *ibid.num.*11.

Marchia Anconitana.

1. IOannes XXII. in Extrauag. *durum, de pœnis*, excommunicationem, & alias grauissimas pœnas imposuit occidentibus, capientibus, detinentibus, percutientibus, expellentibus, spoliantibus, vel quouis alio modo violantibus Rectores, seu Officiales Marchiæ Anconitanæ: Nec non directè, vel indirectè dantibus auxilium, consilium, vel fauorem ad aliquam ex præfatis actionibus. *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 47. *num.*259. *tom.*3.

2. Hæc excommunicatio restringitur ad eos qui in illa Marchiæ prouincia commorantur; quamobrem viator, vel aduena huic censuræ non subiacet. Restringitur item ad personas singulares; Vniuersitas enim seu Communitas quæ hac in parte deliquerit, Ecclesiastico subiicitur interdicto, cum eius territorio,& districtu. *ibid.n.*4.

3. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata;de interdicti autem reseruatione nulla fit mentio.*n.*5.

MARIA VIRGO.

B. V. Mariæ Conceptio immaculata.

1. SIxtus IX. in Extrauag. *graue nimis, de relig. & veneratione Sanctorum*, contra impugnantes immaculatam

B. Virginis conceptionem, sub pœna excommunicationis prohibuit 1. asserere hæresim, vel mortale peccatum committi ab eo qui credit, aut tenet Beatissimam Virginem Mariam præseruatam fuisse à peccato originali. 2. asserere peccatum committi cerebrando officium Conceptionis, aut audiendo conciones eorum qui prædicant B. Virginem sine macula conceptam fuisse. 3. legere, tenere, vel habere pro veris libros qui præfatam doctrinam continent. *disput.2.quæst.3.punct.34. pag.248.tom.3.*

2. Pius V. in Bulla quæ incipit, *Super specula*, sub pœna suspensionis vetuit 1. de alterutra sententiarum circa B. Virginis Conceptionem affirmatiua, aut negatiua in concione disputare, affirmando vnam, & alteram refellendo. 2. in hoc argumentum vulgari sermone scribere impugnando, & refellendo contrarium. 3. de eadem quæstione vulgari sermone dictata tradere; non tamen vetitum est de ea re in Academiis, & scholis disputare. *ibid.n.8.& 9.*

3. Paulus V. interdixit sub pœnis suspensionis, & aliis contentis in Bulla Pij V. ne quis audeat in lectionibus, concionibus, conclusionibus, aliisque actibus publicis asserere B. Virginem in peccato orig. conceptam fuisse. Præterea sub iisdem pœnis mandauit ne sustinentes negatiuam sententiam, affirmatiuam impugnent, nec de ea agant publicè. *ibid. pag. 249.num.10.tom.3.*

4. Gregorius XV. edidit constitutionem in qua sub pœnis contentis in Bulla Pij V. & Pauli V. prohibuit 1. in sermonibus vel scripturis etiam priuatis asserere B. Virginem in peccato orig. conceptam fuisse. 2. de hac opinione affirmatiua aliquo modo tractare, nisi ex priuilegio Apostolico concesso Patribus Ordinis Prædicatorum. 3. vti alio nomine quàm conceptionis in sacrificio, vel officio publicè vel priuatim celebrando. *ibid.*

5. Hæc excommunicatio, & suspensio est Summo Pontifici reseruata. *ibid. num.13.*

Martyrium.

1. Martyrium est passio seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Ille non appellatur martyr qui vulnus non lethale accepit; qui verò accepit vulnus seu cruciatum de se illatiuum mortis, dicitur martyr; hinc D. Marcellus adscribitur in numerum martyrum, eò quòd

quòd in ſtabulum coniectus, tabe confectus eſt. *tom.* 1. *pag.* 28. *num.*1.

2. Ille cui ob actum virtutis iam præſtitum mors infertur, eſt martyr, quia occiditur in contemptum boni operis, & virtutis; ita S. Ioannes Baptiſta habetur martyr, quia ob reprehenſionem adulterij occiſus fuit. *ibid.n.*2.

3. Martyrium eſt actus elicitus à virtute fortitudinis, & patientiæ, imperatus autem ab aliis virtutibus pro quibus conſeruandis martyrium ſubitur; præcipuè verò imperatur à charitate; eſt enim actus magnæ dilectionis in Deum. *ibidem, num.* 3.

4. Ad martyrium quinque conditiones requiruntur. 1. eſt voluntas ſuſcipiendi martyrium in adultis: in infantibus verò nondum ratione vtentibus non requiritur, vt patet ex Innocentibus qui ab Eccleſia ſemper habiti ſunt martyres. Qui verò dormiens occiditur in odium Chriſti, aut virtutis Chriſtianæ, ſi nihil antea de martyrio cogitauerit, non dicitur martyr; quia non habuit voluntatem formalem, aut virtualem ſuſcipiendi martyrium; niſi fortè ſit vir iuſtus qui Deum omnium actionum ſuarum finem ſibi proponat. *ibid. n.*5.

5. Infans in vtero matris licet baptizari nequeat, quia non poteſt ablui: poteſt tamen pro Chriſto occidi, & fieri martyr, cùm enim reputetur vnum quid cum matre, æquum eſt, vt ſi cum ea pro Chriſti fide occidatur, eiuſdem martyrij particeps fiat. *ibid.num.*7.

6. Secunda martyrij conditio eſt, vt ſuſcepturus martyrium, ſi peccati mort. ſibi ſit conſcius, eliciat actum attritionis ſupernaturalis; non tamen neceſſaria eſt contritio, ſeu dilectio Dei ſuper omnia; quia martyrium, cùm virtutem habeat Baptiſmi, contritionis defectum ſupplet; quare non requiritur vt martyr ante ſuſceptionem martyrij ſit in gratia. Porrò qui per obliuionem, aut inaduertentiam non elicit actum attritionis, quia tunc temporis, in expellendo metu mortis totus occupatur; nihilominùs fructum martyrij recipit; quia tunc ſufficit attritio virtualis. *tom.*1.*pag.*19.*n.*8. *& ſeq.*

7. Tertia conditio requiſita ad martyrium eſt pœna, ſeu paſſio, & cruciatus. 4. conditio eſt, vt ſubeatur ille cruciatus ob honeſtam cauſam, qualis eſt conſeruatio fidei, & religionis Chriſtianæ, vel caſtitatis, vel Eccleſiaſticæ immunitatis, vel alterius veræ virtutis. 5. conditio eſt, vt tyrannus cruciatum, ſeu mortem inferat in odium Chriſti, aut Chriſtianæ virtutis. *ibid. num.*11.

8. Martyrij effectus est duplex. 1. est gratia, & remissio omnis culpæ,& pœnæ. 2. est laureola,id est,præmium accidentale. Martyrium autem confert gratiam ex opere operato vltra meritum, & dispositionem suscipientis, non quidem physicè,sed moraliter. *ibid.n.*1.*&* *seq.*

9. Tunc martyrium præstat suum effectum quando martyr subiit cruciatum lethalem, seu vulnus de se mortiferum, etiamsi à morte naturaliter ineuitabili, per miraculum liberetur. Vrgente graui necessitate, martyrium est in præcepto; absque necessitate verò, vel iusta causa non licet exponere se martyrio; sic enim Deus tentatur. *tom.* 1. *pagin.* 30. *numero* 1. *&* *seq.*

MATRIMONIVM.

Quid sit Matrimonium.

1. MAtrimonium est legitimus, & indissolubilis contractus inter virum, & fœminam quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas, & confertur gratia sanctificans. Hæc definitio conuenit matrimonio vt est contractus,& vt est Sacramentum, de quo ita loquitur Paulus Ephes.5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia,*id est,coniugium, magnum est Sacramentum,ac mysterium,cum sit signum vnionis Christi cum Ecclesia. *tom.*1.*pag.* 251.*num.*2.

2. Inter Beatissimam Virginem, & S. Ioseph verum intercessit matrimonium ratum(quippe in Scriptura Ioseph appellatur vir Mariæ, & Maria vxor Ioseph:) non tamen consummatum,cùm Beatissima Virgo semper manserit virgo. Neque B.V.peccauit contra votum castitatis, contrahendo matrimonium; sciebat enim per reuelationem, matrimonium non esse consummandum. Neque dixeris ad matrimonium requiri consensum in copulam. Respondeo enim sufficere mutuam traditionem corporum,quæ potest subsistere absque copula, & vsu corporum: potest quippe dominium ab vsu separari. *tom.*1.*pag.*252.*n.*9.*&* 10.

3. Matrimonium infidelium est quidam contractus quem infideles celebrando non peccant: est enim in officium, seu in propagationem, & conseruationem naturæ humanæ, necnon in remedium concupiscentiæ: non tamen est Sacramentum, quia infideles carent Baptismo qui est ianua omnium Sacramentorum.

mentorum. At matrimonium contractum à fideli cum catechumena, ex dispensatione Pontificis, est Sacramentum ex parte fidelis volentis illud suscipere. *ibid.n.2.& 3.*

4. Matrimonium infidelium, post Baptismi susceptionem, fit Sacramentum; quando post Baptismum interuenit nouus consensus, vel præcedens ratus habetur per aliqua signa externa, vt per verba, nutus, aut copulam maritalem: neque opus est vt hæc ratificatio consensus fiat coram Parocho, & testibus; iam enim supponitur matrimonij contractus validè celebratus. *tom.1.pag.253.n.5.& 6.*

5. Ipso mundi exordio extitit præceptum naturale contrahendi matrimonium ad propagationem generis humani. Hoc verò tempore cessat illius præcepti obligatio. Si tamen daretur casus quo cæteri homines essent bello, vel peste extincti; neque inuenirentur alij præter religiosos, ipsi tunc possent; immò tenerentur matrimonium contrahere: quia votum posthabendum est præcepto naturali. Potest etiam contingere alius casus; vt quando est vnicus hæres regni, aut status, quo non nubente exorirentur bella: tunc enim ille hæres teneretur vxorem ducere ad impedienda damna, & incommoda Reipub. impendentia. *ibid.n.1.& seq.*

Materia, forma, & minister huius Sacramenti.

6. Materia huius Sacramenti est traditio corporum ipsorum contrahentium: forma est acceptatio eorundem expressa per verba, vel signa: nam per acceptationem perficitur matrimonium. *ibid.n.1.& seq.*

7. Minister essentialis huius Sacramenti non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes: alioquin matrimonium clandestinum, quod ante Concilium Tridentinum celebrabatur sine Sacerdote, non fuisset verum matrimonium, & Sacramentum: Sacerdos igitur non est minister essentialis, sed accidentarius quatenus ex officio iungit, & benedicit contrahentibus, quod pertinet ad accidentariam matrimonij perfectionem. Quare Sacerdos assistens matrimonio cum conscientia peccati mortalis, non peccat mortaliter: quia ipse non ministrat, nec conficit hoc Sacramentum. Ipsi verò contrahentes grauiter peccant, quatenus suscipiunt hoc Sacramentum in peccato mortali; non verò peccant mortaliter, quatenus illud sibi mutuò administrant, quia ipsi non sunt ministri ad hoc consecrati. *tom.1.pag.254.num.5.& 6.*

Matrimonium inter absentes.

8. Matrimonium inter absentes,per procuratorem,vel per literas contractum, est validum : quia iura non irritant huiusmodi contractum. Nec minus est Sacramentum quàm inter præsentes celebratum : Ecclesia quippe (ait Sanchez) nullum agnoscit matrimonium inter fideles quod non sit Sacramentum. Quare si quis intendat inire matrimonium tanquam contractum , neque velit suscipere Sacramentum , nihil facit; quia ex Christi institutione , ratio contractus matrimonij est inseparabilis à ratione Sacramenti. Sed hæc ratio non mihi satis probatur : nam ratio contractus videtur separabilis à ratione Sacramenti etiam inter fideles : qui enim habet intentionem contrahendi , sed non suscipiendi Sacramentum , verè contrahit ; adsunt enim omnia requisita ad contractum : non tamen suscipit Sacramentum,defectu intentionis. *ibid.num.* 1. *& seq.*

9. Vt matrimonium per literas, vel procuratorem contractum,sit validum, tria saltem requiruntur. 1. præsentia parochi,& testium. 2. vt literæ non sint fictæ,& procurator non sit fictè constitutus. 3. vt procurator habeat speciale mandatum ad contrahendum cum certa persona , & vt agat per se ipsum; non enim potest ipse alium substituere ; denique vt procurator non excedat limites mandati. Porrò qui mittit procuratorem ad contrahendum suo nomine matrimonium, tenetur sub peccato mortali esse in gratia eo tempore quo probabiliter credit procuratorem contracturum matrimonium ; tunc enim ipse suscipit Sacramentum,siue vigilet , siue dormiat. *tom.*1. *pap.*255.*n.*5. *& seq.*

Matrimonium clandestinum.

10. Matrimonium duobus modis esse potest clandestinum. 1. si fiat sine Parocho , & testibus. 2. si omissis denunciationibus celebretur. Matrimonium sine Parocho , & duobus,vel tribus testibus initum , post Concilium Trid. est inualidum; sic enim decernit *sess.* 24. *cap.* 1. Vnde sequitur copulam animo maritali habitam , absente Parocho , & testibus non sufficere ad contrahendum matrimonium. Quare peccat mortaliter qui sic contrahit, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui. *tom.*1.*pag.*256.*n.*1.*& seq.*

11. Matri

11. Matrimonium nullis præmissis denuntiationibus celebratum, est validum: iure enim antiquo erat validum, nec vllum nouum ius extat in oppositum. Mortaliter tamen peccat qui sine facultate, aut legitima causa denunciationes omittit: hinc enim grauissima incommoda sequi possunt. Concilium autem Trid. concedit facultatem dispensandi in denunciationibus, Episcopo, aut alteri Prælato qui iurisdictionem quasi Episcopalem habeat, aut etiam Vicario generali, aut alteri ab Episcopo delegato. Porrò hæ sunt causæ dispensandi in denunciationibus. 1. quando timetur maleficium, aut aliud iniustum matrimonij impedimentum. 2. quando denunciationes absque dispendio famæ, aut alio graui incommodo fieri nequeunt. 3. quando instat tempus quo nuptiæ prohibentur. 4. notabile contrahentium commodum. 5. quando magnates sunt contracturi: qua huiusmodi matrimonia, etiam absque denunciationibus sunt satis publica, & si quod est impedimentum, latere non potest. *ibid. numero 6. & pag. 257. num. 7.*

12. Denuntiationes faciendæ sunt in propria parœcia, immo quando contrahentes sunt diuersarum parœciarũ, faciendæ sunt in vtroque parœcia: sic enim sacra Cardin. Congregatio declarauit. Sin contrahentes plura habeant domicilia in diuersis parœciis, facienda sunt in ea parœcia in qua diutius habitant, & principalem habent larem. *tom. 1. pag. 257. numero 10. & 11.*

13. Denuntiationes à Parocho, vel alio de ipsius licentia, faciendæ sunt. Parochus autem qui propria auctoritate denunciationes omisit, absque causa legitima, suspenditur ab officio per triennium. *ibid. n. 12.*

14. Denunciationes tribus diebus festis continuis faciendæ sunt: quanquam etiam fieri possunt alio die quàm festo, quandò scilicet ingens hominum turba ad Ecclesiam confluit, vt contingit quando insignis concionator est concionem habiturus. *ibid. n. 14. & seq.*

15. Conscij impedimentorum tenentur ea detegere, quandò commodè possunt, absque scandalo, etiamsi impedimenta sint occulta, nec probari possint, aut etiamsi accepta sint sub secreto: agitur enim de vitando damno spirituali contrahentium, & periculo ne proles illegitima nascatur. *tom. 1. pag. 258. num. 20.*

16. Vbi Concilium Trid. non est promulgatum, vel acceptatum, saltem quoad hoc particulare decretum, validum

est matrimonium, sine Parocho,& testibus celebratum. Quia lex non obligat nisi sit promulgata, & acceptata. Quare incola loci in quo Concilium fuit promulgatum, & acceptatum, si se aliò conferat vbi non est promulgatum, potest ibi matrimonium absque Porocho, & testibus celebrare: quia contractus hoc habet speciale vt celebrandus sit iuxta solemnitates receptas in eo loco vbi celebratur. *ibidem*, *numero* 1. *& seq.*

17. Ad matrimonium validè contrahendum requiritur præsentia proprij Parochi vel alterius de licentia Parochi, vel Ordinarij. Quò fit vt qui ad aliquem locum se confert, animo ibi manendi maiori anni parte, possit matrimonium contrahere coram Parocho illius loci: quia ibi acquirit domicilium parochiale ad suscipienda sacramenta, excepto Ordine, & Tonsura. At inualidum est matrimonium celebratum ab incola ciuitatis coram Parocho ruris ad quod solet aliquoties in anno accedere recreationis causa. Idem dicendum de eo qui causa pestis, vel belli, fugit à sua parœcia, ad eam quamprimùm reuersurus. Porrò matrimonio vagorum potest quilibet Parochus validè interesse, adhibitâ priùs diligentiâ in indagandis impedimentis, & obtenta ab Ordinario facultate. *tom.1.p.259.num.1.& seq.*

18. Quando sponsus est vnius parœciæ, & sponsa alterius, matrimonium in alterutrius parœcia, & coram alterutrius Parocho celebratum, est validum, sic enim sacra Cardinal. Congregatio declarauit: neque Concil. Trid. magis expressit Parochum viri, quàm fœminæ. *ibid.n.7.*

19. Matrimonium in articulo mortis, sine proprio parocho, celebratum, est inualidum, quacumque vrgente necessitate: quia deest illi forma substantialis, à Concil. Trid. determinata. *ibid. num.8.*

20. Sacerdos assistens matrimonio sine licentia Parochi, vel Ordinarij, aut benedicens iis qui sibi non sunt subditi, incurrit ipso iure suspensionem, donec ab Ordinario illius Parochi absoluatur. Iure autem antiquo incurrebat excommunicationem. *tom.1.pag.260.n.12.*

21. Parochus, vel Ordinarius, potest concedere facultatem alteri sacerdoti coniungendi sponsos in matrimonio, extra propriam parœciam. Immò ipse Parochus potest non modò extra propriam parœciam, sed etiam extra propriam diœcesim, suos subditos matrimonio iungere: quia potest administrare sacramenta suis ouibus, vbicumque existant, etiam-

si

si non obtinuerit facultatem à Parocho illius loci. *ibidem numero* 13.

22. Validum est matrimonium contractum coram Parocho qui nondum est sacerdos : tum quia Concil. Trid. requirit solum præsentiam Parochi : tum quia præsentia Parochi non requiritur hic ad exercendam functionem sacerdotalem. Tamen qui de Parochi licentia assistit, debet esse Sacerdos; ita enim præscribitur à Tridentino. *tom.1.pag.261. numero 16.*

23. Inualidum est matrimonium contractum cum eò Sacerdote qui licentiam assistendi extorsit per dolum,& mendacia versantia circa causam finalem,id est, quando concedens licentiam, impulsus est ad eam concedendam ob causam fictam, aut sibi dolosè narratam, itáque erat affectus vt si nosset causam illam non subsistere, licentiam non concessisset. Quia dispositio facta per dolum versantem circa causam finalem,est inualida. Secùs dicendum quando licentia fuit extorta per dolum, & mendacia versantia tantùm circa causam impulsiuam. *ibid.num.*17.

24. Validum est matrimonium cui assistit Parochus interdictus, seu prohibitus ab Episcopo,assistere matrimonio : quia Parochus adhuc retinet iurisdictionem, seu potestatem,itáque declarauit sacra Card. Congregatio. Item Parochus prohibitus à superiore, administrare sacramenta propter inscitiam, potest validè assistere matrimonio : quia hæc assistentia, non est administratio sacramenti,sed auctorizatio,vt ita loquar, & conualidatio consensus contrahentium. *ibid.n.19.*

25. Parochus excommunicatus, etiam non toleratus, seu vitandus, potest validè matrimonio assistere : quia non desinit esse Parochus. Immò potest concedere alteri Sacerdoti licentiam assistendi, etiamsi ille Sacerdos sit excommunicatus, vel irregularis, vel etiam degradatus : quia hæc assistentia auctoritatiua, non est propriè actus iurisdictionis. *ibid.n.21.*

26. Parochus habens iniustum titulum beneficij, validè assistit matrimonio,etiamsi ob aliquod delictum,ipso iure,priuatus sit beneficio,modò in iudicio,nondum fuerit illo spoliatus. Quia est adhuc Parochus cum titulo colorato, & errore communi vulgi,vt suppono. *tom.1.pag.262.n.24.*

27. Ad validè contrahendum matrimonium præter Parochum, duo vel tres testes sunt adhibendi,cuiuscumque ætatis,conditionis,& status,neque excluduntur impuberes, vsu rationis præditi, neque fœminæ, neque consanguinei, neque pa-

ter,

ter, vel mater, neque infideles, neque excommunicati: quia Concil. Trident. nullos testes excipit. *tom.* 1. *pag.* 263. *numero* 41. *&* 43.

28. Matrimonium clandestinum, sine Parocho, & testibus celebratum nullam inducit obligationem, neque vim habet sponsaliorum: quia Tridentinum irritat matrimonium clandestinum. Ratione tamen damni illati, vt si sponsus deflorauit fœminam cum qua clandestinè contraxit, tenetur saltem damnum illatum restituere arbitrio prudentis viri. At matrimonium clandestinum impuberum hoc habet peculiare, vt habeat vim sponsaliorum: quia ius præsumit impuberes se voluisse obligare eo modo quo possunt. *ibidem, num.* 48.

29. Contrahentes matrimonium clandestinum, puniendi sunt arbitrio Episcopi. Idem dic de testibus assistentibus matrimonio clandestino. Sacerdos autem huic matrimonio assistens incurrit suspensionem donec absoluatur ab Ordinario illius Parochi cuius erat assistere. Denique Parochus qui sciens, matrimonium clandestinum non prohibuit, suspendendus est ab officio per triennium. *tom.* 1. *pag.* 264. *numero* 50.

30. Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. anathemate damnat negantes matrimonia clandestina ante Trident. celebrata valida fuisse, aut matrimonia sine consensu parentum à filiis familiàs contracta vera esse, ac rata. *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 8. *pag.* 162. *tom.* 3.

31. Eandem censuram incurrunt affirmantes matrimonium sine Parocho & testibus liberè contractum in iis locis in quibus Concilium Tridentinum acceptatum non fuit, irritum esse & inualidum: huiusmodi enim matrimonia non censentur irrita ante acceptationem Concilij, neque Concilium intendit obligare priusquàm acceptetur. *ibidem, num.* 3.

32. Validitas matrimonij à voluntate parentum non pendet, itavt ratum sit, aut irritum pro ipsorum arbitrio: quia contractus à sola contrahentium voluntate pendet, nec filij in iis quæ ad proprium vitæ statum pertinent, tenentur parentibus obedire. *ibid. n.* 4.

33. Hæc excommunicatio nemini est reseruata.

Matrimo-

Matrimonium inualidum quomodo validetur.

34. Ad validandum matrimonium, quod reuera eſt inualidum defectu conſenſus interni, vel ob grauem metum, ſufficit ſi conſenſus de nouo præſtetur ab eo qui conſenſerat fictè, aut coactè, modò alter ſponſus qui verè conſenſerat, non reuocauerit ſuum conſenſum. Sufficit autem conſenſus internus, nullo externo ſigno expreſſus: quia ſignum externum iam fuit exhibitum in contractu ſolemni, cui tantùm deerat conſenſus internus. *ibid.n.*1.*&* 3.

35. Ad validandum matrimonium quod fuit inualidum propter impedimentum dirimens, neceſſarius eſt, poſt impetratam impedimenti diſpenſationem, aut poſt illius ceſſationem, nouus vtriuſque conſenſus, ſigno aliquo externo expreſſus. Quia conſenſus antea præſtitus, fuit omnino irritus ex parte vtriuſque contrahentis. Impedimentum autem manifeſtandum eſt coniugi illud ignoranti, quando abſque graui periculo manifeſtari poteſt, vt habita cognitione inualiditatis matrimonij, vterque de nouo conſentiat. Validari tamen poteſt etiamſi impedimentum non manifeſtetur, modo alter ignarus impedimenti ita conſentiat, vt velit matrimonium eſſe validum, quamuis antea fuerit inualidum. *ibidem*, *n.*6.*& pag.*265.*num.*7.

36. Vt validum fiat matrimonium, antea inualidè celebratum propter occultum aliquod impedimentum, quod in iudicio probari non poteſt, non requiritur vt de nouo contrahatur coram Parocho, & teſtibus, etiamſi prius matrimonium mala fide fuerit celebratum: iam enim adhibita fuit illa ſolemnitas, neque opus eſt illam repetere; modò conſenſus vtrinque renouetur; *tom.*1.*pag.*265.*num.*10.

Matrimonium ſub conditione celebratum.

37. Matrimonium ſub conditione neceſſaria celebratum validum eſt ante euentum conditionis, in foro externo, & interno, modò contrahentes non habuerint intentionem ſuſpendendi conſenſum vſque ad conditionis euentum: quia conditio quæ apponitur, cùm ſit neceſſaria, habetur pro impleta. *tom.*1.*pag.*266.*num.*5.

38. Matrimonium celebratum ſub conditione turpi quæ ſit contra ſubſtantiam matrimonij, irritum eſt ſi conditio ap-

ponatur vt de futuro præſtanda: quia conditio quæ apponitur contra ſubſtantiam contractus,deſtruit contractum. Validum tamen eſt matrimonium ſub hac conditione contractum: *Duco te ſi ad ſeruandã perpetuam caſtitatem te obliges,vel ad profeſſionem in religione faciendam*: quia mutuum dominium corporum,ab vſu ſeparari poteſt. At inualidum eſt contractum cum pacto nunquam cohabitandi: nam hæc conditio ſimpliciter repugnat proli, quæ illicitè impeditur. *ibid.n.9. & pag. 267.n.13.& 15.*

39. Validum eſt matrimonium celebratum ſub conditione turpi, quæ ſubſtantiæ matrimonij non repugnet, aut ſub conditione impoſſibili: quia huiuſmodi conditiones in matrimonio habentur pro non adiectis, modò adſit abſolutus contrahentium conſenſus,ſigno externo ſufficienter expreſſus. *tom.1.pag.267.n.16.*

40. Matrimonium contractum ſub conditione honeſta de præſenti, vel præterito,validum eſt,ſi res ita ſe habet, vt *contraho tecum ſi diues es*, vel *ſi patri placet*. At celebratum ſub conditione de futuro, non eſt validum ante conditionis euentum: fit tamen validum adueniente conditione, abſque alio conſenſu. Hinc ſequitur illum qui per verba de præſenti contraxit cum duabus, ſub conditione de futuro, fieri maritum illius,cuius conditio priùs adimpletur. Sin vtriuſque conditio ſimul impleatur,neutrum matrimonium valet,quia incertitudo vitiat matrimonium. *ibid.n.20.& 21.*

41. Validum eſt matrimonium inter conſanguineos, vel affines contractum ſub hac diſpenſatione, *ſi Papa diſpenſauerit*, adueniente diſpenſatione: contrahentes enim ſub illa conditione, non contrahunt pro tunc, ſed pro tempore futuro, videlicet pro tempore conditionis adimpletæ. *tom. 1. pag. 268. num. 23.*

42. Matrimonium contractum ſub conditione impertinenti de futuro, non eſt validum, antequam conditio verificetur; verificata verò, & adimpleta conditione eſt validum. Quod dictum eſt de matrimonio, idem proportione dicendum de ſponſalibus ſub conditione celebratis. *ibidem, num. 24.*

Matrimonij indiſſolubilitas.

43. Matrimonium iure naturali, & diuino eſt indiſſolubile. Hebræis autem permiſſa fuerunt repudia, & diuortia ex diſpen

diſpenſatione diuina. Hinc collige matrimonium propter adulterium diſſolui non poſſe: hoc enim eſt de fide definitum in Concilio Florentino. Poteſt tamen Summus Pontifex diſpenſare in matrimonio rato, vt diſſoluatur, ob graues cauſas: at in matrimonio conſummato non poteſt: hoc enim matrimonium repræſentat vnionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana quæ eſt indiſſolubilis. *tom.* 1. *pag.* 269. *num.* 2. *& ſeq.*

Matrimonij impedimenta.

45. Impedimenta non ſolùm impedientia, ſed etiam dirimentia matrimonium, iure antiquo ſunt 12. iure nouo 14. quippe Concil. Trident. duo addidit, raptum ſcilicet, & abſentiam Parochi, & teſtium. Hæc autem omnia his verſibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptáve ſit mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Dicuntur autem hæc impedimenta dirimere matrimonium, quia faciunt vt inualidè contrahatur, & contrahentes ſeparari poſſint, eo quod inualidè contraxerint. *tom.* 1. *pag.* 270. *numero* 9.

46. Sunt & alia impedientia duntaxat, ſed non dirimentia matrimonium, nempe interdictum, votum, ſponſalia, catechiſmus, & crimen, quæ his verſibus includuntur.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechiſmus, ſponſalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quibus adde alia ſeptem ex crimine manantia.

Inceſtus, raptus, ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors preſbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat; prohibent hæc coniugium ſociandum.

De ſingulis agendum, ac primum quidem de dirimentibus.

Error.

47. Triplex eſt error in matrimonium cadens, 1. circa

ſubſtantiam, ſeu perſonam, vt ſi quis ducat Bertam, credens eſſe Catharinam. 2. circa conditionem, vt ſi quis ducat ſeruam, quam putabat eſſe liberam. 3. circa qualitatem, vt ſi quis ducat pauperem, vel defloratam, ratus eſſe diuitem, aut virginem. *ibid.num.* 1.

48. Inualidum eſt matrimonium contractum cum errore circa ſubſtantiam, iure poſitiuo, & naturali: quia cum illo errore non ſubſiſtit conſenſus; nihil quippe eſt magis contrarium conſenſui quàm error, quia nihil appeti poteſt à voluntate niſi cognoſcatur. *ibid.num.*2.

49. Matrimonium contractum cum errore circa qualitatem, non eſt inualidum: hic enim error non impedit voluntarium quoad naturam, & ſubſtantiam rei. Modò qualitas circa quam erratur non fuerit appoſita in contractu per modum conditionis, vt ſi quis dicat: *Duco te in vxorem ſi es diues, vel nobilis*: tunc enim error circa qualitatem irritaret matrimonium. Modò etiam error qualitatis non tranſeat in errorem perſonæ, vt ſi qualitas in qua erratur, reſpiciat certam, & determinatam perſonam, diſtinctam ab ea quæ præſens eſt, v.g. ſi Berta contrahat cum Titio qui ſe fingebat filium Regis Hiſpaniarum. Secùs ſi ſe fingebat tantùm filium Regis, non explicans cuius regis eſſet filius; tunc enim eſt error ſolius qualitatis. *ibid.n.*5.*& pag.*271.*n.*6.*&* 7.

50. Matrimonium contractum cum errore circa conditionem non eſt inualidum, quando perſona cum qua contrahitur eſt æqualis, aut melioris conditionis. Hinc fit vt ſeruus contrahens cum ſerua quam putabat eſſe liberam, aut contrahens cum libera, quam putabat ſeruam, validè contrahat: quia nulla eſt hic inæqualitas, vel iniuria. At ſi conditio errantis fiat deterior, vt ſi liber contrahat cum ſerua, quam putabat eſſe liberam, inualidum eſt matrimonium; niſi poſt cognitam ſeruitutem interueniat nouus conſenſus, & copula affectu maritali. *tom.*1.*pag.*271.*num.* 1. *& ſeq.*

Conditio.

51. Filij ſequuntur conditionem matris, id eſt, naſcuntur ſerui ſi mater eſt ſerua, naſcuntur liberi ſi mater eſt libera, iuxta illud vulgatum: *Partus ſequitur vterum.* Non tamen illam ſequuntur quoad honores, & nobilitatem; ſed potiùs ſequuntur patrem. Porrò quando mulier prægnans ſe vendit, filius conceptus ante venditionem, eſt liber: quia mater tempore

conce

conceptionis erat libera. Secùs si iure belli fiat serua; tunc enim fœtus fit seruus cum matre, quamuis tempore conceptionis esset libera. *tom.1.pag.272.n.10.& 12.*

Votum.

52. Votum castitatis, emissum per professionem validam in religione approbata, dirimit matrimonium etiam consummatum, contractum post ipsam professionem. Hoc est de fide definitum in Concil. Viennensi. Item professio facta in religione approbata, dirimit matrimonium celebratum ante ipsam professionem, modò non sit consummatum. Ita definitum fuit in Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. Atque ita licebit Bertæ, v. g. quæ nupserat Titio, post coniugis professionem factam ante matrimonium consummatum, alteri nubere; non tamen ante professionem. Quod vt intelligas, nota, vtrique coniugi post contractum matrimonium, sed nondum consummatum, concessum fuisse spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu religionis, quo tempore potest alter alteri petenti negare debitum, & religionem ingredi, etiam altero inuito; elapso verò bimestri peccat non reddendo debitum petenti. Si tamen post bimestre religionem ingrediatur, & profiteatur ante consummatum matrimonium, validè profitetur, & professio dissoluit matrimonium. *tom.1.pag.273.n.3.& 4.*

53. Matrimonium consummatum non dissoluitur per sequentem professionem, etiamsi consummatum fuerit intra bimestre, & per vim: coniuges enim per matrimonij consummationem facti sunt vna caro, quæ non est diuidenda, nisi per mortem alterius. Sponsa tamen per vim cognita intra bimestre quod datur ad deliberandum, vt probabilior fert sententia, potest adhuc ingredi religionem: par enim non est vt ob iniuriam sibi illatam, damnum patiatur. *ibidem, numero* 7. *&* 8.

54. Inualida est professio, quam alter coniugum emisit bona fide, credens alterum periisse; propterea professus postquam cognouit alterum esse superstitem, debet ad illum reuerti, illique reddere debitum petenti; ipse tamen petere non poterit: quia hæc professio licet inualida, habet vim simplicis voti. At in casu perpetui diuortij, potest coniux innocens ingredi religionem, & validè profiteri, aut sacros Ordines suscipere, altero inuito. *ibid.n.10.*

55. Potest vterque coniux post consummatum matrimo-

nium, de communi consensu ingredi religionem, & profiteri, aut continentiam vouere. Neque opus est vt vterque ingrediatur, & profiteatur simul; tamen post alterius professionem, tenetur alter ingredi,& profiteri,cùm non possit in sæculo manere, nisi sit prouectæ ætatis, & continentiæ votum emittat, de consensu Episcopi. *ibid.num.*11.*& pag.*274.*num,*12.

Cognatio.

56. Inualidum est,saltem iure Ecclesiastico,matrimonium celebratum inter consanguineos intra quartum gradum inclusiuè, tam in linea recta, quàm in transuersali. At iure naturæ, matrimonium in linea recta est irritum in primo tantum gradu. Iure autem diuino prohibitum olim fuit, *Leuitic.*18. matrimonium in primo, & secundo gradu; sed modò non est inualidum in secundo gradu, iure diuino: quia lex vetus fuit abrogata. Quare matrimonium contractum ab infidelibus in secundo gradu etiam lineæ rectæ, validum est; quin infideles non subsunt impedimentis iure Ecclesiastico inductis. *tom.*1. *pag.*275.*n.*7.*& seq.*

57. Initio mundi matrimonum fratris cum sorore, fuit validum propter necessitatem naturæ humanæ conseruandæ. Immò in casu extremæ necessitatis, pater contrahere posset cum filia, vel mater cum filio: hoc enim matrimonium potest cohonestari ob bonum commune, & humani generis necessitatem. Eam ob rem Patres à culpa excusant filias Loth carnaliter cognitas à patre, quia nullum alium superstitem esse arbitrabantur. *ibid.n.* 12.

58. Ex dictis patet Summum Pontif. dispensare posse in 2.3.& 4. gradu consanguinitatis; cùm in his gradibus matrimonium, iuræ naturæ, irritum non sit: ac proinde validum esse matrimonium inter patruum, seu auunculum,& filiam fratris seu sororis, ex dispensatione Summi Pontif. *tom.*1. *pag.*276.*n.*13.*&* 14.

59. Cognatio spiritualis in Baptismo contrahitur inter baptizantem, & baptizatum; inter baptizantem, & patrem, ac matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores,& patrem, ac matrem baptizati. Inter ipsos autem susceptores nulla cognatio contrahitur: quare patrinus potest matrimonium contrahere cum ea cum qua simul alienum filium suscepit. *ibid.num.*2.*& seq.*

60 Ad contrahendam cognationem in Baptismo, aut

Confirmatione, hæc requiruntur. 1. vt teneatur infans in Baptiſmo: propterea quando puer eſt domi baptizatus, & in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates, non contrahitur cognatio ab eo qui puerum ſuſcipit in Eccleſia: quia non dicitur ſuſceptor in Baptiſmo. 2. vt Baptiſmus ſolemniter adminiſtretur; propterea ſuſcipiens puerum in Baptiſmo priuatim adminiſtrato, non contrahit cognationem ſpiritualem. Priuatim tamen baptizans, contrahit cognationem, etiamſi ſit laicus; quia ex vero Baptiſmo cõſurgit cognatio ſpiritualis quæ matrimonium impedit, ac dirimit. 3. vt ſuſceptores ſuſcipiant puerum de manibus baptizantis ſtatim ac baptizatus eſt; quare commater ſuſcipiens infantem de manibus compatris, non contrahit cognationem; quia non dicitur ſuſcipere de ſacro fonte. 4. requiritur contactus, itavt ſuſcipiens, ſeu tenens, verè dicatur tenere: quare qui tantum aſſiſtit baptizato, eúmque non tangit, cognationem non contrahit. 5. vt ſuſceptor intentionem habeat præſtandi munus patrini. 6. vt non adſit error perſonæ. 8. vt baptizans, ſeu ſuſcipiens ſit, baptizatus. *ibid. n.8.& ſeq.& pag.277.n.11.& ſeq.*

61. Quando multi tangunt ſimul puerum in Baptiſmo, omnes contrahunt cognationem: ſi verò tangunt ſucceſſiuè, ſolus primus tangens contrahit cognationem: quia primus functus eſt munere patrini, & Concil. Trid. vnum tantùm ſuſceptorem, vel ad ſummum vnum, & vnam requirit. *tom.1.pag. 278.n.24.& ſeq.*

62. Qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem, contrahit cognitionem, non autem ipſe procurator: quia procurator non agit proprio nomine, ſed mittentis, illíque imputantur acta per procuratorem; nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur. *tom.1.pag.278.n.34.*

63. Cognatio legalis eſt propinquitas orta ex adoptione. Eſt autem *adoptio*, legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel neptorem, &c. vel in filiam, aut neptem, &c. Debétque adoptans eſſe prouectæ ætatis, itavt poſſit eſſe pater carnalis adoptati. Porrò fœmina abſque priuilegio non poteſt adoptare. *tom.1.pag.279.n.1.& ſeq.*

64. Cognatio legalis impedit, & dirimit matrimonium. 1. inter adoptantem, & adoptatum, & adoptati deſcendentes vſque ad quartum gradum. 2. inter vxorem adoptantis, & adoptatum: & vice verſa inter vxorem adoptati, & adoptantem. 3. inter filios adoptantis, & adoptatum: hoc tamen impedimentum non perpetuò durat: nam ſi filij adoptantis

emancipentur, vel si pater eorum moriatur, cessat cognatio, atque adeo impedimentum. *ibid.num.*5.

65. Quando plures ab vno eodémque adoptantur, possunt inter se matrimonium inire. Item adoptatus potest contrahere cum filia illegitima adoptantis: quia soli filij legitimi cognationem contrahunt. Porró per cognationem legalem superuenientem, sponsalia dissoluuntur. *ibid.n.*7.

Crimen.

66. Crimen seu adulterij, seu homicidij impedit, ac dirimit matrimonium iure Ecclesiastico. Vt autem crimen homicidij inducat impedimentum dirimens, hæ conditiones requiruntur. 1. vt maritus occidat vxorem, vel vxor maritum. 2. vt vir & fœmina qui matrimonium contrahunt, conspirauerint in necem coniugis occisi. 3. vt hæc conspiratio facta fuerit in hunc finem, vt mortuo coniuge, conspirantes possent inter se matrimonium inire. 4. vt mors sequatur. *tom.*1.*pag.* 280.*num.*2 *& seq.*

67. Vt adulterij crimen inducat impedimentum dirimens, requiritur vel adulterium cum homicidio, vel adulterium cum matrimonio, vel adulterium cum promissione matrimonij. Quare qui adulterium committit, & promittit illi cum qua adulteratur, se post mortem coniugis cum ea contracturum, non poterit mortua coniuge, validè cum ea matrimonium contrahere, siue promissio facta fuerit ante adulterium, siue post, siue cum iuramento, siue sine iuramento. Secus dicendum si promissio facta fuit animo decipiendi; tunc enim in foro conscientiæ non inducit impedimentum. *ibid.n.*8.*& pag.*281. *num.eod.*

68. Promittens & acceptans matrimonium post dissolutionem præsentis matrimonij, seu post mortem coniugis, mortaliter peccant: quia datur ansa captandæ morti coniugis, sicque habetur in iure. Estque huiusmodi promissio non tantùm illicita, sed etiam inualida. *tom.* 1. *pag.* 281. *numero* 10.*&* 11.

Cultus disparitas.

69. Matrimonium fidelis cum infideli, iure Ecclesiastico est inualidum. Inter fidelem veró, & hæreticum, vel apostatam, vel excommunicatum, validum est; nullo enim iure irritatur.

Contra

Contrahens tamen cum hæretico, grauiter peccat, tùm propter Ecclesiæ prohibitionem, tùm propter periculum peruersionis; nisi in quibusdam locis hoc sit consuetudine receptum, vt in Germania, & Gallia. *tom.1.pag.282.n.2.*

70. Quando alter coniugum infidelium conuertitur ad fidem, altero persistente in infidelitate, potest matrimonium dissolui si infidelis nolit habitare cum fideli, vt patet ex 1. *Cor.*7. aut quando infidelis vult quidem habitare cum fideli, sed non sine iniuria Creatoris, quando scilicet infidelis compellit fidelem ad peccatum, vel non vult nomen Christi audire nisi cum despectu; vel quando nomen Dei blasphemat, vel impedit cultum, & honorem Dei, & familiam à Christi fide nititur reuocare. Immò si infidelis nolit ad fidem conuerti, probabilius est fidelem posse matrimonium dissoluere, propter periculum peruersionis: tuncque licere vtrique aliud matrimonium celebrare. *ibid.num.*4. *& seq.*

Vis, seu metus.

71. Matrimonium celebratum per metum grauem, seu cadentem in constantem virum, est inualidum iure Ecclesiastico, modò metus sit iniustè incussus: nam metus iustè incussus à iudice non irritat matrimonium: quare validum est matrimonium contractum ab eo qui sub graui pœna cogitur à iudice contrahere, & stare sponsalibus antea celebratis, quæ ille nolebat adimplere: nam iustè cogitur ob culpam, cùm teneatur matrimonium inire, & perficere sponsalia. *tom.*1.*pag.*284. *num.*8. *&* 13.

72. Sponsus qui metum incussit, potest à matrimonio resilire antequam alter qui metum passus est, ratificet priorem consensum qui non erat sufficiens ad validitatem matrimonij: quia non tenetur stare matrimonio ante sententiam iudicis. *tom.*1.*pag.*286.*n.*33.

73. In Concilio Trident. *sess.*24. *cap.*9. lata est excommunicatio contra dominos temporales, magistratus, & alios, qui subditos, vel alios quoscumque directè, vel indirectè cogunt ne matrimonia liberè contrahant. *ibid. n.*34.

Ordo.

74. Ordines maiores, validè, & sine graui metu suscepti, dirimunt iure Ecclesiastico, matrimonium subsequens. Sic de-

finitum eſt de fide in Conc. Trid. *ſeſſ.24.can.9. c.vnic de voto.* Matrimonium verò antea contractum non dirimitur per ſuſceptionem ſacri Ordinis: ſic enim definitum eſt in quadam Extrauag. Ioan. XXII. *de voto. tom.* 1. *pagin.* 287. *num.*8. *&* 12.

75. Græcis ſacerdotibus nunquam licuit matrimonium contrahere: permiſſum tamen eſt Græcis iam coniugatis ſuſcipere ſacros Ordines, & vti matrimonio ante ſuſceptos Ordines celebrato. *ibid.num.*13.

76. Vir coniugatus poteſt ſacros Ordines ſuſcipere. 1. quando poteſt facere diuortium quo ad torum, & habitationem, aut religionem intrare etiam inuita coniuge. 2. quando accedit liber, & legitimus vxoris conſenſus. Qui verò abſque legitimo vxoris conſenſu ſacros Ordines ſuſcepit, non poteſt quidem petere debitum, propter votum caſtitatis, ſacris Ordinibus adnexum; poteſt tamen reddere vxori petenti: nam ipſa non fuit priuata ſuo iure. *tom.* 1. *pagin.* 288. *numero* 18. *&* 19.

77. Vir coniugatus poteſt ad Epiſcopatum promoueri, ſi vxor conſentiat, & religionem ingrediatur, in eaque profeſſionem emittat. Vxor verò quæ voto caſtitatis emiſſo, licentiam coniugi dedit ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſeu Epiſcopatum, vel Cardinalatum, mortuo coniuge, nec licitè, nec validè poteſt nouum matrimonium inire. *ibid. n.*21. *&* 22.

Ligamen.

78. Ligamen dicitur vinculum prioris matrimonij quo durante, poſterius matrimonium eſt inualidum, non modò iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, & diuino: res enim vni tradita, non poteſt amplius alteri tradi; & *Matth.* 19. dicitur: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur*: vnde ſic licet argumentari: ſi dimittens vxorem mœchatur aliam ducendo, multò magis mœchatur qui ducit aliam, priore retenta, conſequenter matrimonium cum ſecunda eſt inualidum. In veteri tamen lege ex diſpenſatione diuina licuit plures vxores ducere: quæ diſpenſatio fuit à Chriſto reuocata, quare Summus Pontif. non poteſt in pluralitate vxorum diſpenſare. *ibid. n.*2. *&* 3. *pag.*289. *n.*4.

79. Inualidum eſt iure naturæ matrimonium vnius fœminæ cum pluribus viris: impeditur enim procreatio prolis per ſeminum commiſtionem, & ſi proles inde naſcatur, non bene

educa

educabitur propter illius incertitudinem, neque hac in re fuit vnquam dispensatum. *tom.1.pag.289.n.9.*

80. Vt coniux superstes possit cum alio matrimonium inire, requiritur certitudo moralis, seu tanta quanta iudicio prudentis viri sufficit ad credendum certò priorem coniugem obiisse; alioquin contrahens exponit se periculo adulterij. Ob id præcipitur Prælatis, ne permittant matrimonium contrahi, donec certus nuncius de morte alterius coniugis perferatur. *ibid.num.12.& seq.*

81. Vxor quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens priorem virum mortuum esse, tenetur recedere à secundo, postquam cognouit priorem esse superstitem: nam posterius matrimonium est inualidum. In dubio autem an sit superstes, non potest petere debitum: tenetur tamen alteri petenti reddere quamdiu id non constat. *ibid.n.17.*

Publica honestas.

82. Impedimentum publicæ honestatis sic appellatur, eò quod æquum sit propter publicam honestatem, & decentiam, vt matrimonium inter aliquas personas impediatur, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel matrimonium. *tom. 1. pag.290.num.1.*

83. Ex sponsalibus validis, & certis oritur iure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu. Quare si quis post sponsalia celebrata cum Berta, matrimonium contraheret cum illius sorore, vel matre, vel filia, inualidè contraheret. *ibid.num.2.*

84. Impedimentum publicæ honestatis, contractum ex sponsalibus validis, non cessat licèt sponsalia mutuo contrahentium consensu dissoluantur: quia impedimenta matrimonij non pendent à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ statuit vt impedimentum publicæ honestatis consurgat ex sponsalibus validè celebratis. *ibid n.7.*

85. Qui celebrauit sponsalia cum Berta, & postea copulam habuit cum sorore Bertæ, neutram potest sibi matrimonio iungere; quia impedimentum publicæ honestatis, & impedimentum affinitatis concurrunt. *ibid n.8.*

86. Impedimentum publicæ honestatis consurgit etiam ex matrimonio rato, vsque ad quartum gradum. Vnde vir, mortua vxore ante consummationem matrimonij, non potest

ducere

ducere consanguineam vxoris vsque ad quartum gradum: sic enim Pius V. declarauit. Idque verum est etiamsi matrimonium ratum, sit inualidum, modò non sit inualidum defectu consensus. Quare impedimentum publicæ honestatis videtur oriri ex matrimonio contracto sine Parocho, & testibus: quia hoc matrimonium non est inualidum defectu consensus, sed defectu solemnitatis ab Ecclesia præscriptæ. Oritur item impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio inualido propter impedimentum dirimens; quia non est inualidum defectu consensus. *ibid. num. 9. & 10. & pag. 291. numero 11. 18. & 19.*

87. Hoc est discrimen inter impedimentum publicæ honestatis, & cætera impedimenta, quòd cætera superuenientia sponsalibus, dirimunt sponsalia; publica verò honestas superueniens sponsalibus, illa non dissoluit. *tom. 1. pag. 291. numero 21.*

88. Ad Summum Pontif. pertinet dispensare in impedimento publicæ honestatis. At quando concurrit cum impedimento affinitatis, vtrumque explicandum est, saltem implicitè, in petitione dispensationis: quia sunt duo impedimenta sibi inuicem non subordinata. *ibid. n. 22.*

Affinitas.

89. Affinitas est vinculum, seu propinquitas orta ex carnali copula licita, vel illicita: quando enim vir, & mulier se carnaliter cognoscunt, fiunt affines cum consanguineis alterius, in eo gradu in quo sunt ipsi consanguinei inter se. Consanguinei autem vtriusque non fiunt inter se affines; propterea duo fratres ducere possunt duas sorores. *tom. 1. pag. 292. num. 1. & 2.*

90. Affinitas dirimit matrimonium, saltem iure Ecclesiastico, siue consurgat ex copula licita, siue illicita. Ex copula tamen licita oritur impedimentum dirimens vsque ad 4. gradum; ex illicita verò vsque ad secundum. *ibid. num. 6.*

91. Affinitas propriè non oritur ex matrimonio rato non consummato: nam ad inducendam affinitatem requiritur seminis emissio intra vas. *tom. 1. pag. 293. n. 18.*

92. Quando quis post matrimonium contractum, copulam habet cum sorore coniugis, non potest à coniuge petere debitum, propter affinitatem cum ea contractam. Præterea,

mortua

mortua coniuge, non potest aliam ducere, & si ducat, non potest ab ea debitum petere absque dispensatione. *ibidem, numero* 20.

Impotentia.

93. Impotentia perpetua dicitur ea; quæ non potest arte humana, vel absque probabili vitæ periculo remoueri. Ex triplici autem capite oriri potest. 1. ex improportione naturali, vt quando fœmina ita est arcta vt non possit à viro carnaliter cognosci: fieri tamen potest vt sit impotentia respectu vnius, non autem respectu alterius. 2. ex frigiditate, quando scilicet copula præ frigiditate consummari, & semen emitti non potest; atque hoc impedimentum prouenire solet à viro. 3. ex maleficio perpetuo; dicitur autem perpetuum quando coniuges post experientiam trium annorum, adhibitis conuenientibus remediis, non potuerunt copulam habere. *tom.* 1. *pag.* 294. *n.* 1. *& seq.*

94. Fœmina arctior quæ incisione fieri potest apta proprio viro, tenetur pati incisionem, etiam cum graui dolore; non tamen cum grauissimo morbi incommodo: matrimonium tamen validum est; quia hæc non censetur impotentia perpetua, cùm arte humana tolli possit, absque vitæ periculo, vt supponitur; quamuis ipsa nolit, aut non teneatur incisionem pati. *ibid. num.* 7.

95. Fœmina dissoluto matrimonio causâ frigiditatis, potest alium virum ducere: quia ipsa non censetur impotens, sed eius vir. Facta autem separatione, vir non potest cum alia matrimonium inire; quod si ineat, inualidè init: cùm enim à prima separatus sit per sententiam Ecclesiæ, præsumitur adhuc ineptus, propter frigiditatem. *ibid. n.* 8.

96. Impotentia perpetua antecedens matrimonium, dirimit matrimonium, iure Ecclesiastico, & naturali, ex quacumque causa proueniat: quia cum impotentia perpetua coniuges fieri non possunt vna caro, & matrimonium, ex sua natura ordinatur ad copulam, quæ redditur impossibilis per impotentiam perpetuam. *tom.* 1. *pag.* 295. *num.* 12.

97. Inualidum videtur matrimonium contractum cum sene decrepito qui est omnino impotens ad copulam, & matrimonium consummandum: hic enim censendus est habere impotentiam perpetuam. Item contractum cum eunucho, vel spadone, qui scilicet caret semine, est irritum ex declaratione Sixti

Sixti V. cùm enim careat vtroque teste, vt suppono, non potest emittere verum semen. Idem sentiendum de habentibus vtrumque testem ita contusum vt sint inepti ad veri seminis emissionem. Secùs dicendum de eunuchis qui altero tantùm carent teste; sunt enim apti ad generationem. *ibidem, num.18.& 19.*

98. Coniuges quibus constat adesse impotentiam perpetuam, non possunt debitum petere, vel reddere, nec delectari tactibus, osculis, &c. immò dissoluendum est matrimonium, non expectato triennio, si planè constet adesse impotentiam perpetuam: quia actus coniugales, matrimonio inualido, exerceri non possunt. In dubio autem an impotentia sit perpetua, permittendi sunt coniuges cohabitare per triennium, quo tempore si nequeant matrimonium consummare, separandi sunt propter periculum incontinentiæ, cùm inualidum sit matrimonium. At secluso incontinentiæ periculo, iura permittunt, vt vir habeat tanquam sororem, quam non potest habere vt vxorem. *tom.1.pag.296.n.29.*

99. Vir qui ex præsumptione impotentiæ perpetuæ, sacros Ordines suscepit, remanente vxore in sæculo, restituendus est vxori petenti, postquam cognoscitur impotentia non esse perpetua: quia vinculum matrimonij adhuc perseuerat. Ipse tamen non poterit petere debitum propter votum castitatis, sacris Ordinibus adnexum. *ibid.n.24.*

100. Hermaphrodytus in quo alter sexus præualet, potest matrimonium inire iuxta sexum qui in ipso præualet. At si sexus sit æqualis, & neuter præualeat, potest eligere vtrum sexum ipse voluerit, & secundùm illum, contrahere matrimonium; facta autem semel electione sexus, & contracto iuxta illum sexum matrimonio, non potest absque graui peccato mutare sexum. *ibid.num.26.& seq.*

Impedimenta non dirimentia.

101. Quinque sunt impedimenta non dirimentia, sed tantùm impedientia matrimonium contrahendum, videlicet. Interdictum, sponsalia, catechismus, votum, crimen. *tom.1. pag.297,num.1.*

102. Interdictum est prohibitio qua certo anni tempore interdicitur ab Ecclesia matrimonium: contrahens autem cum hac prohibitione peccat mortaliter. Porrò Ecclesia vetat matrimonia celebrari à primo die Aduentus, vsque ad Epipha-

niam, & à 4. feria Cinerum, vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè, quod tempus incipit à media nocte quæ præcedit primam Dominicam Aduentus, & à media nocte ante feriam 4. Cinerum, iuxta ritum Romanum. His tamen temporibus, de licentia Ordinarij, poſſunt ſponſalia, & matrimonia ſine ſolemnitate celebrari. Non poteſt item præfatis temporibus, benedictio ſolemnis fieri abſque culpa lethali; & Sacerdos tunc temporis benedicens, grauem pœnam meretur. *ibid. num.* 2. *& ſeq.*

103. Secundum impedimentum impediens matrimonium, ſunt ſponſalia priùs cum alio celebrata: qui enim contraxit ſponſalia, grauem contraxit obligationem ſeruandi fidem; cùm ſponſalia ſint promiſſio matrimonij, obligans ſub peccato mort. Hinc ſequitur eum qui vni promiſit matrimonium, non poſſe cum alia matrimonium contrahere, niſi prioribus ſponſalibus diſſolutis. *ibid.n.*5.

104. Tertium impedimentum eſt catechiſmus, ideſt inſtructio de rebus fidei, quæ fit ſolemniter ante ianuam Eccleſiæ, ſuper baptizando, vel iam baptizato, ex qua tenens puerum contrahit cognationem ſpiritualem, imperfectam quæ non dirimit, ſed impedit matrimonium. Eſt autem probabile hoc impedimentum à Concil. Trid. *ſeſſ.*24.*cap.*2. fuiſſe ſublatum, cùm ibi nullam eius faciat mentionem. *ibidem numero* 6.

105. Quartum impedimentum eſt votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendæ religionis, vel ſacrorum Ordinum ſuſcipiendorum, vel non nubendi. Quamuis autem grauiter peccet violans huiuſmodi votum; validum tamen eſt matrimonium ab eo contractum: res enim vni promiſſa, poteſt alteri validè tradi. Porrò interroganti an validum ſit matrimonium cum huiuſmodi voto celebratum, reſponderi poteſt verbis ambiguis, & cum æquiuocatione, ſi ſit periculum ne interrogans, audita veritate, contrahat matrimonium: quilibet enim tenetur proximi ſcandalum, & ruinam euitare. Si verò non poſſimus interrogantem eludere, poſſumus veritatem aperire, explicata grauitate delicti, & ſacrilegij quod committitur ab eo qui huiuſmodi voto obſtrictus, audet ad matrimonium animum adiicere. *tom.*1.*pag.*298.*n.*7. *&* 8.

106. Quintum impedimentum eſt crimen. Eſt autem multiplex. Primum crimen eſt *inceſtus*, ideſt fornicatio cum affine in gradu prohibito: quare vir qui ſciens commiſit inceſtum cum conſanguinea vxoris vſque ad quartum gradum,

non

non poteſt mortua vxore contrahere matrimonium, quamuis inceſtus ſit occultus; idem dic de vxore. Hoc autem impedimentum extenditur ad copulam habitam cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu, ratione publicæ honeſtatis. Quare ſponſus de futuro, copulam habens cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu, non poteſt tranſire ad matrimonium de præſenti, abſque diſpenſatione, non modò cum ſua ſponſa, propter affinitatem, ſed neque cum alia. Hoc tamen impedimentum non eſt perpetuum, ſed durat tantùm viuente complice cum qua copulam habuit. *ibid.n.9. & ſeq.*

107. Secundum crimen eſt *raptus alienæ ſponſæ*: qui enim rapit alienam ſponſam ſiue de futuro, ſiue de præſenti, contrahit impedimentum, itavt non poſſit non ſolùm contrahere cum rapta; ſed neque cum alia. Ipſa etiam ſponſa quæ ſuum conſenſum præbuit raptori, impeditur ne poſſit cum alio matrimonium contrahere. *ibid.n.13.*

108. Tertium crimen eſt *homicidium vxoris*, itavt qui propriam vxorem occidit, non poſſit cum alia matrimonium inire; niſi illam occidat in flagranti delicto adulterij; tunc enim impunè per leges occidit, quamuis peccet in conſcientia. Hoc crimen non extenditur ad homicidium viri patratum ab vxore. *ibid.n.14.& pag.299.n.16.*

109. Quartum eſt quando quis ſuſcipit in Baptiſmo filium proprium, vel filium coniugis, aut illum baptizat malo animo, vt contrahat cognationem cum coniuge, ne debitum reddat; hic enim contrahit impedimentum ne mortuo coniuge poſſit cum alio matrimonium inire. *tom.1.pag,299.n.17.*

110. Quintum eſt *homicidium Sacerdotis*, de quo fuit homicida in iudicio conuictus. Sextum eſt *pœnitentia publica*. Septimum eſt *matrimonium ſcienter contractum cum moniali profeſſa*: qui enim huiuſmodi matrimonium contraxit, non ſolùm inualidè contraxit, verùm etiam impeditur ne cum alia contrahat. Cæterùm qui cum hiſce impedimentis contrahit matrimonium, validè quidem contrahit, grauiter tamen peccat quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui. *ibid.num.18. & ſeq.*

Cuius ſit in impedimentis diſpenſare.

111. Nullus, ne ipſe quidem Summus Pontif. poteſt diſpenſare in impedimentis iure naturali matrimonium dirimentibus. Quare probabile eſt Pontificem non poſſe in vllo gradu lineæ

lineæ rectæ, aut in primo lineæ transuersæ, validè dispensare. In impedimentis autem solo iure humano dirimentibus, potest. *ibid.n.*1.*&* 2.

112. In impedimentis non dirimentibus potest Episcopus dispensare, excepto voto castitatis, & religionis absoluto, & perfecto. Immò potest aliquando Episcopus in impedimentis dirimentibus dispensare, quando scilicet impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, nec coniuges possunt absque magno scandalo separari, nec ad Summi Pontif. vel eius Nuncium, propter paupertatem, aut locorum distantiam patet recursus. Item potest Episcopus dispensare in impedimentis quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. Denique ex vrgentissima necessitate potest in impedimentis dirimentibus dispensare per se, vel per alium, etiam ante contractum matrimonium, vt cùm iam parata sunt omnia ad nuptias eo die celebrandas, & deprehenditur ex confessione impedimentum dirimens, nec sine graui infamia, aut suspicione grauis delicti, possunt nuptiæ differri. *ibid.n.*3.*& seq.*

113. Quando à sacra Pœnitentiaria conceditur Confessario facultas dispensandi cum aliquo in impedimentis matrimonij, delictum debet esse occultum, neque deductum ad forum contentiosum, valétque dispensatio tantùm in foro conscientiæ. Porrò si impedimentum est huiusmodi vt possit detegi, & in iudicio probari, celebrandum est iterum matrimonium coram Parocho,& testibus. Secus, si est planè occultum, nec vlli notum. *tom.*1.*pag.*300.*n.*7.

114. Confessarius non tenetur admonere pœnitentem qui inualidè contraxit matrimonium, ex ignorantia inuincibili iuris, vel facti, quando nullum sperat fructum ex admonitione, aut videt remedium esse difficillimum, modò tamen non sit periculum damni communis,vt accidit quando populus nouit huiusmodi impedimentum, & inde scandali occasionem sumit. *ibid.n.*4.

115. Parochus, seu alius Sacerdos non potest matrimonio iungere eos quos nouit extra confessionem, obstrictos esse aliquo impedimento etiam occulto, quamuis illi publicè petant matrimonium, aut negent impedimentum: sed Parochus debet Episcopum monere, ne matrimonium contrahatur. Si tamen facta hac denunciatione, compellatur ab Episcopo, non peccat assistendo illi matrimonio, quamuis sciat adesse impedimentum. At si Parochus nouit ex sacramento Confessionis

aliquem habere impedimentum dirimens, non poteſt illi matrimonium denegare, poſtquam illum admonuit in confeſſione ne contrahat. *tom.*1.*pag.*301.*n.*13.

Matrimonij vſus.

116. Coniux regulariter peccat mortaliter, non reddendo debitum alteri coniugi petenti expreſsè, aut tacitè, niſi iuſtam habeat cauſam non reddendi: quia illud debetur ex iuſtitia. Hinc ſequitur coniugem non poſſe immoderata vitæ aſperitate, & longa inedia ita extenuare vires vt debitum coniugale commodè reddere non poſſit; neque vxor debet ſe ieiunio & vigilia ita macerare, vt deformis, & exoſa viro efficiatur, ne det illi occaſionem quærendi alias. Immò licet coniugi frangere ieiunium, ſi debitum aliter reddere non poſſit. Excuſari tamen poteſt coniux à reddendo debito ex iuſta cauſa, qualis eſt notabilis infirmitas, aut probabile vitæ periculum. *tom.*1. *pag.*302.*num.*1.*& ſeq.*

117. Vir non peccat mortaliter, petendo debitum à coniuge lactante ſuam prolem. Vxor autem excuſari poteſt ſi neget debitum viro, ſi aduertat lac futurum valde perniciosum proli, aut vbera exſiccari. Nunquam tamen coniux poteſt negare debitum ne filij multiplicentur. Poſſunt quidem coniuges de communi conſenſu abſtinere à copula, ne filiorum numerus augeatur (ſecluſo incontinentiæ periculo:) at coniux non poteſt, abſque graui peccato, negare debitum alteri, ne ſoboles multiplicetur: tum quia facit iniuriam petenti; tum quia facit contra finem matrimonij qui eſt procreatio prolis. Excuſare tamen poteſt paupertas à peccato mortali, quando coniugibus res familiaris eſt adeo arcta vt filios alere non poſſint. *tom.*1.*pag.*303.*n.*11 *& ſeq.*

118. Qui ſciens contraxit affinitatem, aut cognationem ſpiritualem cum propria vxore, poſt celebratum matrimonium, non poteſt petere debitum: caret enim iure petendi. Qui in neceſſitate baptizauit filium communem, aut filium coniugis, non propterea priuatur iure petendi debitum. Secus, ſi extra neceſſitatem baptizauit: non enim poteſt petere propter cognationem ſpiritualem; tenetur tamen reddere petenti: alter enim abſque ſua culpa non eſt priuandus ſuo iure. *ibidem, numero* 1. *& ſeq.*

119. Coniux qui poſt contractum matrimonium, factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius coniugis ex ignorantia

rantia inuincibili iuris, vel facti, vel pœnæ, non priuatur iure petendi debitum: ignorantia enim inculpabilis illum excusat: quemadmodum diximus ignorantiam pœnæ excusare ab excommunicatione, & irregularitate. *tom.* 1. *pag.* 304. *numero* 6.

120. Coniux potest, & tenetur reddere debitum coniugi petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ, quia scilicet est obstrictus voto castitatis, &c. non enim cooperatur peccato petentis, cùm exerceat actum ex sua natura licitum coniugatis: tenetur tamen illum fraternè admonere ne petat. Petenti autem non solùm illicitè, sed etiam iniustè, propter affinitatem contractam, aut adulterium commissum, non tenetur coniux reddere debitum: quia non violat ius illius, cùm nullum habeat, nec illi facit iniuriam non reddendo. *ibidem, num.* 3.

121. Non potest coniux reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè propter circunstantiam quæ tenet se ex parte actus, vt si petat debitum in Ecclesia, vel loco publico: illa enim circumstantia reddit actum vtrique coniugi illicitum. *tom.* 1. *pag.* 305. *num.* 4.

122. Coniux tenetur reddere debitum coniugi petenti, licet vterque sit obstrictus voto castitatis: quia per votum non amiserunt mutuum dominium quod alter in alterius corpus acquisiuit: petens tamen peccat contra fidem Deo datam per votum. At si vouentes castitatem habuerunt intentionem remittendi sibi obligationem mutuam reddendi debitum, iam non licet reddere debitum petenti qui non habet ius petendi, postquam remisit obligationem reddendi. *ibid. n.* 8.

123. Coniux non tenetur reddere debitum coniugi petenti modo indebito quoad situm, nisi adsit iusta causa ob quam excusetur; petit enim illicitè ob circumstantiam actus. Probabile tamen est, non esse negaudum debitum coniugi petenti solùm cum peccato veniali: semper enim adest iusta causa reddendi, ne scilicet displiceat petenti, & ne dissensiones, & iurgia oriantur. Quapropter viro petenti tempore menstrui, debitum non est denegandum. *ibid. n.* 10. *&* 11.

124. Quando post matrimonium bona fide ab vtroque coniuge contractum suboritur scrupulus, & dubium ex leuibus indiciis, de validitate matrimonij, potest vterque petere, & reddere debitum: quia iudex in foro externo ita iudicaret, ergo in foro conscientiæ, idem est iudicandum. *ibid. num.* 2. Si tamen dubium nitatur probabilibus coniecturis, qui dubi-

tat, non poteſt petere debitum ante adhibitam debitam diligentiam ad explorandam veritatem : at coniugi petenti nec dubitanti tenetur reddere; quia is qui non dubitat, habet ius petendi, éſtque in poſſeſſione. *tom.* 1. *pagin.* 306. *numero* 3. *& ſeq.*

125. Quando conſtat matrimonium eſſe inualidum, propter impedimentum dirimens quod non poteſt manifeſtari ſine infamia, aut vitæ periculo, vel quando eo manifeſtato, adhuc compelletur coniux per cenſuras, in eo matrimonio permanere, eò quod impedimentum in iudicio probare non poſſit. Tunc poteſt coniux conſcius impedimenti, petere diſpenſationem, ſi impedimentum eſt diſpenſabile, vel ingredi religionem, vel petere diuortium, ſi adeſt cauſa petendi, vel denique habitare cum coniuge, vt frater cum ſorore, modò abſit periculum incontinentiæ. *tom.*1.*pag.*307.*num.*18.

Cauſæ diuortij.

126. Quamuis adulterium non ſit cauſa ſufficiens faciendi diuortium quoad vinculum, nihilominus eſt cauſa ſufficiens diuortij perpetui quoad torum, & habitationem, tam reſpectu fœminæ, quàm viri : nam frangenti fidem, fides ſeruanda non eſt. *tom.*2.*pag.*308.*n.*2.

127. Sodomia tam actiua quàm paſſiua, & beſtialitas, eſt cauſa ſufficiens diuortij tam in fœmina, quàm in viro: quia per hæc nefanda crimina diuiditur caro coniugis cum carne beſtiæ, aut alterius ; modò hoc peccatum committatur cum alio quàm cum proprio coniuge : caro enim coniugum non diuiditur, niſi per copulam cum alio. Vxor tamen ſi ſollicitetur à viro ad peccatum ſodomiæ, poteſt diſcedere ad tempus, propter periculum animæ, donec vir reſipiſcat : non tamen ſufficientem habet perpetui diuortij cauſam. *ibid.n.*4.

128. Coniux innocens poteſt, ſecluſo ſcandalo, priuata auctoritate facere diuortium ab adultero, ſiue delictum ſit publicum, ſiue occultum ; quia iure naturæ frangenti fidem, nulla debetur fides. In foro tamen externo cogetur ad coniugem redire, donec de adulterio conſtet. Hinc colligi poteſt coniuges qui contraxerunt inualidè propter impedimentum dirimens, poſſe in conſcientia, facere diuortium priuata auctoritate, modò abſit ſcandalum, quod poteſt vitari ſi alter coniugum in longinqua ſe recipiat. *ibid.n.*10.*&* 12.

129. Coniux innocens tenetur aliquando ſub peccato mortali

mortali cum vxore adultera facere diuortium, 1. si ex illo diuortio speret emendationem, & fructum: cum enim vir sit caput mulieris, tenetur corrigere delinquentem. 2. vt vitet scandalum, ne ipse existimetur conscius, & fautor delicti, si alia ratione, quàm per diuortium, obuiam ire scandalo non possit. *ibid.n.*13.

130. In quibusdam casibus non licet propter coniugis adulterium, facere diuortium. 1. quando vterque coniux commisit adulterium: paria enim delicta, mutua compensatione abolentur. 2. quando vir vxori dedit causam proximam adulterandi, aut quando conscius adulterij non vult prohibere cum possit. 3. quando vxor commisit adulterium tantum materialiter, rata se copulam habere cum proprio viro, aut credens priorem virum obiisse. 4. quando vxor per vim passa est stuprum. 5. quando coniux innocens, alteri condonauit adulterium. *ibid.n.*14. *& pag* 309.*n.eod.*

131. Coniux innocens, facto diuortio, potest cogere adulterum vt ad se redeat: quia sententia diuortij lata est in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis; quare adulter tenetur ad illum redire; modò alterutrius status non sit mutatus per professionem in religione, vel per sacrorum Ordinum susceptionem: est enim ille status immutabilis. *ibid.n.*16.

132. Coniux adulter occultus potest petere debitum ab altero coniuge ignorante suum adulterium: quia ipse non tenetur suum delictum manifestare, nec pœnam subire ante sententiam iudicis. *ibid.n.*20.

133. Causæ sufficientes ad faciendum diuortium ad tempus quoad torum, & habitationem sunt hæ. 1. est sæuitia mariti, nisi ab ipso detur sufficiens cautio de non offendenda coniuge. Hæc autem sæuitia præsumi potest quamdiu vir retinet concubinam domi, vel etiam extra domum; hæc enim est multarum rixarum seges. 2. est furor alterius coniugis. 3. quando alter coniugum tentauit alterum occidere. 4. quando alter alterum instigat ad peccandum, nec monitus desistit. 5. quando delictum alterius coniugis potest esse alteri causa grauis damni, vt si vxor sit venefica. 6. causa est lapsus in infidelitatem, vel hæresim. 7. votum communi consensu emissum. Cæterùm facto diuortio, iure ciuili, filij sequuntur partem innocentem.

Peccata in vsu Matrimonij contingentia.

134. Multis modis peccari potest in vsu matrimonij iam

contracti, vt patet ex his duobus verſibus in quibus habes quid ſeruandum ſit vt actus coniugalis ſit licitus, ac meritorius.

Sit modus, & finis, ſine damno, ſolue, cohare,
Sit locus, & tempus, tactus, nec ſpernito votum.

Peccatur contra *modum*, quando non ſeruatur ſitus, & modus congrediendi, aut quando non ſeruatur debitum vas, aut quando ſemen voluntariè extra vos effunditur. *Finis* debet eſſe *honeſtus*, vt procreatio filiorũ, fuga incontinentiæ, &c. qui autem in actu coniugali cogitat de aliena vxore, adulterium mentale committit, in confeſſione exprimendum. *Sine damno*: dictum eſt ſupra poſſe negari debitum ſi ſit periculum grauis morbi vel damni. Eſt etiam quædam inhoneſtas, & turpitudo, accedere ad vxorem tempore menſtrui, eſtque peccatum veniale. Accedere autem ad vxorem grauidam cum periculo abortus, eſt peccatum mort. at ſecluſo hoc periculo, non eſt illicitum. *Solue*, deſignat obligationem reddendi debitum, de quo ſupra. Pollutio autem inter coniuges extra vas debitum, habet ſpeciem adulterij, eſtque circumſtantia neceſſariò in confeſſione aperienda. *Cohare*, ſignificat obligationem cohabitandi, ſecluſo graui damno animæ, vel corporis. De *loco* infra dicendum. Circa *tempus* nullum eſt Eccleſiæ præceptum, nulla prohibitio. *Tactus* & oſcula inter coniuges an ſint licita, patebit ex infra dicendis. *Votum* caſtitatis arcet à petendo debito; non tamen à reddendo. *tom.* 1. *pag.* 311. *num.* 5. *& ſeq. pag.* 312. *num.* 10. *& ſeq.*

135. Coniux qui abſente coniuge delectatur de actu coniugali præterito, vel etiam futuro, ac ſi præſens eſſet, non peccat mortaliter: quia delectatio ſumit bonitatem, & malitiam à motiuo, ſed motiuum in hoc caſu, eſt actus externus coniugij, ſeu venerea delectatio externa, quæ in coniugatis licita eſt ratione matrimonij. Vidua tamen quæ de actu coniugij præterito, & ſponſa quæ de actu futuro delectatur, mortaliter peccant: quia ſicut actus externus, ſponſæ, aut viduæ non eſt licitus, ita neque licita eſt delectatio quæ ex illo actu percipitur. At deſiderium copulæ futuræ tempore matrimonij, non eſt ſponſæ illicitum. *tom.* 1. *pag.* 315. *num.* 12. *&* 13.

136. Tactus, & oſcula in coniugatis excuſantur à mortali, etiamſi fiant ob delectationem abſque intentione copulæ coniugalis, modò abſit periculum pollutionis. Idem dicendum de verbis obſcænis, & aſpectibus inter coniuges. Inter ſponſos autem de futuro, non excuſantur à mortali; quia proxi-

mè

mè disponunt ad copulam, quæ est illicita. *tom.* 1. *pagin.* 317. *num.* 6.

137. Coniunctio naturalis facta modo indebito, est peccatum mortale quando interuenit tanta inordinatio, vt generatio sequi non possit: quod quia raró vsu venit, raró etiam contingit peccatum mortale; ordinariè tamen est grauissimum peccatum veniale, nisi necessitas excuset, vt quando vir est præpingui, & obeso ventre, aut fœmina est grauida: seclusa veró necessitate, vel iusta causa grauiter reprehendendi sunt coniuges inusitato modo congredientes. *tom.* 1. *pag.* 322. *n.* 2. & *pag.* 323. *num. eod.*

Ad matrimonium cogentes.

138. In Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 9. indicta est excommunicationis pœna ipso facto incurrenda cogentibus ad matrimonium celebrandum, seu directè, seu indirectè. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 6. *pag.* 159. *tom.* 3.

139. Qui graue malum alicui minatur ni matrimonium contrahat, excommunicationem incurrit; quia dicitur cogere. Secus, si leue malum. *ibid. n.* 2.

140. Qui renuit alicui debitum magni momenti soluere, eò quod nolit matrimonium contrahere, in hanc censuram incidit; quia saltem indirectè dicitur cogere. Qui veró gratuita beneficia alicui denegat eo quòd nolit matrimonium inire, non dicitur cogere. *ibid.*

141. Qui officium, pecuniam, vel hæreditatem alicui promittit, si matrimonium contrahat, hac censura non obstringitur, quia non cogit, sed allicit, quod non officit libertati. *ibidem.*

142. Per vim aut metum à matrimonio retrahentes sub hac censura non comprehenduntur: quia Concil. loquitur tantùm de cogentibus ad matrimonium. *ibid. n.* 3.

143. Cogentes ad matrimonium celebrandum, iuxta probabiliorem sententiam, hanc excommunicationem non incurrunt, nisi iurisdictionem sæcularem, seu temporale dominium habeant: quia Concilium de iis tantùm loquitur; vnde sequitur dominum cogentem sua mancipia, & parentes cogentes liberos ad matrimonium contrahendum ab hac censura excusari; quia iurisdictione carent in foro sæculari. Episcopos item hac censura non comprehendi probabile est, nisi habeant temporale dominium. *ibid. num.* 4 & *seq. pag.* 160. *tom.* 3.

144. Principes, Senatores, Prætores, Iudices, aliíque seu viri, seu fœminæ temporali iurisdictione gaudentes, rei sunt huius excommunicationis, si ad matrimonium cogant, non tantùm subditos suos, sed etiam quoscunque alios. Probabile tamen est ab hac censura eximi Reges, & Imperatores; cùm enim sint personæ speciali nota dignæ, non ligantur censura, nisi exprimantur. *ibid.n.6.& 7.*

Hæc excommunicatio nemini est reseruata.

Matrimonium illegitimè contrahentes.

145. In Clementina vnica, *de consanguinit.* excommunicantur, qui scienter in gradibus consanguinitatis, aut affinitatis à iure interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonium non verentur; necnon religiosi, aut moniales, ac clerici in sacris ordinibus constituti, matrimonium contrahentes. *disp.2.quæst.2.punct.7.pag.160.tom.3.*

146. Iure canonico interdictum est contrahere cum consanguineis vsque ad quartum gradum inclusiuè; quare contrahentes in quinto à censura excusantur. *ibid.n.1.*

147. Affinitas orta ex copula licita inducit impedimentum vsque ad quartum gradum. Orta ex illicita, vsque ad secundum tantum. *ibid.pag.161.n.2.tom.3.*

148. Contrahens cum aliqua quam putabat consanguineam, aut affinem, aut monialem, cum reipsa non esset, non incidit in hanc excommunicationem; licèt quoad effectum æquè peccauerit, ac si reipsa cum affine, moniali, vel consanguinea contraxisset. Ratio cur censuram non incurrat, est, quia ad censuram incurrendam requiritur effectus consummatus sub censura prohibitus: tenetur tamen hic, quandiu in illo errore versatur, se gerere tanquam excommunicatum, ne scandalum aliis ingerat. *ibid.n.4.*

149. Fœmina cum qua religiosus cõtrahit matrimonium, in hanc censuram non incidit: quia hæc excommunicatio directè fertur in ipsos religiosos, & clericos in sacris constitutos contrahentes matrimonium, nec vlla fit mentio de fœminis cum ipsis contrahentibus; graue tamen sacrilegium committunt. *ibid.num.6.*

150. Clericus in sacris constitutus, aut religiosus professus fictè matrimonium contrahens, hanc censuram non incurrit; quia hic verè non contrahit: quandoquidem contractus mutua contrahentium voluntate perficitur. Immò si vnus ex animo

animo contrahat, alter verò fictè, non incurritur excommunicatio, quia non est contractus; nam claudicat ex parte fictè consentientis. *ibid.n.9.& 10.*

151. Vis aut metus grauis cadens in constantem virum excusat ab hac censura: quia Ecclesia non præsumitur obligare sub pœna excommunicationis cum graui periculo; deinde consensus per vim, aut metum extortus non sufficit ad contrahendum matrimonium. *ibid.n.12.*

152. Contrahens cum affine, aut consanguinea impubere, hanc censuram non incurrit; quia consensus impuberum non sufficit ad matrimonium. Idem dicendum de contrahente cum furiosa quæ caret lucidis interuallis. *ibid.n.11.*

153. Contrahens matrimonium in casibus prohibitis suprà recensitis per verba de futuro, aut sub conditione nondum completa, aut per verba de præsenti sed absente Parocho, & testibus, non contrahit excommunicationem. Idem dicendum de contrahente ex ignorantia iuris, vel facti, vel etiam pœnæ: quia in Decreto Concilij additur particula, *scienter*, & excommunicatio non incurritur sine contumacia, & temeritate. *Ibid. n.13.& seq.pag.162.tom.3.*

154. Qui ignorans contraxit, sed cognita veritate perseuerat in cohabitatione & copula incestuosa, aut sacrilega, non propterea subiicitur excommunicationi; quia non punitur cohabitatio, sed contractus; hic autem iam præcessit. Addendum tamen modò copula non habeatur affectu maritali: cum enim iam præcesserit solemnitas, & modò adsit consensus per copulam affectu maritali habitam sufficienter declaratus, ad verum matrimonij contractum nihil desideratur. *ibidem, num.19.*

155. Hæc excommunicatio nulli est reseruata.

Mendacium.

1. MEndacium definitur à S.Augustino falsa significatio vocis, cum intentione fallendi, seu dicendi falsum. Quatuor autem modis committitur formaliter mendacium. 1. quando quis affirmat aliquid esse, quod ipse scit non esse. 2. quando quis negat aliquid esse, quod ipse cognoscit esse. 3. quando scienter dubium pro certo affirmat. 4. quando certum pro dubio enunciat. *tom.2.pag.296.n.1.& 2.*

2. Omne mendacium, seu iocosum, seu officiosum, seu perniciosum, est intrinsecè malum, & peccatum, neque vnquam

fieri potest licitum, quamuis bono fine proferatur: quare Summus Pontif. in mendacio dispensare non potest. Non tamen omne mendacium est peccatum mortale; nam iocosum, & officiosum sunt ex suo genere peccatum veniale, neque possunt fieri mortale, quamuis multiplicentur, secluso graui scandalo, & iuramento. At perniciosum mendacium, ex suo genere est peccatum mort. opponitur enim dilectioni Dei, & proximi cui damnum infert, quanquam ratione paruitatis materiæ, vel indeliberationis fieri possit veniale. *ibid. num.1. & pag.297.num.3.& seq.*

3. Qui sine graui damno proximi, mendacium profert, etiam in iudicio, vel sacramento Confessionis, non peccat mortaliter, modò non sit coniunctum cum iuramento, & modò in confessione non sit circa materiam necessariam, vel circa totam materiam confessionis; vt dictum est *tit.* Pœnitentia. *tom.2.pag.297.n.7.*

4. Mulier, quæ verbis amphibologicis, aut aliis mediis licitis defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo nubit, non est rea mendacij: non enim intendit alterum decipere, sed ius suum tueri; nemo enim tenetur se ipsum prodere, aut infamare. Neque peccat contra iustitiam, nisi vir in contractu matrimonij, vel in sponsalibus expresserit se nolle cum ea contrahere nisi virgo sit: tunc enim virum decipit. *ibid.n.8.*

5. Hypocrita qui simulat vitæ sanctitatem, peccat mort. dum proximo notabile damnum sequitur ex illa fictione, vt quando quis mentitur sanctitatem vt facilius seminet errores, vel vt beneficium assequatur: qui verò simulat sanctitatem ad extorquendam eleemosynam qua verè indiget, non videtur culpæ lethalis reus. Neque peccat mortaliter qui habitu, & corporis cultu mentitur sexum ex leuitate, modo scandalum absit. Secùs si id fiat ob malum finem. Qui verò habitu obscæno, & ad turpia inducente in Bacchanalibus incedunt, ratione scandali grauiter peccant. *ibid. num. 9. & pag.298.num.10.*

MISSÆ SACRIFICIVM.

Missæ nomen, & essentia.

1. MIssæ nomine intelligitur actio sacra, qua Christi corpus conficitur, quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur per communionem. Missæ verò sacrificium est cære

cæremonia sacra qua res aliqua sacratur aliquo modo, consumitur, & soli Deo offertur, in ipsius cultum, & recognitionem supremæ maiestatis, & excellentiæ. Porrò Missa quoad substantiam fuit à Christo instituta in vltima Cœna in qua sacrificium obtulit, & offerendum præcepit: quoad cæremonias verò fuit instituta ab Ecclesia. *tom.* 1. *pag.* 84. *n.* 1. *& seq.*

2. Tres sunt partes essentiales sacrificij Missæ, consecratio, oblatio, & consumptio. Vnde sequitur in feria sexta Parasceues non fieri propriè sacrificium, cùm non fiat noua hostiæ consecratio. Ad essentiam sacrificij non videtur requiri, sumptio & consecratio vtriusque speciei; nam sacrificium Christi cruentum per alteram tantùm speciem repræsentari potest. *ibid. num.* 1. *& seq.*

Missæ effectus.

3. Tres sunt effectus sacrificij Missæ, 1. est *conferre gratiam, & remittere peccata*, vnde dicitur *sacrificium propitiatorium*: non tamen confert primam gratiam, & remissionem peccatorum per se, & immediatè; sed mediatè aliquo modo, quatenus Deus intuitu sacrificij tribuit auxilium ad contritionem, qua remittitur peccatum mort. *tom.* 1. *pagin.* 85. *num.* 1. *& seq.*

4. Secundus effectus huius sacrificij est *impetrare nobis bona quæ petimus*, vnde vocatur *sacrificium impetratorium*. Vnde sequitur hoc sacrificium prodesse, ex vi suæ institutionis, ad obtinendum id ad quod obtinendum offertur: & quamuis effectus à nobis intentus, non obtineatur infallibiliter, nihilominus hoc sacrificium magnam vim tribuit orationi, eamque efficit digniorem quæ exaudiatur, habetque suum effectum ex opere operato. *ibid. num.* 6.

5. Tertius huius sacrificij effectus est *satisfacere pro peccatis*, vnde dicitur *satisfactorium*. Hinc sequitur hoc sacrificium prodesse ad remittendam pœnam peccatorum, huncque esse primarium eius effectum; quapropter offertur pro defunctis vt à pœnis exoluantur. *ibid. n.* 7. *&* 8.

6. Triplex est Missæ fructus seu valor. 1. dicitur *generalis*, quem Ecclesia intendit applicari omnibus omninò fidelibus viuis, & defunctis, ipsi etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regibus, &c. 2. est *specialis*, & *proprius* ipsius Sacerdotis. 3. est *medius*, qui competit iis pro quibus sacrificium specialiter offertur. *ibid. num.* 1. *&* 2.

7. Valor

7. Valor huius sacrificij quatenus offertur à Sacerdote non est infinitus intensiuè: at si spectetur quatenus continet Christum, certum est esse infiniti valoris. *Generalis* autem *valor* huius sacrificij est infinitus extensiuè, consequenter non tot prodest quin prodesse possit pluribus. *Medius valor* est finitus, & limitatus; vnde minùs prodest singulis si pro multis offeratur, quàm si pro paucis. *tom.*1.*pag.*86.*n.*3.*& seq.*

8. Valor Missæ vt est sacrificium, est ex opere operato; alioquin non differret à sacrificiis veteris legis quæ producebant effectum ex opere operantis. Prodest igitur omnibus fidelibus ex opere operato; quippe prodest vltra meritum, & dispositionem fidelium. Quanta autem portio fructus sacrificij contingat singulis pro quibus generaliter offertur, nobis non constat. *tom.*1.*pag.*87.*n.*7.*& seq.*

9. Prodest Missæ sacrificium, & applicari debet fidelibus quibuscumque viuis, etiam profligatissimis; modò non sint excommunicati: immò potest offerri pro infidelibus, & paganis vt conuertantur; cùm Apostolus 1. *Timoth.* 2. præcipiat orationem fieri pro regibus qui tunc erant infideles. Denique prodest defunctis in purgatorio existentibus. Beatis autem, & damnatis non prodest, vnde colligitur non esse offerendum pro eo quem constat in notorio peccato mort. decessisse. *tom.*1. *pag.*88.*n.* 1.*& seq.*

10. Huius sacrificij fructus satisfactorius quem quis applicauit defuncto illius incapaci, vtpote damnato, prodest ipsi sacrificanti, si sibi applicet, alioquin probabile est in Ecclesiæ thesauro reponi. *ibid.n.*12.

Missæ sacrificij minister.

11. Huius sacrificij minister est solus Sacerdos, habens intentionem celebrandi, qui licet sit in peccato mort. validè tamen celebrat, prodestque illius sacrificium quatenus nomine Christi, & Ecclesiæ offertur. Missa tamen mali Sacerdotis non prodest aliis secundùm valorem respondentem precibus quatenus sunt preces illius personæ particularis; at prodest secundùm valorem ex opere operato, & secundùm valorem quem habent preces oblatæ nomine totius Ecclesiæ; sicque Missa Sacerdotis in peccato mort. celebrantis tam prodest aliis, quàm si à bono Sacerdote celebraretur; ipsi tamen celebranti non prodest, quia ponit obicem sibique iudicium manducat, & bibit. *tom.*1.*pag.*89.*n.*1. *& seq.*

12. Missa celebrata ab excommunicato non vitando prodest aliis fidelibus non solùm quatenus sacrificium fit nomine Christi; sed etiam quatenus fit in persona Ecclesiæ; ipsa enim tolerat excommunicatum occultum, nec irritat ipsius acta. Excusari tamen potest à peccato excommunicatus, vel suspensus celebrans ad vitandam grauem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud graue detrimentum. *ibid.n.7.& 8.*

13. Probabilius est Sacerdotem legitimè non impeditum peccare mortaliter, si nunquam toto anno celebret; quia, quantum est ex se, inutilem reddit quam accepit consecrandi potestatem, dátque aliis occasionem scandali. In prouincia autem Mediolanensi simplex Sacerdos tenetur sub mortali, ratione solius ordinis, celebrare Missam singulis Dominicis, & festis solemnibus, nisi iure impediatur. *ibid.num.1.& pag.90. num.3.*

14. Sacerdotes curam animarum habentes, tenentur per se, vel per alios celebrare singulis saltem diebus quibus opus est, vt muneri suo satisfaciant. Non tenentur tamen singulis diebus celebrare, cùm populus non teneatur singulis diebus Missam audire; sed sufficit vt celebrent Missas iuxta numerum in hebdomada præscriptum. *ibid.num.4.*

15. Licèt Parochi teneantur aliquando iure diuino, sacrificium pro suis ouibus offerre, vt præscribit Concil. Trident. *sess.23.cap.1.* non tamen videntur obligandi ad applicationem sacrificij pro populo singulis diebus festis; quippe obligatio ad celebrandum longè differt ab obligatione ad applicandum. Sufficit igitur vt in præcipuis solemnitatibus, & Dominicis diebus, aut semel in hebdomada Parochi suis ouibus Missæ sacrificium applicent. *ibid.n.5.*

16. Capellanus tenetur iuxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris, Missas celebrare, sub peccato mortali, nisi legitimum impedimentum excuset. Denique hanc habeto regulam generalem. Sacerdos toties peccat, quoties per se ipsum, vel per alium non celebrat Missas quot, & quales, & quo in loco vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, nisi aliud constet ex voluntate interpretatiua fundatoris; vel nisi aliud suadeat honestas, & debita deuotio. *tom.1. pag.91.num.6.& 7.*

17. Capellanus qui, cùm nondum esset Sacerdos, aliquot annos possedit Capellaniam, & per alium satisfecit, cùm in fundatione Capellaniæ expresè cautum sit, vt Missa celebretur à titulari, peccauit accipiendo beneficium, cuius oneri non

poterat

poterat ipſe ſatisfacere ; quia fecit contra intentionem fundatoris ; non tamen videtur obligandus ad reſtitutionem ad ratam temporis quo per alium ſatisfecit ; quia nulli damnum intulit. *ibid.num.2.*

18. Probabilius eſt Sacerdotem qui titulo Capellaniæ,aut eleemoſynæ,tenetur Miſſæ ſacrificium vni applicare,non poſſe aliam ſtipem,ſeu eleemoſynam accipere pro eiuſdem ſacrificij applicatione. Neque illum tutum eſſe in conſcientia qui plures à pluribus colligit ſtipes , illiſque vnico Miſſæ ſacrificio ſatisfacere ſe poſſe arbitratur ; facit enim contra voluntatem offerentium illas ſtipes quorum ſinguli intendunt ſibi integrum ſacrificij fructum applicari. *tom.1.pag 92.num.1. & 2.* tenetúrque ad reſtitutionem ſub mortali. *num 6.*

19. Capellanus qui onere Miſſæ quotidianæ detinetur, non ſatisfacit illi oneri iis diebus quibus cauſa anniuerſariorum, vel aliarum Miſſarum,aliò ſe confert ad celebrandum,& Miſſam applicat iis pro quibus anniuerſaria , aut aliæ Miſſæ celebrantur: at ſi Miſſam applicet fundatoribus ſuæ Capellaniæ, non videtur grauiter peccare , modò id faciat raro, & non defraudet eos à quibus fit accerſitus. *ibid.n.5.*

20. Canonicus,ſeu alius Sacerdos qui ratione Capellaniæ, aut ſtipis acceptæ, tenetur onere Miſſæ quotidianæ,non poteſt, regulariter loquendo , ſatisfacere oneri Capellaniæ, & Canonicatus dum cantat Miſſam conuentualem , ſeu capitularem; quia Miſſa conuentualis eſt intrinſeca ipſi Capitulo,nec poteſt aliis applicari. *tom.1.pag.93.num.7.*

21. Sacerdos qui tenuem accepit eleemoſynam pro Miſſa celebranda , tenetur totum ſacrificij valorem reſpondentem tradentibus eleemoſynas applicare , nec poteſt numerum Miſſarum minuere , aut eleemoſynam ab aliis extorquere , ſaltem quando voluntariè contentus fuit illo ſtipendio , & expreſsè promiſit ſe Miſſam , vel tot Miſſas celebraturum. Miſſas autem ad minorem numerum reducere pertinet ad Epiſcopos in Synodo diœceſana ,& ad Generales ordinum in Capitulis generalibus,quando ſtipendium eſt exiguum,habita ratione oneris Miſſarum. *ibid num.8. & 9.*

22. Obtinens Capellaniam de cuius fundatione nullo modo conſtat , cùm nulla reperiatur Scriptura , ſed ſolum conſtat Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Eccleſia, vel altari, tenetur Miſſam applicare fundatori Capellaniæ;quia Capellaniæ cum hoc onere fundari ſolent: ergo præſumendum eſt hanc fuiſſe intentionem fundatoris , niſi clarè, conſtet

constet fundatorem respexisse solum Ecclesiæ, vel altaris cultum,& venerationem. *ibid.n.*13.*&* 14.

23. Qui semel in hebdomada potest titulo honestatis à celebratione Missæ abstinere, non potest eodem die Missam alibi,aut pro alio celebrare,aut abstinere à celebratione, oblectationis, vel itineris gratia,nisi aliter constet de mente fundatoris, aut nisi aliquem in suum locum subrogauerit. Potest quidem, ratione decentiæ, & honestatis, semel in hebdomada, Missam intermittere; at posito quod velit celebrare, debet Missam iuxta Capellaniæ institutionem applicare. *tom.* 1. *pag.*94.*num.*16.

24. Sacerdos qui duplici obligatione tenetur, nec potest vtrique per se,vel per alium satisfacere, debet satisfacere priori; quippe prior obligatio præualet posteriori, & qui prior est tempore,potior est iure. *ibid.num.*18.

25. Qui ex deuotione celebrat Missam priuatam, potest quam voluerit celebrare;quia nulla est obligatio, sub mortali, dicendi Missam de feria,aut de sancto:præstat tamen celebrare Missam quæ vnoquoque die præscribitur in Missali. At Missa solemnis, & Conuentualis iuxta præscriptum Missalis est omnino celebranda. *tom.*1.*pag.*95.*n.*2.*&* 3.

26. Qui ex promissione, vel fundatione tenetur celebrare certas, & peculiares Missas putâ de Spiritu sancto, de Beata, &c. per se loquendo, infideliter agit si alias celebret; quia non stat promissis: si tamen in eum diem incidat solemnitas alicuius Sancti, potest de illo Missam celebrare; neque tenetur collectam, seu orationem Missæ votiuæ, quam promiserat, adiungere: & qui suscepit 30. Missas Sancti Gregorij pro defunctis celebrandas, non tenetur singulas de *Requiem* celebrare, ijs præsertim diebus, quibus Officium solemniter celebratur, neque necesse est eas sine interruptione celebrare. *ibid. num.* 4. *& seq.*

27. In qualibet Ecclesia, seu Oratorio, per se loquendo, licet Sacerdoti Missam celebrare, nisi ratione fundationis Capellaniæ, aut peculiaris prohibitionis, id non liceat. Tamen qui ex titulo vel conuentione tenetur in aliqua Ecclesia, vel Altari celebrare, non potest absque peccato mort. nisi iusta de causa, alibi celebrare, etiam si id faciat de hæredum consensu; nam voluntati testatoris, nequeunt hæredes derogare: non videtur tamen teneri ad restitutionem, quia fundatorem fructu Sacrificij non priuauit. *ibid. n.* 1. *& seq. pag.*96.

28. Sacerdotes qui notabiliter differunt, sine iusta causa,

celebrationem Missarum pro iis à quibus, vel pro quibus stipem acceperunt, peccant mortaliter; quia illa mora potest esse detrimento; & fieri potest vt obligentur ad restitutionem stipendij accepti, vt cum quis Missam pro impetranda infirmi valetudine, distulit post illius mortem. *tom.* 1. *pag.* 96. *n.* 1. *&* 2.

29. Sacerdos qui nullam accepit stipem pro Missa celebranda, potest Missas anticipatè celebrare hac intentione, vt eas applicet iis, à quibus postea stipem est accepturus, modò non intendat effectum Sacrificij suspendere ad illud tempus quo sibi dabitur eléemosyna; quia Sacrificium, suum habet effectum ex opere operato, nec Minister potest sua intentione, illum in futurum suspendere. Fructus igitur Sacrificij anticipatè celebrati prodest illi personæ quæ datura est stipē; Deus enim illam nouit. In praxi tamen illa consuetudo non est toleranda, quia redolet nimiam lucri cupiditatem. *ibidem, numero* 3.

30. Capellanus qui tenetur singulis hebdomadis aliquas Missas celebrare pro fundatore, vel pro aliquo defuncto, per se loquendo, satisfacit illas antecedente hebdomada celebrādo; nisi in fundatione Capellaniæ contrarium exprimatur. Qui verò ex onere Capellaniæ tenetur Missam celebrare diebus Dominicis, & bis in hebdomada, festis præcipuè diebus, tenetur celebrare illis diebus, qui ex Ecclesiæ præcepto, aut ex loci consuetudine, aut voto, à fidelibus coluntur. *tom.* 1. *pag.* 97. *num.* 4. *& seq.*

31. Canonicus qui tempore diuinorum officiorum celebrat in aliqua Capella Ecclesiæ suæ Collegiatæ, seu ratione eleemosynæ, vel fundationis, seu ex deuotione, non censetur præsens diuinis officiis, & consequenter percipere non potest distributiones respondentes illi horæ quæ in choro persoluitur, dum ipse celebrat, etiamsi id fiat de superioris consensu; præcisis tamen priuilegijs, seu facultate Pontificis: neque possunt cæteri Canonici hoc ei condonare ex præscripto Concil Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *ibid. n.* 7. *&* 8.

32. Sacerdos, regulariter loquendo, non potest bis in die celebrare, nisi fortè ob extraordinariam necessitatem, vt si idem Sacerdos duabus Ecclesiis parochialibus ob illarum paupertatem præficiatur. Verùm hac in re standum est legitimæ locorum consuetudini. *ibid. n.* 10.

33. Excusari possunt Regulares, qui muniti quibusdam priuilegiis, vnica Missa satisfaciunt pluribus, à quibus stipes accepe-

acceperunt; Summus enim Pontifex, iusta interueniente causa, potest mutare voluntatem offerentium stipem, neque ipsi videntur inde detrimentum pati, quatenus Missæ Sacrificium æquè prodest omnibus quoad impetrationem; quoad satisfactionem verò suppletur per indulgentias, aut per communicationem bonorum operum illius religionis. *tom* 1. *pag.* 98. *num.* 3.

34. Sacerdos habens pingue patrimonium, aut beneficium, potest nihilominus eleemosynas accipere pro Missarum celebratione; quia seruit altari, nec deterioris est conditionis quàm cæteri. Qui pro Missæ celebratione stipem exigit importunè supra taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam, peccat mort. Secùs si ex liberalitate offerentis illam accipiat. *tom.* 1. *pag.* 99. *n.* 7. *&* 11.

35. Potest Sacerdos in die festo duplo, maiorem eleemosynam accipere pro Missa celebranda, saltem in quibusdam Diœcesibus, vt in Mediolanensi. At titulo paupertatis non potest Sacerdos aliquid exigere supra taxam, ad vitæ sustentationem, quia Missæ Sacrificium non est institutum ad sustentandam vitam Sacerdotis, cùm nequeat ad Sacros Ordines promoueri, nisi constet illum habere titulum sufficientem ad vitam sustentandam. *ibid. num.* 13. *&* 14.

36. Sacerdos qui aduersa valetudine impeditus non potuit per aliquot dies, v. g. quindecim, onus quotidianæ celebrationis, iuxta Capellaniæ institutionem, adimplere, non tenetur per alium supplere illum defectum. Secùs si morbus fuit longior, puta duorum vel trium mensium. *tom.* 1. *pag.* 100. *numero* 17.

37. Qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, potest per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum, inscio dante, & insciis Sacerdotibus per quos pensum Missarum persoluitur, modò illis tantam tradat eleemosynam, quantam fert communis taxa; nulli enim facit iniuriam; hoc tamen non est consulendum, quia redolet sordes. *ibid. num.* 18.

38. Tempus, seu hora celebrandæ missæ regulariter incipit ab aurora seu prima solis irradiatione, vel paulò ante, vsque ad meridiem. Ad communicandum tamen infirmum, vel iter honestam ob causam suscipiendum, licet auroram anteuertere; At nunquam media nocte, nisi in die Natiuitatis Domini, licet celebrare. Si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, præcisa iusta causa, non videtur à mor-

tali excusandus. *tom.1. pag.101. num.1. & sequent.*

39. Qui celebrat Missam, ante matutini officij recitationem, per se loquendo, non peccat mort. quia non videtur tanta connexio inter Missam, & horas canonicas, vt peruertens hunc ordinem, lethalis culpæ reus constituatur. *ibid. n.8.*

40. Missa celebranda est in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, & in altari lapideo consecrato, integro, aut non enormiter fracto. Potest tamen Episcopus, iusta interueniente causa, dispensare vt Missa extra Ecclesiam in loco honesto celebretur: at non potest celebrari in mari, vel in flumine, propter periculum effundendi sanguinis. Item non potest celebrari sine altari, tam firmo, quàm portatili; portatile autem fieri non potest ex duobus lapidibus colligatis, sed ex vno tantum ad indicandam vnam in Christo personam: Si tamen altare firmum sit consecratum, non est opus portatili. *tom. 1. pag.102. n.9. & seq.*

41. Altare consecratum desinit esse sacrum, si notabiliter frangatur, ita vt pedem calicis, & hostiam cum patena, commodè capere non possit; aut si frangatur, vel amoueatur locus repositorium reliquiarium, *ibid.n.15.*

42. Non potest Sacerdos in eo altari celebrare, in quo Episcopus eodem die celebrauit, absque ipsius Episcopi consensu, aut nisi necessitas aliqua superueniat; id enim exigit reuerentia Episcopalis dignitatis. *ibid.n.16.*

43. Præter altare consecratum requiritur patena, & calix consecratus, & chrismate perunctus, ex auro, argento, vel stanno; non tamen ex ære, vel aurichalco, vel ligno; neque potest Episcopus in eo dispensare. Calicis autem & vestium, & cæteræ sacræ supellectilis consecratio, per se loquendo, pertinet ad Episcopum, vel etiam ad Abbatem habentem ius insignium Pontificalium *ibid. num.7.*

44. Calix, & patena consecrationem amittunt, non solùm si notabiliter frangantur, ita vt vsui esse non possint; verùm etiam quando vsu aurum amiserunt, & iterum deaurantur quoad illam superficiem quæ tangit corpus, & sanguinem Christi; quia post nouam deaurationem, contactus corporis, & sanguinis iam non fit in parte consecrata; opus est igitur noua consecratione. Si autem Calicis consecrati cupa separetur à pede absque fractione, non amittitur consecratio, vt in calice tornatili, cuius partes absque fractione separantur, & iterum coniunguntur. *ibid.n 19. & pag.103.n.20.*

45. Calix, patena, & alia ornamenta quæ Christi corpus imme-

immediatè tangunt, vt palla, & corporale, non possunt à laicis tangi absque peccato; hinc iure sancitum est vt corporalia lauentur à diacono, & lotio mittatur in piscinam sacram; quod intelligendum est de prima lotione; nam probabile est secundam fieri posse à fœminis, præsertim virginibus, sicut etiam ab illis refici possunt. *pag.* 103. *n.* 21. 22.

46. Non est opus, vt pyxis in qua Eucharistia asseruatur, sit consecrata; quia nullo id iure præcipitur. Corporalia autem oportet esse consecrata, ex tela linea, aut cannabea, quoad eam partem qua continetur calix, remanentque consecrata quamdiu non sunt notabiliter fracta. Porrò adhibens corporalia valdè immunda, grauiter peccat contra reuerentiam tanti sacramenti. *ibid num.* 23. 24.

47. Requiruntur præterea duæ mappæ, vel saltem vna duplicata, quæ repræsentant linteamina quibus Christi corpus fuit inuolutum; non adeò necesse est vt sint benedictæ, immò possunt, ex necessitate, adhiberi mappæ laicorum non benedictæ, quæ postea restituantur ad pristinum vsum. Ad hæc requiruntur vestes sacræ benedictæ, quæ benedictionem amittunt, si ita frangantur vt iam non sint aptæ ad suum vsum: quare alba desinit esse benedicta, si manica abscindatur, etiamsi postea eadem assuatur. Item cingulum noua indiget benedictione si ita frangatur vt nulla ipsius pars sufficiat ad cingendum. Harum autem vestium omissio, præcisa inaduertentia, inducit peccatum mort. *ibid.* *n.* 25. *& seq.*

48. Præterea requiritur crux (quam tamen omittere non est lethale peccatum) & lumen, quod, ex consuetudine, fit ex cera, quamuis in necessitate sufficiat candela sebacea, aut etiam lucerna ex oleo. Adhibendus est etiam masculus qui ministret sacro; præstat enim sine ministro celebrare, quàm fœminam ad ministrandum adhibere; extra necessitatem tamen sine ministro celebrare est peccatum mort. Cæterum Missa, vernacula lingua celebrari non potest. *tom.* 1. *pag.* 104 *n.* 30. *& seq.*

Missæ defectus.

49. Defectus, seu error contingens in Missa circa substantialia, & essentialia, supplendus est, siue aduertatur ante consecrationem, siue post. Essentiales autem defectus contingere possunt circa materiam, aut formam, aut intentionem ministri. Quando Sacerdos, sumpta hostia, aduertit acetum, vel alium liquorem in calicem infusum, debet curare vt

vinum afferatur, si fieri potest absque scandalo; sin minus, perficere potest sacrificium sub vna tantum specie; nam præceptum consecrandi sub vtraque specie, in hoc casu, non obligat. *tom.1.pag.*105.*n.*2.*&* 3.

50. Sacerdos qui post sumptionem hostiæ, aduertit nihil esse in calice, vel esse solam aquam, vel alium liquorem à vino distinctum, debet accedere ad cornu altaris, fingens se velle purificationem accipere; deinde postquam vinum in calicem infudit, debet accedere ad medium altare, ibíque consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, sícque sumere species vini consecratas, & oblatas; neque opus est vt reliqua suppleat, si periculum sit scandali, sufficit enim supplere necessaria; nonnulli putant sufficere vt consecret, statímque sumat, quia in consecratione videtur oblatio contineri; neque necessaria est noua hostiæ consecratio, cùm iam vna fuerit consecrata. *ibid.num.*4.*&* 5. Qui verò inter bibendum deprehendit non esse vinum, non debet illud expuere in calicem, propter indecentiam, & fortè etiam scandalum, sed potius deglutire, & nihilominus sic fracto ieiunio poterit perficere sacrificium; quia non tenetur cum tanta indecentia ieiunus celebrare. *num.6.*

51. Si aranea, aut aliud animal decidat in calicem ante consecrationem, aliud vinum sumendum est, & consecrandum: si verò decidat post consecrationem, extrahendum est animal, & sumendæ sunt species consecratæ, tum animalis combusti cineres sunt in locum sacrum mittendi. At si animal sit venenosum, aut si Sacerdos, post consecrationem, admoneatur veneno fuisse vinum infectum, non debet sumere species consecratas; quia non potest esse sui homicida, nec Sacramentum vitæ debet sumi cum periculo vitæ. Porrò hæ species, linteo, aut stuppa sunt exsiccandæ, comburendæ, moxque in sacram piscinam proijciendæ. Sin tantummodo post sumptionem Sacerdos admonitus fuit vinum fuisse veneno infectum, potest species euomere in vas mũdum. *ibid.n.*8.9 *&* 11.

52. Eucharistia quam quis euomuit, asseruanda est donec corrumpatur, deinde comburenda, & cineres in piscinam mittendi. Sin hostia decidat in terram, vel super tapetem, Sacerdos radat, ac lauet locum, & puluerem proijciat in piscinam; at si sanguis decidat, debet absorberi si commodè possit, deinde locus radi, & lauari: si verò sanguis ceciderit in barbam Sacerdotis, sufficit si repetita lotione, barbam purget. *ibid. numero* 9. *&* 10.

53. Sacer

53. Sacerdos animaduertens se aliquid spectans ad integritatem formæ omisisse, debet illum defectum supplere, vt validum faciat Sacramentum, totamque formam repetere, si alia verba interiecta fuerunt, aut longum tempus intercessit. Item in dubio an habuerit intentionem consecrandi formalem, aut virtualem, debet repetere verba consecrationis cum intentione consecrandi. Verum in hac materia non oportet scrupulosum esse ne via Dæmoni aperiatur. *tom.1. pag.106. numero 13. & 14.*

54. Quando est aliquid omissum quod non pertinet ad substantiam sacrificij, nihil est necesse illud postea suppleri, ne ordo ab Ecclesia præscriptus perturbetur, vt si quis omisit *Gloria in excelsis.* Item si hostia, dum frangitur, decidat in Calicem, potest Missa perfici absque alia iteratione, quia id non pertinet ad substantiam sacrificij. Item si species vini consecratæ congelentur, non est repetenda consecratio, sed species congelatæ, admotis ad Calicem linteis calidis, dissoluendæ vt per modum potus sumi possint. Qui omittit aliquid in Missa, vel addit ad substantiam non pertinens, in materia graui, peccatum mort. committit. *ibid. n.16. & seq.*

55. Si moriatur Sacerdos, aut aliquo graui morbo corripiatur, aut alio casu impediatur post consecrationem, quominùs possit Sacrificium perficere, perficiendum est ab alio Sacerdote etiam non ieiuno, si nullus alius adsit; si verò Sacerdos sit in peccato mort. nec habeat copiam confessarij, debet elicere actum contritionis, sicque perficere; maior quippe videtur obligatio perficiendi sacrificij, quàm præmittendæ confessionis. At si moriatur Sacerdos post sumptionem hostiæ, non tenetur alter perficere; quia substantia sacrificij in vnius speciei consumptione videtur perfecta: propterea ille sanguis qui superfuit, sumetur à Sacerdote aliud Sacrificium faciente. Porro moriente Sacerdote ante consecrationem, nulla est obligatio perficiendi; quia substantia sacrificij nondum fuerat inchoata. *ibid. num 20. & seq.*

56. In dubio an Sacerdos, qui inter celebrandum extinctus est, hostiam consecrarit, Sacerdos supplens, debet aliam hostiam sumere, eamque consecrare, simul sub conditione consecrando eam de qua dubitatur; vel post nouam hostiam consecratam, sumere potest illam dubiam, post sumptionem vtriusque speciei, antequam sumat purificationem. *ibid. numero 24.*

57. Non potest Sacerdos, per se loquendo, Missam in-

choatam interrumpere, ita vt posita interruptione, non dicatur moraliter vnum sacrificium: potest tamen ex iusta causa paulisper interrumpere vt baptizet infantem moribundum qui ab alio baptizari nequit. *ibid.n.25.*

Missæ auditio.

58. Per auditionem Missæ intelligitur ea actio per quam quis interest Missæ, humano modo, corpore scilicet, & mente, in ea distantia vt saltem videre possit Sacerdotem, & ad illius ministerium attendere. Vnde sequitur amentes, aut ebrios non dici Missam audire, ac proinde qui illorum curam gerunt non teneri dare operam, vt ij Missæ sacro intersint. Item eum qui tempore Missæ vagatur animo voluntariè, non dici Missam audire, ideoque Ecclesiæ præcepto diebus festis non satisfacere; quia Ecclesia præcipit auditionem Missæ, vt est actus humanus, & religiosus. *tom.1.pag.107.n.1.& seq.*

59. Ex Ecclesiæ præcepto tenentur fideles Missam audire diebus festis; quod præceptum, quamuis simpliciter sit humanum, nihilominus iuri naturæ, & diuino est consentaneum. Hinc patet Summum Pontificem posse in hoc præcepto dispensare, cùm sit simpliciter humanum. Hoc autem præceptum obligat omnes adultos baptizatos, etiam pueros qui septimum ætatis annum attigerunt, peccántque grauiter qui Missam diebus festis non audiunt, nisi legitimo impedimento, aut ignorantia excusentur. *ibid.num.6.& seq.* Non tenentur tamen tres Missas in die Natali Domini audire, quamuis fortè teneatur Parochus tres celebrare, ne fideles debitis suffragiis, & deuotione fraudentur; quippe multi volunt eo die tres Missas audire. *ibid.num.10.*

60. Qui partem Missæ notabilem, diebus festis, non audit, mortaliter peccat, ex suo genere, nisi ignorantia excuset. Qui verò vnam partem audit ab vno Sacerdote, aliam ab alio, satisfacit præcepto; quia duæ medietates constituunt vnam integram. Immò in rigore ille satisfacit, qui eodem tempore duas medietates Missæ audit à duobus Sacerdotibus; & potest quis eodem tempore tres Missas, v.g. audire, sícque satisfacere pœnitentiæ iniunctæ de tribus Missis audiendis; quanquam opposita sententia est tutior, & magis consentanea pietati. *ibid.n.11.& pag.108.num 13.*

61. Qui die festo sacrum omittit vsque ad Epistolam exclusiuè, non censetur omittere partem notabilem, sufficientem

tem ad peccatum mortale. Si verò omittat vsque ad Epistolam inclusiuè, mortaliter peccat; est enim notabilis omissio. Qui Sacerdotem summissa voce celebrantem non audit, satisfacit præcepto, modò adsit cum deuotione: nam audire Missam, in iure, est interesse cum deuotione. *ibidem*, *num.* 16. *&* 20.

62. Qui Missam audiuit animo non satisfaciendi præcepto, auditione illius Missæ, sed habuit intentionem audiendi aliam, non tenetur tamen aliam audire; quia præcepto iam satisfecit. Qui autem tempore Missæ notabiliter confabulatur, vel dormitat, vel ridet cum aliis, itavt omnino impediatur attentio; item qui pingit, aut alios docet, &c. præcepto non satisfacit; quia hi actus communiter attentionem excludunt. *ibid. num.* 23. *&* 24.

63. Qui inter Missarum solemnia recitat horas canonicas, quas tenetur recitare, aut qui recitat pœnitentiam à confessario iniunctam, aut etiam qui peccata Sacerdoti confitetur, satisfacit præcepto, modo habeat intentionem audiendi Missam; adest enim corpore, & animo quatenus animum intendit ad res diuinas. Contraria tamen sententia est probabilior, & tutior. *tom.* 1. *pag.* 109. *n.* 25. *&* 26.

64. Licet audire Missam cuiusuis Sacerdotis modò non sit excommunicatus, suspensus, aut interdictus vitandus, aut degradatus: huiusmodi enim Sacerdotes prohibentur ab Ecclesia celebrare, nec intendit Ecclesia per ipsos orare: Excommunicati verò non vitandi, aut concubinarij Sacerdotis minimè notorij Missam audire nihil vetat. *ibid. n.* 1.

65. Satisfit præcepto quocumque in loco Missa audiatur: fieri tamen potest vt quis peccet non audiendo Missam in propria parochia, vt si quis ex contemptu eam nolit audire, aut quando Parochus declarat ea quæ Parochiani scire tenentur. *ibid. num.* 4.

66. Qui peruenit ad aliquem locum in quo celebratur dies festus, qui in proprio territorio non celebratur, non tenetur ibi Missam audire, nisi habeat intentionem ibi manendi maiori anni parte; non enim est subditus legibus illius loci. Item is in cuius Parochia celebratur dies festus, non peccat Missam non audiendo, si ante meridiem futurus sit extra limites parœciæ suæ; poterat enim Missam vsque ad meridiem differre, in meridie autem liber est ab obligatione. *ibidem. num.* 5.

67. Obiic. Qui summo manè habet opportunitatem au-

diendi Missam, præuidens fore, vt reliquo diei tempore non possit audire, ob impedimenta, tenetur manè illam audire; ergo qui præuidet fore, vt circa meridiem non sit futurus intra limites loci vbi festum colitur, tenetur præuenire. *Resp.* esse disparem rationem, quia præceptum obligat ad Missam audiendam quacumque hora potest audiri, vbi viget præceptum; at ex suppositione, præceptum audiendi Missam, extra proprium territorium vbi non colitur festum, non viget. *tom.* 1. *pag.* 110. *num.* 5.

68. Impotentia non modò physica, sed etiam moralis excusat à Missa audienda. Hinc excusatur qui non potest Missam audire absque graui detrimento proprio, vel alieno siue animæ, siue corporis, siue famæ, siue fortunarum & rei familiaris. Sic excusatur nutrix quæ infantem nec potest domi relinquere, neque ad Ecclesiam ferre ne celebrantem, aut adstantes perturbet. Sic etiam excusantur cursores, nautæ, muliones, &c. quibus faciendæ essent magnæ impensæ, si morarentur ad Missam audiendam. Excusantur item qui in oppidis vbi vnica Missa celebratur, remanent domi ad custodiam domus, vel ad cibos parandos. Item fœmina honesta quæ caret veste suo statui conueniente, aut socia, seu pedissequa. Item fœmina quæ non audet ad Missam accedere vt obediat viro zolotypia laboranti. Item qui longiùs ab Ecclesia distant, puta sex, aut septem milliaribus, &c. *ibid. n.* 1. *& seq.*

69. Probabilius videtur eum qui per vim, vel morbum, vel titulo carceris detinetur domi, etiamsi habeat domi Oratorium approbatum, non teneri quærere Sacerdotem, vt Missam domi audiat; quia præceptum non obligat ad hanc diligentiam adhibendam. Puella verò quæ credit se ab adolescente lasciuo concupiscendam, si domo exeat, potest quidem Missam omittere, ad damnum proximi spirituale vitandum; non tamen tenetur eam omittere; vti enim potest iure suo. *tom.* 1. *pag.* 111. *num.* 14. *&* 15.

70. Censura fideles excusat ab audienda Missa; quia censura obstrictus prohibetur diuinis interesse. Hinc excusatur interdictus & excommunicatus: item is qui alium Sacerdotem non habet præter excommunicatum, suspensum, vel interdictum: item qui tempore interdicti localis generalis, non potest commodè se conferre ad locum non interdictum; neque fideles tempore interdicti, tenentur procurare priuilegium audiendi Missam. *ibid. num.* 19. *& seq.*

71. Excommunicatus qui facilè potest absolutionem obtinere,

nere, non tenetur ob præceptum Missæ, tollere impedimentum censuræ; quemadmodum detentus in vinculis non tenetur ex vi huius præcepti, quærere liberationem vt Missam audiat; alioquin præuidens se excommunicandum ob aliquod delictum, peccaret specialiter contra hoc præceptum audiendæ Missæ, non præcauendo delictum, quod nullus dixerit. *ibid. numero* 23.

72. Consuetudo regionis potest aliquando excusare ab audienda Missa in die festo. Vnde viduæ quæ mortuo viro, ad certum tempus domi se continent, modò non abstineant diutius ab audienda Missa quàm postulet recepta consuetudo, excusari possunt. Item puellæ nobiles quæ non permittuntur Missam audire donec nubant, nisi domo exeant ad choreas, ludos, aut spectacula. At fœminæ ob menstrua temporalia, præcisa debilitate, à Missa non excusantur: videntur tamen excusandæ quæ post partum, domi se continent non solùm ob debilitatem, sed ob reuerentiam, vbi talis est consuetudo, modò id non faciant ad seruandam purificationem legis Mosaïcæ. *tom.*1. *pag.*112. *num.*25. *& seq.*

MONIALIS.

Monialium visitatio.

1. IN Clementina *Attendentes, de statu Monachi.* summus Pontifex statuit ne quis visitatores Monialium in munere visitationis impedire audeat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. *disp.*2. *quæst.*2. *puncto* 4. *pag.*158. *tom.*3.

2. Munus visitandi Moniales in monasteriis non exemptis spectat ad Ordinarium authoritate ordinaria; in exemptis verò, & immediatè subiectis summo Pontifici, pertinet ad eundem Ordinarium authoritate delegata. Denique in exemptis quæ immediatè subsunt religiosis, ius visitandi competit Prælatis ipsarum Monialium. *ibid. num* 1.

3. Hæc excommunicatio non incurritur ob solum conatum impediendi visitationem Monialium, nisi re ipsa impediatur; quia non prohibetur conatus, sed ipsum impedimentum. *ibid. numero* 3.

4. Vt incurratur excommunicatio requiritur trina monitio ab ipso visitatore aut eius superiore facta impedienti postquam apposuit impedimentum, qua præmissa nisi impediens

resipiscat statim contrahit excommunicationem. *ibid. num.* 4. 6. & 7.

5. Hinc sequitur si, dùm visitator admonet Moniales vt parent se ad visitationem, nec vlla eam impedire audeat, facta huiusmodi monitione, aliqua visitatorem impedire præsumat, non incurrere excommunicationem; quia hæc monitio præcessit impedimentum, cùm subsequi debeat; nam impediens est admonendus vt cesset ab impedimento. *ibid. n.*4.

6. Ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur præsumptio quæ non inuenitur vbi est ignorantia, nisi ea sit affectata & temeraria. *ibid. numero* 8.

7. Hæc excommunicatio nulli est reseruata.

Monialium Electio.

8. In cap. *de indemnitatib. de elect. & elect. potest.* fertur excommunicatio contra eos qui vocati ad dirigendas Moniales, non abstinent ab iis ex quibus discordiæ oriri, vel ortæ foueri possunt circa electiones faciendas. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *pag.* 159. *tom.* 3.

9. Hæc excommunicatio locum non habet in Congregationibus fœminarum, quæ verè religiosæ non sunt, vt sunt quædam Congregationes S. Vrsulæ, quæ professionem non emittunt, licèt in communi viuant. *ibid. num* 3.

10. Qui interest electioni, sed non fuit vocatus ad dirigendas Moniales in electione facienda, non ligatur excommunicatione, etiamsi sit causa discordiarum. *ibid. n.* 5.

11. Hæc excommunicatio nulli est reseruata.

Monialium Clausura.

12. In Concilio Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* cura clausuræ Monialium committitur Episcopis, cum facultate implorandi, si opus fuerit, brachium sæculare, & additur excommunicatio contra Magistratus nolentes auxilium præbere Episcopis circa eandem clausuram. *disp.* 2. *quæst.* 10 *punct* 7. *pag.* 314. *tom.* 3.

13. Est autem clausura spatium quod intra ianuam monasterij semper clausam continetur, seu est locus monasterij intra quem Moniales se continere debent, & à quo egredi nequeunt sine violatione præcepti, vel etiam voti, dùm clausuram ex voto seruare tenentur. Termini autem, & limites istius clausuræ

clausuræ complectuntur omnia monasterij loca quæ ianua clausa continentur, & ad quæ sæculares non admittuntur. *tom.1.pag.593. n.1.*

14. Monialis ad domos monasterio contiguas accedens violat clausuram, etiamsi ibi tantùm habitent fœminæ eleemosynis colligendis, vel seruitiis monasterij deputatæ: cum enim ad eas domos sæcularibus pateat aditus, non censentur esse intra septa monasterij. Item quæ ad vnum, vel duos pedes ianua exit, contra clausuram peccat etiamsi statim regrediatur. Secùs si rotam ingrediatur, eamque conuertat ad partem quæ sæcularibus patet: quamdiu enim è rota non egreditur, non perfectè violat clausuram, neque dicitur esse intra, neque extra monasterium, licèt forte grauiter peccet ratione alicuius periculi mortalis. *ibid.n.2.& 3.*

15. Nouitiæ non tenentur ad clausuram, quia in iure sermo est de professis. Non tenentur item illæ fœminæ quæ non sunt verè Moniales, etiamsi aliquæ simplicia vota emittant: hortandæ tamen sunt vt solemniter profiteantur; facta autem professione ad clausuram tenentur: quod si renuant, non possunt vllam in posterum in suam Congregationem admittere. *tom.1. pag.594. num.3.& 4.*

16. Possunt aliquibus in locis Moniales à clausura excusari, vbi videlicet lex clausuram indicens, non est vsu recepta, vel vbi contraria consuetudine est abrogata. Quia clausura est de iure humano, cuius obligatio non semper vbique viget, sed variis de causis impediri potest. *ibid.num.2.*

17. Contra Moniales clausuram violantes indicta est pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Hæc excommunicatio extenditur ad concedentes licentiam exeundi, comitantes, & receptantes. Immò clausuram violantes, & exeundi facultatem concedentes incurrunt priuationem dignitatum, & officiorum, fiuntque inhabiles ad illa, & ad alia in posterum obtinenda, sic enim decernitur in motu Pij V. qui incipit, *Decori, & honestati. ibid. n.1.& pag.595.*

18. Solus summus Pontif. vel habens ab ipso facultatem, iure communi potest ab hac excommunicatione absoluere, si est publica: nam ab excommunicationibus occultis potest Episcopus, vel habens ab ipso facultatem, absoluere, virtute Concilij Trid. sess. 24. c. 6. *tom.1. pag. 595. num 1.*

19. Onus cogendi Moniales ad clausuram incumbit Episcopo auctoritate ordinaria, in suis monasteriis; auctoritate verò sedis Apost. delegata, in monasteriis sedi Apost. subditis.

At

At in monaſteriis exemptis hæc facultas Epiſcopo non competit, ſed illorum ordinum ſuperioribus. *tom.* 1. *pag.* 596. *numero* 1.

20. Ad Epiſcopum, vel eius Vicarium generalem pertinet facultatem exeundi è monaſterio concedere Monialibus, in monaſteriis Epiſcopo, vel ſedi Apoſt. ſubiectis. In monaſteriis verò exemptis, facultas exeundi concedenda eſt à ſuperiore ordinis. Hæc autem licentia danda eſt in ſcriptis. *tom.* 1. *pag.* 597. *numero* 1. *&* 5.

21. Monialis vrgente neceſſitate exiens è clauſtro, abſque ſuperioris facultate, qui ob diſtantiam commodè adiri nequit, excuſatur à peccato, & à cenſura: hic enim caſus per epiikeiam exceptus videtur, cùm neceſſitas lege careat. Tenetur tamen Monialis poſt egreſſum admonere ſuperiorem, ſi poteſt; fieri enim poteſt, vt cauſa quæ Moniali legitima videtur, à ſuperiore non approbetur, & conſequenter Monialis ad clauſuram ſtatim redire cogatur. *ibid. num.* 5.

22. Facultas egrediendi non niſi grauiſſima de cauſa, Monialibus à legitimo ſuperiore concedi debet. In motu Pij V. tres tantummodò cauſæ exprimuntur; 1. eſt magnum incendium. 2. eſt infirmitas lepræ. 3. infirmitas epidemiæ, ideſt morbus contagioſus qui alios inficere poteſt. Sunt aliæ cauſæ propter quas, facultas exeundi Monialibus concedi poteſt. Nam tempore belli poſſunt ſe in tutum recipere. Item dùm totus conuentus de licentia Epiſcopi, aliò migrat. Item Abbatiſſa, vel Prioriſſa quæ propter feudum, tenetur præſtare iuramentum fidelitatis alicui domino ſæculari, quod per Procuratorem præſtare nequit, poteſt cum honeſto comitatu exire, modò ſtatim præſtito iuramento reuertatur. Item Moniales licitè poſſunt, de licentia ſuperioris exire ad reformandum vel fundandum aliquod eiuſdem ordinis monaſterium. Item poſſunt Moniales ad aliam religionem perfectiorem tranſire. Item Monialis quæ in proprio monaſterio commodè corrigi non poteſt, ad aliud monaſterium, correctionis gratia, transferri poteſt: nulla tamen propter incorrigibilitatem, è religione eijci poteſt: quia id vſu nunquam receptum eſt; ſed punienda eſt potius, & in monaſterij carcere detinenda, ne aliis ruinæ anſam præbeat. *tom.* 1 *pag.* 598. *&* 599. *numero* 1. *& ſeq.*

23. Infirmitas non contagioſa à qua Monialis curari nequit, dùm in monaſterio exiſtit, non eſt iuſta, & ſufficiens è monaſterio exeundi cauſa, etiamſi hæc infirmitas in vitæ diſcrimen

crimen adducat: magnum enim inde damnum clausuræ sequeretur. Si quidem cùm morbi periculosi frequenter contingant, & ardens è claustro exeundi desiderium Moniales teneat, sæpius fingerentur causæ egrediendi, præsertim cum Medici faciles sint ad dandam attestationem de grauitate morbi. *tom.1. pag. 599. num.18.*

24. Monialis quæ ad claustrum reuertitur, vel ad monasterium cui præficienda est, pergit, non peccat mortaliter, si à recto itinere aliquantulum deflectat, v.g. 20. aut 25. milliaribus vt consanguineos inuisat, aut piam aliquam ob causam. *tom.1. pag. 600. num.21.*

25. Omnibus tam laïcis, quàm clericis, & regularibus interdictum est iure communi, accedere ad monasteria monialium, & illa frequentare. Literas autem ad Moniales scribere, vel mittere, iure communi non est prohibitum: in quibusdam tamen diœcesibus id speciali iure vetitum est, & Gregorius XIII; quibusdam religiosis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdicit ne literas ad sui ordinis Moniales scribant. *tom.1. pag.643. numero 1. & pag.644. numero 5.*

26. Accessus ad monasteria Monialium, sine licentia, & iusta causa, videtur sufficiens ad lethalem culpam, nisi ratione paruitatis materiæ, vel alterius circumstantiæ excusetur; quia lex, in materia graui, obligat sub mortali. *tom.1. pagin. 644. num.1.*

27. Contra laicos sine manifesta, & notabili causa frequentantes monasteria Monialium fertur excommunicatio comminatoria, quam solo frequenti accessu non incurrunt, nisi ab Episcopo moniti vt desistant, nolint desistere. Excommunicatio autem ab Episcopo lata contra accedentes ad monasteria quælibet, etiam exempta, aut contra alloquentes Moniales, incurritur ab eo qui ad exempta monasteria accedit, vel Moniales in monasterio exempto alloquitur. Quia licet locus sit exemptus à iurisdictione Episcopi, & consequenter delinquentes in eo loco, non subiiciantur pœnis ab Episcopo latis: tamen excommunicatio lata contra accedentes ad monasteria, licèt exempta, incurritur ab accedente ad monasteria exempta; quia materia istius excommunicationis est accessus ad monasteria; hic autem consummatur in loco non exempto, sed subdito potestati Episcopi. *ibid.n.1.*

28. Contra clericum, monialium monasteria frequentantem, si ab Episcopo monitus, desistere noluerit, ferenda est pœ-

na

na suspensionis, immò excommunicationis, & depositionis. *ibid. num.2.*

29. Religiosis ad monasteria monialium sine licentia accedentibus imposita est pœna priuationis officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurrenda; vt patet ex decreto Sacræ Congregationis, Sixti V. iussu edito, quod obligat sub pœna peccati mort. Porrò religiosi exempti, non afficiuntur censuris ab Episcopo latis contra accedentes ad monasteria Monialium absque sua facultate. Notandum tamen religiosos hoc tempore alloquentes Monialem absque licentia, etiam in monasterio regularibus subiecto, puniri posse ab Episcopo ex constitutione Gregorij XV. in Bulla de priuileg. exemptorum. Idem sacra Cardinal. Congregatio censuit, & S. D. N. Vrbanus VIII. approbauit. *tom. 1. pagin. 644. num. 3. & pag. 645. num 8.*

30. Laici, & clerici triplici saltem de causa, excusari possunt à culpa, & pœnis iure communi impositis contra Monialium monasteria frequentantes. 1. est paruitas materiæ, vt si quis semel, atque iterum accedat: hic enim non dicitur frequentare. 2. est legitima consuetudo in contrarium. 3. est licentia superioris, cum causa rationabili, & manifesta, quam licentiam probabile est primo actu non finiri, si absolutè concedatur. *tom. 1. pag. 645. n. 1. & seq.*

31. Omnibus cuiuscumque conditionis, vel sexus, postquam vsum rationis adepti fuerint, interdictus est in monasteria monialium ingressus, etiam ipsis Monialibus alterius ordinis, & habitus. Probabile tamen est Imperatori, & Imperatrici, Regibus, & Reginis, ipsorumque liberis ingressum in monasteria monialium non esse interdictum: quia in motu Gregorij XIII. dicitur ingressum in monasteria vetitum esse quibuscumque personis, etiamsi sint Comitissæ; ergo non videtur alias longè superioris dignitatis excludere. *tom. 1. pag. 646. num. 2. & seq.*

32. Facultatem ingrediendi monasteria Monialium concedere potest superior qui monasterio præest, & cuius est clausuram Monialibus indicere (exceptis monasteriis S. Claræ, Conceptionis, & fratribus Minoribus) Hinc patet facultatem ingrediendi monasteria regularibus subiecta, concedendam esse à Generali, Prouinciali, alióve immediato monasterij Prælato; non verò ab Episcopo. Abbatissa autem non potest hanc facultatem concedere, quia ad eam non spectat, clausuram Monialibus indicere, cùm ipsa etiam onere clausuræ teneatur; nisi legitimus

legitimus superior hanc potestatem ipsi Abbatissæ delegauerit. *tom.1.pag.647.n.1.& seq.*

33. Ad ingressum in monasteria S.Claræ,& Conceptionis, non sufficit licentia Episcopi, vel superioris, sed requiritur licentia Papæ, præterquàm in casibus in regula harum Monialium exceptis: quia Concil. Trid. *sess.25. cap.5.* cùm permittit ingressum in monasteria monialium de licentia Episcopi, vel superioris, non intendit derogare regulæ quarundam Monialium, quæ arctiorem clausuram indicit. *ibid.n.6.*

34. Fratribus Minoribus interdictum est monasteria quarumcumque Monialium ingredi absque speciali Summi Pontif. facultate (vt patet ex regulis ipsorum, & ex constitutionibus Pontiff.) nisi rogentur à Prælatis curam Monialium habentibus, vt sibi opem in eo ministerio ferant, vt patet ex priuilegio à Leone X. concesso. *tom.1. pag.648.n.7.*

35. Vt licentia ingrediendi claustra Monialium validè concedatur, duæ conditiones requiruntur. 1. vt licentia sit specialis, id est, vt ad hoc specialiter concedatur. 2. vt licentia in scriptis detur, nisi periculum sit in mora: sic enim præscribitur in Trident. *sess.25 cap.5.* Quare in scriptis concedenda est licentia quæ aliquibus ad ingrediendum datur, relicta facultate, & libertate Abbatissæ, vt ipsa eligat quem voluerit, vt si Episcopus licentiam hoc pacto concedat: *facultatem ingrediendi facio iis quos Abbatissa, vel Confessarius elegerit.* Qua in re probanda est praxis quibusdam in locis recepta vt Episcopus, vel eius Vicarius facultatem quandam generalem quoad personas, sed specialem quo ad ingressum concedat quibusdam operariis, quorum operâ Moniales carere non possunt, vt cæmentariis, fabris lignariis, &c. item medicis, & chirurgis. *ibid.num.1. & seq.*

36. Facultas ingrediendi claustra Monialium, non est concedenda, nisi ob causam necessitatis manifestæ, cui aliter commodè occurri non possit: vt si excipienda sit confessio Monialis surdæ, aut ob infirmitatem, lecto decumbentis, idem dic in administratione aliorum sacramentorum, &c. in quibus casibus potest Sacerdos cum socio ingredi, præsertim si sit religiosus, aut si sit in sacello valetudinarij celebraturus. *tom 1. pag.649. num.1. & seq.*

37. In monasterium intromitti possunt fœminæ in obsequium, & famulatum Monialium, quando in monasterio non sunt conuersæ professæ quæ inseruiant: neque solùm in obsequium totius monasterij admitti possunt, sed etiam dum id

exigit

exigit necessitas alicuius particularis Monialis incommoda valetudine vtentis, aut etiam ob sui status decentiam, vt si cæteris nobilitate longè antecellat, nec ei per conuersas commodè ministrari possit: Non tamen licet habere ancillas quæ ad libitum ingredi, & egredi possint. *tom.* 1. *pag.* 650. *num.* 10.

38. Iudex cùm aliquot viris potest monasterium ingredi ad expellendum malefactorem qui non vult inde exire. Quamuis enim forte hic malefactor non peccet ingrediendo vt se morti, aut instanti periculo eripiat; tamen cessante periculo non potest in monasterio morari, consequenter cùm Moniales non possint illum expellere, necesse est illum à viris expelli, cum licentia Abbatissæ, & discretarum. Non tamen licet laïco iudici illum examinare, & in carcerem trudere, cùm sit in loco immuni, nisi crimen admiserit quod illum priuet immunitate. *ibid. num.* 13. *& pag.* 651. *num.* 14.

39. Permittitur puellis ingressus in monasterium Monialium, educationis gratia: sic enim sacra Cardinal Congregatio declarauit: cum his tamen conditionibus, 1. vt monasterium consueuerit puellas admittere. 2. vt non excedant numerum præfixum. 3. vt adsit licentia superioris, & Abbatissæ consensus. 4. vt sint decenter indutæ. 5. vt ancillas secum non habeant. 6. vt septem annos impleuerint, sintque minores vigintiquinque annis. 7. vt seorsim habitent, & dormiāt. 8. vt monasterio non egrediantur, & semel egressæ nequeant iterum admitti, nisi egressæ sint propter morbum, de licentia superioris. Item coniugatæ à viris, ob nimiam sæuitiam diffidentes, possunt in monasterium admitti, donec lis componatur. Viduæ verò, nisi Moniales fieri velint, non sunt admittendæ. *tom.* 1. *pag.* 651. *numero* 15. *& seq.*

40. Qui Monialium cœnobium cum licentia, & ex iusta causa ingressus est, grauiter peccat contra obligationem clausuræ, si finito ministerio, cuius causa ingressus est, statim non egrediatur, nisi paruitas moræ excuset; nullam tamen censuram incurrit. *tom.* 1. *pag.* 652. *num.* 22.

41. Ingredientes claustrum Monialium sine licentia & iusta causa, pœnam excommunicationis incurrunt, ex Conc. Trid. *sess.* 25. c 5. Hæc tamen excommunicatio, iure communi non est reseruata, modo quis non ingrediatur ad malum finem: violatio enim clausuræ Monialium ad malum finem est casus summo Pontifici reseruatus, à quo nemo potest virtute priuilegiorum absoluere. *ibid. num.* 1. *&* 2.

42. Prælati absque necessitate ingredientes monasteria Monia

Monialium sibi subditarum, si sint sæculares Pontificia dignitate prædití, pro prima vice, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; pro secunda contrahunt suspensionem à munere Pontificali, & à diuinis; pro tertia verò vice, & deinceps, excommunicationem ipso facto incurrunt. Prælati verò regulares contrahunt excommunicationem,& priuationem omnis officij & ministerij, vt constat ex motu Gregorij XIII. Hæc tamen excommunicatio non est summo Pontifici reseruata; quapropter absolutio à quouis approbato confessario impendi potest. *tom.*1. *pag.*653. *numero* 11. *&* *pag.*654. *numero* 13.

43. Abbatissæ, & superiores facientes, vel permittentes aliquem ingredi sua monasteria prætextu facultatum à summo Pontifice, Legato, vel aliis, incurrunt excommunicationem, priuationem dignitatum, & inhabilitatem ad illas. Eidem pœnæ subijciuntur Abbates, alijque monasteriorum superiores facientes, vel permittentes fœminas ingredi in sua monasteria, vt constat ex eod. motu Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ. tom.*1. *pag.*654. *numero* 1.

44. Monialis quæ virum, vel fœminam prætextu facultatis ingredientem admittere præsumit in monasterium, extra casum necessitatis, incurrit ipso facto excommunicationem, Papæ reseruatam, priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, vt patet ex eod. motu Greg. XIII. *tom.*1. *pag.*655. *numero* 8.

Mutuum.

1. MVtuum propriè acceptum, est contractus quo rei dominium transfertur in accipientem, spe recipiendi similem in specie, & bonitate: si enim eadem res reddenda esset, non esset mutuum, sed commodatum; aut si reddenda esset res alterius speciei, non esset mutuum, sed permutatio. Hinc patet mutuum celebrari in iis rebus quæ recipiunt functionem, idest quarum vna substitui potest in locum alterius, vt vinum pro vino, pecunia pro pecunia; vna enim fungitur vice alterius: locatio autem, & commodatum celebrantur in iis rebus quæ non recipiunt functionem, vt sunt domus, equus, &c. propterea equus non dicitur mutuari, sed commodari, domus locari. *tom.*2. *pag.*515. *num.*1 *&* *pag.*516. *num.*2.

2. Mutuum aliud est *expressum*, cum quis actualiter dat alteri pecuniam mutuo; aliud *tacitum*, seu *implicitum*, quod

mutuum *palliatum* vulgo appellatur, vt cùm quis alteri vendit domum maiori pretio, concessa dilatione ad soluendum; censetur enim venditor virtualiter mutuare pretium emptori vsque ad terminum præstitutum ad soluendum. *tom.2. pag. 516. num.4.*

3. Licet ex contractu mutui consurgat obligatio: aliqui tamen ad mutui accepti restitutionem, saltem in foro externo non obligantur. 1. Ecclesia, vel locus pius, vel oppidum. nisi mutuans probet pecuniam mutuatam, in vsum Ecclesiæ, loci pij, vel oppidi fuisse conuersam; eodem priuilegio gaudet minor, cuius nomine tutor, vel curator mutuum accepit. 2. filiusfamilias qui non habet bona castrensia, vel quasi castrensia, neque erat sui iuris cùm mutuum accepit, non tenetur ad solutionem mutui, ex dispositione iuris, vocatúrque hoc priuilegium *Macedonianum*. Hi tamen quatuor casus excipiuntur. 1. quando filiusfamilias accepit mutuò pecuniam ad ea quæ erant à patre suppeditanda, v. g. ad emendos libros. 2. quando accepit mutuum de consensu patris. 3. quando pecunia mutuo accepta, conuersa est in vtilitatem patris. 4. quando filiusfam. iurauit se soluturum; potest tamen obtinere iuramenti relaxationem, cùm videatur factum in fraudem legis Macedonianæ. Cæterum non potest filiusfam. huic priuilegio Macedoniano renunciare, cùm in parentum fauorem maximè concessum esse videatur. *ibidem, numero 5. & seq.*

N.

NAVFRAGVS.

1. OMnes & singuli qui Christianorum naufragorum bona in mari, aut in littoribus existentia surripiunt, aut per vim rapiunt, contrahunt pœnam 4. excommunicationis in Bulla Cœnæ. *disput.1.quæst.5.punct.1. num.1.pag.20.tom.3.*

2. Hæc pœna non extenditur ad consulentes, iubentes, mandantes, receptantes, præstantes auxilium vel fauorem, modò contactu physico non cooperentur ad naufragorum bona rapienda. Quia verba legis pœnalis vltra propriam significa

gnificationem non sunt extendenda; surreptio autem dicit actionem physicam qua res aliena actu surripitur; at mandantes, receptantes, præstantes auxilium, seu fauorem, moraliter tantum ad surreptionem concurrunt; neque exprimuntur in Bulla. Item qui bona titulo depositi accepit à domino naufragium passo, & postea denegat depositum quod per testes probari non potest, non incurrit excommunicationem: quia hic non dicitur surripere cùm accipiat tradente domino, sed iniustitiam committit contra obligationem depositi. *ibid. n.3.4. & 6.pag.20.tom.3.*

3. Ad incurrendam excommunicationem sufficit sola surreptio, etiamsi bona surrepta sine mora restituantur: quia excommunicatio fertur præcisè in surripientes. Qui verò bona naufragorum surripit, & postea diutius differt restitutionem, duplicem incurrit censuram, alteram in Bulla Cœnæ latam ob surreptionem, alteram in cap. *excommunicationi, de raptoribus*, latam ob morosam retentionem; hæc tamen postrema nulli est reseruata. *ibidem, punct. 2. numero 2. & 3. pagina 21. tom.3.*

4. Qui accipit bona naufragorum animo restituendi vero domino, in hanc censuram non incurrit, etiamsi iis interim vtatur absque notabili damno domini; quia hæc actio non est iniusta. Idem dicendum de eo qui aliquid accipit sciens alienum, sed nesciens esse naufragantium; si tamen illud retinet postquam comperit esse naufragorum, non incidit quidem in excommunicationem Bullæ, sed in excommunicationem supradictam, cap. *excommunicationi, de raptoribus*, quæ nulli est reseruata. *ibidem, numero 4. & 5. pagina 21. tom.3.*

5. Qui surripiunt ante naufragium, vel in ipsa naufragij trepidatione, non incurrunt excommunicationem; quia Bulla loquitur de passis naufragium; lex autem pœnalis non est extendenda. *ibid n.6.*

6. Qui surripiunt naufragorum bona extra littus maris, vel in flumine inuenta, non sunt obnoxij huic excommunicationi: quia in Bulla sermo est de surripientibus naufragorum bona in mari, vel in littore inuenta. *ibidem, numero 7.*

7. Qui bona surripiunt quæ ad leuandam nauim in mare proiecta sunt, aut ipsam nauim iam laceram, & mercibus exoneratam, excommunicationem incurrunt; quia hæc sunt naufragorum bona. *ibid. n.9 & 10.*

8. Si bona quæ ſurripiuntur ſint infidelium, aut hæreticorum, aut piratarum naufragantium, ea rapientes ab excommunicatione excuſantur. Quia hi omnes habentur pro hoſtibus Eccleſiæ, & in Bulla ſermo eſt tantùm de bonis Chriſtianorum, modò tamen ea non deferantur ad infideles contra Eccleſiæ prohibitionem, vt ſunt arma, &c. hæc enim ſurripientes excommunicationem non incurrunt. *ibidem, punct.* 3. *pag.* 22. *tom.* 3.

9. Ad incurrendam excommunicationem ob ſurrepta naufragorum bona requiritur quantitas ſufficiens ad peccatum mortale furti, niſi multi communi conſenſu, & velut ex condicto ad prædam accurrerent, & ſinguli modicum ſurriperent; hæc enim exigua furta ſimul ſumpta materiam notabilem efficerent. *ibid. punct* 4. *n.* 1. 2. 3. *pag.* 22. *tom.* 3.

10. Qui naufragorum bona ſurripuit inuincibiliter ignorans id eſſe vetitum ſub cenſura, aut probabiliter credens eſſe licitum; aut qui accipit ea quæ probabiliter credit haberi pro derelictis, excommunicationem non incurrit. *ibid. à n.* 4. Quænam autem bona pro derelictis habeantur, ex circumſtantiis colligi poteſt *ibid.*

11. Nulla conſuetudo aut priuilegium ab hac cenſura incurrenda excuſare poteſt: quia in Bulla reuocantur quælibet priuilegia, & abrogatur conſuetudo, & vſucapio etiam temporis immemorabilis. Vnde ſequitur inualidas eſſe Principum leges, quibus naufragorum bona fiſco addicunt: nam dominis non comparentibus tenentur ea in pios vſus erogare. Qui tamen accurrunt ad opem ferendam nautis auxilium implorantibus, poſſunt aliquid retinere ratione laboris, & periculi cui ſe exponunt. *ibid. n.* 8. *pag.* 22. 23. *tom.* 3.

12. Surripiens naufragorum bona non iuuatur titulo præſcriptionis, ſeu potius vſucapionis quæ eſt poſſeſſio rei mobilis tempore à lege definito: quia poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit. *ib. d. num.* 10. *pag.* 23.

Notarius.

1. NOtarius, ſeu procurator tenetur ea ſcire, quæ ad proprium ipſius officium ſpectant, vt clauſulas in contractibus apponi ſolitas, aliáſque ſolemnitates quæ adhiberi ſolent. Solemnitates autem quæ ad validum, & authenticum inſtrumentum requiruntur, ſunt inuocatio nominis Dei, annus, dies, menſis, locus, teſtes, nomen, & ſignum tabellionis.

Sin

Sin ob Notarij negligentiam, vel ignorantiam omissa est aliqua solemnitas, cuius omissione pars damnum patiatur, Notarius tenetur ad restitutionem. *tom.2.pag.335.num.1.*

2. Notarius debet fideliter in scriptum referre quæ à partibus asseruntur, modò absit mendacium. Quare peccat si dicat pecuniam, se præsente, traditam fuisse, cùm reuera non fuerit, vt in contractu census, ad cuius validitatem actualis solutio præscribitur. *tom.2.pag.336.num.2.*

3. Notarius grauiter peccat si sine causa renuat conficere instrumenta, aut si ea iam confecta occultet; est enim persona publica, ad obsequium omnium ex officio deputata, consequenter tenetur ad restitutionem damni, quod pars ex denegato sibi instrumento, seu transumpto, patitur. *ibidem, numero* 3.

4. Notarius conficiens testamentum alicuius carentis iudicio, seu non vtentis ratione, peccat, & tenetur ad restitutionem legitimis hæredibus, qui ab intestato successissent: est enim causa iniusta damni quod ipsi patiuntur. *ibidem, numero* 4.

5. Notarius tenetur in conscientia, legata manifestare, præsertim facta ad causas pias. Quare in diœcesi Mediolanensi Notarius qui postquam nouit mortuum esse testatorem intra tres menses legata pia non denunciat, elapsis tribus mensibus, ipso facto excommunicationem incurrit. *ibid. num.5.*

6. Notarius non potest aliquid vltra taxam exigere, quando pretium est à lege taxatum: si autem aliquid in notabili quantitate accipiat, peccat mortaliter contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem excessus, nisi sponte detur. *ibid. num.6.*

7. Clericus minoribus ordinibus initiatus, potest officium Notarij etiam imperialis suscipere; nullo enim iure prohibetur. At maioribus initiatus, aut habens beneficium, non potest Cæsarei Notarij munus suscipere, vel exercere in foro publico sæculari, vel Ecclesiastico: nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *ibid.n.8.*

Nuncius Apostolicus.

1. IN Bulla 96. Pij IV. quæ incipit, *Etsi Romanum Pontificem*, contra Nuncios, & alios ad Reges, seu Principes missos, lata est excommunicatio ipso iure, & priuatio omnium

dignitatum, beneficiorum, & officiorum, & inhabilitas ad illa, & alia in posterum obtinenda, denique infamia si procurare præsumpserint à Regibus, Reginis, vel Principibus ad quos mittuntur, commendationes, fauores vocales, aut literas, ad obtinendas dignitates, vel officia sibi, aut consanguineis, seu necessariis. *disput.2. quæst.6. punct.3. numero 279. tom.3.*

2. Probabile est Nuncium missum ad Rempublicam, quæ non habet Ducem, aut Principem, sed à magistratu regitur, non affici hac censura si ab ipso magistratu commendationes, & fauores impetret. *ibid.n.9.*

3. Si Princeps propria sponte scribat ad Summum Pontificem, & roget pro gratia Nuncio vel eius affini conferenda, Nuncius ab hac censura excusatur; secus si Princeps ad hoc inducatur à consanguineis Nuncij, idque Nuncius aduertat; sic enim videtur indirectè ambire. *ibid.num.10.* Expleto autem legationis tempore si fauores impetret, in censuram non incidit. *num.14.*

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

O.

OBLATIO.

1. IN cap. *Hanc consuetudinem* 10. *quæst.* 1. excommunicatio fertur cōtra laicos qui oblationes intra Ecclesiam factas, de Ecclesia auferunt, & sibi vsurpant. Hæc autem excommunicatio est ipso iure lata, & statim incurritur ipso facto, quia fertur per verba temporis præsentis. *pag.156. num.2. tom 3.*

2. Hæc excommunicatio est vniuersalis, & afficit omnes laicos sibi vsurpantes oblationes; Summus enim Pontifex vniuersaliter loquitur. *ibid.num. 3.*

3. Ad hanc excommunicationem incurrendam non sufficit conatus, sed requiritur effectus, id est actualis ablatio; quia censura non incurritur, effectu nondum sequuto. *ibid. numero 4.*

4. Hæc excommunicatio non ligat Ecclesiasticos surripientes

pientes oblationes, sed laicos tantùm, si oblationes de Ecclesiis auferant: nam si illas extra Ecclesiam existentes sibi applicent, & vsurpent, in hanc excommunicationem non incidunt. *ibid.num.*5.*&* 6.

5. Hæc excommunicatio non est reseruata, sed à quolibet Confessario approbato tolli potest. *ibid.num.*7.

Obseruatio vana.

1. VAna obseruatio est superstitio, quâ media inutilia adhibentur ad faciendum, vel omittendùm aliquid, ad quod illa media, nec à Deo, nec à natura vim vllam habent, vt fit quando quis mediis inutilibus nititur acquirere sanitatem, vel scientiam, &c. aut quibusdam verbis alligare dæmonem, illúmque includere in annulo, vase, &c. aut quando quis animalibus noxiis mittit chirographum, aut litem mouet, vt ea expellat; aut quando quis profert verba quibus moueatur annulus ad designandam diei horam, &c. *tom.*2.*pag.*183. *num.*3.

2. Tres sunt species vanæ obseruationis, *Ars notoria*, *obseruatio sanitatum*, & *obseruatio euentuum*. *Ars notoriæ*, est superstitio qua quis credit se consequuturum scientiam absque labore, per ieiunia, inspectionem figurarum, prolationem verborum, &c. quæ superstitio ex suo genere est peccatum mortale; continet enim tacitam cum dæmone societatem, cui tribuitur id quod est proprium Dei. *Obseruatio sanitatum*, est superstitio qua adhibentur aliqua inania ad curandos morbos hominum, vel brutorum; vt contingit quando adhibentur verba, signa, cærimoniæ, vel etiam res naturales quibus aliqua vana admiscentur, tanqua necessaria. *Obseruatio euentuum*, est genus superstitionis, quo ex consideratione alicuius euentus, coniicitur quid futurum sit, v.g. cum alicui domo exeunti occurrit cadauer, vulpes, lepus, &c. indéque occasionem sumit credendi negotium, aut diem sibi futurum infaustum *ibid.n.*4. *& seq. & pag* 185.*n.*21.

3. Superstitiosi sunt illi effectus qui fiunt his conditionibus concurrentibus. 1. quando effectus superat virtutem caussæ applicatæ. 2. quando effectus fit sine motu locali, vt cùm flumen statim apparet. 3. quando effectus statim euanescit. *tom.*2.*pag.*183.*num.*9.

4. Superstitiosum est adhibere imagines, aut characteres inscriptos sacris verbis, aut signo crucis, certa cum fiducia

euadendi è prælio, pellendi morbos, aut non moriendi sine confessione. Vitari autem potest superstitio in imaginibus, vel scripturis sacris adhibendis, aut ad collum appendendis. 1. si nihil falsi contineant contra sacram Scripturam, aut Ecclesiæ auctoritatem. 2. si nihil habeant pertinens ad dæmonis inuocationem. 3. si non scribantur nomina ignota, vel alij characteres præter signum crucis. 4. si non collocetur spes in modo scribendi, v.g. in membrana virginea, vel tali tempore, &c. 5. si hæc non adnotentur, *Qui secum detulerit, qui has preces recitauerit, non morietur in bello*, &c. hæc enim superstitionem redolent: Deus enim nullis verbis temporalem effectum infallibilem pollicitus est; aliquando enim expedit illis temporalibus bonis priuari. *ibid.n.*10.*&* 11.

5. Superstitiosum item est in publicis supplicationibus imaginem alicuius Sancti proiicere in flumen, vt pluat, aut credere tot orationes prodesse, non autem pauciores, aut candelam debere esse tantæ longitudinis, & non minoris, aut Missam non prodesse, nisi tot candelæ, talis coloris adhibeãtur, &c. *tom.*2.*pag.*184.*num.*13.

6. Non est damnandus vsus 30. Missarum S. Gregorij in memoriam facti S. Gregorij, qui 30. diebus iussit orari pro defunctis, modò circumstantiæ, vel cæremoniæ vanæ non admisceantur. *ibid.num.*16.

7. Superstitiosus planè, & damnandus est modus curandi vulnera eorum qui longè absunt, applicato quodam vnguenti genere, aut puluere, gladio, vittis, seu fasciis, sanguine vulnerati infectis: quia hic effectus non est ab agente naturali, cùm nulla virtus naturalis agat in distans: neque dici potest esse à Deo, cum id neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione constet. Reliquum est igitur vt sit à dæmone ex pacto tacito cum ipso. Huc facit quod auctor illius vnguenti (quod vocatur vnguentum armorum eò quod applicetur ensi, seu gladio quo fuit vulnus inflictum) fuit Paracelsus, qui fuit auctor damnatus. *ibid.n.*17.*&* 18.

8. Familiæ, seu homines qui, velut ex professo, medentur quibusdam morbis, vt morsui rabidi canis, non sunt simpliciter superstitionis damnandi. Tum quia nonnulli feruntur ab Ecclesia; tum quia fieri potest vt hanc gratiam gratis datam acceperint à Deo: huiusmodi tamen homines diligenter examinandi sunt, antequam hanc artem profiteri permittantur: & Confessarij magnam debent adhibere cautionem in absoluendis iis qui ad sanandos morbos, remediis vtuntur externis,

virtu

virtutem naturalem non habentibus ad eos curandos,quamuis publicè tolerentur. *tom.2.pag.185.num.20.*

ORDO.

Ordo quid & quotuplex.

1. ORdo est Sacramentum quo specialis potestas traditur ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi: nam per Ordinem Sacerdotalem confertur potestas immediata quâ directè confici potest Eucharistia; per reliquos verò Ordines confertur potestas mediata per quam exercetur aliquod ministerium quod dirigitur, & ordinatur ad Eucharistiam tanquam ad finem. *tom.1.pag.219.n.1.*

2. Ordines sunt septem, *Ostiarij,Lectoris,Exorcistæ,Acolyti, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotij.* Episcopatus, propriè loquendo, non est Ordo per quem conferatur peculiaris potestas circa Corpus Christi; nam Sacerdos eandem habet potestatem circa sacrificium, quam habet Episcopus; neque character Episcopalis, & character Sacerdotalis sunt duo Ordines,sed vnus qui dicitur extendi, & perfici in Episcopatu: vnde sequitur Episcopatum non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, cum non sit ordo distinctus ab Ordine Sacerdotali,sed illum supponat. *ibid.n.2.& seq.*

3. Archiepiscopatus, & Papatus non sunt propriè Ordines,neque prima tonsura, per illam quippe non datur potestas specialis circa Eucharistiam, quamuis per ipsam homo fiat capax iurisdictionis Ecclesiasticæ,& beneficiorum;sed est tantummodò præambulum, & dispositio ad Ordines, sicut nouitiatus ad religionem. *tom.1.pag.220.n.5.& 6.*

4. Ordinis Sacramentum institutum fuit in vltima Cœna *Luc.22.*vbi Christus dixit Apostolis:*Hoc facite in meam commemorationem.* quibus verbis contulit illis potestatem Sacerdotalem, eisque, ac eorum in Sacerdotio successoribus dedit præceptum consecrandi. Cum hoc autem Ordine Sacerdotij, reliqui inferiores sunt instituti, quia in eo continentur eminenter,& ad eum ordinantur. *ibid. n.7.*

5. Ordo Sacerdotalis est verè,ac propriè Sacramentum,nec Sacerdotalis modò,verùm etiam alij singuli sunt Sacramenta, & conferunt gratiam;vt patet ex Concilio Trid. *sess.23.cap.3.* quod postquam recensuit singulorum Ordinum nomina, absolutè asserit Ordinem esse Sacramentum. *ibid.n.1.& 2.*

Sacramenti Ordinis materia, & forma.

6. Materia remota Sacramenti Ordinis est res illa quæ traditur suscipienti Ordines. Nempe *Sacerdotalis Ordinis*, calix cum vino, & patena cum hostia; *Diaconatus*, liber Euangeliorum; *Subdiaconatus*, calix vacuus cum patena; *Acolytatus*, vrceoli; *Exorcistatus*, liber exorcismorum; *Ostiariatus*, cymbalum, & claues; *Lectoratus*, liber lectionum. Materia autem proxima Sacramenti Ordinis, est traditio harum rerum quas modò recensuimus. *ibid.n.*1.*& seq.pag.*221.

7. Impositio manuum est materia essentialis Episcopatus; per hanc enim confertur potestas Episcopalis; vt colligitur ex 1.Tim.4.& Actor.6. *tom.*1.*pag.*221.*n.*10.

8. Contactus materiæ est ita de essentia huius Sacramenti vt non censeatur ordinatus qui hanc non contingit: Quod tamen non est scrupulosè intelligendum, itavt in Sacerdotio necesse sit hostiam, & vinum immediatè attingere, sufficit enim tangere calicem, & patenam quando verba ordinationis ab Episcopo proferuntur, itavt contactus & verba, seu forma, saltem moraliter sint simul. *ibid.n.*11.*&* 12.

9. Forma Sacramenti Ordinis sunt verba quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis quæ confertur. Inuocatio SS. Trinitatis non est de essentia formæ. Est autem valida ordinatio quando plures initiantur Ordine sacro, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiam singulis successiuè tangendam, forma non repetita. *ibid.n.*13.*& seq.*

10. Ex dictis colligi potest quodnam sit munus, & officium singulorum Ordinum. Nam Sacerdotis officium est conficere Sacramentum Eucharistiæ, administrare Sacramenta, exceptis Confirmatione, & Ordine; prædicare verbum Dei cum licentia Episcopi. *Diaconi officium* est publicè legere Euangelium in Ecclesia, ministrare sacrificio, &c. *Subdiaconi* est canere Epistolam, proximè assistere Diacono, illique ministrare. *Acolyti* est porrigere vrceolos Subdiacono, &c. *Exorcistæ*, imponere manus super energumenos, & legere exorcismos. *Lectoris*, legere Prophetias, & scripturas in Ecclesia. *Ostiarij*, claudere, aperire, & custodire Ecclesiam, &c. *tom.* 1. *pagin.* 222. *num.*18.

Ordinis

Ordinis minister.

11. Proprius Episcopus est ordinarius Sacramenti Ordinis minister; licèt autem sit excommunicatus, interdictus, suspensus, aut etiam priuatus Episcopatu, validè tamen Ordines confert; quia adhuc retinet characterem, atque adeo potestatem Ordines conferendi, quamuis eam illicitè exerceat. *ibid.num.*1.*&* 2.

12. Possunt Ordines, de licentia Summi Pontificis, conferri ab aliis quàm ab Episcopis; vt Ordines minores à Cardinalibus Presbyteris, prima tonsura, & Ordines minores ab Abbatibus habentibus ius mitræ, conferri possunt subditis regularibus. Ordines verò maiores non possunt ab alio quàm ab Episcopo conferri. *ibid.n.*3.

13. Episcopus non potest subditis alterius Episcopi, nisi de licentia ipsius, Ordines, aut primam tonsuram conferre; dicitur autem proprius Episcopus, qui est Episcopus originis, vel domicilij, vel beneficij, cuius est concedere literas dimissorias ad Ordines suscipiendos. Potest tamen Episcopus ex priuilegio Concilij Trid. *sess.*23.*cap.*9. conferre Ordines suo familiari qui triennium commoratus sit cum ipso, etiamsi sit alterius diœcesis, modò statim illi conferat beneficium. *tom.*1. *pag.*223.*num.*7. *&* *seq.*

14. Capitulum, Sede vacante, concedere potest literas dimissorias ad Ordines ab alieno Episcopo suscipiendos, in duobus casibus. 1. quando sedes Episcopalis vacauit per annum. 2. quando quis est arctatus, ita vt perditurus sit beneficium, nisi statim promoueatur ad Ordines. Extra hos duos casus non potest concedere literas nisi testimoniales. *ibidem, numero* 23.

15. Qui à Sede Apostolica obtinuit priuilegium suscipiendi Ordines à quolibet Episcopo, non indiget literis dimissoriis, sed tantùm testimonialibus proprij Episcopi, de vita, & moribus, sine quibus si ordinetur, remanet suspensus ab executione susceptorum Ordinum, & ordinans incurrit suspensionem à collatione Ordinum per annum. *tom.*1.*pag.*224. *num.*28.

16. Episcopus qui in aliena diœcesi confert Ordines de consensu Episcopi illius diœcesis, non potest Ordines conferre clericis qui non sunt subditi ipsimet Episcopo ordinanti, vel illi Episcopo de cuius consensu Ordines confert, nisi habeant dimissorias à suis Ordinariis. *ibid.n.*29.

Sacra

Sacramenti Ordinis subiectum capax.

17. Omnis masculus baptizatus est subiectum capax ordinis, quamuis sit infans carens vsu rationis, aut insanus, aut hæreticus: nam in cap. *vnico, extra de iis qui per saltum ordinantur*, habetur illos non esse reordinandos, qui ante discretionis annos acceperunt minores ordines; ergo supponuntur capaces sacramenti ordinis. Qui tamen ordine sacro initiatus est ante vsum rationis, non tenetur vi voti ad seruandam castitatem postquam maturam ætatem attigerit, quia votum est deliberata promissio; at qui caret vsu rationis, non potest deliberatè promittere. *tom.* 1.*pag.*225.*num.*1 *&* 2.

18. Probabilius videtur Episcopatum posse conferri puero ante vsum rationis; quia non potest sufficiens ratio in contrarium afferri: multi enim sunt Episcopi titulares, qui nullam gerunt animarum curam, & Ecclesiæ administrationem; ergo nihil vetat Episcopatum conferri ante vsum rationis. *ibid.num.*4.

19. Fœminæ sacramentum ordinis suscipere non possunt: quia 1.*Tim.*2. iubentur in Ecclesia tacere; ergo à fortiori, non possunt sacramenta administrare, consequenter non possunt ad ordines promoueri, qui pro fine habent administrationem sacramentorum. Idem dicendum de hermaphroditis, nisi prævaleat sexus virilis: sed ne tunc quidem licitè ordinari possunt cum sint irregulares. *ibid.num.*5.*&*6.

20. Vt quis validè, ac licitè ordines suscipiat, hæ conditiones requiruntur. 1. vt sit baptizatus. 2. vt sit confirmatus; validè tamen, sed non licitè Sacramentum ordinis conferri potest. 3. vt habeat primam tonsuram; valida tamen est ordinatio ante primam tonsuram. 4. vt attigerit legitimam ætatem. 5. vt habeat scientiam sufficientem ad vsum cuiusque ordinis. 6. vt habeat testimonia morum. 7. vt habeat titulum. 8. vt seruet temporum interstitia, non solum in maioribus, verùm etiam in minoribus ordinibus suscipiendis, itavt qui suscepit vltimum minorum ordinum, debeat per annum expectare, antequam ad sacros ordines promoueatur. *ibid.num.*7.*& seq.*

21. Interstitia non sunt mathematicè computanda, itavt ordinandus nequeat ad ordines promoueri nisi inter vnum, & alterum ordinem traxerit moram 12. mensium completorum; sed moraliter, & iuxta ritum Ecclesiæ, videlicet ab vna qua-

dragesima

dragesima ad aliam, à Pentecoste ad Pentecosten, &c. licet 12. menses nondum sint elapsi. Dispensatio interstitiorum pertinet ad Episcopum etiam respectu religiosorum. Suscipiens tamen ordines non seruatis interstitijs, nullam incurrit censuram, vel irregularitatem; quia non est expressa in iure *tom.1 pag.230.num.51.52.53.*

22. Nona conditio ad ordines suscipiendos, est, vt suscipiens non sit irregularis: nam irregularitas est inhabilitas ad ordines. Præterea carens debita membrorum integritate; aut carens digitis ad hostiam perfringendam adhibendis; aut habens manus tremulas, vt sit periculum effundendi calicis; aut qui ad mortem alterius cooperatus est; denique spurius, & illegitimus est irregularis, atque adeo inhabilis ad ordines suscipiendos. *ibid num.55.*

23. Decima conditio requisita in suscepturo ordines, est, vt non sit aliqua censura irretitus. Vndecima, vt habeat intentionem suscipiendi ordines, si sit adultus; nam in eo qui caret vsu rationis sufficit intentio Ecclesiæ. Metus autem non tollit voluntarium sufficiens ad ordines validè suscipiendos: at qui per vim absolutam ordinatur, censetur carere intentione. Duodecima, vt suscipiens ordines sit in gratia, per confessionem, aut contritionem. Decimatertia, vt cum debitis vestibus ad ordines accedat. *ibid.num.56.&seq.*

Sacramenti Ordinis effectus.

24. Effectus Sacramenti ordinis est duplex. 1. est gratia habitualis, qui effectus est illi communis cum reliquis Sacramentis. 2. est character qui eodem tempore confertur quo primus effectus. *tom.1.pag.231.num.1.*

Ordinum susceptio illegitima.

25. Recipiens ordines ante legitimam ætatem pœnam suspensionis ab exercitio ordinum incurrit; modò tamen suscipiat aliquem ordinem sacrum mala fide sciens se legitimam ætatem non habere, idque prohiberi sub pœna suspensionis; nam qui bona fide, & ignorans legem, sacros ordines suscepit ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem: consequenter neque irregularitatem functiones susceptorum ordinum exercens; mortaliter tamen peccat illas functiones exercens cognito ætatis defectu: facit enim contra prohibitio-

nem

nem Ecclesiæ. *disp.3.quæst.1.punct.1.pag.322.&323.tom.3.numero 1.& seq.*

26. Quæres quænam ætas requiratur ad sacros ordines suscipiendos. *Resp.* ad suscipiendam primam tonsuram requiri septennium, itavt nullus ad eam sit admittendus, quem non constet septem annos compleuisse. Ad minores ordines non certa ætas præscripta. Ad Subdiaconatum requiruntur 22. anni inchoati. Ad Diaconatum 23. inchoati. Ad Presbyteratum 25. etiamsi per medium tantùm diem sint inchoati. Ad Episcopatum 30. anni completi. *ibid.pag.323.num 4.tom.3.*

27. Suspensio quam quis contraxit per susceptionem ordinum ante legitimam ætatem arcet ab executione, seu exercitio ordinis suscepti; vnde sequitur eum qui presbyteratum suscepit ante legitimam ætatem, non prohiberi ab executione diaconatus, vel subdiaconatus legitima ætate suscepti. *ibid.numero 8.*

28. Qui subdiaconatum vel diaconatum ante legitimam ætatem suscepit, non potest ad sacerdotium promoueri; nam qui ordines ante legitimam ætatem suscepit, non tantùm suspensus est ab vsu ordinis sic suscepti, verùm etiam à susceptione ordinum superiorum, etiamsi iam legitimam ætatem attigerit; quia ordo superior virtualiter continet inferiorem; ergo suspensus à functione inferioris suspensus est etiam à susceptione maioris, quia ordo non suscipitur nisi vt exerceatur. *ibid.*

29. Qui sacrum ordinem suscepit ante legitimam ætatem, incurrit irregularitatem si illum exerceat etiam in missa ordinationis, v. g. si Diaconus canat Euangelium; facit enim duplicem actionem prohibitam, vnam sub censura suspensionis suscipiendo sacrum ordinem, alteram sub pœna irregularitatis illum exercendo. *ibid.pag.324.num.9.tom.3.*

30. Episcopus suscipiens consecrationem Episcopalem ante legitimam ætatem, hanc suspensionem non incurrit; quia Episcopatus propriè non est ordo. *ibid.num.10.*

31. Absolutio ab hac suspensione impendi potest ab Episcopo, vel alio ab ipso deputato; quia neque absolutio suspensionis, neque dispensatio irregularitatis est reseruata. Neque cessat illa suspensio statim adepta ætate, quia est censura quæ non tollitur nisi per absolutionem. Secùs dicendum de irregularitate *ibid.num.11.& 12.*

32. Suscipiens ordines per saltum afficitur suspensione.

Dicitur

Dicitur autem ordines per saltum suscipere qui non gradatim promouetur; sed ad superiorem ascendit omisso inferiore; validè tamen suscipit; quia singuli ordines sunt Sacramenta characterem imprimentia, nec necessariam habent inter se connexionem. *ibid.punct.2.pag.324.num.1.& seq.tom.3.*

33. Promotus per saltum incidit in irregularitatem si functiones ordinis per saltum suscepti exerceat; quia violat censuram suspensionis contractæ. *ibid.num.2.*

34. Suscipiens ordinem non suscepto Baptismo grauiter quidem peccat; non tamen validè ordinatur; quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum; neque incurrit suspensionem: quia cùm non sit baptizatus, non est subiectus Ecclesiæ. *ibid.pag.325.num.5.tom.3.*

35. Suscipiens ordinem vel tonsuram ante confirmationis Sacramentum grauiter peccat; validè tamen suscipit, neque suspensionem incurrit, quia non est in iure expressa. *ibid.*

36. Episcopus suscipiens consecrationem Episcopalem ante alios ordines, non incurrit suspensionem latam contra promotos per saltum; tùm quia Episcopatus non est propriè ordo, tum quia censura suspensionis, vel interdicti non ligat Episcopos nisi exprimantur. *ibid.num.6.*

37. Consecratio Episcopi facta per saltum est inualida si fiat omisso sacerdotio; tum quia character Episcopalis necessariò supponit sacerdotalem; tùm quia Episcopus validè consecratus ordinare potest Sacerdotes; Episcopus autem qui non est Sacerdos, aliis sacerdotium conferre nequit; igitur non potest Pontificalia exercere antequam nouam suscipiat consecrationem post sacerdotium. *ibid.num.7.*

38. Promotus per saltum suspenditur. 1. à susceptione ordinum prætermissorum. 2. ab executione ordinis suscepti. 3. à susceptione ordinis superioris, v. g. qui diaconatum subdiaconatu omisso suscepit, non potest ad sacerdotium promoueri antequam dispensetur & ordinem prætermissum suscipiat. Non est tamen suspensus ab ordinibus anteà rite susceptis. *ibid.num 9.& 10.*

39. Episcopus in hac suspensione potest dispensare etiam respectu illius qui maiores ordines per saltum suscepit, etiamsi delictum sit publicum, modò tamen is qui hoc modo ordines suscepit, non exercuerit functiones ordinis suscepti, aut prætermissi. *ibid.n.12.*

40. Dispensatus ad suscipiendum ordinem prætermissum, censetur etiam dispensatus ad exercendum ordinem susceptum

ptum per saltum, immò etiam ad suscipiendum ordinem superiorem; ab eo enim repellebatur solùm consequenter, quatenus erat suspensus ab ordinibus inferioribus, ergo sublata suspensione ab inferioribus, cessat etiam circa superiores. *ibid. pag.* 326. *num.* 14. *tom.* 3.

41. Ordines sacri, præciso priuilegio Pontificio, ministrandi, & suscipiendi sunt tantummodo in Sabbatis quatuor temporum, aut Sabbato sancto, aut Sabbato proximè præcedente Dominicam passionis. Ordines minores possunt vni, vel duobus conferri diebus Dominicis, & aliis festiuis, si iuris antiqui dispositionem præcisè spectemus. Prima tonsura conferri potest quolibet anni die; quia iura nullum tempus præscribunt. Consecratio verò Episcopi fieri potest qualibet Dominica die. *ibidem, punct.* 3. *pagin.* 326. *numero* 1. *& sequent. tom.* 3.

42. Suscipiens sine dispensatione sacros Ordines extra tempora constituta, censuram suspensionis iure nouo statim incurrit; hæc autem suspensio impedit executionem ordinum susceptorum. Porrò Episcopus potest ab hac suspensione absoluere *ibid. n.* 4. *& seq.*

43. Suscipiens plures ordines sacros eodem die absque dispensatione, suspensionem incurrit. Suscipiens item minores ordines, vel primam tonsuram cum subdiaconatu, aut cum alio ordine sacro, iuxta communiorem sententiam, incurrit suspensionem ab executione ordinis illius sacri quem eo die suscipere non poterat; modò nulla obtinuerit consuetudo in contrarium. *ibidem, punct.* 4. §. 1. *pag.* 327. *numero* 1. *&* 2. *tom.* 3.

44. Episcopus conferens eidem plures ordines eodem die suspenditur à collatione ordinum, donec à Papa dispensetur. *ibid. num.* 4.

45. Potest Episcopus facultatem dare suscipiendi omnes ordines minores eo die quo Ecclesia ordines conferre permittit: Ordines vero sacri non possunt nisi de licentia Papæ eodem die conferri. *ibid. num.* 6.

46. Solus Summus Pontif. potest dispensare in suspensione contracta ab eo qui plures sacros Ordines, aut minores cum subdiaconatu suscepit. Excipitur tamen casus in quo Abbas, & Episcopus dispensare possunt; quando scilicet ordinatus religionem ingressus est, & peracta pœnitentia laudabiliter in religione vixit. *ibid. num.* 7.

47. Conferens aut suscipiens Ordines non seruatis interstitiis,

ſtitiis, grauiter quidem peccat violando leges Eccleſiaſticas; non tamen incurrit pœnam ſuſpenſionis;nulla enim eſt expreſſa in iure : §.2. *pag.* 327. *num.* 1. Interſtitia autem ſunt ita computanda vt inter vnum, & alterum ordinem annus integer intercedat; hic tamen annus eſt moraliter computandus iuxta ritum Eccleſiæ, v. g. à Pentecoſte ad Pentecoſtem. *pag.* 328. *num.* 2. *tom.* 3.

48. Epiſcopus in interſtitiis circa minores Ordines diſpenſare poteſt cum ſibi ſubditis, & circa diaconatum; in interſtitiis verò inter minores ordines, & ſubdiaconatum, & inter diaconatum, & Sacerdotium diſpenſare non poteſt, niſi adſit neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, iudicio ipſius Epiſcopi. *ibid. num.* 3.

49. Eadem facultas diſpenſandi in interſtitiis competere videtur capitulo Sede vacante, ſeu ipſius Vicario. Probabile eſt etiam Abbates in iis caſibus in quibus tonſuram, & minores ordines conferre poſſunt, cum iiſdem poſſe diſpenſare in interſtitiis circa minores ordines. *ibid. n.* 5.

50. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in interſtitiis etiam cum religioſis ex cauſa ſibi à ſuperioribus ipſorum per atteſtationem expreſſa; quia religioſi non ſunt deterioris conditionis quàm cæteri. *ibid. num.* 8.

51. Non ſolùm excommunicatio, ſed etiam ſuſpenſio contrahitur ob ſimoniam tam ab eo qui ordines ſimoniacè confert, quàm ab eo qui per ſimoniam ſuſcipit, niſi ignorantia excuſet; vt ſi tertius quiſpiam det pecuniam Epiſcopo inſcio ordinando; cum enim hic careat culpa, excuſatur à cenſura. *ibid. punct.* 5. *pag.* 328. *tom.* 3.

52. Suſcipiens ſimoniacè ordines bona fide non contrahit ſuſpenſionem, etiamſi poſt ordinationem ratificet ſimoniam ab altero commiſſam; hic enim nullam ſimoniam committit, ſed ab alio commiſſam approbat. Secùs dicendum ſi antequam ordines ſuſciperet, animaduertit ſimoniam ab altero commiſſam fuiſſe occaſione ordinis à ſe ſuſcipiendi, tunc enim abſtinere tenetur ab ordinis ſuſceptione. *ibid n.* 3.

53. Iſta ſuſpenſio arcet ab exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab aliis ſuſcipiendis; non tamen ab officio, & beneficio, niſi ſic ſuſpenſi miniſtrauerint ſeu ordinum functiones exercuerint. *ibid. pag.* 329. *num.* 8. *tom.* 3.

54. Suſpenſio lata contra ſimoniacos in ordine perpetua eſt; quia iura abſolutè loquuntur. Pius autem V. in eiuſmodi ſimoniacos ſententiam tulit ſuſpenſionis ab ordinibus ſimo-

niacè ſuſceptis per decennium, & incarcerationis per annum. *num.*10.

55. Poteſt Epiſcopus abſoluere ſuum ſubditum à ſimonia occulta & à ſuſpenſione ob illam contracta, necnon rehabilitare ad ordines & beneficia antea obtenta, non tamen ad beneficia in poſterum obtinenda: ita declarauit ſacra Cardinalium Congregatio. *ibid.num.*11.

56. Excommunicatus ob clerici percuſſionem incurrit ſuſpenſionem, vel, vt alij volunt, irregularitatem ſuſcipiendo ordines ante obtentam abſolutionem ab excommunicatione. Idem dicendum de eo qui eſt obſtrictus alia qualibet excommunicatione maiori, niſi ignorantia, aut inaduertentia excuſet; quanquam in foro externo non præſumitur ignorantia, quia factum graue eſt,& ius valde manifeſtum *ibid. punct.6. pag.*330. Excuſatur etiam excommunicatus qui per vim, aut metum grauem ordines ſuſcepit. *ibid.*

57. Excommunicatus ſuſcipiens conſecrationem Epiſcopalem, iuxta probabiliorem ſententiam, non incurrit hanc ſuſpenſionem, tùm quia Epiſcopatus non eſt ordo, tum quia cenſura non afficit Epiſcopos niſi exprimantur. Idem dicendum de excommunicato ſuſcipiente primam tonſuram; quia hæc etiam propriè non eſt ordo. *ibid.num.*3.

58. Hæc ſuſpenſio excommunicati ordines ſuſcipientis ſuſpendit clericum ſæcularem ab executione ordinis in excommunicatione ſuſcepti, non autem ab exercitio aliorum extra excommunicationem ſuſceptorum: Regularem verò ſuſpendit ab executione ordinis,& officij;ſic enim iura decernunt. *ibid.pag.*331.*n.*5.*tom.*3.

59. Abſolutio ab hac ſuſpenſione reſpectu clerici ſæcularis reſeruata eſt Papæ ſi delictum ſit publicum; ſi autem ſit occultum, Epiſcopus poteſt diſpenſare. Religioſus verò abſolui poteſt à ſuo Abbate, modò ex inaduertentia facti, vel ignorantia iuris deliquerit, & factum non ſit graue. *ibidem, numero* 7.

60. Coniugatus ſuſcipiens illicitè aliquem ſacrorum ordinum tam ante quàm poſt conſummatum matrimonium, incurrit ſuſpenſionem, & irregularitatem. *ibidem, punct.* 7. *numero* 1.

61. In his autem caſibus licet viro coniugato etiam durante matrimonio ſacros ordines ſuſcipere. 1. quando matrimonium nondum fuit conſummatum;poteſt enim religionem ingredi,& emiſſa profeſſione ſacros ordines ſuſcipere. 2.quando

do vxor consummato matrimonio ingreditur religionem, & in ea de mutuo consensu profitetur. 3. quando vxor de consensu viri castitatis votum emittit, & concedit viro licentiam suscipiendi sacros Ordines. Idem dicendum videtur, quando vir coniugatus ad Cardinalatum promouendus est, cum Cardinalatui adnexus esse soleat ordo sacer. 4. quando per sententiam factum est diuortium quoad torum, & habitationem; tunc enim licet viro innocenti, etiam inuita coniuge religionem ingredi, aut sacros Ordines suscipere; coniugi verò adultero non licet sine tacito vel expresso coniugis innocentis consensu. *ibid. num.* 3.

62. Suspensio lata contra coniugatos suscipientes Ordinem sacrum, suspendit ab executione ordinis suscepti, & à susceptione superiorum, necnon ab officio, & beneficio; sic enim iura decernunt. Estque hæc suspensio, & irregularitas perpetua, donec per dispensationem auferatur; neque enim tollitur per dissolutionem matrimonij. Eius autem absolutio reseruata est Papæ, nisi crimen sit occultum. Episcopo tamen concessa est facultas absoluendi, quando coniugatus ingreditur religionem, & in ea profitetur. Item dum crimen est occultum; dispensatus tamen non poterit durante matrimonio ordines exercere. *ibid.pag* 332.*n.*8.*&* *seq.tom.*3.

63. Suscipiens culpabiliter ordines absque vllo titulo, suspenditur ab executione ordinum. Idem sentiendum de ordinatis dolosè titulo ficto, seu fiduciario, cùm scilicet fingunt se habere quod non habent, aut mutuantur titulum ab alio cum promissione restituendi post ordinationem. *ibid.punct.*8. *pag.*333.*n.*1.*&* 3.*tom.*3.

64. Qui ficto titulo obtinuit literas dimissorias, suscipiendo sacros Ordines, duplicem suspensionem incurrit; vnam, quia suscipit ordines absque titulo; alteram quia fuit ordinatus ab alieno Episcopo cum literis dimissoriis subreptitiis, & per dolum obtentis, atque adeo nullis. *ibid.pag.*334.*num.* 5. *tom.*3.

65. Suscipiens sacrum Ordinem absque titulo, illúmque exercens antequam absoluatur à suspensione, incidit in irregularitatem; quia violat suspensionem. *ibid.n.*6.

66. Qui assignato sibi vero patrimonio, sacrum Ordinem suscipit, eóque suscepto retrodonat, & renunciat patrimonium donatori, non incurrit suspensionem, etiamsi post hanc renunciationem ad superiores ordines ascendat; hic enim dici non potest ordinatus absque titulo, cùm illa retrodo-

natio irrita sit, & inualida ex decreto Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *ibid.num.* 7 *tom.* 3.

67. Is cui assignatum fuit patrimonium cum pacto & iuramento illud restituendi, seu non petendi quidquam, ex probabili sententia non contrahit suspensionem modò non restituat ante ordinationem, & pactum non inierit cum ordinante, vel præsentante ad ordines; cùm enim illa assignatio valida sit, non potest dici ordinatus sine titulo. Opposita tamen sententia est etiam probabilis, quia hic titulus videtur fiduciarius. *ibid.n.* 8.

68. Qui promouetur ad titulum beneficij, quod actu non possidet, sed solùm in potentia, contrahit suspensionem; tum quia promouetur sine titulo; tum quia Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. non vult quenquam ad ordines promoueri, nisi beneficium pacificè possideat. Secus dicendum videtur si beneficium fuit illi collatum, sed nondum adiit possessionem, quia non dicitur absolutè ordinatus absque titulo. *ibid.n.* 11.

69. Qui beneficium inualidè obtinet, incurrit suspensionem, si ad illius titulum promoueatur; quia non habet reuera titulum beneficij, sed est intrusus, etiamsi alioquin beneficium pacificè possideat. *ibid.n.* 12.

70. Qui ordinatur ad titulum patrimonij, quod hypothecæ subiectum est pro debito, incurrit suspensionem; quia non habet legitimum titulum, bona quippe transeunt cum onere hypothecæ; posito autem hoc onere, non potest ordinatus ali ex iis bonis si creditor velit sibi satisfieri; sin bona non sunt hypothecæ subiecta, ordinatus ad illorum titulum non contrahit suspensionem, licet prematur graui ære alieno; ille enim titulus est legitimus; fieri tamen potest vt grauiter peccet, si aliunde non possit creditoribus satisfacere. *ibid.pag.* 335. *num.* 16. *tom.* 3.

71. Triplex est titulus ad quem aliquis ordinari potest ne suspensionem incurrat; 1. est beneficij Ecclesiastici. 2. est patrimonij, seu pensionis; nomine autem patrimonij intelliguntur bona tam acquisita propria arte, vel hæreditate, quàm donatione vera, & non ficta. 3. titulus est professionis; religiosus enim professus promoueri potest ad sacros ordines, quia religio ipsum alere tenetur. Porrò non quodlibet beneficium, aut patrimonium sufficit ad titulum, sed debet esse huiusmodi, vt ad vitæ sustentationem sufficiat, ne clericus cum Ecclesiastici status dedecore mendicare cogatur. *ibid.num.* 13. & 17.

72. Qui

72. Qui non habet titulum patrimonij per se sufficientem, potest nihilominus ordinari si habeat patrimonium quod beneficij defectum supplere possit; modò sit certum, nec pendeat ab alterius voluntate. *ibid.num.21.*

73. Titulus ad quem clericus ordinatur, debet esse perpetuus respectu ipsius clerici; quare nec beneficium resignari, nec patrimonium ad cuius titulum ordinatus est, alienari potest absque licentia Episcopi, donec aliunde habeat vnde viuat. Hinc sequitur vicariam temporalem, capellaniam, & alia beneficia non perpetua, pro titulo non sufficere. *ibid.numero 22. & seq pag.336.tom.3.*

74. Ordinans religiosum nondum professum suspenditur per annum à collatione talis ordinis. Ordinans aliquem absque titulo, cum pacto vt ordinatus nihil ab eo petat, suspenditur per triennium à collatione ordinum. Præsentator præsentans cum eodem pacto suspenditur per triennium ab executione ordinum. Ordinans aliquem sine titulo tenetur eum alere donec ei aliunde prospiciatur; ipso autem mortuo, alendus est ab eius successore. *ibid.num.25.*

75. Absolutio ab hac suspensione impendi potest ab Episcopo modò nullum interuenerit pactum cum ordinante vel præsentante non petendi quidquam; tunc enim absolutio conferenda est à Papa modò delictum sit publicum. Est etiam probabile confessarium qui habet generalem facultatem absoluendi à censuris, posse etiam absoluere in foro conscientiæ à suspensione etiamsi contracta sit ob defectum tituli, vel ob malam ordinum susceptionem. *ibid.num.30.&seq.*

76. Qui ordines sacros suscipit ab Episcopo qui Episcopali dignitati renunciauit, contrahit suspensionem ordinum quos ab illo Episcopo suscepit. Dicitur autem Episcopus renunciare dignitati qui non tantùm renunciat Episcopatui quoad locum per resignationem; sed etiam qui potestatem ordinis, & iurisdictionis dimittit quantum in se est, séque eius vsu priuat. Nam qui Episcopatui renunciauit quoad locum tantùm, potest de licentia Episcopi loci ordines conferre. *ibid.punct 9.pag.337.tom.3.*

77. Hæc suspensio est Papæ reseruata, nisi interuenerit ignorantia inuincibilis, aut etiam vincibilis, modò non fuerit crassa, & supina; tunc enim ab Episcopo tolli potest. *pag.338. num.14.tom.3.*

78. Suscipiens ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto vitando, incurrit suspensionem ab execu-

tione ordinum quos ab eo suscepit ; quia hic Episcopus non potest licitè Pontificalia exercere. Idem dicendum de suscipiente ordines ab Episcopo simoniaco, deposito, degradato, hæretico, schismatico vitando ; nam si est toleratus, vsu iurisdictionis non priuatur ; consequenter ab eo suscipiens ordines suspensionem non incurrit. *ibid.punct.*10.*n.*1. *&* 2.

79. Ignorans Episcopum, à quo ordines suscipit, esse excommunicatum, suspensum, &c. non propterea eximitur à suspensione, etiamsi laboret ignorantia inuincibili ; quia nemo dare potest quod non habet ; sed Episcopus excommunicatus, suspensus, &c. non habet vsum ordinum, ergo neque illum conferre potest. *ibid.pag.*338.339.*tom.*3.*num.*4.

80. Episcopus consecrationem suscipiens ab Episcopo excommunicato vitando, &c. eandem suspensionem contrahit, ob defectum potestatis in conferente ; neque enim potest vsum illius ordinis conferre quem ipse non habet. Valida tamen est consecratio, neque est repetenda, quia prouenit à charactere Episcopali indelebiliter in anima inhærente. *ibid.pag.*339. *num.*6. *&* 7.*tom.*3.

81. Hæc suspensio non potest ab alio tolli quàm à Papa; quia contrahitur ob defectum potestatis in conferente ; nullus autem inferior Papa supplere potest illum defectum. Atque hæc ratio valet tam in suscipiente ordines culpabiliter, quàm inculpabiliter, quia hæc suspensio non prouenit ex culpa suscipientis, sed ex impotentia conferentis. *ibid.num.*8.

82. Suscipiens ordines ab alieno Episcopo absque licentia proprij, seu sine literis dimissoriis, suspensionem ab executione ordinum ita susceptorum incurrit ; vnde sequitur eum affici irregularitate, si functiones huiusmodi ordinum exerceat, antequam à suspensione absoluatur. *ibid. punct.*11.*pag.*340. *num.*1.*tom.*3.

83. Monachi, & religiosi exempti qui sine sui Abbatis, suorúmque superiorum licentia ordines suscipiunt ab Episcopo illius vel alterius diœcesis, ex probabiliori sententia, eandem suspensionem incurrunt : quia hi non sunt ordinati à proprio Episcopo ; Episcopus enim etiam eiusdem diœcesis, censetur extraneus, nisi ordinet religiosum cum licentia superiorum. Ad hæc Concilium Tridentinum fert suspensionem generalem contra promotos ad ordines absque testimonio Ordinarij commendantis probitatem, & mores ordinandi. *ibidem, num.*3.

84. In his tamen casibus suscipiens ordines ab alieno Episcopo

ſcopo ſuſpenſionem non incurrit. 1. quando proprius Epiſcopus ſuſpenſus eſt,& ſuſpenſio eſt manifeſta ; tunc enim ipſo iure conceditur ipſius ſubditis vt ab alio ordinari poſſint modò reliqua ſeruentur. 2. quando Epiſcopus ordinat ſuum familiarem qui ſecum per triennium commoratus fuit, modò Epiſcopus ille habeat diœceſim ; (Epiſcopus enim titularis id non poteſt :) & ſtatim beneficium ei conferat. 3. quando quis bona fide ordinatur ab alieno Epiſcopo ſine licentia, neſciens id eſſe prohibitum. *ibid.n.6.& ſeq.pag.*341*.tom.*3.

85. Ratihabitio non videtur excuſare ab hac ſuſpenſione, quando ſcilicet Epiſcopus ordinat ſubditum alterius ſub ratihabitione, credens fore vt illius Epiſcopus cognita ordinatione factum approbet: quia in iis quæ ſunt contra iuriſdictionem alterius, non facilè præſumitur ratihabitio; nullus quippe facilè præſumitur cedere iuri ſuo : & ex oppoſita ſententia datur occaſio perturbandi iuriſdictionem. *ibid. numero* 14.

86. Epiſcopus conferens primam tonſuram ſubdito alterius diœceſis abſque licentia proprij Epiſcopi incurrit ſuſpenſionem per annum à collatione tonſuræ clericalis ; & qui ab illo tonſuram accepit, caret priuilegio clericali, neque poteſt beneficium, vel penſionem ſine diſpenſatione Apoſtolica obtinere;perinde enim eſt ac ſi tonſuram non haberet, cum irrita ſit tonſura. *ibid.num.*19.

87. Qui à Summo Pontifice reſcriptum, ſeu priuilegium obtinuit vt poſſit ordines ſuſcipere à quolibet Epiſcopo, poteſt ordinari abſque literis dimiſſoriis, non autem abſque commendatitiis, alioquin ordinans ſuſpenditur à collatione ordinum per annum, & ordinatus incurrit ſuſpenſionem à ſuſceptorum ordinum executione. *ibidem, pag.* 342. *numero* 22. *tom.*3.

88. Literæ dimiſſoriæ obtinendæ ſunt ab Epiſcopo, vel eius Vicario ſpeciale mandatum habente. Capitulum tamen Eccleſiæ Cathedralis poteſt eas concedere in duobus caſibus. 1. quando Sedes Epiſcopalis vltra annum vacauit. 2. quando quis ratione beneficij obtenti, vel obtinendi arctatur ad ſacros ordines ſuſcipiendos ; tunc enim Capitulum poteſt per Vicarium electum Sede vacante, dimiſſorias concedere. *ibid. num.*23.*&* 24.

89. In concedendis literis dimiſſoriis hæc ſunt ſeruanda. 1. legitimum examen,& approbatio. 2. vt in dimiſſoriis addatur cauſa cur proprius Epiſcopus ordines conferre non poſ-

ſit. 3. exprimendi ſunt ordines ad quos ſuſcipiendos dimiſſoriæ conceduntur. 4. exprimendum eſt an concedatur facultas generalis ſuſcipiendi ordines à quocumque Epiſcopo; an verò ſpecialis, ab hoc, aut illo. Porrò literæ dimiſſoriæ non expirant morte concedentis, & conceſſæ à Capitulo, etiam finita Capituli poteſtate valent. *ibid.n.*25.*&* 26.

90. Abſolutio ab hac ſuſpenſione obtineri poteſt ab Epiſcopo. Exercens autem functiones ordinum abſque licentia ſuſceptorum diſpenſari etiam poteſt ab Epiſcopo ob irregularitatem per illud exercitium contractam, modò delictum ſit occultum. *ibid.num.*28.

91. Suſcipiens ordines à proprio Epiſcopo in aliena diœceſi, abſque licentia Epiſcopi illius diœceſis, incurrit ſuſpenſionem ab vſu ordinum ſuſceptorum; quia Epiſcopus in aliena diœceſi non poteſt Pontificalia exercere abſque expreſſa licentia Ordinarij loci. *ibid. punct.*12.*n.*1.

92. Hæc ſuſpenſio non eſt Summo Pontifici reſeruata, ſed poteſt ab Epiſcopo tolli. *ibidem, numero* 5. *pagin.* 343. *tom.* 4.

93. Obſtrictus maiori excommunicatione, ſuſcipiens ordines ſacros incurrit irregularitatem. Suſpenſus autem vel interdictus, minimè: quia iura loquuntur ſolùm de excommunicato. Item qui vno, eodemque die ſuſcipit duos ordines ſacros, vel minores cum aliquo ordine ſacro, contrahit irregularitatem, vel potius ſuſpenſionem, cuius diſpenſatio, ſi delictum eſt publicum, pertinet ad Summum Pontif. ſi occultum, etiam ad Epiſcopum. *tom.* 1. *pagin.* 475. *numero* 1. *& ſequent.*

94. Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, incurrit irregularitatem exercens ſolemniter, vel ex officio, actus maioris ordinis, niſi excuſetur ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis. Item Epiſcopus excommunicatus, vel ſuſpenſus incurrit irregularitatem exercens ordinem Epiſcopalem. In hac autem irregularitate ſolus Papa diſpenſat, quando delictum eſt publicum. *tom.*1. *pag.*475. *n.*1. *& pag.*477. *n.*9 *&* 11.

95. Clericus miniſtrans ſolemniter in ordine ſacro quem non habet, incurrit irregularitatem, ſi ſcienter, & ſeriò, & ex officio miniſtret. Quare clericus qui non eſt ſubdiaconus, canens Epiſtolam ſine manipulo, non incurrit irregularitatem: quia non exercet ſolemniter ſubdiaconatum. Verùm ſi cum manipulo, & dalmatica Epiſtolam canat, non intendens exer-

cere

cere ex officio, sed solùm supplere defectum subdiaconi, non fit irregularis: quia non dicitur propriè exercere ex officio, neque actus sine intentione dicitur completus. In hac autem irregularitate solus Summus Pontifex dispensat, vt scilicet quis possit ad vlteriores ordines promoueri. Episcopus verò potest dispensare vt exerceat ordines susceptos; immò etiam vt alios suscipiat si delictum sit occultum. *ibid. num.* 1. *& seq. & pag.* 478. *num.* 10.

P.

PAPA. PAPATVS.

Papatum ambientes.

1. PAVLVS IV. in Bulla 16. quæ incipit, *Cùm secundùm Apostolum*, confirmat primò censuras, & pœnas latas contra ambientes Papatum, & simoniam ea occasione committentes. Deinde tractantes de eligendo futuro Pontifice, viuente adhuc Pontifice, eóque inconsulto excommunicat, & priuat omnibus dignitatibus, officiis, fructibus, voce actiua, & passiua, & infamiæ notam inurit. Easdem verò pœnas, & censuras extendit ad eos qui consilium, auxilium, & fauorem præstant, nisi quamprimum reuelarint. Denique impugnantes hanc Bullam ipso facto excommunicat, & contra ipsos tanquam contra schismaticos, & hæreticos inquiri mandat. *disput.* 2. *quæst.* 3 *punct.* 1. *pag.* 187. *num.* 1. *tom.* 3.

2. Ambiens Papatum post mortem Pontificis, ligatur excommunicatione Iulij II. in Bulla quæ incipit, *Cùm tam diuino*, quæ recepta fuit à Concilio Lateranensi *sess.* 5. sub Leone X. addita excommunicatione contra simoniacè procurantes post mortem vnius Pontificis, eligi in Pontificem. *ibidem, num.* 4.

3. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata.

De Papæ electione sponsionem facientes.

4. Gregorius XIV. in Bulla, *Cogit nos deprauata*, excom-

municationem imponit ipso facto imponendam facientibus sponsiones super vita, morte, & futura electione Pontificis; aut super promotionibus Cardinalium. Præterea Ecclesiasticas personas huius criminis reas priuat omnibus dignitatibus, beneficiis, & officiis, & ad illa inhabiles reddit. *disp.2. quæst.3. punct.2.pag.188.n.1.tom.3.*

5. Eandem censuram incurrunt omnes publica auctoritate fungentes qui prædictas sponsiones tacitè, vel expressè in locis sibi subiectis fieri permittunt. *ibid.num.4.*

6. Qui auxilium, consensum, fauorem, aut consilium in huiusmodi sponsionibus præstant, vel sunt proxenetæ, & mediatores ad eas faciendas, eiusdem excommunicationis sunt rei. *ibid.num.5.*

7. Is qui pecuniam occasione sponsionum accepit, in articulo mortis validè absolui potest, dummodò intentionem habeat restituendi cùm primum commodè poterit. *ibidem, num.7.*

8. Præcisa prohibitione, huiusmodi sponsiones licitè fieri possunt, & pretium ea occasione acceptum potest retineri: quia sunt de re dubia. *ibid.*

9. Hæc excommunicatio est Pontifici reseruata, excepto mortis articulo, cum præuia restitutione.

Summo Pontifici feudum suadentes.

10. In Bulla 35 quæ incipit, *Admonet nos*, à Pio V. lata est excommunicatio contra eos qui tractant, consulunt, aut verba faciunt de alienandis, aut infeudandis bonis ad Ecclesiam Rom. immediatè pertinentibus. Hæc autem Bulla confirmata fuit à successoribus Pontificibus præsertim à S. D. N. Vrbano VIII. in Bulla quæ incipit *Sacrosancti. Disp.2. quæst.3. punct.41.pag.253.tom.3.*

11. Eidem excommunicationi subiiciuntur proponentes mittendos esse ea de causa ad Sedem Apostolicam oratores, ipsique suscipientes munus Oratoris; necnon insinuantes, vel suadentes Summo Pontifici eiusmodi infeudationem, seu alienationem. *ibid.num.3.*

12. Bona quæ fisco Pontificio addicuntur ob delicta, in hac Pij V. Bulla ampliùs non comprehenduntur ex constitutione Gregorij XIII. in Bulla 65. quæ incipit, *Tanta, támque horrenda.* & ex constit. Sixti V. in Bulla 5. quæ incipit, *Hoc nostri Pontificatus initio.* Item sub hac Pij V. Bulla non comprehen-

prehenduntur per triennium loca quæ Camera Apostolica emit à Baronibus, ex constitut. Clementis VIII. in Bulla 41. quæ incipit, *Iustitiæ ratio.* Igitur qui horum bonorum alienationem, vel infeudationem procurant, ab hac censura eximuntur. *ibid. num.6.*

Papæ electio simoniaca.

13. Iulius II. in Bulla quæ incipit, *Cùm tam diuino,* electionem Papæ simoniacè factam, absolutè, & omnino irritat, grauésque pœnas tam electo, quàm eligentibus imponit; denique statuentes, disponentes, vel facientes, seu attentantes aliquid Sede vacante contra illam constitutionem. *disput. 2. quæst.7.punct.*1.§.1.*pag.*281.*tom.*3.

14. Primum autem, & præcipuum quod cauetur in hac Bulla est, ne electio Papæ fiat cum hæresi simoniaca dando aliquid, promittendo, vel recipiendo per se, vel per alium; crimen autē simoniæ vocatur hæresis, quia qui hoc crimen committit, spiritualia pretio æstimat. Præterea in hac Bulla fit omnibus facultas recedendi ab obedientia Papæ simoniacè electi, & Cardinales possunt brachium sæculare implorare, si per simoniam electus ingesserit se regimini vniuersalis Ecclesiæ. Ad hæc omnes mediatores huiusmodi electionis priuantur ipso facto honoribus, beneficiis, & fiunt tam actiuè, quàm passiuè intestatibiles, ipsorúmque bona fisco addicuntur. Vltimò Cardinales non complices possunt alium eligere, adhibitis etiam Cardinalibus complicibus simoniæ, qui se adiungere voluerint. *ibid. num.*3.

15. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata.

Papæ electio contra formam.

16. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. excommunicationem tulerunt contra Cardinales non seruantes formam in eligendo Summo Pontifice præscriptam à Gregorio, aut præsumentes aliquid facere vel attentare contra ipsam Bullam, quæ incipit, *Æterni Patris.* *ibid.*§.2.*pag.*282.*tom.*3.

17. In hac Bulla sub excommunicatione præcipitur, vt electio non fiat, nisi clauso conclaui, & per secreta suffragia, vel per viam compromissi, vel quasi per inspirationem, alioquin electio sit irrita, &c. *ibid.num.*5.

18. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata.

In

In electione Papæ obſeruanda.

19. In cap. *Vbi periculum, de elect. in 6.* ſtatuitur vt domini, & officiales illius ciuitatis in qua mortuus eſt ſummus Pontif. & in qua electio noui Pontificis eſt facienda, præſtent iuramentum perſonaliter coram clero, & populo, ſe obſeruaturos, & obſeruari facturos ea quæ in præcitato textu habentur, & ſi ea non obſeruauerint, excommunicationem ipſo facto incurrant, ſint perpetuo infames, inhabiles ad dignitates, & officia, feudis, & Eccleſiaſticis bonis priuentur, & ciuitas ſit interdicta, & priuata Epiſcopo. *diſp.2.quæſt.10.punct.1.pag.*311.*num.*1.*tom.*3.

20. Hæc autem in præcitato cap. præſcribuntur circa ſummi Pontif. creationem ſeruanda. 1. vt electio poſt 10. dies ab obitu Pontificis celebretur in ea ciuitate in qua Pontifex cum ſua curia reſidebat; ſin obijt extra ciuitatem, electio fiat in ciuitate in cuius territorio è vita migrauit. 2. vt nullus ad Cardinales in conclaue accedat exceptis ſeruientibus, vel nuncium mittat. 3. vt niſi intra dies ab ingreſſu in conclaue electio fiat, vnum ferculum tantùm detur Cardinalibus per quinque dies, quibus elapſis nihil præter panem, vinum, & aquam accipiant. 4. vt Cardinalis poſt aliorum ingreſſum ſuperueniens nondum facta electione, admittatur in eodem negotio, in illo ſtatu in quo ipſum inuenerit. *ibid.*

PARENTES.

Honor parentibus exhibendus.

1. HOnor parentibus exhibendus hæc quatuor complectitur. 1. reuerentiam. 2. amorem. 3. obedientiam. 4. ſuſtentationem. Parentum autem nomine, quatuor perſonarum genera intelliguntur. 1. Parentes à quibus per generationem, vitam hauſimus, ſeu mediatè vt auus, abauus, &c. ſeu immediatè vt pater, & mater. 2. ſuperiores qui ſalutis noſtræ ſpiritualis curam habent, vt Epiſcopus, Parochus, &c. 3. Imperatores, Reges, & Principes qui temporalia curant. 4. tutores, curatores, & magiſtri. *tom.2.pag.*281.*n.*1.*&* 2.

2. Parentibus debetur reuerentia exterior, & interior. Quamobrem grauiter peccant qui parentes dictis, vel factis ad grauem prouocant iracundiam, aut verbis contumelioſis violant;

violant; qui vel leuiter percutiunt, aut manum ad percutiendum attollunt cum sufficienti deliberatione; qui parentes dedignantur, vel contemnunt, nisi iustam habeant causam auersionis, vt propter hæresim, aut proditionem. *ibid. num.*2. & *pag.*282. *num.*4.

3. Amor quo filij tenentur parentes prosequi, consistit 1. in fuga odij, vt scilicet parentes non oderint. 2. in exhibitione signorum amoris. Hinc sequitur illos grauiter peccare qui graue aliquod malum animæ, vel corporis optant parentibus, v. g. qui cupiunt illis mortem, vt fruantur hæreditate, aut qui toruis oculis illos ferè semper intuentur, & verbis asperis alloquuntur, quamuis fortè ex animo diligant; quia parentibus debetur etiam amor externus. *tom.*2. *pagin.* 282. *num.*2. & 3.

4. Filij tenentur parentibus obedire in iis omnibus in quibus sunt illis subiecti, vt in iis quæ spectant ad mores, ad salutem animæ, ad domesticam gubernationem, &c. In iis autem quæ pertinent ad vitæ statum deligendum, non tenentur filij parentibus morem gerere: quare filius potest inscio, vel inuito patre, statum religiosum assumere, si sciat patrem de hac re monitum, reclamaturum, & impediturum. *ibid. num.*1. & 2.

5. Filij parentibus in necessitate seu spirituali, seu corporali constitutis tenentur subuenire, modò possint. Quare filius qui non curat parentes in mortis articulo muniri Sacramentis, aut impedit ne testamentum condant, vel ne aliquid pauperibus in animæ suæ vtilitatem erogent grauiter peccat. Idem sentiendum de eo qui corporalem parentum necessitatem, aut infirmitatem, non subleuat. *tom.*2. *pag.*283. *numero* 1. & 2.

6. Parentibus in extrema, aut etiam graui necessitate constitutis, tenentur filij ab ingressu religionis abstinere, & egredi è religione etiam post professionem, vt parentes alant: quia præceptum consilio præferendum est; modò tamen constet tantam esse necessitatem cui subuenire teneantur. *ibid. num.*4 & *seq.*

7. Filius in foro conscientiæ non tenetur soluere debita patris quæ vires hæreditatis excedunt, etiamsi inuentarium non confecerit. At si bona filio relicta sufficiant ad satisfaciendum creditoribus, sed illa sint affecta vinculo primogeniorum, filius debet ex fructibus annuis bonorum primogeniorum satisfacere creditoribus, quando debita fuerunt con-

tracta

tracta post institutionem primogeniturae; non verò tenetur satisfacere ex bonis ipsis, quia primogenitus non habet huiusmodi bonorum plenum dominium, sed administrationem, & vsum fructum dum viuit. Sin debita contracta fuerant ante institutionem primogeniturae, satisfaciendum est etiam ex bonis immobilibus; quia pater non potuit eximere bona ab obligatione reali in fraudem creditorum. *ibid.num.*10.

Parentes quid filiis debeant.

8. Parentes tenentur curam gerere filiorum, non in iis modò quae ad corpus, sed in iis maximè quae ad animam spectant. Quare parentes qui non dant operam vt filij addiscant ea quae pertinent ad salutem, vt praecepta Dei, & Ecclesiae seruent, &c. grauiter peccant. Item qui peccati mort. occasiones à filiis non auertunt, vt si filiabus permittant amatores ad malum finem, &c. Item qui filios dum peccant non obiurgant, & cùm opus est non castigant. Item qui filios malo exemplo, aut consilio deprauant, &c. Tenentur etiam parentes filiis alimenta, & filiabus dotem praebere: nisi iustam habeant exhaeredandi causam; neque ab hac parentum cura spurij excluduntur. *tom.*2.*pag.*284.*num.*1. *& seq.*

9. Pater qui filio licet spurio, sine graui causa negligit alimenta praebere, grauiter peccat; nisi sit adeo pauper vt non possit. Mortuo autem patre, hoc onus spectat ad haeredes. Potest etiam clericus, si patrimonium non sufficit, ex beneficij fructibus alimenta, vel dotem filiae spuriae praebere. *ibid. numero* 2.*& pag.*285.*num.eod.*

10. Mater non peccat mortaliter, quae filio alimenta non praebet excepto lacte, nisi pater prae inopia illum alere non possit: haec enim obligatio, ex iuris dispositione, incumbit patri. Tenetur quidem mater, sub pecc. mort. bonam nutricem filio quaerere; non tamen peccat mort. per se loquendo, si per se ipsam non lactet, quamuis commodè possit: quia filius inde non patitur graue damnum. *tom.*2. *pagin.* 285. *numero* 3. *&* 4.

11. Parentes qui sine iusta causa filios hospitali exponunt, mortaliter peccant: videntur enim filios deserere, & contra naturalem pietatem à se abdicare, idque filiis est probrosum, Qui tamen filios rationabilem ob causam ita exponunt, tenentur satisfacere expensis ab hospitali factis in filios alendos, si quidem sunt diuites: domus enim hospitalis non est instituta

instituta ad alendos filios diuitum,sed pauperum. *ibid.n.6.*

12. Pater qui filio non præstitit alimenta, non tenetur ad restitutionem, in foro conscientiæ; modò filius debita non contraxerit vt se ipsum aleret; tunc enim obligandus videtur pater ad persoluendum æs alienum à filio contractum;videtur enim nomine patris contractum, vt pote sustentationis gratia ad quam pater tenetur iure naturali,& diuino. *tom.2.pag.286. numero 12.*

13. Pater tenetur filiæ nubenti dotem constituere, etiamsi filia diues sit, aut monasterium ingredi velit,aut nubat inuito patre,aut etiam indigno : Secùs si filia indigno nubens,sit minor 25. annis, & diues sit,patrisque alimentis non indigeat, tunc enim æquum non videtur vt pater cogatur dotem ei tradere quæ cum tanto familiæ dedecore nupsit. *ibid.num.1.*

14. Pater tenetur filiæ spuriæ dotem tradere, non verò mater;quia dos succedit in locum alimentorum;sed pater iure naturæ,tenetur ad alimenta, etiamsi sit clericus ; ergo tenetur etiam ad dotem. *tom.2.pag.287 n.8.*

15. In his casibus potest filius à patre exhæredari. 1. si parentes percussit. 2. si grauem, & inhonestam illis iniuriam intulit. 3. si patrem in iudicio accusauit, excepto crimine hæresis, & læsæ maiestatis 4. si attentauit mortem patris,etiamsi mors non sequuta fuerit. 5. si cum incantatoribus, & maleficis versetur. 6. si rem habuit cum nouerca, seu patris vxore. 7. si non succurrit patri furioso, aut si requisitus noluit pro parente in carcere detento fideiubere. 8 si filius sit hæreticus. 9. si patrem impediuit ne conficeret testamentum. 10. si parentum bona dilapidauit. 11. si versetur cum arenariis, aut mimis, artémque mimicam profiteatur. 12. si filia minor 25. annis luxuriosam vitam degat. Aduertendum tamen hos casus locum habere tantùm quando filius aliunde habet quo vitam sustentet : pater enim non potest alimentis necessariis filium priuare, cùm iure naturæ filium in necessitate positum alere teneatur, & leges ciuiles iura naturæ non tollant. *ibid. num.1. & pag.288.num.eod.*

16. Filia inuitis parentibus nubens iuxta formam à Conc. Trid. præscriptam, attento iure Canonico,& Cæsareo, exhæredari nequit ; nisi sit minor 25. annis, & parentibus volentibus ipsam nuptui tradere,renuerit,& luxuriosè viuere maluerit. Etiamsi autem semel, atque iterum furtim sui copiam fecerit,non est exhæredanda:quia non censetur propterea vitam luxuriosam elegisse. *ibid.n.3.*

17.Filius,

17. Filius, aut filia quam pater viuens non exhæredauit, non potest ab hæredibus patris, obiecta,& probata exhæredationis causa, exhæredari post mortem patris; fieri enim potest vt pater ingratitudinem filio condonauerit, & cum ipso in gratiam redierit. *tom.2.pag.*289.*n.*8.

18. Filius luxuriosè viuens, aut matrimonium inuitis parentibus contrahens, etiamsi indignam ducat, non potest exhæredari;quia in odiosis non est facienda extensio; iura autem loquuntur tantùm de filiabus. *ibid.n.*9.

19. Non tollitur exhæredatio per reconciliationem, neque per pœnitentiam admissi delicti. Per professionem verò in religione emissam irrita redditur. *ibid.n.*12.

20. Debet maritus vxori amorem, honorem, & obedientiam in iis in quibus est illi subiectus. Quapropter verba infamatoria proferens contra vxorem, aut illam impediens quo minus præcepta Dei,& Ecclesiæ seruet, aut illam grauiter cædens, aut illi alimenta denegans quæ præbere potest, grauiter peccat; modò vxor propria culpa à marito non discesserit, aut is qui dotem promisit, non sit in culpabili mora soluendi. *tom.2 pag.*289 *n.*1.*&* *pag.*290.*n.*2.*&* 3.

21. Quando vxor, parentes, & filij in extrema necessitate sunt constituti, & vir non potest omnibus opem ferre, tenetur potiùs subuenire parentibus, & filiis quàm vxori: nam erga parentes maior est obligatio; cum filiis autem maior est coniunctio, cùm sint aliquid decisum ex substantia patris. *tom.2. pag.*290.*num.*10.

22. Vxor vicissim viro debet amorem, honorem, & obedientiam in iis in quibus subiecta est viro: vir enim est caput mulieris. Hinc fit vt vxor grauiter peccet, quando inuito marito, ius gubernandæ domus sibi arrogat, aut maritum ad grauem iram, & ad blasphemiam prouocat, aut dùm aliò migrantem sequi recusat, aut dum inopem ipsa diues alere non vult, &c. *tom.2.pag.*291.*num.*11.*&* 12.

23. Vxor aut filij non tenentur soluere debita quæ vir, seu pater contraxit ad vxorem, & filios alendos; nisi pater illa contraxerit nomine ipsorum, aut nisi vxor, seu filij acceperint alimenta in fraudem creditorum. *ibid.num.*13.

24. Domini, alijque superiores tenentur sibi subditorum curam gerere, peccantque grauiter dum non curant vt serui à peccatis abstineant, confiteantur, communicent tempore ab Ecclesia præscripto, doctrinam christianam addiscant, ieiunent dùm cōmodè possunt,diebus festis Missam audiant,&c. vel

vel dùm sunt in causa cur iis diebus seruiliter laborent. *tom.2.pag.293.num.1.& seq.*

25. Domini grauiter peccant, dùm famulos grauibus afficiunt contumeliis, aut iis alimenta denegant. Non tamen peccant si ægros ad hospitalem domum mittant, ad magnos sumptus vitandosqui in ipsis curandis essent faciendi. *ibid. num.6.& 7.*

26. Clerici subditi possunt à suo superiore moderatè percuti, & castigari. Immò pater non incurrit excommunicationem, quando filium clericum, ob peccatum commissum moderatè cædit. *tom.2.pag.294.num 9.&* 10.

27. Parochi munus & officium est. 1. in sua parœcia residere. 2. Sacramenta administrare. 3. orare pro ouibus sibi commissis, & Missæ sacrificium illis applicare. 4. docere populum, & fidei christianæ dogmata per se, vel per alium tradere. 5. infirmos frequenter inuisere. 6. pauperum curam gerere. Sin huic muneri desint, grauiter peccant. *tom. 2. pagin.* 293. *num.*4.

28. Episcopi partes sunt. 1. residere in sua diœcesi. 2. administrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis. 3. conciones ad populum habere per se, & non per alium, nisi legitimè impediatur. 4. synodum diœcesanam singulis annis, & prouincialem, si est Archiepiscopus, quolibet triennio conuocare. 5. singulis annis suam diœcesim obire. 6. curare vt testamenta executioni mandentur. 7. bonum exemplum præbere. *ibid. num.*5.

29. Subditi suis superioribus, famuli dominis etiam improbis, amorem, reuerentiam, & obedientiam in iis quæ sui sunt muneris, præstare debent. Peccant autem grauiter famuli dùm in rebus magni momenti, dominis non obtemperant, aut graue illis damnum inferunt, aut non impediunt cùm possunt ne Domini damnum patiantur. Non tenentur tamen vitam dominorum cum propriæ vitæ periculo defendere, nisi sint specialiter ad hoc conducti. *tom.2.pag.294.n.13.& seq.*

PECCATVM.

Peccatum Originale.

1. PEccatum originale, quod in ipsa origine, seu conceptione contrahitur, est priuatio iustitiæ, & sanctitatis quæ singulis hominibus debuit inesse ex pacto facto à Deo cum

Adamo. Hinc fit vt peccatum originale sit mors animæ, cuius vita est gratia, & sanctitas. Vnde patet peccatum originale non esse concupiscentiam; quia per Baptismum tollitur peccatum orig. concupiscentia autem manet post Baptismum. Dicitur tamen à D. Paulo concupiscentia peccatum, quia est radix, & causa peccati. *tom.2.pag.96.num 4.& pag.97. numero 7.*

2. Peccato originali inest vera ratio peccati: est enim voluntarium, non quidem voluntate propria, sed aliena, quatenus voluntas posterorum continebatur in voluntate Adami, cum quo Deus iniit pactum vt si vetitum fructum comederet, iustitiam in posteros non transmitteret. Huic autem pacto censentur posteri consensisse cum Adamo, ac proinde in Adamo peccasse. *tom.2.pag.97.num.10.& 11.*

3. Omnes mortales seu fidelium, seu infidelium filij peccatum originale contrahunt, nisi quis speciali priuilegio eximatur, vt B. Virgo, quæ licèt debitum habuerit contrahendi peccatum orig. quatenus etiam ipsa peccauit in Adamo, re tamen ipsa peccatum orig. non contraxit, sed in ipso suæ conceptionis instanti sancta fuit: vt de ea verè dici potuerit Cantic. 5. *Tota pulchra es, Amica mea, & macula non est in te*: sic enim illam decebat quæ futura erat mater Dei. *ibid.numero 1. & seq.*

4. Singuli suum contrahunt peccatum orig. ex peccato Adami per seminalem generationem: neque enim traducitur à proximis parentibus; sed ab Adamo transmittitur in nos quatenus ab ipso descendimus per lineam virilem. Quare si quis à Deo crearetur, aut ex humana carne decerperetur absque seminali generatione, non contraheret peccatum origin. Hinc Christus peccati orig. expers fuit; quia non traxit originem ab Adamo per lineam virilem, & seminalem generationem. *tom.2.pag 98.num.4. & seq.*

5. Pueri cum solo peccato orig. decedentes subeunt pœnam damni, neque beatifica Dei visione frui possunt, cum sint filij iræ, & Dei inimici. Hinc collige quàm grauiter peccent qui pueros sine Baptismo decedere patiuntur, aut qui abortum fœtus animati procurant. Pueri tamen cum solo peccato orig. decedentes, pœnâ sensus torquendi non sunt; hæc enim pœna debetur soli peccato actuali. *ibid.num.2.& pag.99.numero 3.4.& 7.*

Peccatum actuale, & habituale.

6. Peccatum actuale à posteriori definitur, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Vel definitur peccatum præsertim mortale, *auersio à Deo, & conuersio ad creaturam.* A priori verò potest definiri, *priuatio debita rectitudinis.* Nam in omni peccato, duo sunt; materiale, & formale; *materiale*, est ipse actus, v.g. actus detractionis; *formale*, est priuatio bonitatis, seu rectitudinis quæ debetur illi actui: qui enim vult loqui de factis, & rebus alienis, loqui debet absque læsione famæ; & sic de reliquis. *tom.2.pag.99. num.1. & pag.100.num.5.6.& 12.*

7. Peccatum habituale est quædam labes, seu macula relicta ex peccato actuali. Hæc autem macula in duobus consistit. 1. in malitia actus præteriti, moraliter perseuerante, per modum habitus, seu, vt loquuntur Theologi, in extrinseca denominatione ab actu præterito nondum per pœnitentiam retractato, vnde homo denominatur peccator. 2. in priuatione gratiæ habitualis quæ est pulchritudo, & nitor animæ *tom.2.pag.101.n.1.& 2.*

8. Ad peccatum mortale requiritur plena, & expressa aduertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, aut saltem scrupulus, seu dubium expressum. Nisi enim quis aduertat opus quod facit esse malum, vel habere adnexum periculum mali, aut nisi formaliter dubitet, censetur laborare inaduertentia inuincibili, & inculpabili, quæ non minus excusat à peccato quàm ignorantia inuincibilis; quia vbi est huiusmodi inaduertentia, ibi non est voluntarium. Sic excusatur à peccato, qui in die ieiunij carnes comedit, nihil cogitans de ieiunio. Item motus sensualitatis qui rationem anteuertunt, etiamsi diu durent, nullo modo sunt peccata, propter inaduertentiam inculpabilem. *tom.2.pag.102.n.3.& seq.*

9. Ad peccatum requiritur consensus saltem virtualis: quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium. In dubio autem an habuerimus consensum sufficientem ad peccatum mortale, hæ tres regulæ præscribuntur. 1. si homo ita se cognoscat affectum vt nollet peccatum committere, si maximè posset, vt plurimum iudicandum est non adfuisse consensum sufficientem ad peccatum mortale. 2. si dubitans sit conscientiæ adeo timoratæ, vt peccatis dissentire soleat, vt plurimum iudicandum est non habuisse plenam aduertentiam, & consen-

ſum, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiſerit. 3. cum quis dubitat an aliquid fecerit, ſeu voluerit in ſomno, an in vigilia, ſeu dum eſſet ſui compos, non leue indicium eſt non adfuiſſe plenam aduertentiam, & conſenſum. *ibid. n.* 15 *& pag.* 103. *n.* 19.

10. Nullus datur actus in indiuiduo deliberatus, qui ſit indifferens, ſed quilibet bonus eſt, aut malus. Dantur tamen aliqui actus qui ſecundùm ſpeciem, nec boni ſint, nec mali, vt actus fricandi barbam, comedendi, &c. eiuſmodi enim actus neque ſunt boni ex obiecto, neque prohibiti, ſed indifferentes. *tom.* 2. *pag.* 103. *num.* 1. *&* 6.

11. Malitia peccati, & iniuria, ac offenſa Dei quæ in peccato reperitur, non eſt intrinſecè infinita: tanta eſt enim malitia peccati, & offenſa Dei, quanta eſt bonitas debita actui; ſed bonitas debita actui non eſt infinita, ergo neque malitia, ſeu Dei offenſa. Iniuria quidem Deo irrogata, grauior eſt, quàm iniuria hominibus facta; non tamen eſt infinita, alioquin etiam iniuria quæ Deo irrogatur per peccatum veniale, eſſet infinita. *ibid. n.* 1. *& pag.* 104. *num. eod.*

Peccatum mortale, & veniale.

12. Peccatum actuale aliud eſt *mortale*, quod mortem animæ ſpiritualem infert; aliud *veniale*, quod facile veniam meretur, redditque hominem dignum pœna ſolùm temporali. Eſt autem triplex veniale, 1. dicitur veniale *ex ſuo genere*, quod ex ſua natura, & obiecto circa quod verſatur, eſt leue, vt verbum otioſum, mendacium iocoſum, &c. 2. dicitur veniale *ex imperfectione deliberationis, & aduertentiæ*, vt percuſſio ex ſubita ira. 3. dicitur veniale *ex leuitate materiæ*, vt furtum quinque aſſium, factum diuiti: non tamen in qualibet materia datur paruitas rei, ſeu materiæ, excuſans à peccato mortali, vt in materia ſimoniæ, odij Dei, iuramenti falſi, &c. *tom* 2. *pag.* 104. *num.* 1. *& pag.* 105. *n.* 1. *& ſeq.*

13. Peccatum veniale, fieri poteſt mortale. 1. ratione finis mortaliter mali, vt ſi mulier ſuo comptu, ſeu ornatu intendat aliquem ad libidinem pertrahere. 2. ratione plenæ aduertentiæ 3. ratione contemptus, aut inobedientiæ. 4. ratione proximi periculi incidendi in peccatum mortale. 5. ratione conſcientiæ erroneæ. 6. ratione ſcandali. 7. per additionem materiæ. *tom.* 2. *pag.* 107. *n.* 2. *& ſeq. & pag.* 108. *n.* 17. *& ſeq.*

14. Multa

14. Multa peccata venialia, per se, & formaliter loquendo, non efficiunt vnum peccatum mortale. Quia multa venialia non priuant hominem gratia Dei. Verum quidem est, eum qui per leuia furta peruenit ad quantitatem notabilem, peccare mortaliter, non quod plura furta venialia efficiant vnum mortale; sed quia vltimus furandi actus versatur circa materiam quæ continuata cum præcedentibus sufficit ad peccatum mortale. *tom.2 pag.*108.*num.*22.

15. Quotiescumque materia vltimi peccati venialis continuari potest cum materia præcedentium, vltimum in quo notabilis materia completur, est mortale, quod alioqnin esset veniale. Quando vero materia vltimi peccati venialis non potest moraliter continuari cum materia præcedentium, vltimum non est mortale, quia singulæ materiæ sunt paruæ, & manent diuisæ absque coniunctione morali. *tom.* 2. *pag.* 109. *num* 23.

Quomodo peccata inter se distinguantur.

16. Hæ circumstantiæ peccatum aggrauant. 1. maior affectus, vel conatus ad peccatum. 2. maior scientia, & cognitio peccati. 3. conditio personæ peccantis, vel in quam peccatur. 4. maius damnum quod infertur. 5. peior finis qui intenditur à peccante. 6. scandalum adiunctum. 7. locus, tempus, modus, &c. *tom.*2.*pag.*110.*num.*6. *& seq.*

17. Non sunt tot numero peccata quot sunt obiecta circa quæ vnus & idem actus eodem tempore versatur: plura enim obiecta eiusdem rationis, vicem vnius gerunt. Quare proferens vnam blasphemiam in duodecim Apostolos, non dicitur committere 12. peccata; detrahens de pluribus vno actu, vnius tantum peccati detractionis est reus: hæc tamen circumstantia est in confessione aperienda: quia constituit actum in suo indiuiduali. *tom.*2.*pag.*111.*num.*1.*&* 2.

18. Tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti. Censentur autem moraliter interrumpi, quando idem, nec formaliter, nec virtualiter perseuerat; sic actus odij quod Titius heri commisit, est distinctum odium ab eo, quod hodie committit. At qui proficiscitur ad furandum, vel occidendum, & in via voluntatem furandi, aut occidendi sæpius repetit, non dicitur plura peccata committere: tales enim actus non censentur interrupti. *ibid.num.*5. *& pag.* 112. *num.*6.

19. Peccata distinguuntur specie per ordinem ad diuersas specie perfectiones quibus priuant: quia priuatio specificatur à forma cuius est priuatio. Non distinguuntur autem per ordinē ad diuersa præcepta quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodem motiuo: alioquin desiderium rei alienæ & furtum rei alienæ essent peccata specie diuersa cùm distinctis pręceptis præcipiantur, alterū quidem septimo, alterum verò decimo decalogi præcepto. Si verò peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diuersis motiuis, specie distinguuntur, quia diuersis virtutibus & perfectionibus opponuntur; sic Sacerdos in actum venereum consentiens duo saltem peccata committit: actus enim venereus prohibitus est Sacerdoti diuersis præceptis, ex diuerso motiuo conditis, ex motiuo scilicet castitatis, & ex motiuo religionis, ad quam spectat votum quod per actum venereum violatur. At qui v. g. non ieiunat eo die Quadragesimæ in quem incidunt quatuor tempora, duo peccata non committit, quia duo illa præcepta ex eodem motiuo temperantiæ ieiunium indicunt. *tom.* 2. *pagin.* 117. *numero* 1. 5. *& seq.*

20. Qui facit aliquid prohibitum duplici præcepto, vno simplici, altero habente adiunctam excommunicationem, non ideo duo peccata committit, modò illa duo præcepta lata sint ex eodem motiuo; quia excommunicatio, per se loquendo, nouam specie malitiam peccato non addit. Peccatum tamen quod alioquin fuisset veniale, ratione excommunicationis adiunctæ fit mortale, non vi excommunicationis, sed vi præcepti prohibentis sub excommunicatione. *tom.* 2. *pag.* 118. *numero* 14.

21. Peccatum omissionis, differt specie à peccato commissionis, secundùm rationem materialem, & formalem: quia peccatum omissionis non tantùm est priuatio debitæ rectitudinis, sed etiam substantiæ actus cui debetur rectitudo: peccatum verò commissionis est tantùm priuatio rectitudinis quæ debetur actui; & præterea priuat perfectionibus specie diuersis. Porrò peccatum commissionis, cæteris paribus grauius est est peccato omissionis. *ibid. num.* 1. *&* 2.

22. Peccatum omissionis committitur eo tempore quo implendum est præceptum; quia omissio actus non est culpabilis nisi eo tempore quo vrget præceptum. Si tamen omissio contingat eo tempore quo deest libertas, vel vsus rationis, illa omissio imputatur ad culpam quando voluntariè datur causa illi omissioni, non verò quando contingit ipsa omissio. Quare qui

qui se dat somno, præuidens fore vt propter somnum non audiat sacrum in die festo, tunc peccat quando voluntariè dat causam illi omissioni. Item qui proijcit breuiarium in mare ne possit diuinum officium persoluere tempore nauigationis, non peccat quando non persoluit; quia iam non potest; sed tunc peccauit quando sua culpa factus est impotens ad persoluendum; quia tunc dedit causam omissioni. Idem dicendum de peccato commissionis: si enim contingat eo tempore quo non est in potestate seu libertate hominis, illud vitare, tunc imputatur ad culpam quando data ei fuit voluntariè causa; vt homicidium in ebrietate. *tom.2 pag.*119.*numero* 4. *& seq.*

23. Actiones quæ sunt causa omissionis, sunt malæ, & peccaminosæ: sunt enim causa peccati. Sic ludus propter quem quis omittit sacrum, malus est, & imputatur ad culpam. Immò actiones etiam ex natura sua bonæ, fiunt malæ, si sint causa omissionis præcepti, nisi fiant ex necessitate. Sic qui sacrum omittit vt domi studeat, seu etiam rosarium recitet, peccat studendo, & rosarium recitando. Actiones tamen quæ fuerunt causa omissionis, non sunt necessariò in confessione aperiendæ, nisi malitiam habeant distinctam à peccato omissionis. *tom.2.pag.*120.*n.*13.*&* 14.*& pag.*121.*num.* 17.*&* 27.

24. Peccata quæ complentur in corde, ac voluntate, differunt specie à peccatis, quæ perficiuntur ac consummantur in ore, aut opere: sunt enim priuationes perfectionum specie diuersarum; cùm alia sit perfectio qua priuat odium, alia qua priuat conuicium, alia qua priuat homicidium. Tamen peccata cordis, & oris si spectentur vt sunt origo, & principium, seu dispositio ad peccatum operis, specie non differunt; eidem enim virtuti opponuntur; sic voluntas, seu propositum furandi est eiusdem speciei cum furto. *tom.2.pag.*122.*num.*2. *& seq.*

Peccatum contra conscientiam.

25. Conscientia licet erronea, obligat ad faciendum id quod ipsa dictat per modum præcepti, & non tantùm consilij: quia qui non facit quod conscientia dictat, censetur facere cōtra rationem dictātem illud esse faciendum. Item qui facit aliquid quod non est peccatum, putans ex conscientia erronea esse peccatū, peccat, nisi conscientiam erroneam deponat, & credat illud quod facit, hìc & nunc non esse peccatum. Quia alioquin

videtur contemnere legem, ac voluntatem Dei. *tom.2.pag.123 num.*8.*&* 13.

26. Qui facit aliquid contra conſcientiam erroneam,falsò credens eſſe peccatum, committit peccatum illius ſpeciei quam conſcientia apprehendit:quia habet affectum ad peccatum talis ſpeciei:Sic qui expuit in terram, credens ſe committere peccatum ſacrilegij,& irreuerentiæ, committit peccatum ſacrilegij, ſi re ipſa expuat in terram,antequam conſcientiam erroneam deponat. *tom.2.pag.*124.*n.*18.*&* 19.

27. Faciens aliquid cum conſcientia practicè dubia (id eſt, cum dubio an hìc, & nunc opus ſit illicitum necne) peccat, peccato ſcilicet eiuſdem rationis, & ſpeciei cuius eſt peccatum de quo dubitat: qui enim operatur cum dubio,exponit ſe periculo peccandi. Sic qui dubitat an is quem vult percutere ſit Sacerdos, illumque percutit nondum depoſito dubio, peccat,non ſolum contra iuſtitiam, ſed etiam contra reuerentiam Eccleſiaſticis debitam, conſequenter tenetur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire, etiamſi forte is qui percuſſus eſt, Eccleſiaſtico priuilegio non gaudeat. Qui verò aliquid facit, non practicè, ſed ſpeculatiuè tantùm dubitans an ſit malum, non peccat; quia prudenter operatur, cùm ex iuſta cauſa dubium deponat. Sic qui dubitat an liceat capere rem alienam, ſi hìc & nunc credat hoc ſibi licere propter extremam neceſſitatem, excuſatur à peccato furti, quia practicè non dubitat. *tom* 2.*pag.*125.*n.*3 *&* 4.*& pag.*126.*n* 9.

28. Vt conſcientia dubia practicè deponatur, & vincatur dubium ſpeculatiuum, duo requiruntur. 1. debita diligentia in rei veritate inquirenda. 2. iuſta aliqua cauſa mutandi iudicium, ſeu deponendi practicè dubium ſpeculatiuum, cuiuſmodi cauſa eſt conſilium bonorum, & doctorum virorum. Iuſta autem cauſa faciendi contra iudicium ſpeculatiuum, eſt poſſeſſio quæ facit vt in dubio iudicandum ſit in fauorem poſſidentis, iuxta illud vulgatum; *Melior eſt conditio poſſidentis. tom.2.pag.*126.*n.*12.*&* 13.

29. Licet ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, modo non immineat aliquod periculum, ad quod vitandum,prudentia, vel iuſtitia, vel charitas dictet oppoſitam ſententiam eſſe eligendam. Immò licet ſequi opinionem aliorum probabilem, omiſſa propria probabiliori; neque enim qui hoc facit, operatur contra conſcientiam, modò putet alienam opinionem, quam ſequitur, eſſe probabilem. Immò confeſſarius poteſt accommodare ſe opinioni pœnitentis proba

probabili, quamuis ipſe contrariam ſuſtineat, aut etiam putet ſententiam pœnitentis eſſe falſam, modò tamen ſciat illam tanquam probabilem à peritis Doctoribus admitti. Poteſt etiam iudex in ferenda ſententia, ex duabus opinionibus probabilibus, ſequi vtram maluerit; immò poteſt, ſecluſo ſcandalo, modò iuxta vnam, modo iuxta aliam iudicare: ſatis enim prudenter agit dum ſequitur opinionem quam ipſe ſcit eſſe probabilem Si tamen altera ſit probabilior, tenetur illam ſequi: alioquin videretur acceptor perſonarum, cùm debeat ex officio, ſuum cuique ius tribuere, iuxta merita cauſæ; videtur autem eſſe maius meritum illius cauſæ quæ nititur opinione probabiliori. *tom.* 2. *pag.* 129 *num.* 4. *&* *ſeq.* *&* *pag.* 130. *num.* 13.

30. In adminiſtrandis Sacramentis non licet opinioni probabili adhærere, relicta probabiliori, & tutiori, quando eſt in poteſtate miniſtri, tutiorem, & probabiliorem ſequi: quia exponeret ſe periculo faciendi Sacramentum irritum, neque conſuleret ſaluti, aut vtilitati ſuſcipientis. *tom.* 2. *pag.* 131. *num.* 18. *&* 19.

31. Medicus qui adhibet medicamentum infirmo, ad virtutem illius medicamenti experiendam, grauiter peccat contra iuſtitiam, quando nulla ſuppetit opinio probabilis de illo medicamento, & ex alia parte medicus habet ad manum remedia probabiliter profutura. Quia vitam, & ſalutem infirmi exponit periculo ſine iuſta cauſa, cùm remedia probabilia omittat, vt adhibeat incerta. *tom.* 2. *pag.* 132. *n.* 25.

Peccati effectus.

32. Primus peccati effectus eſt macula quam infert peccatum actuale, & in qua conſiſtit peccatum habituale. Secundus eſt reatus pœnæ ſeu æternæ, ſeu temporalis; ſeu damni, ſeu ſenſus. Tertius eſt diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas, acquiſito per peccatum habitu vitioſo, faciliùs mouetur ad malum, ad quod habitus vitioſus inclinat. *tom.* 2. *pag.* 134. *n.* 1.

33. Peccatum per ſe, & formaliter conſideratum, quatenus dicit culpam, non poteſt eſſe pœna alterius peccati, ita vt Deus velit hominem ob culpam præcedentem prolabi in aliud peccatum: quia peccatum non poteſt à Deo intendi, cùm Deus odio habeat impium, & impietatem eius. Si verò peccatum ſpectetur ſecundùm ipſius accidentia, vt ratione infamiæ, vel

tristitiæ, vel subtractionis gratiæ, &c. vnum peccatum potest esse pœna alterius. *ibid.num.2.*

Causæ excusantes à peccato.

34. Causæ à peccato excusantes, sunt hæ. 1. dispensatio validè obtenta. 2. impotentia physica, aut moralis. 3. vis aut metus, seu proximum periculum grauis damni. 4. ignorantia inuincibilis. *ibid.*

35. Impotentia præceptum adimplendi excusat à peccato. Qui tamen commodè non potest præceptum adimplere, tenetur adimplere partem quam nouit se posse adimplere, modò sit pars notabilis, & censeatur intenta à superiore. Sic qui non potest totum diuinum officium recitare, tenetur saltem ad eam partem, quam commodè potest persoluere. Qui non potest integro Missæ sacrificio interesse, tenetur eam partem audire quam commodè potest. Qui non potest tota Quadragesima ieiunare, tenetur iis saltem diebus quibus commoda vtitur valetudine, &c. *tom.2.pagina* 135. *numero* 2. *& seq.*

36. Qui aliquod impedimentum apponit quod per se, & proximè impedit adimpletionem præcepti, quódque commodè præcaueri poterat, reus est peccati. Præceptum enim quod obligat ad finem, obligat etiam ad media quæ per se ordinata sunt ad talem finem. Sic qui nauigaturus proiicit Breuiarium in mare, peccat mortaliter. Ille verò excusari potest qui laboriosæ venationi dat operam, præuidens fore vt ob nimiam corporis defatigationem ieiunare non possit: nam venatio videtur causa per accidens frangendi ieiunij, cùm non sit incompossibilis cum ieiunio: idem dicendum de peregrinatione; quia Ecclesia dum præcipit ieiunium, non obligat ad abstinendum à peregrinatione, multique inter peregrinandum ieiunant. *tom.2.pag.*136.*num.*10.11.15.*&* 16.

37. Vis absoluta per quam homo omnino inuitus cogitur facere aliquid prohibitum, excusat à peccato: quia nullum est peccatum nisi voluntarium. Item metus, seu probabile periculum grauis damni, regulariter loquendo, excusat à transgressione legis humanæ, & consequenter à peccato: quia lex humana non obligat strictiùs quàm lex naturalis, aut diuina: multæ autem leges naturales, & diuinæ, non obligant sub mortali in periculo grauis damni, vt patet in confessione, quæ licet iure diuino præmittenda sit ante sumptionem Euchari-

stiæ;

ſtiæ ; non tamen obligat ſimpliciter in omnibus caſibus : ergo metus, aut periculum grauis domini excuſat à tranſgreſſione legis humanæ,& conſequenter à peccato .*tom.2.pag.*137. *num.*2. *&* 3.

38. Carthuſianus, aut etiam alius, voto, vel lege abſtinentiæ à carnibus obſtrictus, poteſt , immò tenetur (nonobſtante voto, vel lege) carnibus veſci , ſi non habeat alios cibos , & euidenter conſtet carnes illi neceſſarias eſſe ad tuendam vitam: quia neque lex, neque votum obligat cum tanto incommodo, & in voto abſtinendi à carnibus ſubintelligitur hæc conditio, niſi carnium eſus fuerit vitæ neceſſarius. Licet etiam in extrema neceſſitate, idolothytis, ſeu cibis idolo immolatis veſbi, modò adſtantes intelligant id fieri ad tuendam vitam, non autem ad profitendam falſam Deorum religionem. *tom.2.pag.* 138.*num.*16. *&* 18.

39. Ignorantia inuincibilis tam iuris , quàm facti,excuſat à peccato,conſequenter etiam à pœna : quia cum hac ignorantia non ſtat voluntarium ; omne enim voluntarium ſupponit cognitionem. Ignorantia verò inuincibilis pœnæ,non excuſat à peccato : quia non tollit voluntarium , neque aduertentiam ſufficientem ad legem,& prohibitionem. *tom.2.pag.*139.*n.*12. *& pag.*141.*n.*33.

40. Ignorantia comitans excuſat actionem externam à peccato. Quare ſi quis proiiciat telum in inimicum , inuincibiliter putans eſſe feram ; ita tamen ſit affectus,vt ſi ſciret eſſe inimicum,ſagittam ſeu telum adhuc emitteret, non eſt actualis homicidij reus : quia illa actio externa emiſſionis teli non fuit cauſata ab affectu,& voluntate occidendi inimicum,ſed à voluntate occidendi feram ; ergo licet prauus affectus erga inimicum , ſit malus ; tamen actio illa externa non eſt mala malitia homicidij , cum non profecta fuerit à voluntate occidendi inimicum. At ſi quis iaciat telum aut diſplodat ſclopum intentione occidendi quidquid occurrerit , ſi hominem occidat, etiamſi putaret eſſe feram , homicidium committit ; quia illa actio externa eſt ſufficienter voluntaria , ideoque ad culpam meritò imputatur. *tom.2.pag.*141.*n.*34.*&* 35.

Pignus. Hypotheca.

1. PIgnus accipi poteſt vel pro re ipſa quæ datur pignori in ſecuritatem , vel pro contractu quo res creditori traditur ad ſecuritatem crediti. Propriè loquendo differt ab *hypotheca* ; nam *pignus* eſt de re mobili ; *hypotheca* de re immobili, quæ

quæ obligatur creditori, sed remanet apud debitorem. Vt si quis Caio creditori tradat torquem aureum pro securitate crediti, dicitur inire contractum pignoris. Sin pro securitate crediti securum faciat Caium super fundo, dicitur inire contractum hypothecæ, quia obligat Caio rem immobilem, quæ celebrato contractu, adhuc remanet apud debitorem, *tom.2. pag.591.num.1.& seq.*

2. Quidquid datur pignori; debet subesse liberæ dantis dispositioni. Hinc pupillus non potest absque decreto iudicis, rem suam oppignerare. Item Prælatus non potest res Ecclesiæ, pignori, seu speciali hypothecæ subiicere; in contractibus tamen à iure permissis, potest generaliter bona Ecclesiæ obligare, absque illorum traditione, quia hæc obligatio apponitur ad roborandum priorem contractum, de cuius euictione tenetur Ecclesia, vt supponimus. *tom.2.pag.592.n.3. & 4.*

3. Ea tradi non possunt pignori, quæ nequeunt vendi. Vnde res sacræ, seclusa necessitate, dari non possunt in pignus. Item res publicæ, vt viæ, plateæ, & alia publicis vsibus inseruientia, non possunt subiici hypothecæ. *ibid.num.5.*

4. Quando res aliqua datur pignori, vel hypothecæ, fructus illius iam sati, & concepti tempore contractus censentur etiam dati in pignus. Idem dicendum de fructibus pendentibus illius rei quam quis alteri oppignerauit: huiusmodi enim fructus, à re ipsa non distinguuntur. *ibid.num.6.*

5. Quando res subiecta hypothecæ melior redditur, & augmentum accipit, vt quando ager incultus conuertitur in vineam, aut quando in eo palatium ædificatur, solum ipsum, cum augmento manet subiectum hypothecæ; quia accessorium sequitur principale. Verùm si augmentum factum sit industria, & expensis tertij, non tenetur tertius possessor rem illam tradere, vt inde soluatur debitum, nisi prius soluatur sibi id quod expendit *ibid.n.7.*

6. Non potest eadem res pluribus tradi in hypothecam, nisi res illa sufficiens sit ad satisfaciendum omnibus, aut nisi posteriores admoneantur de priori hypotheca: res enim ideo subiicitur hypothecæ, vt si debitor non soluat, creditoribus satisfiat ex re hypothecata. *tom.2.pag.593.n.8.*

7. Creditor non potest vti pignore accepto, cum damno debitoris sine ipsius consensu, saltem tacito. At sine damno, non videtur illicitum vti pignore. Sic creditor vti potest equo sibi tradito in pignus ne torpeat otio. Debet tamen creditor in sortem computare valorem illius vsus; alioquin vsuram

committ

committeret: quia ob concessam dilationem, acciperet aliquid supra sortem. Quare qui accipit agrum incultum in pignus, si eum colat, debet computare fructus in sortem, detractis expensis, & laboribus, nisi dominus agri illos condonet. *ibid. numero* 10.

8. Si inter creditorem, & debitorem nihil actum est de vendendo pignore, creditor non potest illud vendere, nisi præmissa vna denunciatione, seu monitione, & elapsis duobus annis. At si elapso biennio creditor non inueniat qui emat pignus, debet iudicem adire, & denunciare debitori, quo non comparente, habebit ius petendi à iudice, vt possit sibi pignus retinere. Sin conuentum est inter creditorem, & debitorem vt pignus non vendatur, potest nihilominus vendi post trinam admonitionem; hæc enim est natura pignoris vt vendi possit, & conuentio non vendendi pignus, sic explicanda est, ne liceat illud vendere absque trina admonitione quam ius exigit. Porrò si pignus vendatur maiori pretio quàm sit creditum, residuum reddendum est debitori. *tom.2 pag.* 594.*n.*12.

Pirata.

1. PIratæ, cursarij, ac latrunculi maritimi incurrunt 3. excommunicationem Bullæ Cœnæ Summo Pontifici reseruatam. Dicuntur autem piratæ ij qui quasi ex officio, bello non indicto, nauticum latrocinium exercent, & prædas agunt præcipuè in mari: nam qui in lacu aut fluminibus solùm prædantur, non censentur piratæ, neque ligantur excommunicatione Bullæ; quanquam huiusmodi prædones fluuiales puniuntur etiam pœna excommunicationis comminatoria in *cap.* 3. de raptoribus. *disp.*1. *quæst.*4. *punct.* 1. *num.* 1. 9. *pag.* 17.18. *tom.* 3.

2. Qui mare discurrunt eo solùm fine vt infideles spolient, & deprædentur, non sunt obnoxij huic pœnæ iuxta probabiliorem sententiam: quia voluit Summus Pontifex consulere indemnitati Christianorum mare Sedis Apostolicæ nauigantium. Si tamen infideles aduehant merces ad portum, & terras Christianorum habentes saluum conductum, Christiani eos spoliantes videntur subiacere excommunicationi; quia hæc deprædatio vergit in damnum, & iniuriam Principum qui securitatis fidem dederunt. *ibid.n.*10.11. *pag.*18.*tom.*3.

3. Christiani qui spoliant naues infidelium aduehentium merces fidelium in ipsorum vtilitatem, & commodum, subiacent

cent excommunicationi, quia piraticam exercent potius contra fideles, quàm contra infideles. Si verò infideles abducant merces quas Christianis eripuerunt, Bullæ censuram non incurrunt Christiani illos spoliantes; tum quia deprædantur infideles, tum quia nihil faciunt contra voluntatem dominorum qui malunt sua bona à fidelibus quàm ab infidelibus possideri. *ibid.n.*12.*pag.*18.*tom.*3.

4. Qui nauim Christianorum, mercibus infidelium onustam inuadunt, & diripiunt, si nullum fidelibus damnum inferant, vt si merces tantummodò infidelium abducant, relicta fidelibus naui, aliisque ipsorum mercibus, censuram ob eiusmodi spoliationem non incurrunt, quia maritimum latrocinium contra fideles non exercent; modò nauis assecurata non sit à fidelibus, tunc enim damnum fidelibus inferretur. *ibid. num.*13.*pag.*18.*tom.*3.

5. Pirata fidelis spolians alterum piratam item fidelem, si mare discurrit animo spoliandi tantùm piratas, non incurrit excommunicationem; quia licet piratas occidere. Si verò discurrit mare Pontificium animo spoliandi obuios quoscumque nullo discrimine, incidit in excommunicationem, quia exercet actionem in Bulla vetitam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *ibid.n.*14 *pag.*18.*tom.*3.

Piratarum fautores.

6. Receptatores, fautores, & defensores piratarum, aliorúmque maritimorum latrunculorum eadem excommunicationis pœna mulctantur, non tamen antequam illi quibus auxilium præstiterunt, ingressi sint mare, & cœperint piraticam exercere: Quia causa accessoria non ligatur censura nondum adimpleto actu principali propter quem censura imposita est: imposita est autem censura ob maritimas discursiones animo deprædandi, ergo antequam piratæ cœperint mare discurrere, illorum fautores nullam incurrunt excommunicationem. *ibid. num.*15.*pag.*19.*tom.*3.

7. Qui graui metu compulsi opem præstant piratis, excusantur ab excommunicationis pœna: Ecclesia enim non censetur velle cum graui damno sub censura obligare. Vnde patet captiuos remigantes in nauibus, seu triremibus Turcarum aggredientium naues Christianorum, non incurrere excommunicationem, tùm quia actionem ex se indifferentem exercent, tum quia metu graui coguntur remigare; fieri tamen

potest

potest vt peccent contra ius naturæ, si ad prædandum cooperentur; illa enim actio est intrinsecè mala. *ibid.n.17.pag.19.tom.3.*

8. Qui bona à piratis ablata domi occultant, vel retinent, præcisè non ligantur censura Bullæ in foro conscientiæ, nisi id faciant animo fauendi piratis formaliter; licet in foro externo, puniantur tanquam participes latrocinij, & cooperatores piratarum: quò fit vt si quis titulo consanguinitatis, vel amicitiæ piratam domo excipiat cum præda, non incurrat hanc pœnam. *ibid.n.20.pag.19.tom.3.*

Piratis quid prohibeatur.

9. Ingressus in mare etiamsi nondum sequuta sit spoliatio, seu occisio, sufficit ad incurrendam excommunicationem: quia discursiones maritimæ animo deprædandi præcipue in hac Bulla prohibentur: non tamen per quodlibet mare, sed solùm per mare quod Sedi Apostolicæ immediatè, vel mediatè subest. Reliqua enim maria habent propriosdominos à quibus custodiuntur. Quare discurrentes mare Venetum, aut Indicum non incurrunt excommunicationem. *ibid.punct.2.num.2.& 4.pag.19.20.tom.3.*

10. Quoties piratæ suscipiunt excursiones per mare Pontificium actionibus moraliter interruptis, toties excommunicationem incurrunt: quia quælibet actio vetita sub excommunicatione sufficit ad incurrendam excommunicationem, sicut pluries Clericum percutiens, plures contrahit excommunicationes. *ibid.num.3.pag.19.tom.3.*

Pœnitentiæ Virtus.

1. POenitentia specialis est virtus supernaturalis inclinans hominem ad satisfaciendum Deo pro iniuria, & offensa illi facta, & ad conseruandum ius diuinum illæsum. Vnde patet pœnitentiæ quatenus est virtus specialis, obiectum formale esse detestationem iniuriæ Deo factæ, & satisfactionem pro ea; materiale verò esse peccatum; ac proinde esse virtutem distinctam à cæteris. *tom.1.pag.112.num.1.& 2.*

2. Actus virtutis pœnitentiæ est simpliciter necessarius ad iustificationem, non quidem explicitè, sed implicitè, & æquiualenter; quia ad iustificationem necesse est vt homo velit satisfacere Deo, aut saltem eam præstet satisfactionem quam potest.

poteſt. Actus autem dilectionis Dei ſuper omnia, & contritionis, continet virtualiter actum pœnitentiæ. Neque recipiens Sacramentum pœnitentiæ iuſtificatur abſque aliquo actu virtutis pœnitentiæ. Eliciens tamen actum huius virtutis, non recipit gratiam, extra Sacramentum pœnitentiæ, niſi actum eliciat contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia. *tom.* 1 *.pag*, 113 *.num.* 2 *.&* 3.

Pœnitentiæ Sacramentum, quid & quàm neceſſarium.

3. Dari Sacramentum pœnitentiæ in lege gratiæ nullus iuerit inficias, niſi hæreticus. In veteri autem lege, vel ſcripta, vel etiam naturæ non extitit hoc Sacramentum, cuius ipſe Chriſtus eſt auctor. Quamobrem dum in ſacris paginis fit mentio pœnitentiæ, cui Deus promiſit remiſſionem peccatorum, ſermo eſt de pœnitentia interna, id eſt contritione. *ibid. numero* 1.2. *&* 3.

4. Sacramentum pœnitentiæ conſiſtit in actibus pœnitentis, & abſoluentis, éſtque inſtitutum à Deo per modum iudicij emendatiui, ad remiſſionem peccatorum. *ibidem, numero* 1.

5. Neceſſarium eſt hoc Sacramentum neceſſitate medij in re, vel in voto, illis qui poſt Baptiſmum mortaliter peccarunt, itavt ſaluari non poſſint niſi aut re ipſa hoc Sacramentum ſuſcipiant, aut eliciant actum contritionis, in quo huius Sacramenti votum continetur. Eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti; quia quod eſt neceſſarium neceſſitate medij, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, modò medium ſit in noſtra poteſtate; at hoc Sacramentum eſt in noſtra poteſtate ergo, &c. *tom.* 1 *.pag.* 114 *.num.* 1 *. &* 2.

6. Peccata remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto, nihil eſt aliud quàm remitti per contritionem in ordine ad confeſſionem; nam qui contritionis actum elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per actum contritionis obtinuit, ſubijcere, ſuo tempore, pœnitentiæ Sacramento: contritio enim non ita iuſtificat vt peccatorem liberum relinquat ab obligatione confitendi data opportunitate. *ibid. num.* 3 *.& ſeq.*

7. Qui habet copiam confeſſarij non ſaluatur cum ſola attritione, quia non habet Sacramentum pœnitentiæ in re, nec in voto. Qui autem iuſtificatur per contritionem, non tenetur

tur habere propositum explicitum confitendi ; sed sufficit implicitum. *ibid.num.7. & 8.*

8. Sacramentum pœnitentiæ institutum fuit à Christo præcipuè *Ioann.20.* quando insufflauit in discipulos suos dicens : *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Hæc autem institutio fuit inchoata in nocte Cœnæ, quando Christus ordinauit Apostolos, eisque per ordinationem contulit characterem qui est facultas fundamentalis absoluendi. Vnde sequitur si quis Apostolorum sibi conscius fuit peccati mort. vt Iudas, sufficienter potuisse se ad Eucharistiam disponere absque confessione, per actum contritionis ; quia Sacramentum pœnitentiæ nondum erat institutum. *tom.1.pag.115.num.1. & seq.*

Sacramenti Pœnitentiæ materia.

9. Omnia peccata actualia, seu mortalia, seu venialia post Baptismum commissa, sunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ : non autem peccatum originale, aut etiam actuale ante Baptismum commissum. Hæc enim peccata non pertinent ad iurisdictionem Ecclesiæ ; quippe homo illorum reus, non est subditus Ecclesiæ ante Baptismum : Sacramentum autem pœnitentiæ institutum est ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos. *ibid.num.3. & 4.*

10. Sunt quidem peccata venialia, sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ, si sint post Baptismum commissa ; non tamen necessaria ; ex Concilio enim Trident. omitti possunt in confessione, nisi fortè pœnitens dubitet an sint mortalia. Quanquam Ecclesia præcipere potest confessionem venialium ; quia est opus religiosum, præcepti materiam non excedens. *tom.1.pag.116.num.5. & seq.*

11. Peccatum dubium non est materia sufficiens huius Sacramenti ; quia materia Sacramentorum debet esse certa: Quare à peccato mortali dubio non potest confessarius absoluere simpliciter, & absolutè, sed tantùm sub conditione: habens tamen huiusmodi peccatum, debet sub dubio confiteri. *ibid.numero 9.*

12. Peccata semel in confessione dimissa, possunt esse materia nouæ confessionis: absolutio enim iterari potest super iisdem peccatis, modò adsit nouus dolor, & nuda cõfessio à priori distincta. Liberum tamen est pœnitenti ea iterum confiteri, vel omittere, aut partem vnam manifestare, & aliam reticere; quia

licet sint materia sufficiens confessionis ; non tamen necessaria. *ibid.num* 10. *&* 11.

13. Materia proxima Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet contritio, confessio, & satisfactio : nam ad iudicium emendatiuum, cuiusmodi est Sacramentum pœnitentiæ, illa tria requiruntur. Contritio & confessio sunt partes essentiales huius Sacramenti ; satisfactio verò est pars integralis. *tom.*1*pag.*117.*n.*1.*& seq.*

14. Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur dolor formalis de peccatis etiam venialibus commissis: quamuis enim non teneatur quis ad venialium confessionem ; si tamen velit ea confiteri, tenetur de illis dolorem excitare. Sufficit autem dolor naturalis : Christus enim pro materia Sacramentorum instituit rem naturalem, vt aquam, panem, oleum, &c. vnde colligitur validum esse Sacramentum pœnitentiæ quando pœnitens bona fide accedit cum sola attritione naturali: Sacramentum tamen est informe, quia est sine fructu nisi adsit dolor supernaturalis, neque confert gratiam, & charitatem, quæ est forma omnium virtutum. Porrò hic dolor debet esse efficax qui excludat affectum peccati, & propositum peccandi. *ibid.num.*6.7.*&* 8. *& pag.*118.*num.*9.*& seq.*

15. Dolor de peccatis confessionem antecedens sufficit ad hoc Sacramentum ; sufficit tamen dolor elicitus in ipsa confessione, vel etiam post confessionem, antequam pœnitens absoluatur. At dolor post absolutionem elicitus non sufficit ad valorem Sacramenti ; quia absolutio ferri debet super debitam materiam ; non est autem materia debita sine dolore, cum dolor sit materia proxima Sacramenti pœnitentiæ. Igitur dolor præcedere debet absolutionem. Est autem integrum confessario iniungere satisfactionem, seu pœnitentiam, ante, vel post absolutionem. Caueat tamen confessarius ne pœnitentiam iniungat, statim implendam post confessionem, si secretò fieri non possit ; ne qui adsunt, & vident, ex pœnitentia, peccatorum grauitatem suspicentur. *ibid. num.*17. *&* 18. *& pag.*119.*num.*19. *& seq.*

Sacramenti Pœnitentiæ forma.

16. Forma Sacramenti pœnitentiæ est hæc : *Ego te absoluo à peccatis tuis*, immò sufficiunt hæc duo verba, *Absoluo te.* Preces autem quæ ex laudabili Ecclesiæ more adiunguntur, ad Sacramenti essentiam haud quaquam spectant : vnde colligi-

tur

tur nihil esse necesse adiungere inuocationem SS. Trinitatis, addendo, *In nomine Patris*, &c quæ tamen non est omittenda. Si quis autem dicat : *Absoluat te Deus*, non validè absoluit, quia non ostendit se absoluere tanquam iudicem. Porrò hæc verba, *Absoluo te*, sufficere possunt ad absolutionem à peccatis, & simul à censuris, modò per hæc verba Sacerdos intendat absoluere ab vtrisque. In quo casu absolutio à censuris erit naturâ prior absolutione à peccatis. *tom.*1.*pag.*119. *&* 120. *num.*1.*& seq.*

17. Quoties in verbis formæ contingit mutatio substantialis, non est validum Pœnitentiæ sacramentum; secus si solùm sit accidentalis; remanet enim idem sensus, eadémque significatio. Non est autem valida forma deprecatiua qualis est hæc, *Absoluat te Deus* : quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij, sententia autem profertur à iudice imperatiuè. Qui formam adhibet dubiam, peccat mortaliter : fieri enim potest vt illa forma non sit sufficiens, ideóque irritum sit Sacramentum. Neque licet quidquam mutare in forma communi Ecclesiæ vsu recepta. *tom.*1. *pag.*121. *num.*2.3. *& seq.*

18. Quando aliqua conditio de præterito, vel de præsenti apponitur in forma, validum est nihilominus Sacramentum, vt si dicatur: *Si habes peccatum, te absoluo : Si ego possum te absoluere, te absoluo* : quia hæc conditio non suspendit actum, aut effectum. At conditio de futuro irritum reddit Sacramentum; quia neque est validum statim prolata forma, cùm nondum posita sit conditio; neque est validum adueniente conditione, quia iam non adest forma, neque materia. Vnde patet hanc formam esse inualidam, *Ego te absoluo, si satisfeceris.* *ibid.num.*1.2.*&* 3.

19. Forma absolutionis non potest, absque sacrilegio, bis in eadem confessione super iisdem peccatis proferri; sicut non licet super hostia iam consecrata, repetere formam consecrationis. At in diuersis confessionibus possunt eadem peccata repeti cum nouo dolore, & circa eadem peccata cum nouo dolore confessa, potest absolutio iterari. Immò huiusmodi confessiones sunt salubres; maiorem enim quietem, & securitatem conscientiæ pariunt. *tom.*1.*pag* 122.*num.*1.*& seq.*

Sacramenti Pœnitentiæ partes.

20. Contritio est actus charitatis, quo quis detestatur

omnia sua peccata super omnia detestabilia, quatenus Deum offendunt, cum proposito non peccandi in posterum. Quare contritio pertinet ad charitatem cuius est gaudere, & delectari de bonis Dei, & illius malum, seu offensam odisse. Hæc contritio elicitur ab habitu charitatis, quando elicitur ab homine iusto habente habitum supernaturalem charitatis: spectat verò ad charitatem quando elicitur à peccatore cum auxilio supernaturali, supplente vicem habitus charitatis. *tom.* 1. *pag.* 123. *&* 124. *num.* 1. *& seq.*

21. Contritio propriè accepta in lege noua, non est necessaria simpliciter necessitate medij, ad iustificationem, & salutem; potest enim ea omissa aliquando salus obtineri, vt patet in homine iusto qui si repentè moriatur, salutem obtinet; etiamsi contritionis actum non elicuerit: tum quia sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione iustificat, & saluat. In veteri autem lege contritio necessaria fuit necessitate medij ad tollendum peccatum actuale; quia Sacramenta veteris legis non conferebant, ipso facto, gratiam, præter sacramentum Circumcisionis. *tom.* 1. *pag.* 124. *num.* 1. *& seq.*

22. Contritio propriè sumpta, necessaria est necessitate præcepti; illâ enim culpabiliter prætermissâ, salus non obtinetur. Obligat autem præceptum contritionis, per se, & vi propria, in periculo mortis, aut perpetuæ amentiæ, saltem quando non est copia Confessarij; tunc enim est maxima necessitas contritionis, ne adeatur periculum perpetuæ damnationis. Obligat etiam extra mortis articulum ratione alterius circumstantiæ. 1. quando quis suscepturus est, vel administraturus aliquod Sacramentum, aduertens se esse in peccato mortali, quando non potest confiteri. 2. quando quis est in probabili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, si contritionis actum non eliciat. *pag.* 124. 125. *num.* 4. *&* 5.

23. Attritio supernaturalis & efficax necessaria est ad suscipiendum Pœnitentiæ sacramentum cum fructu; hæc autem attritio esse non potest, nisi excludat affectum ad peccatum, & includat propositum non peccandi. Porrò licet attritio sit dolor imperfectus, quippe quæ peccatum detestatur ob metum gehennæ, aut amissionis gloriæ, sufficit tamen cum Pœnitentiæ sacramento, neque requiritur contritio; alioquin sacramentum Pœnitentiæ numquam produceret primam gratiam, nec remitteret peccatum mortale, sed illud supponeret remissum per contritionem. *tom.* 1. *pag.* 126. *num.* 3. *& seq. pag.* 127.

24. Obie

24. Obiectum materiale contritionis est peccatum commissum, & nondum dimissum quod facit inimicum Dei: formale est peccatum quatenus est offensa Dei, vel malum Dei. Ad delenda autem omnia peccata sufficit vnus contritionis actus respiciens omnia peccata, neque requiruntur tot contritiones, quot sunt peccata. Cæterùm non tenemur eodem actu detestari mortalia, & venialia, sed potest remissio mortalium obtineri, non obtenta venialium remissione. *tom.* 1. *pag.* 128. *&* 129. *num.* 2. *& seq.*

25. Probabile est ad contritionem sufficere propositum implicitum vitandi peccata in futurum, neque requiri explicitum; potest enim quis detestari peccata super omnia, nihil cogitans actu de vitæ emendatione. In praxi tamen tutius est habere propositum explicitum, & actuale vitandi peccatum. *tom.* 1. *pag.* 131. *num.* 2.

26. De potentia Dei ordinaria non potest homo iustificari absque aliquo pœnitentiæ actu. De potentia verò absoluta potest, modo cesset actus peccati: quia non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum, absque alia dispositione; cessante tamen actu peccati: nam perseuerante peccato non potest homo iustificari, alioquin esset iustus, & iniustus, quod implicat contradictionem. Non potest autem peccator iustificari absque aliqua reali mutatione facta per infusionem alicuius doni quod peccatum expellat: nam priuatio gratiæ tolli non potest, nisi per oppositam formam. *tom.* 1. *pag.* 132. *n.* 2. *&* 3.

27. Confessio est legitima, & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. Sexdecim confessionis conditiones his versibus recensentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

ex quibus tres potissimùm necessariæ sunt ad confessionem, 1. vt sit integra; 2. vt sit dolens; 3. vt sit vera, seu pura; reliquæ tamen sunt valde vtiles ad fructum sacramentalis confessionis percipiendum. *tom.* 1. *pag.* 133. *num.* 1. *&* 2.

28. Ad confessionem, iure diuino, prærequiritur examen conscientiæ. Tenetur itaque pœnitens circa peccata mortalia tantam inquisitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, seu quanta sufficit ad omnia mortalia in memo-

riam reuocanda; eſt enim hoc negotium maximi momenti. Mediocri tamen adhibita diligentia, non tenetur maiorem adhibere, etiamſi probabiliter ſuſpicetur fore, vt accuratiſſima inquiſitione facta occurrerent aliqua peccata quorum non meminit; alioquin ſemper angeretur ſcrupulis, ſempérque dubitaret an ſufficientem adhibuerit diligentiam. Nihilominus qui rariùs confitetur, quique periculoſa negotia tractat, tenetur maiorem diligentiam adhibere. *ibidem*, *numero* 1. *& ſeq.*

29. Fideles non tenentur iure diuinò anteuertere tempus confeſſionis, aut ſua peccata ſcribere vt eorum melius recordentur; ſed ſolùm adueniente tempore obligationis, aut voluntate confitendi, tenentur moralem diligentiam adhibere vt redeant in memoriam peccatorum, & integrè confiteantur. At qui confeſſus eſt non præmiſſo conſcientiæ examine, tenetur ad nouam confeſſionem peccatorum, modò Confeſſarius non ſuppleuerit illum defectum per diligentem interrogationem, vt ſæpe accidit in rudibus, & ruſticis qui conſcientiam diſcutere neſciunt. Verùm ſi Confeſſarius aduertat pœnitentem notabiliter defeciſſe circa examen conſcientiæ, & videat ſe non poſſe defectum examinis per interrogationes ſupplere, remittat pœnitentem, eíque imperet vt adhibita maiori diligentia redeat, modò non immineat periculum mortis. *ibid. num.* 4. *& ſeq.*

30. Confeſſio debet eſſe *ſimplex*, itavt ſuperflua, & inutilia amputentur; neque enim neceſſe eſt circumſtantias impertinentes aperire. Det tamen operam pœnitens vt ſua peccata clarè, & diſtinctè fateatur quoad numerum, & ſpecies. Debet eſſe *humilis*, itavt pœnitens flexis genibus, & aperto capite ſe accuſet, niſi aliud ſuadeat neceſſitas. Debet eſſe *pura*, quoad intentionem, itavt non fiat ob prauum aliquem finem; quanquam facta ob finem venialiter malum, v. g. ob inanem gloriam, ſuo fructu non caret. Hinc patet illum non peccare mortaliter, qui vt bonam tueatur opinionem de ſe apud Confeſſarium, fatetur illi ſolùm leuia peccata, & ſi incidat in mortale, accedit ad alium priore relicto, modò id non faciat per hypocriſim. *tom.* 1. *pag.* 134. *num* 1. *& ſeq.*

31. Præterea debet eſſe *fidelis*, id eſt, vera, & ſine fraude. Nam mendacium in confeſſione circa materiam neceſſariam confeſſionis eſt peccatum mortale, & conſequenter irritat confeſſionem; quia Sacerdos qui eſt iudex in hoc Sacramento, decipitur in re graui. Quanquam pœnitens, per ſe loquendo,

non

non peccat mortaliter, si à Confessario interrogatus num tale peccatum aliquando commiserit, falsò negat se commisisse, nolens idem peccatum quod antea confessus est iterum confessioni subiicere. Ad veritatem etiam confessionis pertinet, peccata dubia, tanquam dubia, & certa tanquam certa explicare. Mendacium autem circa peccata venialia non reddit inualidam confessionem; quia venialia non sunt materia necessaria confessionis: nisi fortè pœnitens vnum tantùm peccatum veniale fateatur se commisisse quod non commisit, nullúmque aliud peccatum exprimat in confessione; tunc enim peccat mortaliter, & reddit Sacramentum inualidum. *tom.1.pag.134. 135.num.6.& seq.*

32. Confessio debet esse *frequens*, non quòd sit necesse sæpius in anno confiteri, extra mortis articulum, aut Ecclesiæ præceptum; sed quia vtile est sæpius confiteri ob fructus vberes qui inde percipiuntur. Quamobrem perfectionis studiosi, si nulla alia habent præter peccata ritè aliàs confessa, de iis ipsis solent nouas confessiones instituere; ne fructibus tanti Sacramenti careant. *pag.135.num.14.*

33. Debet esse *nuda*, idest nullis verborum ambagibus inuoluta: sicut enim peccata nuda sunt oculis Dei, ita debent esse aperta Sacerdoti Dei vices gerenti: neque enim potest naturam, & qualitatem peccatorum rectè perspicere, & diiudicare an sint mortalia, an venialia, nisi pœnitens nudè, & detracto omni verborum fuco, illa fateatur. *ibid.num.15.*

34. Debet esse *discreta*, ita vt pœnitens eligat confessarium eruditum, & probum qui scientiam habeat, & conscientiam, quique possit lepram à lepra internoscere, & debita remedia applicare; hinc collige pœnitentem qui confessarium eligit quem nouit indoctum, ratus propter ipsius inscitiam, se non obligandum ad restitutionem, teneri iterum confiteri, neque excusari à restitutione. Hanc etiam pœnitens debet adhibere cautionem, vt peccata impudica, & obscœna, quantum fieri poterit, honestis verbis explicet, nec descendat ad singula; sufficit enim speciem, & circumstantias necessarias explicare. *ibid.num 17.*

35. Debet esse *libens*, ita vt voluntariè fiat, & cum intentione confitendi. Si quis tamen inducatur ad confitenda peccata timore excommunicationis, infamiæ, aut etiam verberum, &c. validè confitetur modò cum dolore debito, ac sufficienti; illud enim inuoluntarium admixtum, non irritat confessionem. *ibid.num.18.*

36. Debet esse *verecunda*: congruum enim est, & fructuosum interiùs apud seipsum erubescere de turpitudine, ac fœditate animæ propriæ,& exteriùs apud confessarium; quippe illa verecundia prodest ad pœnæ remissionem. Caueat tamen confessarius ne pœnitentem deterreat durioribus verbis, sed illum potius alliciat ad peccata confidenter explicanda, dilata reprehensione ad finem confessionis. *tom.*1.*pag.*135. 136.*num.*19.

37. Debet fieri *secretò*: nam euulgare peccata sine iustâ causa, videtur iuri naturali aduersari. Hinc collige neminem teneri, per se loquendo, confiteri per interpretem; neque debere peccata Sacerdoti aperire alio audiente, in quo peccant Sacerdotes qui multos pueros doli capaces in vnum congregatos, simul audiunt se accusantes. Potest tamen confessio fieri aliquando publicè, vt sit ab existentibus in periculo naufragij. At confessarius non potest præcipere pœnitenti vt confiteatur coram teste; hoc enim est nimis graue. Porrò non est de necessitate Sacramenti propriis verbis confiteri; possunt enim peccata per nutus, signa, & scripturam sufficienter manifestari. Quare si detur casus vt quis nequeat loqui, aut nimia suffundatur verecundia, potest per signa Sacerdoti confiteri. *tom.*1.*pag* 136.*num.*21.

38. Confessio est *acceleranda*, itavt pœnitens quamprimùm confiteatur, tùm ne maneat in statu damnationis; tum vt bona ipsius opera sint meritoria: non est tamen necesse statim post peccatum confiteri, cum possit gratia per contritionem recuperari. *ibid.num.*27.

39. Confessio debet esse *accusans*, non *excusans*; itavt pœnitens sibi peccata imputet, non in alium reiiciat, aut excuset; nisi hoc necessarium videatur ad famam apud confessarium tuendam. Denique confessio ea esse debet vt pœnitens sit *paratus morem gerere* confessario in iis quæ ad conscientiam spectant; cum enim Sacramentum pœnitentiæ exerceatur per modum iudicij emendatiui, pœnitens debet satagere vt Deum propitiet suis criminibus violatum. *ibid.n.*29.30.

Confessionis integritas.

40. In confessione explicanda sunt necessariò peccata quoad species morales; non autem quoad physicas; aliquando enim plures actus physicè diuersi vnam habent malitiam, & vice versa vnus actus physicus plures habet malitias. Proinde

inde qui ad occidendum inimicum emit gladium, conſcendit equum, ſuſcepit iter, non tenetur has omnes actiones phyſicas explicare, quia vnicam habent malitiam, ideoque ſunt eiuſdem ſpeciei moralis, quare ſatisfaciet dicendo ſe hominem occidiſſe: modò illi actus non fuerint notabiliter interrupti, nec habuerint aliam circumſtantiam moraliter diuerſam; propterea qui occiſurus inimicum conculcauit ſegetes, furtum commiſit, &c. tenetur has circumſtantias in confeſſione explicare. *tom.1.pag.137.num.2. & 3.*

41. In confeſſione aperienda eſt circumſtantia propter quam peccatum mort. fit veniale, & contrà: quia mortale, & veniale, in ratione offenſæ Dei maximè differunt; quapropter in confeſſione explicandum eſt an furtum fuerit in magna, an in parua quantitate. *ibid.n.6.*

42. Qui ſe expoſuit periculo peccandi, tenetur fateri circumſtantiam illius peccati cuius periculo ſe expoſuit: quia in moralibus idem eſt exponere ſe periculo peccati, & illud committere; præceptum enim quod obligat ad vitandum peccatum, obligat etiam ad vitandum illius periculum. *ibid. num.7.*

43. Qui oblitus eſt in confeſſione, alicuius circumſtantiæ mortalis, tenetur illam in alia confeſſione explicare; quia eſt peccatum mort. diſtinctum; ſufficit tamen eam ſolam circumſtantiam omiſſam explicare: v. g. quis furatus eſt calicem; ſed in confeſſione meminit ſolius furti; in ſecunda confeſſione ſatisfaciet dicendo ſe mortale ſacrilegium commiſiſſe, non exprimendo furtum. *ibid.n.9.*

44. Omnia peccata mort. poſt Baptiſmum commiſſa, neceſſariò ſunt in confeſſione explicanda quoad numerum, quantum fieri poteſt. Quare qui decem aureos nummos decies furatus eſt, non ſatisfacit dicendo ſe decem aureos furatum eſſe; ſed tenetur numerum furtorum exprimere. Item qui cum peccati mort. conſcientia plurium confeſſiones excepit, tenetur numerum perſonarum, quoad poteſt, explicare. Notand. tamen confeſſarium peccati mort. ſibi conſcium, non peccare mort. ſi à principio dum audit confeſſionem, propoſitum habeat pœnitendi, antequam abſolutionem impendat *tom.1. pag.138 n.1. & ſeq.*

45. Pœnitens tenetur confiteri ea peccata quæ confeſſario nota ſunt extra confeſſionem; quia cum hoc Sacramentum ſit quoddam iudicium, non poteſt reus abſolui à peccatis quæ non ſunt in iudicium adducta per confeſſionem: ſufficit ta-

men si pœnitens confessario cui nota sunt ipsius peccata, dicat: *Pater accuso me de illis peccatis quæ nosti me commisisse*; sic enim sufficienter illi aperit suum statum. *ibid.n.*10.

46. Non opus est in confessione explicare actum minus principalem, & circumstantias communiter comitantes, vel præcedentes actum, modo actus principalis subsecutus fuerit, nec intercesserit mora inter actum principalem, & minus principalem, & modò actus minus principalis, connexionem habeat cum principali. Quia licet huiusmodi circumstantiæ sint malæ, nihilominus cum effectu principali constituunt vnum numero peccatum; sufficit igitur actum principalem. *tom.*1.*pag.*139.*num.*12.

47. Explicandi sunt in confessione actus, seu circumstantiæ quæ subsecutæ sunt actum principalem, cuiusmodi sunt tactus, & oscula, post finitam copulam; nam hi actus subsequentes sunt principia alterius peccati, consequenter efficiunt nouum peccatum. *ibid.num.*13.

48. In confessione generali, omnia peccata mortalia ritè antea expiata non sunt necessariò exprimenda: quia huiusmodi peccata cum iam fuerint clauibus subiecta, non sunt materia necessaria confessionis: Quapropter nonnulli consueuerunt confessiones generales paulatim facere, anteactæ vitæ peccata iam per confessionem dimissa quotidie aliqua aperiendo. *ibid.num.*14.

49. Qui habet tantùm peccata venialia, non satisfacit dicendo in genere se venialiter peccasse; sed omnino explicandum est aliquod peccatum: quia licet nemo teneatur venialia confiteri; tamen ex suppositione quod quis velit confiteri; tenetur materiam certam confessioni subiicere. Quare ille est absoluendus qui scit se peccatum aliquod admisisse, sed dubitat an illud mortale sit, an veniale; subiicit enim confessioni materiam certam, & determinatam, quamuis dubiam quoad grauitatem peccati. *ibid num.*15.16

50. Qui propter consuetudinem peccandi non potest certum, ac determinatum numerum peccatorum exprimere, vt meretrix quæ fuit omnibus exposita, aut blasphemus qui consuetudinem habuit blasphemandi, satisfacit dicens se talem peccandi consuetudinem tamdiu habuisse, v. g. toties in hebdomada vel mense, plus minus; sic enim potest confessarius sufficiens iudicium ferre de statu pœnitentis. Qui verò rem alienam detinuit quam potuit domino restituere, satisfacit explicando tempus quo fuit in mora restituendi; neque con-

fessarius

fessarius in huiusmodi casibus debet scrupulosè agere. *ibid. num.*18.*& pag.*140.*num.*21.

51. Circumstantiæ peccati sunt quædam conditiones non pertinentes ad substantiam actus peccati, sed illum aliquo modo attingentes, quarum aliæ augent, aliæ minuunt peccatum, aliæ speciem mutant, aut nouam addunt. Possunt autem omnes ad has septem reuocari:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessariò in confessione exprimendæ, nisi speciem mutent, vt si efficiant peccatum veniale, quod alioquin esset mortale. Immò nec notabiliter aggrauantes sunt necessariò explicandæ modò speciem non mutent: nimis enim angerentur fideles ex tali obligatione. *tom.*1 *pag.*140.141.*num.*1.*& seq.*

52. Circumstantiæ mutantes speciem sunt in confessione necessariò explicandæ; sic enim expresè decernitur in Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. hinc multæ difficultates soluuntur. Nam qui virginem deflorauit, debet illam circumstantiam aperire, siue illa consenserit, siue non; quia stuprum habet specialem malitiam. Qui carnaliter cognouit pœnitentem, non tenetur illam circumstantiam in confessione exprimere; quia non est incestus, neque sacrilegium, modò Confessarius eam non sollicitauerit in confessione, aut non sit Parochus; tunc enim specialis interuenit malitia. Qui consanguineam, aut affinem carnaliter cognouit, debet explicare gradum incestus. Qui in actu mollitiei concupiuit virginem, aut coniugatam, aut monialem, tenetur exprimere conditionem personarum; est enim circumstantia speciem mutans. Qui vno actu plures percussit, aut infamauit, tenetur numerum personarum exprimere; quia non potest alioquin ipse actus indiuidualis sufficienter exprimi. Qui fuit causa scandali, vt qui publicè peccauit, aut alium induxit ad peccatum præsertim qui non erat paratus, tenetur illas circumstantias aperire; quia cooperatus peccato alterius, alienum autem peccatum imputatur cooperanti. Qui coram pluribus detrahit, aut turpia loquitur, debet exprimere numerum personarum, tum ratione scandali, tum ratione cooperationis; immò etiam exprimenda videtur conditio personarum adstantium, & qualitas sermonis. *tom.*1.*pag.*142.143.*num.*6.*& seq.*

53. Consuetudo peccandi, per se loquendo, non est necessariò in confessione explicanda. Quare non tenetur pœnitens dicere se peccatum quod tunc fatetur, aliàs commisisse, nisi

forte

fortè iuſta de cauſa interrogetur à Confeſſario, vt illi conſtet de diſpoſitione pœnitentis; conſuetudo enim peccandi arguit infirmum propoſitum emendationis. *pag.*143.*num.*22.

54. Circumſtantia finis tunc eſt in confeſſione explicanda quandò nouam ſuperaddit malitiam. Ita qui furatus eſt ad mœchandum, debet exprimere illam circumſtantiam; quia medium participat malitiam finis. Qui verò in die feſto ſacrum omittit propter ſtudium, non tenetur illam circumſtantiam aperire; quia ſtudium, ex ſe, non eſt malum. *ibid.num* 25. *& pag.*144 *num.*26.

55. Circumſtantia temporis, loci, aut modi, per ſe loquendo, non eſt neceſſariò in confeſſione explicanda; quia non ſuperaddit peccato diſtinctam ſpecie malitiam. Quare qui in die feſto aliquod peccatum committit, non tenetur hanc circumſtantiam aperire, modò in die feſto non exerceatur opus ſeruile, aut Miſſa non omittatur; hæc enim ſunt ſpecialiter prohibita. *tom.*1.*pag.*144 *num.*28.*&* 29.

56. Qui dubitat an commiſerit peccatum mortale, tenetur illud ſub dubio confiteri: quia alioquin exponit ſe periculo violandi integritatem confeſſionis. Item qui ſcit ſe commiſiſſe aliquod peccatum quod dubitat an ſit mortale, tenetur illud in confeſſione manifeſtare; quia Concil. Trident. excipit ab obligatione confitendi ſola peccata venialia, ergo ſupponit dubia mortalia eſſe aperienda. Idem dicendum à fortiori, de eo qui ſcit ſe peccatum mortale commiſiſſe, ſed dubitat an illud confeſſus fuerit, vel an validè; quoties enim conſtat de obligatione, & dubitatur de excuſatione, poſſeſſio ſtat pro obligatione. *ibid.num.*1.2. *&* 3. Hæc autem intelligenda ſunt de dubio propriè dicto: nam ſi quis probabiliter opinetur aliquod peccatum non eſſe mortale, aut ſe non peccaſſe mortaliter, non tenetur illud confiteri; quippe integrum eſt cuilibet probabilem opinionem ſequi. *ibid.num.*4.

57. Fieri poteſt vt ſacramentum Pœnitentiæ validè ſuſcipiatur ſine integritate materiali confeſſionis, id eſt, aliquibus peccatis mortalibus omiſſis; vt quando pœnitens obliuiſcitur alicuius peccati mortalis, aut quando in extremo vitæ periculo non poteſt ſingula percenſere, &c. *tom.* 1. *pagina* 145.

58. Propter ignorantiam excuſatur ab integritate confeſſionis, qui peccatum olim commiſſum, dum adhuc eſſet rudis, aut puer, conticuit ignorans ſe teneri ad illius confeſſionem; nunc autem poſtquam maturior ætas, aut ſanius iudicium acceſſit,

cessit, cognoscit esse peccatum necessariò confessioni subiiciendum. Excusatur item qui ex obliuione non culpabili, prætermisit in confessione peccatum mortale; quia præceptum integritatis in confessione, non obligat ad impossibile. *ibid. num.* 2. *&* 3.

59. Sacerdos qui defectum commisit in confessione audienda, quem non potest explicare, nisi suo Confessario manifestet peccatum complicis in confessione auditum, excusatur à confessione illius defectus, si non habeat copiam alterius Confessarij cui complex sit ignotus: quia præceptum sigilli confessionis non violandi, strictiùs obligat quàm præceptum integrè confitendi. *ibid. num.* 5.

60. Pœnitens potest complicem peccati in confessione manifestare, quando non habet copiam alterius confessarij cui sit ignotus complex. *ibid. num.* 5.

61. Mutus qui sua peccata nutibus confitetur, & extraneus cuius idioma à confessario non satis percipitur, si desit alius qui percipiat, saltem vrgente præcepto, non sunt à confessione, & absolutione arcendi: quia hi faciunt quod in se est. Idem dicendum de eo qui petiit confessionem, sed postea adueniente Confessario, non potest amplius loqui, sed signa pœnitentiæ tantum ostendit; quia impotentia excusat ab integritate materiali confessionis. Immò confessarius tenetur, saltem ex charitate, illum absoluere qui in periculo mortis dat signa contritionis. Qui autem, absente confessario, exhibuit signa contritionis; sed eo posteà superueniente ita sensibus est destitutus, vt iam nullum signum exhibere possit, sub conditione est absoluendus; quia adstantium attestatio supplet vicem confessionis; & præstat infirmum decedere cum dubio Sacramento, quàm sine vllo. *ibidem, num.* 6. *&* 7. *& pag.* 146. *num.* 8.

62. Quando periculum est ne pœnitens inchoata confessione decedat, aut sermonis vsum amittat antequam perficere possit, confessarius curet proferri sibi materiam certam, quamuis illa sit tantùm peccatum veniale; quia, quoad fieri potest, subiicienda est confessioni materia certa, ne forma Sacramenti certa cadat super incertam, vel indebitam materiam. At si æger posteà obtenta absolutione non moriatur statim, dummodò per tempus, & infirmitatem liceat, prosequi debet confessionem, & nouam absolutionem accipere. *pag.* 146. *numero* 9.

63. Si adueniente confessario, nulli sint præsentes qui fidem

dem faciant ægrotum petiisse confessionem, vel dedisse signa contritionis, iuxta communiorem Doctorum sententiam, non potest sacramentaliter absolui; etiamsi fortè absente confessario dederit signa contritionis: nam in hoc casu nulla fit confessio præsenti Sacerdoti neque per verba, neque per signa ipsius pœnitentis, neque per aliorum attestationem coram pœnitente, & Sacerdote. *ibid.num.*10.

64. Probabile est Sacerdotem impendere posse absolutionem moribundo quem nouit se absente dedisse signa contritionis in ordine ad confessionem. Ita censuit sacra Cardinalium Congregatio declarans posse pœnitentem absolui, qui confessionis indicia dedit coram eo qui statim ad confessarium accurrit, sed pœnitens, adueniente confessario, iam nullum doloris signum exhibere potest. *ibid.*

65. Pœnitens potest aliquod peccatum mort. reticere in confessione ad vitandum graue incommodum proprium, vel alienum. Immò si pœnitens habeat necessitatem confitendi, & non habeat copiam confessarij cui possit absque periculo confiteri, debet reticere peccata de quibus est periculum; quia præceptum integræ confessionis non obligat cum graui incommodo, & quisque debet sibi aliisque consulere. Quapropter si fœmina confitendo peccatum timeat ne confessarius scandalizetur, aut ne ab eo sollicitetur, tenetur ab illius peccati confessione abstinere. *tom.*1.*pag.*146.147.*n.*11.

66. Vrgente præcepto annuæ confessionis, aut necessitate suscipiendi Eucharistiam, aut celebrandi, potest & debet confiteri sua peccata, tacito eo de quo probabiliter timetur; cùm enim vrgeat præceptum confitendi, debet confiteri suppresso eo peccato cuius supprimendi iustam habet causam, neque potest, omissa confessione, contritus communicare. *p.*147.*n.*14.

67. Versantes in periculo naufragij, aut in domo conflagrante, etiamsi non omnia peccata mort. confessi fuerint, absolui possunt; immò confessarius audito à singulis vno peccato potest simul omnes absoluere dicens: *Ego vos absoluo*; Item confessarius, qui timet ne infirmus moriatur sine absolutione, potest illum, audito vno peccato, antequam perficiat confessionem, absoluere, & deinde reliqua audire, vt confessio fiat integra, quantum fieri potest. *ibid.n.*17.

Confessionis iteratio.

68. Ex defectu pœnitentis iteranda est confessio quando pœnitens, culpabiliter aliquod peccatum mort. omittit, aut

quando

quando confitetur sine dolore requisito, aut quoties mortaliter peccat in actuali susceptione huius Sacramenti; aut quando non habet propositum deserendi occasionem proximam peccandi mort. in his enim casibus confessio est sacrilega. Est etiam iteranda quando pœnitens voluntariè fuit priùs absolutus à peccatis quàm ab excommunicatione: nam excommunicatus arcetur à Sacramentis, consequenter inualidè confitetur. Qui verò absque culpa priùs absoluitur à peccatis, quàm ab excommunicatione, non tenetur confessionem iterare; quamuis enim excommunicatus prohibeatur suscipere Sacramenta; non tamen est illorum incapax *t.*1.*p.*148.*n.*1.*& seq.*

69. Qui aliquod peccatum mort. in confessione prætermisit, putans non esse mort. excusatur ab iteranda confessione, & satisfacit repetendo peccatum omissum. Hinc pueri, & puellæ excusari possunt à repetenda confessione, quæ aliquod peccatum mort. tacuerunt, ignorantes esse mortale; sed deinde grandiores factæ agnoscunt esse mortale. *ibid.n.6.*

70. Qui maiorem numerum peccatorum venialium, bona, aut etiam mala fide expressit, non tenetur iterum verum numerum aperire; quia non decepit confessarium in materia necessaria. Qui verò expressit maiorem numerum mortalium mala fide, tenetur non solùm verum numerum aperire, sed etiam repetere confessionem, vtpote inualidam ob deceptionem in materia graui. At si bona fide maiorem numerum mortalium expressit, neque tenetur repetere confessionem, neque errorem numeri confiteri; secunda enim confessio esset potius excusatio quàm accusatio. *ibid.n.7.*

71. Ob defectum confessarij absoluentis, confessio est iteranda, quando defectus contigit in essentialibus, vt si confessarius careat iurisdictione, si non habeat debitam intentionem, si non vtatur forma à Christo tradita. Obseruandum tamen Sacerdorem qui communi errore, & titulo colorato putatur habere iurisdictionem, validè absoluere, Ecclesia iurisdictionem supplente, etiamsi sit excommunicatus vitandus; habitus tamen confessarius legitimus. *ibid.n.8.*

72. Pœnitens qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, & minus idoneo quem post confessionem comperit nesciuisse distinguere inter peccata mortalia, & venialia, vel inter reseruata, & non reseruata, non tenetur confessionem repetere, modo confessarius habuerit iurisdictionem, & pœnitens ritè confessus fuerit, nec obicem posuerit valori sacramenti. *tom.*1.*pag.*149.*n.*14.

73. Qui repetit confessionem inualidè factam apud eundem confessarium non tenetur singula peccata repetere, sed ea tantùm recensere quæ omiserat, & quæ post inualidam illam confessionem commisit modò confessarius, saltem in genere, recordetur status pœnitentis. Sin apud diuersum, tenetur singula repetere; quia sententia non est ferenda sine cognitione causæ. *ibid.num.*15.

74. Valida est confessio quam non potuit pœnitens vnica vice perficere, sed eam multorum dierum spatio absoluit, & in fine obtinuit absolutionem à Sacerdote cui notus erat status pœnitentis, quamuis Sacerdos impertiens absolutionem, non recordaretur omnium peccatorum singillatim. Item qui confessus est peccata Sacerdoti non habenti facultatem absoluendi, satisfacit si eidem habenti postea facultatem, eadem peccata in genere aperiat, modò confessarius recordetur aliquo modo status pœnitentis. *ibid.*16. *&* 17.

Obligatio ad confessionem.

75. Omnes fideles baptizati qui commiserunt peccata mort. post baptismum, aut in ipsa susceptione baptismi, tenentur confiteri, non tantùm adulti, sed etiam pueri vtentes ratione, idque ex præcepto diuino, & Ecclesiastico quo fideles ad annuam confessionem obligantur. Tamen negant Doctores excommunicationem quæ continetur in cap. *omnis vtriusque sexus*, ferendam esse contra pueros, præceptum annuæ confessionis ante duodecimum annum non adimplentes. *tom.* 1. *pag.*150.*num.*1.*&* *seq.*

76. Papa non solum iure diuino tenetur confiteri, cùm diuinis legibus sit subiectus, verùm etiam præcepto Ecclesiastico, quod fideles obligat ad confessionem mortalium semel in anno; quia ex vi directiua, & ex honestate tenetur ad obseruantiam legum quas propria auctoritate condidit. *ibidem, numero* 4.

77. Peccata interna etiamsi sola sint, in confessione sunt aperienda, cùm aliter expiari non possint; neque esset integra confessio si hæc omitterentur, si sint mortalia. Nam ad venialium confessionem nemo tenetur. Debent tamen omnes fideles coram proprio Sacerdote tempore Paschatis comparere, etiamsi nulla habeant peccatta præter venialia, vt vitent scandalum, & non excommunicentur, vel interdicantur. *ibidem, numero* 6. *&* 8.

78. Præceptum annuæ confeſſionis eſt Eccleſiaſticum, non ſimpliciter,ſed quoad determinationem temporis;quia Eccleſia ſolùm præcepit confeſſionem ſemel in anno fieri, non verò abſolutè; vnde infertur Eccleſiam poſſe hanc determinationem temporis auferre; quia poteſt leges à ſe conditas abrogare:non tamen poteſt cum aliquo diſpenſare vt nunquam confiteatur, vel vt non confiteatur in articulo mortis; quia Eccleſia in iure diuino non diſpenſat. *tom.* 1. *pagin.* 151. *numero* 10. *&* 11.

79. Omnes fideles qui annos diſcretionis attigerunt, tenentur confiteri. 1. ſemel in anno ſi ſibi ſint conſcij peccati mort. 2. cum ſumpturi ſunt Euchariſtiæ ſacramentum ſi habeant peccatum mort. 3. in articulo mortis etiamſi eodem anno confeſſi fuerint; tunc enim, aut nunquam obligat præceptum diuinum confeſſionis: vnde ſequitur ſuſcipientes periculoſas nauigationes, & milites inſtante prælio, & mulieres primùm parituras, aut quæ partus habent difficiles, obligari ad confeſſionem. Idem dicendum de damnatis ad mortem. *ibid.num.*22.*&* *ſeq.*

80. Præceptum diuinum confeſſionis, ex vi ſua, non ſolùm obligat in articulo mortis, ſed etiam aliquoties extra mortis periculum; quia obligat ex vi ſua, vt non nimium confeſſio differatur. Qui autem eodem anno abſtinet à confeſſione, & communione, duo peccata committit; quia duo præcepta violat de re diuerſa. *ibid.num.*17 *&* 18.

81. Qui ſemel in anno,quocumque tandem tempore confitetur, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, neque poſtea tenetur, ex vi huius præcepti, iterum in quadrageſima confiteri; fieri tamen poteſt vt alio teneatur, ſi nimirum ſumpturus Euchariſtiam, lethalis culpæ ſibi ſit conſcius, aut ſi mortis articulus ſuperueniat. *ibid.n.*20.

82. Qui præuidet ſe in articulo mortis, confeſſarij copiam non habiturum; aut ſequenti tempore præſentis anni, tenetur præuenire, confitendo antequam adueniat mortis articulus, vel antequàm elabatur annus in quo tenetur confiteri. *ibid.num.*21.

83. Qui facit confeſſionem informem,ſatisfacit præcepto confeſſionis; quia verè ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ; Sacramentum enim informe eſt validum. Qui autem facit confeſſionem imperfectam,omiſſione voluntaria quorundam mortalium, aut ex ignorantia craſſa, aut ſine debito dolore,ac propoſito,aut qui ſua culpa non abſoluitur, vt publicus vſurarius,

aut meretrix, præcepto non satisfacit. *tom.1.pag.152.n.22.& & 23.* & censuras incurrit infligendas iis qui non sunt confessi. *num.25.*

84. Qui superiore anno non est confessus, tenetur hoc anno quamprimùm confiteri; quia confessio præcipitur absolutè, & simpliciter, non tàm habita ratione temporis, quàm ne diutius differatur; ergo elapso tempore determinato, non cessat obligatio; quemadmodum debitor qui termino constituto non soluit, non propterea, elapso termino, excusatur ab obligatione soluendi. Qui tamen in articulo mortis non est confessus, cum haberet conscientiam peccati mort. non videtur teneri postea quamprimùm confiteri, nisi periculum mortis perseueret; quia in eo articulo tenebatur tantùm ratione necessitatis; ergo transacta necessitate non videtur ad præceptum implendum obligandus. *ibid.n.26. & seq.*

85 Obiic. fideles qui tempore Paschatis non communicarunt, non tenentur, ea vi præcepti Ecclesiastici, postea communicare; ergo neque tenetur quis elapso anno confiteri. *Resp.* esse disparitatem, quia præceptum annuæ communionis non est latum absolutè, sed respicit circumstantiam determinati temporis; habuit enim Ecclesia rationem illius temporis quo celebratur Christi passio, cuius memoria per Eucharistiæ sumptionem potissimùm recolitur. At præceptum confessionis latum est absolutè, & independenter à tempore. Ita nonnulli. Sed omninò negandum videtur præceptum annuæ communionis, transacto Paschate, non obligare. *ibid.n.29.*

86. Qui distulit confessionem anni præteriti vsque in præsentem annum, non satisfacit vnica confessione vtrique obligationi; ad vnam quippe confessionem tenetur ratione anni elapsi, & ad alteram ratione præsentis: consequenter si semel tantùm confessus est, & iterum nolit pro præsentis anni obligatione confiteri, potest per censuras ab Episcopo compelli a dconfessionem. *tom.1.pag.153.n.31.*

87. Qui post communionem recordatur alicuius peccati mort. in confessione per obliuionem omissi, non tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis, illud peccatum quamprimùm confiteri; iam enim præcepto satisfecit. Si verò recordetur ante communionem, tenetur illud confiteri si velit accedere sacram Synaxim, ne accedat indignè. At qui post confessionem & communionem commisit peccatum mort. nondum elapso anno, non tenetur illo ipso anno confiteri. Si quis tamen confessus esset hoc anno peccata solùm venialia, & post confessio-

confeſſionem incidiſſet in mortale, nondum elapſo anno, teneretur eodem anno iterum confiteri; quia præceptum confeſſionis obligat ad mortalia ſemel in anno confitenda. *ibid. num.* 32.

88. Qui confeſſario non approbato ſua peccata confitetur, non ſatisfacit præcepto confeſſionis; ſatisfacit verò ſi cuicumque approbato confiteatur, neque poteſt Parochus impedire ſibi ſubditos quo minùs religioſo, ſeu Sacerdoti approbato confiteantur. Neque *obiicias* peccata confitenda eſſe proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia. *Reſpondeo* enim non tantùm Parochum, ſed etiam Epiſcopum eſſe proprium Sacerdotem, ac proinde qui confitetur Sacerdoti approbato ab Epiſcopo, cenſeri id facere de licentia proprij Sacerdotis. Quare Parochus in Paſchate non debet denegare Euchariſtiam affirmanti ſe confeſſum fuiſſe approbato Sacerdoti, præſertim ſi ſchedulam, ſeu atteſtationem proferat. *ibidem, pag.* 34.

89. Qui ſine graui incommodo, aut detrimento nequit ſua peccata confiteri, excuſatur ab obligatione confeſſionis. Hinc patet excuſari 1. eum qui non habet copiam Confeſſarij niſi longum iter ſuſcipiat, quod abſque graui incommodo ſuſcipere non poteſt. 2. eum qui ſibi aut alteri timet reuelationem peccati, aut aliud graue damnum. 3. eum qui non poteſt ſub ſecreto ſigilli confiteri, vt ſi Confeſſarius ſit ſurdus, aut pœnitens, in naui cum aliis exiſtens nequeat ſe accuſare quin ab aliis audiatur. 4. eum qui non niſi per interpretem poteſt confiteri, ſecluſo mortis articulo, in quo peccator, ſi non eſt alia opportunitas confitendi, tenetur publicè, vel per interpretem confiteri, ſi non poſſit actum contritionis elicere, aut ſi de ea dubitet; cauere enim debet ne ſe periculo damnationis exponat. *ibid. num.* 1 *& ſeq. pag.* 154.

90. Qui commodè, & ſine periculo nequit per ſcripturam confiteri, ad hoc non tenetur; ſi commodè poteſt, tenetur quando vrget præceptum confitendi, neque timetur periculum infamiæ, aut grauis damni: quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media conducentia ad illum finem; igitur qui tenetur confiteri, tenetur etiam adhibere media commoda ad confeſſionem, præſertim quando alia non ſuppetunt. *pag.* 154. *num.* 6.

Satisfactio quid, & quàm necessaria.

91. Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis à confessario taxatis. Non tamen semper remittitur omnis pœna peccatis debita, per satisfactionem; cum enim confessarius non semper cognoscat quanta pœna peccatis debeatur, non semper imponit pœnam ad æqualitatem, consequenter non tollitur semper omnis pœna, ita vt peracta satisfactione, nihil in purgatorio luendum remaneat. *ibidem, num* 1. *&* 2.

92. Validum est Pœnitentiæ Sacramentum in quo confessarius nullam satisfactionem iniungit (modò pœnitens ad id malitiosè non concurrat) etiamsi fortè Sacerdos peccet non iniungendo pœnitentiam absque rationabili causa: quia satisfactio non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantùm integralis. *tom.*1.*pag.*155.*n.*3.

93. Confessarius, per se loquendo, tenetur satisfactionem, seu pœnitentiam iniungere, vt patet ex Trident. *sess.*14. *cap.*3. In his tamen casibus excusatur à pœnitentia iniungenda, 1. quando pœnitens est morti proximus, tunc enim impendenda est absolutio absque satisfactione. 2. quando pœnitens est scrupulosus, & identidem redit ad confessarium, semper afferens aliquid noui. 3. quando confessarius ex signis aduertit pœnitentem cum maximo dolore accedere. At quando pœnitens creditur nullam acceptaturus pœnitentiam, non videtur dispositus ad beneficium absolutionis suscipiendum. *tom.*1.*pag.*155.156.*n.*1.*&* *seq.*

94. Confessarius non solum potest, verùm etiam, regulariter loquendo, debet satisfactionem præcipere pœnitenti: nonnunquam tamen potest eam consulere, vel imponere sub conditione, hoc modo, Si reincideris in tale peccatum, ieiunabis; vel etiam sub disiunctione, hoc modo, Dabis eleemosynam pauperi, vel, si mauis, recitabis coronam: quia satisfactio cùm iniungatur vt medicina, potest à confessario præscribi, vt visum fuerit expedire. *tom.*1.*pag.*156.*n.*6. *&* 7.

95. Opus quod in satisfactionem iniungitur, debet esse opus bonum pœnale, vt oratio, ieiunium, eleemosyna, meditatio, Missæ auditio, immò opus bonum aliàs præceptum vt ieiunium in quadragesima: si tamen confessarius nihil aliud exprimat, non censetur iniungere opus aliàs debitum ex præcepto,

cepto, consequenter pœnitens cui iniunctum est, v.g. ieiunium, non satisfacit pœnitentiæ, ieiunando eo die quo Ecclesia ieiunium indicit, nisi aliter constet de confessarij voluntate. Cauendum tamen ne pro peccatis occultis, pœnitentia publica iniungatur, ne periculo exponatur fama pœnitentis; at pro peccatis publicis, pœnitentia publica est iniungenda iuxta Conc. Trident. *sess.* 14. *c.* 8. *ibid.n.* 8. *& seq.pag.* 157.

96. Confessarius potest, & debet, iuxta suum prudens arbitrium, iniungere pœnitentiam pro grauitate peccatorum, & qualitate pœnitentis. Quare potest magis contrito leuiorem pœnitentiam iniungere, tempore Iubilæi mitiorem pœnam præscribere, &c. in primis autem studebit imponere pœnitentiam aptam ad curationem, & præseruationem à peccatis. In praxi receptum est vt mitior pœna iniungatur, ne pœnitens grauitate pœnæ ab vsu sacramentorum deterreatur. *tom.* 1. *pag.* 157. *num.* 15. *& seq.*

97. Confessarius, per se loquendo, potest satisfactionem iniungere seu ante, seu post confessionem sacramentalem. Immò potest obligare pœnitentem ad pœnitentiam ante absolutionem adimplendam, quatenus iudicauerit expedire ad curationem, & medicinam pœnitentis: ea tamen pœnitentia quæ persoluitur, ante absolutionem non habet statim suum effectum ex opere operato; quia sacramentum non producit suum effectum nisi in vltimo instanti in quo est perfectum quoad materiam, & formam. *ibid.n.* 19. *& seq.*

Pœnitentiæ commutatio.

98. Confessarius ex iusta, & rationabili causa potest in confessione diminuere, & commutare pœnitentiam, à se, vel ab alio etiam superiori iniunctam; non tamen absque rationabili causa. Excipe pœnitentiam præseruatiuam, quam non potest confessarius commutare nisi in aliam item præseruatiuam, cum id exigit iusta, & rationabilis causa. *ibid.num.* 1. *& pag.* 158. *num.* 5.

99. Confessarius inferior potest pœnitentiam pro reseruatis, à superiore iniunctam commutare, iusta interueniente causa; quia sublata est reseruatio per absolutionem superioris; quare pœnitens non tenetur adire superiorem, vt sibi commutetur pœnitentia pro reseruatis imposita. Hæc tamen pœnitentiæ commutatio non est facienda extra confessionem; quia pœnitentia est satisfactio sacramentalis, & eius commu-

tatio est actus iurisdictionis clauium in foro sacramentali. *ibid. num.6 & 7.*

100. Pœnitens qui omnino oblitus est pœnitentiæ sibi à Confessario iniunctæ, tenetur eadem peccata iterum confiteri, quatenus opus est ad commutationem pœnitentiæ; nisi fortè pœnitens aduertat se aliis piis operibus, aut indulgentiis, pro pœnis debitis satisfecisse: quia pœnitens curare debet, quantum in se est, ne quid desit ad perfectionem, atque integritatem Sacramenti. Neque potest pœnitens propria auctoritate pœnitentiam in æquale, aut in melius commutare; quia hæc commutatio est actus iurisdictionis sacramentalis, quam non potest pœnitens in se ipsum exercere. Porrò facta commutatione pœnitentiæ à Confessario, pœnitens potest eligere vtram maluerit, primam, aut secundam; quia hæc commutatio facta est in fauorem pœnitentis. *tom.1.pag.159.num.8.9. & seq.*

Obligatio ad pœnitentiam.

101. Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatámque adimplere; ita Concil. Trident. *sess.14. cap.9.* ratio est, quia pœnitens tenetur parere iudici rectè iudicanti. Si tamen pœnitentia nimiùm grauis videatur, potest rogare Confessarium vt eam mitiget, debétque Confessarius ei annuere quantum potest; sin nolit, pœnitens potest dicere se malle alteri Sacerdoti confiteri. At si pœnitentiam acceptet quantumuis grauem, peccat mortaliter, si eam non adimpleat: pœnitentiam verò leuem non adimplens, non peccat mortaliter, etiamsi iniuncta fuerit pro peccato mortali, nunquam antea expiato. *tom.1.pag.159.& 160.num.1.& seq.*

102. Probabilius est Confessarium non posse grauem pœnitentiam iniungere pœnitenti tantùm sub veniali: quia natura huius Sacramenti postulat, vt pœnitentia præcipiatur, præceptum autem in re graui obligat sub mortali. *ibidem, numero 4.*

103. Pœnitens cui tempus pœnitentiæ adimplendæ præfixum est, debet intra illud tempus eam adimplere, alioquin grauiter peccat valde diu differendo; quia facit contra obligationem in re graui: elapso autem tempore non cessat obligatio. Nullo verò termino præfixo, tenetur pœnitens, cùm primùm commodè poterit, pœnitentiam adimplere, alioquin

si diu differat,grauiter peccat,nisi pœnitentia sit leuis. *ibidem, num.5.& 6.*

104. Potest excusari pœnitens à pœnitentia sibi iniuncta per susceptionem indulgentiæ respondentis satisfactioni quæ debetur pro pœnis : quia per indulgentiam satisfacit pœnæ sibi debitæ pro peccatis ; ergo non est opus alia satisfactione. Obseruandum tamen pœnitentiæ iniunctæ in remedium, & præseruationem à peccatis non satisfieri per indulgentiam. Quare melius est, & tutius pœnitentiam sacramentalem nunquam omittere vt augeatur meritum, & Sacramentum sit integrum. *ibid n.7.& seq.*

105. Satisfactio à Confessario iniuncta non potest per alium adimpleri, nisi Confessarius aliud expresserit; quia est obligatio personalis, modò pœnitentia consistat in actione personali ; alioquin per alium tanquam instrumentum fieri potest,vt traditio eleemosynæ. Quare pœnitens potest eleemosynam per alium erogare ; at ieiunare, orare, se flagellis cædere per alium non potest. Porrò satisfactio, de consensu Confessarij,per alium facta, vt ieiunium, oratio, &c. sufficit quidem ad implendum præceptum Confessarij,non tamen sufficit ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente, quia huiusmodi satisfactio debet esse actus ipsius pœnitentis. *tom. 1. pag.160.n.1.& seq.*

106. Qui in statu peccati mortalis pœnitentiam adimplet à Confessario sibi iniunctam, satisfacit quidem obligationi ; facit enim quod sibi præceptum est: peccat tamen, quia ponit obicem effectui satisfactionis, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ ; verùm non videtur mortaliter peccare; nullus enim ferè se de hoc peccato in confessione accusat. Facta autem pœnitentia in peccato mortali,durante illo statu non prodest ad remittendam pœnam,propter obicem peccati, quo sublato,statim suum sortitur effectum. *pag.161.num.15. & seq.*

Sacramenti Pœnitentiæ effectus.

107. Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam habitualem ; & Sacerdos non tantum declarat pœnitentem absolutum, verùm etiam ipse absoluit à peccatis,vt Dei minister,& Christi vicarius, vt patet ex illis verbis Ioan. 2. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Neque obiicias illud Luc.5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* Respondeo enim solum Deum

remittere peccata principaliter, Sacerdotem verò ministerialiter,& instrumentaliter. *tom.*1.*pag.*162.*num.*1.

108 Pœnitentia seu quatenus est Sacramentum, seu quatenus est virtus quæ vocatur contritio, sufficit ad delenda omnia peccata etiam grauissima; quia confert gratiam habitualem incompossibilem cum omni peccato mortali. Quod verò Marc. 3. blasphemia in Spiritum sanctum dicitur irremissibilis, vel intelligenda est impœnitenlia finalis, quam constat esse irremissibilem; vel intelligitur peccatum ex certa malitia, quod dicitur irremissibile, quia difficile remittitur, cùm nullam habeat excusationem. Item quod Ioan. 1. cap. 5. dicitur esse *peccatum ad mortem, pro quo non est orandum*, intelligitur peccatum cum quo ex hac vita homo decedit, & damnatur. *tom.*1. *pag.*162.163. *num.*1.

109. Ne de absoluta quidem Dei potentia potest per sacramentum Pœnitentiæ vnum peccatum mortale remitti sine alio: quia peccator iustificatur per infusionem gratiæ habitualis, quæ omni peccato mortali formaliter opponitur, éstque cum eo incompossibilis, alioquin idem esset amicus Dei per gratiam,& inimicus per peccatum mortale, quod est contradictorium. *pag,*163.*num.*1.

110. Peccato mortali quoad culpam remisso, necesse est de potentia Dei ordinaria, remitti etiam reatum pœnæ æternæ; quia per gratiam homo fit amicus Dei ex inimico, iustus ex iniusto, & hæres vitæ æternæ. Non tamen semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis, vt definit Concil. Trident. *sess.*6. *cap.* 14. propterea iniungitur satisfactio; æquum enim est vt delinquenti aliqua imponatur pœna. In quo pœnitentia differt à Baptismo, qui pœnam etiam temporalem remittit. *ibid.num.*1.*&* 2.*pag.*164.

111. Defectu attritionis dari potest Sacramentum pœnitentiæ informe, idest vacuum gratia, & charitate; cùm enim gratia & charitas sint effectus Sacramenti, non pertinent ad eius essentiam; igitur potest Sacramentum esse validum, & tamen non producere suum effectum, si bona fide suscipiatur sine attritione supernaturali: nam si suscipiatur mala fide, nullum est Sacramentum cum actuali peccato mort. Posita autem attritione, Sacramentum pœnitentiæ desinit esse informe, statim enim confert suum effectum; quia iam sublatus est obex. At si post susceptum pœnitentiæ Sacramentum informe, commissum est aliquod peccatum mortale, non sufficit attritio, sed requiritur contritio, vel nouum pœnitentiæ

Sacra

Sacramentum, vt tollatur obex, & Sacramentum præcedens informe conferat suum effectum. *tom.1.pag.164.165.num.3. & seq.*

112. Per Sacramentum pœnitentiæ peccata venialia remittuntur omnia nisi ponatur obex: quia peccata venialia possunt esse materia Sacramenti pœnitentiæ, suntque faciliùs remissibilia quàm mortalia; neque maior est ratio cur hæc venialia potiùs remittantur quàm illa, modò non ponatur obex, idest modò pœnitens non retineat affectum aut complacentiam alicuius peccati venialis. *pag.165 n.1. & 2.*

113. Sacramentalia non remittunt peccata venialia ex opere operato. Dicuntur autem *Sacramentalia* res, seu actiones sacræ quibus obtinetur remissio peccatorum, cuiusmodi sunt oratio, aqua benedicta, panis benedictus, confessio quæ publicè fit ante Missam, eleemosyna, aliaque misericordiæ opera, benedictio ab Episcopo, vel Abbate. Hæc, inquam, sacramentalia remittunt peccata venialia ex opere operantis, excitando ad actum contritionis, seu amoris, per quem peccata venialia immediatè delentur. *tom.1.pag.165.n.1.& seq.*

114. Contritio formalis qua quis dolet de omnibus peccatis venialibus, vt sunt aliqua Dei offensa; & perfecta Dei dilectio sufficiunt ad delenda omnia peccata venialia; per nullos autem alios actus remittuntur extra Sacramẽtum, quàm per actus contritionis, & dilectionis, quia hi soli actus debitam habent oppositionem cum peccatis venialibus. *pag.166. 167.num.1. & seq.*

115. Quando actus contritionis, vel amoris Dei non est ita perfectus vt oppositionem habeat cum omnibus venialibus, potest vnum deleri sine alio; nam ea solùm delentur quibuscum talis actus oppositionem habet. Secùs si ita sit perfectus vt debitam cum omnibus habeat oppositionem. *pag.167.168. num.1. & 2.*

116. Peccata mortalia remitti possunt absque remissione venialium; quia venialia non sunt incompossibilia cum gratia. Venialia autem, de lege ordinaria remitti non possunt sine remissione mortalium; quia de potentia ordinaria non remittuntur venialia sine infusione, vel augmento gratiæ, gratia autem est incompossibilis cum peccatis mortalibus. *tom. 1.pag.168.n.3. & 4.*

117. Remissio peccatorum venialium nunquam fit in hac vita sine infusione, vel augmento gratiæ habitualis; quia per actum contritionis, & dilectionis Dei quo delentur venialia,

ſemper infunditur, vel augetur gratia. Tamen ad remiſſionem venialium non requiritur, per ſe, gratia habitualis quæ illa formaliter expellat; quia gratia habitualis non pugnat formaliter cum peccato veniali, ſed tantùm actus charitatis. *ibid.num.*5. & 6.

118. Decedens cum ſolis peccatis venialibus poteſt frui gloria, illis deletis per actum contritionis, & dilectionis quem anima in primo inſtanti ſeparationis à corpore elicit: vnde infertur peccata venialia poſt hanc vitam remitti poſſe per actum contritionis quoad culpam; non tamen quoad pœnam: quia poſt hanc vitam non eſt tempus merendi, neque ſatisfaciendi, ſed tantùm ſatiſpatiendi. *ibid.num.*7.

119. Peccata ita delentur per pœnitentiam vt nunquam redeant, nec redire poſſint, etiamſi noua peccata multiplicentur. Dici tamen poſſunt aliquo modo redire, non in ſe, & formaliter, ſed ratione maioris deformitatis quæ ineſt peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſo: videtur enim Deus contemni quandò de nouo offenditur poſt tantum beneficium, eſtque peccatum grauius quod committitur poſt obtentam aliorum remiſsionem. *tom.*1.*pag.*169.*n.*1. & *ſeq.*

Reuiuiſcentia meritorum.

120. Bona opera alia ſunt mortua priuatiuè quæ fiunt ab homine exiſtente in peccato mortali, & hæc nunquam reuiuiſcunt, per ſubſequentem pœnitentiam, nec quicquam proſunt ad vitam æternam promerendam. Alia mortificata quæ præſtita ſunt ab homine priuſquam in peccatum mort. prolaberetur, deinde per ſubſequens peccatum mortificantur, & hæc reuiuiſcunt per ſubſequentem pœnitentiam, & proſunt ad vitam æternam conſequendam. *tom.*1.*pag.*170.171.*n.*1. & *ſeq.*

121. Per pœnitentiam non ſolùm confertur noua gratia, ſed etiam reſtituitur tota gratia præcedens quæ præcedentibus meritis reſpondebat; quia reuiuiſcentibus meritis, ipſa etiam gratia illis meritis reſpondens reuiuiſcit. Recuperantur etiam virtutes infuſæ quæ ita connexæ ſunt cum gratia, vt cum ea amittantur; quia acceſſorium ſequitur principale. *ibid. numero* 4. & 5. & *pag.* 172.*n.*6.

Sigillum Confeſſionis.

122. Confeſſarius iure naturæ, diuino, & Eccleſiaſtico tenetur

netur ad sigillum confessionis. Peccatum autem violationis sigilli est sacrilegium mortale, etiamsi solum peccatum veniale cum sufficienti deliberatione manifestetur; fit enim grauis iniuria Sacramento, neque hac in re datur paruitas materiæ excusans à mortali. *tom.*1.*pag.*172.*n.*1.*&* *seq.*

123. Ea omnia cadunt sub sigillum confessionis quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacramentalem, factam animo se accusandi. Quare non oritur obligatio sigilli quando quis manifestat sua peccata ei quem nouit non esse Sacerdotem. Verùm qui se finxit Sacerdotem, & ob hanc fictionem causa fuit cur pœnitens manifestauerit sua peccata, tenetur ad obligationem sigilli; quia fraus non debet patrocinari suo auctori. Item ille cui aliquid manifestatum est sub sigillo confessionis ab eo qui non habebat intentionem confitendi, non tenetur ad sigillum: tenetur tamen ad secretum naturale. *tom.*1.*pag.*173.*n.*1.*&* *seq.*

124. Confessarius in dubio an aliquid sibi reuelatum fuerit in ordine ad confessionem, tenetur ad sigillum; quia rationabiliter præsumendum est in fauorem confessionis, & pœnitentis, ne confessio fiat odiosa. Idem dicendum de confessario, qui audita confessione pœnitentis, non impertiit absolutionem ob aliquem defectum, nam audiuit peccata in ordine ad confessionem. *ibid.num.*4.*&* 6.

125. Parochus qui ex confessione nouit aliquod impedimentum, tenetur illud sub sigillo reticere, neque potest denegare matrimonium pœnitenti qui obstrictus est hoc impedimento dirimente, nisi illud impedimentum nouerit aliunde. Item Parochus potest à communione repellere publicum concubinarium, quem talem nouit extra confessionem, etiamsi hoc ipsum acceperit ex confessione; caueat tamen ne credat pœnitens se repelli ex scientia habita in confessione. *ibid. num.*8.*&* 9.

126. Non solùm peccata, verùm etiam circumstantiæ, eáque omnia quæ dicta sunt in confessione ad declaranda peccata, cadunt sub sigillum confessionis; vt si pœnitens dixit se esse spurium, aut pauperem, aut aliquem defectum naturalem manifestauit. Virtutes autem pœnitentis non tenetur confessarius occultare ex vi sigilli, sed solùm ex vi secreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis; quia virtutes non manifestantur in confessione animo se accusandi. *tom.* 1. *pag.* 174 *num.*10.*&* 11.

127. Ad sigillum confessionis obligantur superiores quibus

bus confessarius aliquid aperuit auditum in confessione, vt facultatem absoluendi à reseruatis obtineret: quia superior in hac parte, confessarij vices gerit, tùm quia res ad quemcumque perueniat, cum suo onere transit. Idem dicendum de aliis quibus aliquid reuelatum est auditum in confessione, de consensu pœnitentis, consilij capiendi gratia. Item obligantur interpretes quibus pœnitens vtitur in confessione. Item qui ex malitia, vel casu, peccata confitentis audierunt. Qui inuenit chartam in qua scripta erant alicuius peccata in ordine ad confessionem, tenetur saltem ad secretum naturale, neque potest iudex de huiusmodi peccatis inquirere, sed ea debet perpetuo silentio tegere. Nec desunt qui asserant illum reum esse absoluendum, & dimittendum qui fuit accusatus, & conuictus de crimine cuius notitia habita est tantùm ex fractione sigilli; hæc enim cognitio non debet humano iudicio deseruire. *ibid. num. 1. & seq.*

128. Confessarius loquens de auditis in confessione, non manifestando personam, & sine periculo vt audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem personæ, non violat sigillum; quia nulli facit iniuriam. Neque frangitur sigillum confessionis, si confessarius dicat in tali ciuitate multos esse improbos, vel talia crimina perpetrari; si tamen id dicatur de exiguo oppido, aut de aliquo monasterio, fieri potest vt non leuis suspicio de aliquo concipiatur, cum famæ iactura. Quare de auditis in confessione parcè admodum, & cautè loquendum. *tom. 1. pag. 175. n. 1. & seq.*

129. Videtur confessarius frangere sigillum confessionis qui dicit se non absoluisse talem pœnitentem, quoties ex circumstantiis, & coniecturis ingeri potest audientibus suspicio grauis alicuius defectus. Non tenetur tamen confessarius schedulam, seu attestationem confessionis dare pœnitenti quem audita confessione non absoluit, vt si audiuit famulos alicuius Principis qui factæ confessionis testimonium exigere solet; quia confessarius non videtur propterea prodere peccatum, & indispositionem pœnitentis, seu directè, seu indirectè. *ibidem, num. 6. & 7.*

130. Confessarius non potest extra confessionem, sine licentia pœnitentis, vti scientia confessionis ad aliquid faciendum, vel omittendum; sed perinde se gerere debet ac si nihil sciret, in iis rebus ex quibus pudor, seu confusio, aut damnum pœnitenti sequeretur. Immò non potest extra Sacramentum confessionis, loqui cum pœnitente, de auditis in confessione absque

absque licentia ipsius. Potest tamen pœnitens cedere iuri suo, & concedere facultatem confessario de iis loquendi secum, aut cum aliis; quia sigillum est inductum in fauorem pœnitentis: verùm id fieri non debet absque graui causa. *tom.*1.*pag.* 176.*num.* 8.

131. Ex scientia confessionis non potest Confessarius priuare pœnitentem officio, aut illum dimitere, si est ipsius famulus, aut ei denegare suffragium, aut electionem ad beneficium, si alioquin probus vulgo existimetur. Neque Episcopus potest clericum ob crimen in confessione auditum arcere ab ordinibus suscipiendis. Denique non potest Confessarius vti scientia confessionis ad reuelandum aliquid vnde pendet bonum commune, immò salus orbis vniuersi; nullum enim est tam graue incommodum quod præponderet fractioni sigilli confessionis per quam reconciliatur homo cum Deo. Potest tamen in genere admoneri is cuius interest, vt sibi caueat; possunt enim multa humanitus accidere: at si possit pœnitens à proposito reuocari, non est necesse vllam fieri admonitionem *ibid.n.*14.*& seq.& pag.*177.*n.*18.*&* 19.

132. Confessarius non potest suum defectum in audienda pœnitentis confessione commissum manifestare, si timeat ne is cui confitetur, veniat in cognitionem peccati pœnitentis: maior quippe est obligatio sigilli quàm integritatis confessionis. Item qui ex confessione nouit pollutam esse Ecclesiam, non potest hoc detegere vt reconcilietur. Item non potest Confessarius ex scientia confessionis corrigere complicem pœnitentis, aut eius peccatum extra confessionem impedire, aut cum eo loqui de peccato, nisi de consensu pœnitentis, aut vultum asperiorem præbere pœnitenti. *tom.*1.*pag.*177. *num.*21.*& seq.*

133. Confessarius qui nouit ex confessione sibi insidias ab aliquo parari, potest se domi continere ne occidatur, aut se subducere periculo, occasione aliunde arrepta. Item qui ex confessione nouit aliquem non esse Sacerdotem, potest abstinere à confessione illi facienda, etiamsi antea soleret illi confiteri. Item qui nouit per confessionem, vinum sibi ad Missam paratum esse veneno infectum, potest Missam prætermittere, vt mortem euadat. Item potest Confessarius ex auditis in confessione reddi cautior ad custodiendas res proprias, aut vigilantior fieri circa suum gregem. *ibid num.*27.

134. Confessarius qui de auditis in confessione interrogatur, non potest respondere iuxta mentem interrogantis; sed negare

negare debet se quicquam scire, addito etiam iuramento, cum hac scilicet restrictione mentali, quod interroganti teneatur manifestare. *tom.*1.*pag.*178.*num.*31.

135. Confessarius qui certò nouit extra confessionem, delictum pœnitentis, debet ei absolutionem denegare, si interrogatus in confessione nolit illud delictum fateri; quia indignè petit absolutionem. Sin Confessarius non est certus de delicto, aut illud accepit in confessione à complice, debet pœnitentem in genere interrogare, aut etiam in particulari, modò nullam ei moueat suspicionem, ipso autem negante, tenetur absolutionem impendere. *ibid.num.*33.

Sacramenti Pœnitentiæ minister.

136. Solus Sacerdos est minister huius Sacramenti; quia potestas clauium, & remittendi peccata, est penes solos Sacerdotes. Potestas autem clauium, est potestas collata Sacerdoti qua tollit impedimentum intrandi gloriam cœlestem; sicut enim claui aperitur ianua, ita per hanc potestatem patet in cœlum ingressus. Porrò duplex est potestas clauium, *Ordinis*, scilicet, & *iurisdictionis*. Clauis *ordinis* consistit in charactere, quæ clauis non sufficit ad auferendum peccatum, nisi accedat clauis iurisdictionis. *ibid.n.*1. *& seq.pag.*179.

137. Non quiuis Sacerdos, per se loquendo, est sufficiens minister huius Sacramenti, præterquam in probabili periculo, seu articulo mortis; modò non adsit Parochus, aut alius Sacerdos approbatus. Hic autem aduertendum facultatem absoluendi in articulo mortis, cuilibet Sacerdoti concessam, esse absolutam, & directam, per se loquendo, ita vt pœnitens sic absolutus, non teneatur elapso illo periculo, eadem peccata, licèt reseruata, iterum confiteri, modò non habeant adnexam censuram; in hoc enim casu tenetur pœnitens, prima data opportunitate se sistere superiori. *tom.* 1. *pag.*179. *num.*7. *& seq.*

138. Habentes vnum tantùm domicilium in aliquo loco possunt confiteri Parocho loci, vel alteri in ea diœcesi approbato. Habentes autem duo domicilia in quibus æquè habitant, possunt vtriusque loci Parocho confiteri; vterque enim est proprius Sacerdos. Idem dicendum de iis qui in vno loco domicilium habent, in alio verò quasi domicilium, vt scholares, milites, litigantes, mercatores, &c. *tom.*1.*pag.*180.*num.*1. *& seq.*

139. Vagorum proprius Sacerdos est Parochus loci in quo vagi reperiuntur; cùm enim vagi careant domicilio, actualis habitatio loci, quam habent pro tempore, succedit in locum domicilij; possunt etiam alteri approbato confiteri. Iter agentes confiteri possunt Parocho loci ad quem perueniunt, aut alteri approbato; modò iter non faciant in fraudem legis, ea solùm causa vt possint aliis confiteri; sic enim confessio esset inualida. *ibid.num.*4.5.*&* 6.

140. Per priuilegium à Sixto IV. concessum licet religiosis confessiones extraneorum excipere, si ad ipsos accedant causa confessionis, modò religiosi sint approbati ab Episcopo loci. Non possunt autem ipsi religiosi ad aliam diœcesim proficisci vt ibi confessiones audiant, nisi ex speciali priuilegio. *ibid.n.*8.

141. Parochus non potest tempore Paschatis, Eucharistiæ sacramentum administrare pœnitentibus, qui dedita opera contulerunt sese ad Confessarios extra diœcesim non approbatos ab Episcopo ipsius Confessarij, & pœnitentis; quia illa confessio non est valida. Secus si confessi sint religiosis habentibus priuilegium absoluendi quoscumque cuiuscumque diœcesis, etiamsi ad ipsos dedita opera accedant. *ibid.num.*9. *& pag.*181.

142. Episcopus, aut Parochus potest absoluere suos subditos inuentos, vel secum ductos extra diœcesim; quia iurisdictio quæ absque strepitu fori exercetur, potest extra proprium territorum exerceri. Idem dicendum de confessario facultatem delegatam habente in personas alicuius diœcesis; potest enim illas vbicumque terrarum inuentas absoluere. *tom.*1.*pag.*181.*num.*10.

143. Hi facultatem habent sibi confessarium eligendi, Summus Pontifex, Cardinales, Episcopi iam confirmati, & Patriarchæ, Prælati exempti, & habentes solùm peccata venialia, vel mortalia ritè aliàs per confessionem expiata. Alij verò qui à Pontifice, vel Episcopo habent facultatem sibi confessarium eligendi, mortuo Pontifice, vel Episcopo possunt ea facultate vti; quia gratia facta non expirat morte concedentis: gesta autem per Vicarium Episcopi, mortuo Episcopo sunt inualida, nisi fortè factà fuerint cum ignorantia mortis Episcopi. *ibid.num.*1. *& seq.*

144. Facultas eligendi confessarium non finitur per primam electionem, nisi hæc videatur esse intentio concedentis; quia hæc facultas est fauorabilis, fauores autem sunt am-

pliandi. Habens autem hanc facultatem debet confeſſarium, ab Epiſcopo approbatum eligere; ſic enim definit Concil. Trid, Cæterùm Parochi, & curatores animarum, ſpeciali approbatione non indigent; quia ſuſceptione officij cenſentur approbati: propterea habens facultatem confeſſarium eligendi, poteſt eligere quemlibet Parochum, modò parochiale beneficium non dimiſerit. *ibid.n.4. & 5.*

145. Iuridictio eſt poteſtas quam quis habet in alios, ad eos regendos, & gubernandos, ſeu dirigendos ad regnum cœlorum. Eſt autem triplex. *Ordinaria*, quæ competit alicui ex officio. *Delegata*, quæ conceditur ab habente ordinariam; & *ex conceſſione iuris*, per quam abſoluitur is qui habet facultatem confeſſarium eligendi. Impeditur iuriſdictio per ſuperuenientem excommunicationem, vel ſuſpenſionem, vel interdictum ab officio, modò is qui tali cenſura præpeditur, ſit vitandus: acta enim excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti vitandi, ſunt irrita, extra mortis articulum, niſi adſit error communis, & titulus coloratus. *tom.1.pag.182.n.6. & ſeq.*

146. Non poteſt Sacerdos validè adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, niſi ſit per examen, aut alia ratione approbatus ab Epiſcopo, aut ab eius Vicario, aut à Capitulo, ſede vacante; per hanc enim approbationem confertur iuriſdictio ſine qua non poteſt hoc Sacramentum validè miniſtrari. Tamen ad confeſsiones regularium audiendas, non requiritur approbatio Epiſcopi, ſed ſufficit licentia ſuperioris. *tom.1. pag.183.num.9. & 10.*

147. Parochus neque communi, neque particulari iure poteſt Sacerdoti aliàs non approbato dare facultatem audiendi confeſsiones ſibi ſubditorum; Immò ne Parocho quidem alteriùs parœciæ aut Sacerdoti approbato ad audiendas confeſſiones in aliena parœcia, poteſt hanc facultatem concedere; niſi conſuetudo aliud ferat, poteſt enim conſuetudo iuriſdictionem conferre. *ibid.num.12.*

148. Ratihabitio de futuro non ſufficit vt quis validè abſoluatur ab eo qui non eſt approbatus; quia abſolutio non poteſt fieri valida per ſubſequentem Epiſcopi conſenſum, iam enim præceſſit forma abſolutionis quæ fuit inualida defectu iuriſdictionis. At ratihabitio de præſenti, ſigno aliquo externo expreſſa, tribuit iuriſdictionem. Quare ſi Epiſcopus videns Sacerdotem ſibi familiarem audientem confeſſiones, eum non prohibeat cum facilè poſſit, cenſetur eo ſilentio approbare, non ſimpliciter, ſed pro eo tempore. *ibid.n.13. & 14.*

149. Sacerdos approbandus eſt à ſuo Epiſcopo; neque poteſt Epiſcopus ſibi non ſubditum approbare; actus enim iuriſdictionis non poteſt exerceri niſi à ſuperiore in ſubditum. Immò nec Epiſcopus poteſt ſubditum alterius Epiſcopi ſibi eligere in confeſſarium *tom.*1.*pag.*184.*n.*15.*&* 16.

150. Semel generaliter approbatus in aliqua diœceſi, ſi ab ea recedat, & iterum redeat, non indiget noua approbatione, etiamſi interim mutatus fuerit Epiſcopus; quia facultas abſque temporis limitatione conceſſa durat etiam mortuo concedente. Poteſt tamen Epiſcopus, aut eius ſucceſſor reuocare approbationem iuſta de cauſa, modò approbatus non habeat beneficium Parochiale; hic enim habet facultatem beneficio annexam; quanquam hic etiam poteſt ob inſcitiam, aut iuſtam ob cauſam ſuſpendi. *ibid.*

151. Sacerdos ab Epiſcopo approbatus, quique ab eo facultatem obtinuit audiendi confeſſiones, non tenetur petere licentiam à Parochis, in quorum parœcia vult confeſſiones audire, niſi conſtet hanc eſſe mentem Epiſcopi: quia Epiſcopus habet iuriſdictionem in tota ſua diœceſi independenter à Parochis. *ibid.num.* 18.

152. Virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij concedentis facultatem eligendi confeſſarium approbatum ab Ordinario, non poteſt eligi alius quàm approbatus ab Ordinario loci in quo vult aliquis ſua peccata confiteri; quia Sacerdos in vna diœceſi approbatus, non cenſetur approbatus in alia. *ibidem, numero* 21.

153. Probabile eſt fæminam, quæ virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij, facultatem habet eligendi confeſſarium ab Ordinario approbatum, poſſe eligere eum qui, ob iuuenilem ætatem, approbatus eſt ad confeſſiones virorum tantùm; quia verum eſt dicere hunc eſſe ab Ordinario approbatum. Oppoſita tamen ſententia eſt tutior in praxi. *tom.* 1. *pagin.* 185. *num.*22.

154. Religioſus habens à ſuo ſuperiore facultatem eligendi confeſſarium poteſt religioſum alterius ordinis, aut etiam Sacerdotem ſæcularem nondum ab Epiſcopo approbatum eligere; Concilium enim Trid. *ſeſſ.*13. *cap.*15. requirit approbationem ad abſoluendos ſæculares, non verò religioſos. Quod videtur etiam admittendum tempore Iubilæi. *ibid.num.*25.

155. Religioſi qui gaudent generali priuilegio abſoluendi quoſcumque ad ſe accedentes, non poſſunt abſoluere religioſum alterius ordinis non habentem à ſuo ſuperiore facul-

tatem eligendi ſibi quemlibet in confeſſarium: quia non præſumitur ſuperior concedere priuilegium in præiudicium alterius; inde enim ſequeretur perturbatio religioſæ diſciplinæ. *ibid. num.* 27.

156. In confeſſario requiritur ſcientia,& conſcientia. Qui confeſſiones excipit ciuium, peritior eſſe debet eo qui excipit ruſticorum: qui clericorum,quàm qui laicorum. Si difficilis caſus accidat in confeſsione, qui indigeat maturiore iudicio, & ſapientum conſilio,poteſt confeſſarius abſolutionem impendere pœnitenti ſi promittat ſe facturum quod iudicatum fuerit. *tom.*1.*pag.*186.187.*n.*2 *& ſeq.*

157. Licèt teneatur confeſſarius attendere ad peccata vt de illis iudicium ferat:non tenetur tamen auditis ſingulis iudicare ſint ne mortalia, an venialia; ſed poteſt in peccatis difficilioribus ſuſpendere iudicium, dato pœnitenti remedio opportuno, ne reincidat. Eſt autem valida confeſſio, bona fide facta Sacerdoti neſcienti diſtinguere peccatum mort. à veniali, reſeruatum à non reſeruato, quia nihil deeſt ad eſſentiam Sacramenti. *pag.*187.*n.*11.*& ſeq.*

158. Poteſt confeſſarius abſolutionem impendere habenti obligationem reſtituendi, antequam reſtitutio fiat, modò pœnitens firmum habeat propoſitum quamprimùm reſtituendi;alioquin illi deneganda eſt abſolutio,vtpote non ſatis diſpoſito. Poteſt autem Parochus, & debet,non tanquam iudex, ſed vt miniſter ſacramentorum, arcere à Sacramentis non ſoluentes decimas, oblationes, &c. ſi cognoſcat illos non habere intentionem ſoluendi data opportunitate. Parochus tamen cui competit ius decimarum, vt vitet ſcandalum, debet coram aliis proteſtari pœnitenti repelli à Sacramentis, non quia deneget quod Parocho debetur; ſed quia non vult ſuæ conſcientiæ conſulere,ſéque diſponere ad Sacramenta dignè ſuſcipienda Non tamen poteſt quemquam priuare Eccleſiaſtica ſepultura ob decimas non ſolutas; hoc enim ius competit iudici in foro externo. *tom.*1.*pag.*187.188.*n.*19.*& ſeq.*

159. Epiſcopus tenetur confeſsiones ſubditorum audire, ſaltem in graui neceſsitate ſi petatur; præciſa verò neceſsitate poteſt remittere petentem ad Parochum;nam obligatio audiendi confeſsiones,regulariter pertinet ad Parochos, qui à fidelibus accipiunt alimenta,vt adminiſtrent Sacramenta; Epiſcopi autem, præciſa graui neceſsitate, à confeſsionibus audiendis excuſantur. *pag.*188.*num.*25.

160. Confeſſarius tenetur abſoluere pœnitentem habentem

tem opinionem probabilem, etiamsi ipse contrariam sequatur; alioquin illi faceret iniuriam, denegaret enim absolutionem ritè disposito, & esset causa cur pœnitens cogeretur iterum eadem peccata alteri Sacerdoti aperire. *ibid.n.26.*

Absolutio à casibus reseruatis.

161. Legitimus superior potest reseruare sibi aliquorum grauiorum criminum absolutionem. Posita autem reseruatione etiam illicita, & iniusta, adimitur inferiori facultas validè absoluendi. Non reseruantur peccata interna, neque venialia, sed mortalia externa tantùm, quia hæc cadunt sub iudicium Ecclesiæ, & eorum reseruatio saluti animarum conducere potest. Vnde sequitur eum qui facit opus externum quod non sufficiat ad peccatum mort. non incurrere casum reseruatum. *tom.1.pag.189.n.1.& seq.*

162. Inter reseruationem summi Pontif. & reseruationem Episcopi hoc interest, quòd summus Pontif. nullum peccatum reseruare consueuit, nisi ratione excommunicationis, seu censuræ adiunctæ, cuius absolutione obtenta, pœnitens potest à quolibet confessario absolui: nam per absolutionem censuræ tollitur reseruatio. *tom.1.pag.190.n.4.*

163. Archiepiscopus non potest subditos suorum suffraganeorum à casibus reseruatis absoluere, nisi quando visitat prouinciam, aut ad ipsum appellatur: in his enim casibus est superior, ac proinde potest per se ipsum, vel per alium absoluere. *ibid.num.5.*

164. Episcopus incidens in casum reseruatum summo Pontifici absolui potest à confessario quem ipse elegerit, si facultatem habeat Episcopus absoluendi alios in eundem casum incidentes: quia non est deterioris conditionis quàm alij, sicque censuit sacra Cardinalium Congregatio. *ibid.n.7.*

165. Confessarius in diœcesi, v.g. Lugdunensi approbatus, etiamsi non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, potest absolutionem impendere iter agentibus, aut peregrinis habentibus casus reseruatos proprio ipsorum peregrinorum Episcopo, modò non sint reseruati hìc Lugduni: quia confessarius non tenetur scire casus aliis Episcopis reseruatos; ad hæc, reus iudicari solet iuxta leges, & consuetudines loci in quo versatur. *ibid.num.9.*

166. Committens peccatum reseruatum in aliena diœcesi, non potest, per se loquendo, absolui à reseruatione, per Sacer-

dotes illius loci in quo deliquit, nisi ibi sit causa negotiorum, seu itineris, habita ratione consuetudinis iuxta quam vsu receptum sit, vt quis in alieno territorio absolui possit. Ratio autem cur, per se loquendo, absolui non possit à reseruatione, vel à culpa peccati in alieno territorio commissi, est, quia peccata confitenda sunt proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia. *ibid.num.*12.

167. Qui contraxit excommunicationem in alieno territorio, potest absolui à superiore illius loci in quo contraxit excommunicationem, immò si excommunicatio sit publica, & reseruata superiori loci in quo fuit contracta, non potest delinquens absolui à proptio Episcopo absque licentia Episcopi, in cuius diœcesi deliquit. Sin excommunicatio non sit reseruata, aut si sit occulta licet reseruata, Episcopus, vel alius ab ipso delegatus potest absoluere ex decreto Concil. Trident. sess.24. c.6. *ibid.n.*13.

168. Qui habet priuilegium à sede Apostolica absoluendi ab omnibus censuris & casibus reseruatis, nec validè, nec licitè potest absoluere à censuris Bullæ Cœnæ, nec à casibus Episcopo loci reseruatis, quia id non patitur voluntas concedentis priuilegium. *ibid.n.*14. *& seq. pag.*191.

169. Probabilius est eum qui Iubilæum consequutus est prima hebdomada ex duabus quæ ad id conceduntur, non posse adhuc absolui in secunda hebdomada si, obtento Iubilæo incidat in casus reseruatos: quia facultas absoluendi à reseruatis conceditur in ordine ad obtinendum Iubilæum; sed Iubilæus iam fuit obtentus, & reseruatio contracta est post obtentum Iubilæum; ergo illa reseruatio iam non potest auferri virtute Iubilæi *tom.*1.*pag.*191.*n.*17.

170. Pœnitenti petenti per se, vel pèr alium, facultàtem qua possit alteri confiteri casus reseruatos, & ab eo absolui, debet superior, per se loquendo, concedere. At si iniustè illam deneget, non potest pœnitens ab alio absolui; quia patet illi aditus ad superiorem, à quo absoluatur; excipiendus tamen est mortis articulus. *ibid.*19. *&* 20.

171. Pœnitens habens peccata reseruata, & non reseruata, non potest absque necessitate, seu rationabili causa, confiteri sola reseruata superiori vt ab illis soluatur; neque superior potest auditis solis reseruatis, absolutionem impendere, & transmittere pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis; quia integritas confessionis est de iure diuino; ergo non licet absque iusta causa dimidiare confessionem. Quando autem

tem superior absoluit à reseruatis, non auditis aliis non reseruatis, sacramentaliter absoluit: potest tamen absque sacramentali absolutione reseruationem auferre. *tom.*1. *pag.*192. *num.*1.*&* *seq.*

172. Peccata reseruata à quibus pœnitens directè fuit sacramentaliter absolutus à superiore, non sunt inferiori Sacerdoti cum aliis non reseruatis necessariò manifestanda; nullà quippe est obligatio eadem peccata bis subiiciendi confessioni. Vnde patet à fortiori eum qui ab inferiori fuit directè absolutus à non reseruatis, & pro reseruatis mittitur ad superiorem, non teneri etiam non reseruatà manifestare superiori. Idem dicendum de eo qui iusta de causa peccatum aliquod subticuit in confessione. *tom.*1.*pag.*193.*num.*4.

173. Sacerdos qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis, non potest absque necessitate, aut iusta causa absoluere pœnitentem à non reseruatis, ipsúmque mittere ad superiorem pro reseruatis: quia non potest ab vno peccato mortali absoluere quin absoluat ab omnibus. At vrgente necessitate, potest directè à non reseruatis absoluere, indirectè verò, & consecutiuè, à reseruatis cum onere adeundi superiorem pro absolutione directa reseruatorum. *ibid.num.*5.*&* 6.

174. Obstrictus necessitate communicandi, vel celebrandi, ad vitandum scandalum, vel grauis infamiæ periculum; potest ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reseruata, vel habentia annexam excommunicationem Confessario non habenti facultatem absoluendi à reseruatis, cum onere præsentandi se superiori à quo absoluatur à reseruatis: quia ad Eucharistiam, iure diuino, præmittenda est confessio ab eo qui sibi conscius est peccati mortalis. *tom.*1. *pag.* 194.*num.*8.

175. Vna reseruatio auferri potest alia remanente, siue sermo sit de reseruatione quæ adiunctam habet censuram, siue de reseruatione sine censura. Tamen inferior qui habet facultatem delegatam absoluendi à casibus reseruatis, non potest, per se loquendo, absoluere sacramentaliter ab vno casu reseruato, & non ab alio; quia vt confessio, sic absolutio, integra esse debet, cùm vnum mortale peccatum sine alio remitti non possit. *ibid.num.*10.

176. Quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas potest, in dubio an peccatum sit reseruatum, absoluere, nisi aliter decernatur, aut nisi sit sufficiens præsumptio in contrarium: Confessarius enim approbatus, est in possessione suæ

iurisdictionis ; melior autem est conditio possidentis. Hinc constat eum qui dubitat an compleuerit peccatum , seu opus externum reseruatum, posse à quolibet Confessario approbato absolui,etiamsi non habeat facultatem absoluendi à reseruatis. *ibid.num.*1.*&* 2.

177. Sacerdos qui verè dubitat an habeat iurisdictionem circa peccata reseruata , non potest absoluere, absque mortali culpa , extra mortis periculum ; exponeret enim se periculo absoluendi inualidè , & possessio stat pro peccatis quæ constat esse reseruata. Interueniente tamen necessitate, aut rationabili causa potest indirectè,& sub conditione absoluere. *tom.*1.*pag.* 195.*num.*4.

178. Absolutus tempore Iubilæi à Confessario approbato, vel etiam ab alio , extra Iubilæi tempus facultatem habente circa casus reseruatos , remanet absolutus à reseruatis , quæ per obliuionem omisit in confessione ; Confessarius enim habet iurisdictionem , & facultatem absoluendi , necnon intentionem, vt suppono , & pœnitens facit quod in se est. At si Confessarius non habuit intentionem absoluendi à reseruatis per obliuionem omissis, pœnitens non manet absolutus ; quia forma non operatur vltra intentionem proferentis. *ibidem, num.*1. *& seq.* Probabile tamen est pœnitentem manere absolutum à reseruatis , etiamsi non petat explicitè absolutionem à reseruatis , modò confiteatur Sacerdoti iurisdictionem habenti circa reseruata : petit enim interpretatiuè absolutionem à reseruatis , quatenus accedit ad Confessarium à quo absoluatur ab omnibus , & Confessarius censetur velle prospicere pœnitenti quantum potest. *tom.* 1. *pagina* 196. *num.*5.

179. Qui virtute Iubilæi absolutionem obtinuit à Confessario approbato , sed oblitus est alicuius peccati reseruati, potest deinde cuilibet simplici Confessario peccatum omissum confiteri ; nam per confessionem virtute Iubilæi factam sublata est reseruatio ; modò tamen obliuio non fuerit ita culpabilis vt irritum reddiderit Sacramentum. *ibidem , numero* 8.

180. Confessarius non potest virtute Iubilæi , vel alterius facultatis , socium culpæ , seu complicem in confessione audire, vel absoluere : Confessio enim fieri debet cum pudore, & verecundia ; confessio autem facta Confessario complici fit sine pudore, immò ex ea accipi potest occasio liberiùs peccandi. *tom.*1.*pag.*197.*num.*10.

181. Absolutus à reseruatis, vel à censuris tempore Iubilæi, non reincidit in casus reseruatos, vel in censuras, etiamsi postea voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum Iubilæum præscribuntur; neque grauiter peccat ea prætermittens, quia sibi tantùm nocet. *ibid.n.*17.*&* 18.

182. Confessarius, qui à censuris malè absoluit pœnitentem quem absoluere non poterat defectu iurisdictionis, debet absentem absoluere, obtenta facultate: quia absolutio à censuris ferri potest in absentem, & inscium, & existentem in peccato mortali. A peccatis autem etiam non reseruatis non potest absentem absoluere. At si pœnitens non sit absens, aut non ita remotus vt censeri possit moraliter præsens, potest Confessarius illum à peccatis malè absolutum, etiam inscium iterum absoluere: censetur enim pœnitens adhuc retinere voluntatem accipiendi absolutionem, donec ritè & validè absoluatur. *tom.* 1. *pag.* 198. *num.* 1. *&* 2.

183. Confessarius qui ex malitia, vel ignorantia, vel inaduertentia, inualidè absoluit pœnitentem à reseruatis, vel aliis, debet, obtenta debita facultate, reuocare pœnitentem ad confessionem, modò id fieri possit sine scandalo, vel graui illius detrimento. Sin id fieri non possit absque graui offensione, vel scandalo, non tenetur illum admonere, vel reuocare, nisi pœnitens probabiliter credatur nunquam facturus aliam confessionem; tunc enim Confessarius tenetur illum admonere, etiamsi timeat sibi graue damnum; quia salutem proximi tenemur nostris commodis temporalibus anteferre. *ibid.num.*4.

Pœnitentiaria. Pœnitentiarius.

1. PIus IV. in Bulla 53. quæ incipit, *In sublimi B.Petri solio.* excommunicationem latæ sententiæ iniunxit maiori Pœnitentiario, & officialibus Pœnitentiariæ præsumentibus intromittere se in concessionibus, & expeditionibns in hac Bulla interdictis. *disp.*2.*quæst.*6.*punct.*2.*pag.*278.*tom.*3.

2. Hæc excommunicatio non est reseruata.

3. Pius V. in Bulla 83. quæ incipit, *In omnibus rebus,* excommunicationem tulit contra officiales Pœnitentiariæ accipientes aliquid etiam sponte oblatum, aut alia ratione, occasione concessionum, seu expeditionum. *ibid.quæst.*7.*punct.*6.*pag.*286. *num.*1.*tom.*3.

4. Probabile est eosdem officiales vinculo excommunicationis ligari excercentes suum officium per alium, aut non diligenter, aut non fideliter, aut accipientes fructus, & emolumenta officij, dùm illud non exercent; quia excommunicatio posita in fine Bullæ refertur ad omnes actiones præcedentes. *ibid. pag.* 287. *num.* 3. *tom.* 3.

Pollutio, seu mollities.

1. POllutio voluntaria, est peccatum mortale: quia est contra ordinem naturæ, & contra naturam generationis, & 1. *Corinth.* 6. dicitur: *neque molles Regnum Dei possidebunt.* Tunc autem censetur pollutio voluntaria, quando prouenit ex causa, quæ neque est necessaria, neque vtilis, neque honesta; modò proueniat ex causa proxima notabiliter influente in ipsam pollutionem. *tom.* 1. *pag.* 319. *n.* 3. *& seq.*

2. Pollutio non est peccatum mort. quando sequitur vi naturæ, vel ex aliqua causa, quæ habet alium effectum, vt ex ebrietate, vel esu ciborum calidorum, vel ex aspectu, aut collocutione cum fœmina, modò non intendatur pollutio, neque sit periculum consensus. Multò minus est peccatum quando sequitur ex causa quæ alium habet effectum, quæque assumitur propter vtilitatem, vel bonum finem, vt ex confessionibus audiendis. Item excusatur à mortali pollutio quæ sequitur ex agitatione itineris, vel equi, modò equitans non se componat ad eum finem, vel non sit periculum consensus. Item excusatur à mortali pollutio proueniens ex fricatione pudendorum, ad sedandum magnum pruritum, vel ex lotione ad purgandum fœtorem, modò absit periculum consensus. Item pollutio non est peccatum mort. quando prouenit ex causa venialiter luxuriosa, & leuiter influente in pollutionem, vt ex aspectu curioso, vel lectione curiosa: quia hæc causa leuiter influit & concurrit ad pollutionem. *ibid. num.* 6. *&* 7. *& pag.* 320. *num.* 8. *&* 9.

3. Non licet procurare pollutionem propter sanitatem, neque medicus potest præbere medicamentum quod nullum alium habeat effectum quàm vt prouocet naturam ad pollutionem: quia hoc repugnat naturæ generationis, ad quam semen est à natura institutum. *tom.* 1. *pag.* 320. *n.* 11.

4. Non licet desiderare pollutionem, vel de illa iam sequuta gaudere ex affectu libidinis, vel propter delectationem. Ob finem verò honestum licet gaudere de pollutione

ne, vt ob sanitatem, vel ad sedandam tentationem. *ibidem, numero* 14.

5. Pollutiones in se spectatæ, sunt eiusdem speciei: per accidens tamen possunt esse diuersæ, ratione circumstantiæ adiunctæ: nam si quis dùm se polluit, cogitet de coniugata, vel Moniali, præter malitiam pollutionis, contrahit culpam ob qualitatem personæ circa quam delectatur, atque hæc circumstantia est in confessione aperienda: quia actus specificatur ab obiecto. *ibid.num.* 15.

6. Maritus qui inchoauit copulam cum vxore, non potest, absque peccato mortali, desistere contra voluntatem vxoris. At de consensu vxoris se retrahens à seminando, non peccat mort. quamuis ipsa non seminauerit, modò non sit periculum pollutionis extra vas. Quando verò vxor iam seminauit, non potest maritus, qui nondum seminauit, desistere à copula, nisi adsit causa vrgentissima desistendi: quia desistente marito, prodigitur semen fœminæ, quod est contra finem generationis. Non est tamen peccatum mort. si fœmina se retrahat, vel conetur non seminare, postquam maritus seminauit; cùm iuxta communiorem sententiam, semen fœminæ non sit necessarium ad generationem. Fornicantes autem possunt ante seminationem desistere à copula, etiam cum periculo effundendi seminis: quia eiusmodi copula est illicita. *ibid.num.* 16. *& pag.* 321. *num.* 17.

Prædicatorum & Franciscanorum Ordo.

1. BOnifacius IX. Eugenius IV. & Alexander IV. multa priuilegia religiosis Ordinis Prædicatorum, & Franciscanorum concesserunt, addita pœna excommunicationis contra eos 1. qui dicunt, & defendunt præfatos Ordines non esse in statu perfectionis, aut eis non licere eleemosynis vitam sustentare, aut concionari, aut confessiones audire de licentia Papæ. 2. qui præfatos religiosos eiiciunt ab Vniuersitate Parisiensi. 3. qui violentiam exercent contra loca prædictorum religiosorum, aut impediunt ne possint in suis Ecclesiis celebrare, aut prædicare, aut eleemosynas recipere. 4. qui apostatas Ordinis Prædicatorum retinent. 5. qui libellos famosos, cantilenas, vel rythmos edunt, retinent, vel publicant contra præfatos Ordines. *disp.*2.*quæst.*3.*pag.*250 251.*num.*1. *& seq. tom.*3.

2. Scribens libellos famosos contra alias religiones qui-

bus communicata sunt priuilegia Ordinis Prædicatorum; aut Minorum in eandem censuram incurrunt; alioquin iisdem priuilegiis non gauderent aliæ religiones si eas liceret impunè infamare. *ibid.num.6.*

3. Scribens libellum famosum contra aliquem religiosum prædictorum Ordinum, non subiicitur huic excommunicationi; quia hic non dicitur Ordinem infamare nisi secundariò, & indirectè. Conficientes autem libellos famosos contra alias personas nuspiam excommunicati inueniuntur ipso facto. *ibid. num.6.& 8.*

PRÆLATVS.

Cardinalium, Episcoporum, Legatorum violatores.

1. QVi interficiunt, mutilant, vulnerant, percutiunt, capiunt, carcerant, detinent, vel hostiliter insequuntur S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuncios; aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiiciunt: necnon qui ea mandant, vel rata habent, seu præstant in eis auxilium, consilium vel fauorem, in Bullæ Cœnæ 11. excommunicationem incurrunt. Sunt ipsa verba Canonis. *disp.1.quæst.12.pag.55. tom.3.*

2. Episcopus nondum consecratus, sed tantùm electus, etiamsi possessionem adeptus sit, non gaudet priuilegio huius canonis; consequenter qui huiusmodi Episcopum offendit, huius excommunicationis vinculo non obstringitur: Quia hic non est verè & propriè Episcopus cùm careat charactere Episcopali qui per consecrationem confertur; quemadmodum is qui Archiepiscopatum adeptus est ante pallij susceptionem, non potest Archiepiscopus appellari. *ibid.punct.2.pag.58.numero 7.tom.3.*

3. Qui violat Episcopum suspensum, excommunicatum, irregularem, vel eum qui Episcopatui, & dignitati renunciauit, incidit in excommunicationem Bullæ: quia hic verè est Episcopus, cùm characterem Episcopalem retineat, in anima indelebiliter impressum. Secùs si Episcopus sit realiter degradatus; tunc enim omnibus clericorum priuilegiis excidit. *ibid.num.8.*

4. In hanc excommunicationem non incidit qui clericum de

de familia alicuius Cardinalis, Episcopi, vel Nuncij vulnerat, aut occidit etiam coram ipso Cardinali, Episcopo, vel Nuncio, etiam in contemptum ipsorum: quia huiusmodi familiares in hoc canone non exprimuntur. Neque est alia excommunicatio in iure lata contra eos qui percutiunt familiares Papæ, aut Cardinalium, nisi sint clerici; sed tantummodò decernitur vt illis imponatur pœna pro qualitate culpæ. *ibidem, numero* 11. *&* 12.

5. Probabiliter sustineri potest Cardinalem, seu Episcopum qui seipsum ferro vulnerat, aut veneno occidit, subiici huic excommunicationi; quia facit actionem in hoc canone interdictam, neque ipse cedere potest priuilegio huius Bullæ quæ in fauorem dignitatis edita est. Tamen opposita sententia non est improbabilis; quia summus Pontifex loqui videtur de exercentibus istas actiones in personas distinctas. *ibid. punct.*3.*pag.*59.*num.*3.*tom.*3.

6. Si quis Cardinalem, aut Episcopum obsideat, non vt illum capiat, sed vt castro iustè potiatur, non ligatur hac censura; quia vtitur iure suo: Sin velit castrum iniustè obtinere, probabile est illum ligari excommunicatione, quia hæc videtur hostilis insequutio. Item si quis habeat iustam percutiendi causam, ad sui suorúmque defensionem, si Cardinalem, vel Episcopum percutiat, eximitur ab excommunicatione. *ibid. num.*4.

7. Ignorantia huius canonis, personæ, vel qualitatis ab hac censura excusat. Vt si quis percutiat Cardinalem noctu incedentem, vel mutato habitu, nesciens illum esse Cardinalem, etiamsi grauiter peccat; non tamen hanc excommunicationem incurrit: quia ignorat qualitatem personæ; ideóque non videtur contumax contra hunc canonem. Neque subiacet huic excommunicationi qui intendens percutere Episcopum, percutit alium. *ibid.pag.*60.*num.*7.*tom.*3.

8. Qui mandat percuti vnum Episcopum, aut Cardinalem, non incurrit excommunicationem si is qui mandatum accepit, percutiat alium Episcopum: quia quod mandatarius facit vltra terminos mandati, non imputatur mandanti. Item si mandatum vel consilium reuocauit, & reuocationem mandatario significauit, si postea mandatum executioni mandetur, hanc censuram non incurrit; quia iam non censetur causa percussionis. *ibid.num.*11.

9. Mandans, consulens, auxilians, fauens percussioni Episcopi, non censetur excommunicatus nisi sequatur percussio: quia

quia summus Pontif. primò & per se excommunicat percutientes; secundariò autem, & accessoriè, mandantes; ergo non incurritur excommunicatio propter mandatum, antequam sequatur effectus. *ibid.num.*10.

10. Defensor vel receptator percutientis Cardinalem, Episcopum, vel Nuncium, si recipit illum vel defendit ante patratum crimen, ligatur excommunicatione quoties ex illa defensione delictum committitur: quia præstat fauorem, & auxilium ad patrandum delictum contra prohibitionem Bullæ. Sin illum recipit & defendit post admissum crimen, huius excommunicationis vinculo non innodatur: quia crimine iam admisso, non censetur præstare auxilium ad illud admittendum. *ibid.n.*12.

11. Qui percussionem vel aliam iniuriam in Cardinalem, Episcopum, vel Nuncium non prohibet cùm alioqui commodè prohibere, atque impedire possit, non afficitur excommunicatione huius canonis; nisi forte consentiat cooperando, & auctoritatem præstando: quia qui non impedit, non præstat auxilium, aut fauorem, sed habet se negatiuè: at si sua taciturnate in causa sit, vt delinquentes animentur, & promptiores fiant ad patrandum delictum, reus erit excommunicationis. Addendum tamen eum qui cognita conspiratione in personam Cardinalis aut Episcopi, tacet, dum potest illam patefacere, incidere in excommunicationem, & pœnas à Pio V. inflictas occasione facinoris attentati contra S. Carolum Boromæum Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopum, & & S. R. E. Cardinalem. *ibidem*, *pagin.* 60. 61. *num.* 14. *&* 15. *tom.*3.

12. Cardinalis, Episcopus vel alius Prælatus percussus, vel aliter violatus, si delictum est notorium, potest in loco suæ iurisdictionis declarare delinquentem pœnam excommunicationis incurrisse: quia tunc non est iudex in sua causa; sed tantùm executor iuris; In dubio verò an excommunicatio contracta fuerit, expedit declarationem fieri à superiore vt omnis suspicio iniquæ declarationis tollatur. *ibid. punct.*4. *pag.*61.62.*num.*3.*tom.*3.

Præter hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ, sunt aliæ multæ à Pontificibus latæ contra Cardinalium, & Episcoporum violatores.

Præscriptio.

Præscriptio.

1. PRæscriptio est acquisitio dominij vtilis, vel directi rei alienæ, per continuationem possessionis bonæ fidei, spatio temporis à lege definiti. Ad præscriptionem quinque conditiones requiruntur. 1. est continuata possessio. 2. capacitas actiua respectu possidentis, & passiua respectu rei quæ possidetur, vt scilicet possidens possit possidere, & res possideri. 3. bona fides, seu credulitas, qua quis prudenter iudicat rem suam esse, vel saltem nescit esse alienam; modò ignorantia non sit crassa, vel affectata. 4. titulus probabiliter præsumptus: nam si dono, vel emptione aliquid furtiuum accepi ab aliquo, ratus ipsum esse legitimum illius rei dominum, cùm verè non sit, possum rem acceptam præscribere tempore à iure definito. 5. conditio est tempus à lege definitum. Ad præscriptionem autem rerum mobilium, quæ propriè vocatur vsucapio, requiritur spatium trium annorum cum titulo, & bona fide inter præsentes; inter absentes verò, spatium quatuor annorum, cum titulo, & bona fide; quod tempus sufficit ad præscriptionem bonorum mobilium Ecclesiasticorum, immò etiam Ecclesiæ Rom. Ad præscriptionem verò rerum immobilium, requiritur contra priuatos spatium decem annorum inter præsentes, cum titulo; inter absentes viginti annorum. At contra res Ecclesiæ immobiles requiritur spatium 40. annorum; contra immobilia Ecclesiæ Rom. requiritur spatium 100. annorum. Ad præscribendum contra ordinem S. Benedicti, requiritur spatium 60. annorum, ex priuilegio Eugenij. *tom.2.pag.*418.*n.*1. *& seq.*

2. Res mobiles etiam Ecclesiæ Rom. præscribuntur spatio 30. annorum, sine titulo; idem spatium requiritur ad præscribendas res immobiles contra priuatos, quando titulus deest. Seruitus personalis præscribitur spatio 10. annor. cùm titulo, inter præsentes, inter absentes 20. sine titulo verò, spatio 30. annor. Seruitus realis continua præscribitur spatio 10. annor. inter præsentes; 20. inter absentes, *tom.*2.*pag.*421.*n.*31.

3. Illi tantùm possunt præscribere qui suo nomine possunt possidere; vnde sequitur religiosum professum non posse quidquam præscribere cùm nihil possit suo nomine possidere, sitque incapax dominij. *tom.*2 *pag.*418.*n.*7. *&* 8.

4. Res Ecclesiasticæ, & iura spiritualia non possunt à laïcis præscribi vt ius cognoscendi, & iudicandi causas clerico-

rum,

rum, ius decimarum, primitiarum, & oblationum, aliáque iura Ecclesiastica; quia deest laicis capacitas actiua illius præscriptionis. *ibid.num.*5.*&* 6.

5. Ius patronatus non potest à laico præscribi, si constet Ecclesiam illam in qua ius patronatus existit, olim fuisse liberam, & non subditam iuri patronatus; ius enim patronatus est Ecclesiasticum, & spirituale. Sin Ecclesia olim fuit subdita iuri patronatus, potest ius patronatus à laico contra alium laicum præscribi spatio 10. annorum inter præsentes cum titulo; 20. verò inter absentes; sine titulo, spatio 30. annorum. *ibidem, num.*11.

6. Beneficium aduersus priuatum, aliàs habentem legitimum titulum præscribitur spatio 10. annor. inter præsentes si adsit possessio bonæ fidei, & titulus; inter absentes spatio 20. annor. cum bona fide, & titulo: sine titulo verò, possessio beneficij non censetur inchoata cum bona fide, quia beneficium sine institutione, canonicè obtineri non potest. His addendum, eum qui beneficium per triennium pacificè possedit, absque simoniaco ingressu, præscribere aduersus actionem cuiuslibet competitoris, non modò fructus, sed ipsum etiam beneficium. *tom.*2.*pag.*419 *num.*11.

7. Non modò res corporales, sed etiam incorporales, vt seruitutes, actiones, & iura, præscribi possunt, modò aliquid expresse non prohibeatur, sicut prohibetur res furtiua, quæ præscribi non potest nisi spatio 30. annor. cum bona fide. Prohibentur etiam præscribi viæ publicæ, census, & tributa quæ supremo Principi debentur, exemptio ab obedientia superioris, res publicæ, vt forum, limites parœciarum quando de illis constat, alioquin præscribi possunt. Denique præscribi non possunt quæ prohibentur alienari. *ibid.num.*12.

8. Qui 30. annis, bona fide possedit ius non soluendi, ratus se nihil debere, eò quod crediderit debitum solutum esse, aut condonatum; aut eò quod de eo nihil omnino cogitauerit, potest debitum illud præscribere; debita enim rerum mobilium, & immobilium, spatio 30. annor. cum bona fide præscribuntur. *ibid. num.*16.

9. Hæres immediatus defuncti qui mala fide, bona possidebat, vt filius, nullo tempore præscribit, quamuis bona fide succedat, & ignoret malam fidem defuncti; hic enim hæres censetur eadem persona cum defuncto. Sin successor non est hæres immediatus, sed successor in re particulari, validè præscribit, modò bonam habeat fidem, & non computetur

tempus

tempus quo defunctus mala fide possedit. *tom. 2. pagin.* 420. *numero* 21.

10. Quando possessio rei alicuius transit ab vno possessore bonæ fidei, ad alterum item bonæ fidei possessorem, præscriptio currit, absque interruptione, itavt res censeatur præscripta, quando computato tempore vtriusque possidentis, elapsum est tempus requisitum ad præscriptionem. *ibid.*

11. Minoribus, locis piis, ac Ecclesiis, aduersus præscriptionem conceditur restitutio in integrum, auctoritate iudicis: minoribus enim conceditur spatium 4. annorum ad rem suam repetendam. *tom.* 2. *pagina* 422. *numero* 34.

Precarium.

1. PRecarium est contractus quo quis concedit aliquid alteri, cum potestate illud repetendi quoties voluerit, vt si tibi petenti concedam vt transeas per meum agrum, cum pacto vt possim hanc facultatem reuocare cùm libuerit. Dicitur autem *precarium*, eò quod fiat precibus illius in cuius commodum conceditur. *tom.2.pag.636.n.1.*

2. Ad contractum precarij tres conditiones requiruntur. 1. est mutuus consensus dantis, & accipientis. 2. traditio rei. 3. vt qui tradit precarium, possit illud repetere, quoties voluerit, nisi charitas aliud postulet. Quare in precario non potest pactum iniri, vt tradens precarium non possit illud repetere nisi post certum tempus; hoc enim est contra naturam precarij. *ibid.num.*3.*&* 4.

3. Res quæ precario concedi possunt non solùm sunt res mobiles, sed etiam immobiles, non modò iura corporalia, verùm etiam incorporalia: rem tamen suam non potest quis precariò obtinere, quoad proprietatem, quoad possessionem potest. *ibid. num.*3.

4. Precarium tribus modis finiri potest, 1. voluntate concedentis; 2. venditione facta à domino; 3. morte illius qui precarium accepit; neque enim precarium transit ad hæredes, sed est personale: at morte tradentis non finitur precarium; quapropter accipiens, mortuo tradente, potest vti precario, donec ab hæredibus reuocetur. *ibidem*, *num.*5.

Primitiæ.

Primitiæ. Oblationes.

1. PRimitiarum nomine intellige primos fructus qui ex agris, aut arboribus percipiuntur, Deoque immediatè offeruntur, in recognitionem beneficiorum quæ à Deo accipiuntur. Nullum ius in noua lege obligat ad primitias soluendas, aut si quod olim fuit, contraria consuetudine abrogatum est. *tom.2 pag.354.num.1.*

2. Nomine *oblationis* intelligitur quidquid offertur Deo in recognitionem dominij, & excellentiæ ipsius, siue sint primi fructus, siue aliqua res mobilis, aut immobilis. Hinc collige discrimen inter primitias, oblationes, & decimas: nam primitiæ, & oblationes offeruntur immediatè in cultum, & honorem Dei, decimæ verò ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, *ibid. num.3.*

3. Oblationes, iure communi, pertinent ad Rectorem siue Parochum illius Ecclesiæ in qua fiunt; nisi offerantur ea intentione vt in honorem, vel ornatum imaginis, vel sacelli insumantur. Oblationes verò quæ ad manum Sacerdotis in Missa fiunt, ex consuetudine ferè communiter recepta, pertinent ad Parochum, vel ad eum Sacerdotem cuius est altare in quo fiunt; modò non tradantur Sacerdoti celebranti tanquam stipendium sui laboris. *ibid.num.15.*

PRIVILEGIVM.

Quid, & quotuplex sit priuilegium.

1. PRiuilegium est specialis gratia alicui concessa, seu est lex qua conceditur aliquid speciale. Est autem multiplex. 1. aliud dicitur *scriptum*, aliud *non scriptum*, siue à superiore concedatur, siue consuetudine acquiratur. 2. aliud est *reale*, quod directè conceditur alicui rei, vt loco, dignitati, vel prædio, vel mercibus; aliud *personale*, quo conceditur immediatè personæ: quãdo res cui concessum est priuilegium, transit ad alium dominum, ad eundem etiam transit priuilegium: priuilegium verò personale extinguitur cum persona. 3. aliud est *gratiosum*, quod gratis conceditur, aliud *remuneratorium*, quod conceditur ratione meritorum. 4. aliud est *conuentionale*. quod conceditur ex pacto; aliud *purum*, quod absolutè conceditur. 5. aliud est *priuatum*, concessum in fa-

uorem perſonæ priuatæ, aliud *commune*, quod immediatè reſpicit bonum communitatis. 6. aliud eſt *fauorabile*, quod priuilegiato confert fauorem, & commodum, nulli autem incommodum; aliud *odioſum*, quod cedit in fauorem vnius, & in præiudicium alterius. 7. aliud eſt *perpetuum*, aliud *temporale*, ſeu *ad tempus*. 8. aliud eſt priuilegium *in foro conſcientiæ*, quod in foro externo non valet; aliud *in foro externo*, quod etiam valet in conſcientiæ foro. *tom.2.pag 75.n.1. & ſeq. & pag.76.n.8. & ſeq.*

A quo & cui priuilegium concedendum.

2. Eius eſt priuilegium concedere, cuius eſt legem ferre: priuilegium enim eſt quædam lex. Non conceditur autem priuilegium niſi ſubditis: per priuilegium quippe homo eximitur à lege; non eximitur autem niſi aliquo modo ſubditus. Religioſi, & clerici, licet non ſint directè ſubditi Principibus ſæcularibus; nihilominus ſi Princeps condat legem ciuilem, purè fauorabilem, poſſunt illius beneficio frui; ſunt enim aliquo modò ſubditi, quatenus Principem agnoſcunt in iis quæ Eccleſiaſticæ immunitati non officiunt. *tom.2.pag.76.num.1. & pag.77.num 5.*

3. Priuilegium validè conceditur ignoranti: ſufficit enim voluntas concedentis. Hinc collige validam eſſe diſpenſationem voti caſtitatis, quam ſponſus obtinuit pro ſponſa inſcia diſpenſationis: modò tamen ab ipſa acceptetur; alioquin non poſſet ea diſpenſatione licitè vti. *tom.2.pag.77 n.1 & 2.*

4. Diſpenſatio, ſeu priuilegium poteſt validè obtineri pro inuito,& ſuperior poteſt cum ſubdito renitente,in lege diſpenſare. Immò dari poteſt caſus, vt ſuperior poſſit cogere ſubditum ad vtendum diſpenſatione, v.g. ad non ieiunandum in Quadrageſima. *ibid num.4.*

5. Vt priuilegium vim habeat, debet acceptari ab eo cui conceditur, aut ab eo qui vices ipſius gerit: nam conceſſio priuilegij eſt veluti quædam donatio facta in fauorem priuilegiati; donatio autem non valet antequam acceptetur. Hoc autem intelligendum eſt de priuilegiis gratioſè conceſſis: nam quæ in remunerationem conceduntur, & non ex mera liberalitate, valent quamuis expreſsè non acceptentur: priuilegiatus enim ſcit ſe dignum remuneratione, ac proinde priuilegium non omnino ignorat. *ibid.n.5. & pag.78 n.15.*

Priuilegij vsus.

6. Priuilegio absolutè, & absque determinatione loci concesso, priuilegiarius vti potest in quolibet loco intra ditionem concedentis: huiusmodi enim priuilegium censetur generale, iuxta facultatem concedentis. Priuilegium autem quod restringitur ad aliquem locum, non valet extra illum locum. Quare qui priuilegium obtinuit à Sede Apost. retinendi duo beneficia in vna Ecclesia, non potest in alia Ecclesia, eodem priuilegio vti. *tom.2.pag.79.n.1.*

7. Priuilegiarius potest, per se loquendo, vbique, etiam extra territorium concedentis, vti dispensatione, seu priuilegio personali sibi concesso absque determinatione loci, modò in alieno territorio non extet aliqua prohibitio specialis: quia priuilegium personale sequitur personam, quocumque pergat. Per accidens tamen, ratione scandali, vel alterius circumstantiæ, fieri potest, vt non sit vtendum vbique priuilegio personali. *tom.2.pag.80.num.4.*

Priuilegij explicatio.

8. Quando verba priuilegij sunt obscura, aut ambigua, & dubitatur de mente concedentis, recurrendum est ad coniecturas, ad inuestigandam intentionem concedentis, aut adeundus est Princeps, si ad ipsum pateat aditus, nisi sit periculum in mora. *tom.2. pag.81.n.3.*

8. Priuilegium purè fauorabile, latè explicandum est, quantum verborum proprietas patietur; cùm nulli præiudicium fiat. Priuilegium verò odiosum, regulariter loquendo, strictè explicandum est, seruata verborum proprietate: odia enim sunt restringenda, fauores ampliandi. Priuilegia quæ continentur in iure communi, non sunt strictè explicanda; idem dicendum de priuilegiis contentis in corpore iuris, aut quæ versantur circa materiam iuris: habent enim vim legis. Quæ verò non continentur in iure, strictè explicanda sunt: quia censentur ius quoddam priuatum, contra ius commune: dispensationes autem quæ derogant iuri communi, strictè sunt explicandæ. Item priuilegium quod præbet occasionem liberius peccandi, strictè explicandum est. *ibid.n.4.& 5.& pag.82. num.6.& seq.*

10. Facultas absoluendi à reseruatis, confessario concessa,

sa, item facultates vi Iubilæi concessæ, latè sunt explicandæ; sunt enim fauorabiles, modò non vergant in damnum tertij, neque extendantur ad ea quæ sunt Summo Pontifici specialissimè reseruata, vt est dispensatio in matrimonio rato, in voto castitatis, aut religionis : nam in generali concessione non continentur ea quæ superior non esset concessurus, si specialiter rogaretur. *tom.2.pag.*83.*n.*17.*& seq.*

11. Quando conceditur facultas dispensandi, ad instantiam illorum quibuscum est dispensandum; illa facultas strictè explicanda est; quia censetur quasi dispensatio cum iis cum quibus est dispensandum. Si verò personæ non exprimantur, sed facultas concedatur simpliciter ad dispensandum, facultas illa latè explicanda est, quia censetur priuilegium concessum dispensaturo. *ibid.n.*19.

12. Priuilegium censetur solummodo concessum iis personis, vel rebus quæ in priuilegio exprimuntur, vel quæ in eo comprehenduntur propter significationem vocis, aut propter materiæ, aut actionis connexionem, aut propter iuris dispositionem: sic vxor potest aliqua ratione gaudere priuilegio nobilitatis quod eius vir obtinuit, & filio communicatur priuilegium nobilitatis patri concessum, iure ita disponente. *ibid.num.*1.*& pag.*84.*n.*2.*& seq.*

13. Priuilegium extendi non potest ad alios casus, vel personas, ob similitudinem rationis: quia concedens priuilegium, non censetur velle priuilegium ad aliquos extendere nisi in eo comprehendantur ob vocis significationem, vel materiæ, aut actionis connexionem, vel iuris dispositionem: alioquin priuilegia vni religioni concessa, transirent ad aliam arctiorem, vel æqualem, ob similitudinem, seu paritatem rationis. Hinc patet in dispensationibus non esse argumentandum à pari, vel à maiori ad minus, nisi minus includatur in maiori; tunc enim dispensatio extenditur ad minus; sic concedens facultatem vescendi carnibus censetur etiam concedere facultatem vescendi ouis, & lacticiniis. *tom.*2.*pag.*84. *num.*11.*&* 16.

Priuilegij amissio.

14. Priuilegium personale vim suam amittit per mortem illius cui concessum fuerat: est enim personæ affixum. Priuilegium autem reale successiuè transmittitur ad illos qui rem ipsam acquirunt. Porrò priuilegium censetur personale, quan-

do conceditur alicui, expresso solùm nomine illius; nisi aliter ex circumstantiis appareat; quandò verò exprimitur solum nomen dignitatis, priuilegium censetur reale, nisi ex circumstantiis aliud colligatur: at quando exprimitur nomen personæ, & dignitatis simul, priuilegium censetur personale; quia nomen dignitatis contrahitur per nomen personæ, tanquam genus per speciem. *tom.2.pag.85.n.1.& seq.*

15. Priuilegium ritè obtentum, non cessat morte concedentis, modò concessum fuerit simpliciter, sine vlla conditione, seu particula restringente vsque ad mortem concedentis. At priuilegium nondum obtentum, sed obtinendum, expirat morte concedentis: quare si Pontifex postquam facultatem commisit Caio vt beneficium conferat Titio, moriatur ante collationem, illa facultas cessat morte Pontificis; quia beneficium nondum erat obtentum. *tom.2. pag.87. numero 19.*

16. Priuilegium amittitur, & finitur lapsu temporis præscripti, seu cessatione conditionis, sub qua concessum fuerat. Priuilegium verò simpliciter, & indeterminatè concessum, est perpetuum. Concessum ad beneplacitum concedentis, expirat morte illius. *tom.2.pag.89.n.1.*

17. Priuilegium amittitur, & finitur, tota ipsius causa cessante, modò nondum sit mandatum executioni; neque enim est credibile Principem velle conseruare priuilegium, cessante eius causa; alioquin eius concessio iniqua videretur. *ibidem, numero 4.*

18. Priuilegium gratuitum quo alicui subdito facultas datur faciendi contra, vel potius, præter ius, potest ex iusta causa reuocari à concedente, vel à successore, vel ab eius superiore, consequenter priuilegium amittitur per reuocationem. At priuilegium quod datur per contractum onerosum, vel in remunerationem, vel præuia pecunia, per se loquendo non potest reuocari; pacta enim, & conuenta seruanda sunt. *ibid, numero 1.*

19. Priuilegium reuocari potest, vel expresè per verba sufficienter indicantia reuocationem in specie, vel in genere; vel tacitè, si v.g. concedens faciat aliquem actum qui non possit subsistere absque priuilegij derogatione; vt si Princeps iubeat exigi tributum ab eo quem exemerat. *tom.2.pag.90. num.11.& pag.91.n.14.*

20. Priuilegium quod non est insertum in corpore iuris, neque reuocatur per legem subsequentem, neque per particu-

lare

lare mandatum, seu rescriptum Principis, neque per subsequens priuilegium repugnans præcedenti, nisi ipsius mentio fiat. Quia priuilegium est ius quoddam priuatum, quod Princeps præsumitur ignorare, nisi ipsius faciat mentionem. Priuilegium autem insertum in corpore iuris, per posterius priuilegium potest abrogari: quia priuilegium in corpore iuris contentum, non præsumitur ignorari: *tom.2.pag.91.num.15. & seq.*

21. Vt reuocatio priuilegij facta per legem, habeat suum effectum, requiritur publicatio reuocationis: quia lex non obligat ante publicationem: facta autem publicatione, priuilegium manet reuocatum, itavt acta non valeant etiamsi ignoranter,& absque culpa fiant. Excipe actus publicos factos cum errore communi, & titulo colorato. Priuilegium verò priuatim reuocatum vim suam retinet donec perueniat reuocatio ad notitiam illius cui concessum fuerat priuilegium: vt enim concessio priuilegij non operatur antequam innotescat ei cui conceditur, sic illius reuocatio non sortitur suum effectum donec cognoscatur ab eo cui priuilegium fuerat concessum. Quare confessarius cui concessa fuerat facultas absoluendi à reseruatis, validè absoluit post facultatem priuatim reuocatam ipso inscio. *ibid.n.20. & pag.92.n.22.*

22. Priuilegium amittitur per voluntariam renunciationem acceptatam à concedente. At si superior eam non acceptet, priuilegium adhuc viget,& potest priuilegiarius illo vti, mutata voluntate: quia priuilegium vim habet à voluntate concedentis. Notandum tamen hîc esse sermonem de priuilegio quod tractum habet successiuum, & consistit in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurum: nam priuilegium momentaneum, quod scilicet operatur statim ac obtentum est, vt est dispensatio in impedimento matrimonij, non potest renuntiari: quare qui obtinuit dispensationem in impedimento v. g. consanguinitatis non potest per renunciationem fieri inhabilis ad contrahendum, non enim potest se inhabilem efficere, postquam semel factus est habilis per dispensationem. *tom 2.pag.92.n.1. & 4.*

23. Priuilegium affirmatiuum quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum,amittitur per non vsum quatenus illi qui grauantur, præscribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum. Priuilegium verò quod neminem grauat, regulariter loquendo, non amittitur per non vsum, etiamsi longissimum tempus intercedat, modò conces-

ſum fuerit abſque temporis limitatione ; exceptis caſibus in iure expreſſis. *ibid.n.*3. *&* 4.

24. Priuilegium amittitur per vſum materialiter, & formaliter contrarium : quia priuilegiarius præſumitur renunciare priuilegio, ſi faciat aliquem actum contrarium, tanquam ex obligatione, ſeu animo ſubiiciendi ſe obligationi: quare qui priuilegium habet non ſoluendi tributum, ſi tributum ſoluat, tanquam ex obligatione, priuilegium amittit per vſum contrarium. *tom.*2.*pag.*93.*n.*2.

25. Si priuilegium præcipuè cedat in commodum priuatum, is poteſt renuntiare, in cuius fauorem conceſſum eſt : quia nullus cogitur inuitus beneficium acceptare. Sin priuilegium conceſſum ſit intuitu boni communis, non poteſt perſona priuata illi renunciare, etiamſi in bonum ipſius priuatum redundet; ſic nullus clericus poteſt priuilegio canonis, aut fori, clericis conceſſo renunciare. Idem proportione dicendum quando priuilegium conceſſum eſt in fauorem plurium, ita vt commodum vnius ab aliorum commodo ſeiungi non poſſit. *tom.*2.*pag.*94.*n.*7. *& ſeq.*

26. Per vſum contrarium priuilegio nunquam amittitur totum priuilegium, præciſa legitima præſcriptione, modò priuilegium non conſiſtat in vnico actu, ſed tractum habeat ſucceſſiuum. Quare qui habet priuilegium non ſoluendi tributum, non amittit priuilegium non ſoluendi in futurum, ſi ſemel, atque iterum ſoluat. *ibid.n.*12.

27. Priuilegium conceſſum communitati, non amittitur per vnum actum, aut plures, ſi fiant à perſonis priuatis, abſque conſenſu, & auctoritate communitatis. Secus dicendum ſi fiant à tota communitate, ſeu de conſenſu, atque auctoritate totius cōmunitatis. Videtur enim cōmunitas cedere iuri ſuo. *ib.n.*15.

28. Priuilegium, regulariter loquendo, non amittitur ipſo facto per abuſum : quia nullus tenetur abdicare à ſe priuilegium ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, niſi in iure habeantur verba inducentia, ipſo facto, priuationem ob delictum, vel abuſum; ſic clericus ſodomiæ vitium exercens, excidit, ipſo facto, priuilegio clericali. *tom.*2.*pag.*95.*n.*1.

29. Priuilegium præcisè ob aliquam actionem exercendam conceſſum, ceſſante tali actione, ceſſat : quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus. Sic beneficiarius qui priuilegium obtinuit percipiendi fructus beneficij pro eo tempore quo abeſt ſtudiorum cauſa, non poteſt fructus percipere quamdiu ſtudiis non vacat. *ibid.n.*6.

PRO

PROMISSIO.

Quid sit promissio.

1. PRomissio nihil aliud est quàm datio fidei deliberata, vera,& spontanea,de re licita, & possibili. Quare promissio facta absque animo se obligandi,non est vera promissio, sed ficta,quæ,per se loquendo,non obligat, quia deest intentio promittentis;fieri tamen potest vt aliunde obliget,si nimirum alter credebat sibi ex animo promitti; tunc enim,si periculum est damni, promittens tenetur promissionem adimplere, alioquin esset causa damni. *tom.2.pag.*613.*n.*1.*&* 6.

2. Qui promittit animo promittendi,séque obligandi,sed absque intentione implendi, tenetur stare promissioni; nam ex vera promissione nascitur naturalis obligatio illam adimplendi. Qui verò promittit ignorans naturam promissionis, non tenetur illam adimplere, nisi intendat facere quod cæteri faciunt promittendo: tunc enim censetur habere tacitam intentionem promittendi. *ibid.num.*8.*&* 9.

3. Promissio per vim, dolum, aut metum etiam leuem extorta,est inualida: fit enim iniuria promittenti; per iniuriam autem nullum ius acquiritur. Idem sentiendum videtur de promissione facta ex metu reuerentiali quo quis repugnante voluntate consentit, neque audet præ timore, & reuerentia contradicere; hæc enim promissio iniustè extorquetur. Hinc patet vxorem quæ per metum reuerentialem mariti, ad vitandas rixas, pro marito fideiussit, etiam seruatis solemnitatibus iuris,non teneri in conscientia, soluere pro illo. Idem esto iudicium de precibus importunis quæ vim quodammodo inferunt. *tom.2.pag.*614.*n.*14.

4. Promittens tenetur adimplere promissionem homini factam,etiamsi res promissa,sit impeditiua maioris boni; nam in hac promissione attenditur id quod est homini gratius, res autem minùs bona plerunque homini magis placet. Secùs dicendum de promissione facta Deo, cui magis placet id quod est melius, neque illi placet promissio maioris boni impeditiua. *tom.2.pag.*615.*num.*17.

Promissio interna, & externa.

5. Promissio interna non obligat nisi fiat per modum voti,

de maiori bono: quia promiſſio non obligat niſi acceptetur; non poteſt autem ab homine acceptari niſi exprimatur; ergo, &c. Promiſſio autem gratuita externa, & acceptata, obligationem inducit: quia qui promiſſionem non adimplet, dicitur fallere, & decipere, conſtat autem lumine naturæ, fraudem & deceptionem eſſe illicitam. Vnde patet non adimplentem promiſſionem gratuitam, externam, & acceptatam, ex ſuo genere peccare mort. niſi leuitas materiæ excuſet. *tom.2. pag. 616. num.1. & ſeq.*

6. Promiſſio nondum acceptata non obligat, & regulariter loquendo, reuocari poteſt ante acceptationem, niſi fiat per modum voti, id eſt, niſi promittens dirigat ſuam intentionem ad Deum, quibuſcumque tandem verbis vtatur, ſiue dicat, *voueo Deo,* ſiue dicat, *promitto tali Eccleſiæ, hoſpitali,* &c. *ibid. num.5. & pag.617. num.6.*

7. Non adimplens promiſſionem gratuitam peccat, ſi hæ conditiones concurrunt 1. ſi promittat animo ſe obligandi. 2. ſi promittat rem licitam, & poſſibilem. 3. ſi promittat rem notabilem. 4. ſi res in eodem ſtatu permanſerint, nulláque interuenerit mutatio ita notabilis, vt ſi menti occurriſſet, non eſſet facta promiſſio, niſi cum exceptione. Si promiſſio fuerit acceptata; cenſetur autem acceptari promiſſio facta præſenti, & tacenti cùm intelligat ſibi fieri promiſſionem: nam in fauorabilibus valet illa regula: Qui tacet, conſentire videtur. *tom.2. pag.617. num.8. & 9.*

Promiſſio abſenti facta.

8. Is qui alterius curam gerit, poteſt acceptare promiſſionem nomine illius, vt Prælatus vel Parochus, nomine ſuæ Eccleſiæ; tutor nomine pupilli; curator nomine minoris; pater & mater pro liberis. Item perſona publica, pro ſibi ſubditis poteſt promiſſionem acceptare. Item qui alterius iuri ſunt ſubditi, validè poſſunt pro eo ſtipulari, vt filius pro patre, religioſus pro ſuo Prælato, vel monaſterio, vxor pro marito, iudex nomine partis abſentis. Denique is poteſt ſtipulari, & promiſſionem acceptare, qui ad hoc habet ſpeciale mandatum. Semel autem acceptata promiſſio nomine abſentis, non poteſt à ſtipulante condonari: eſt enim ius acquiſitum abſenti. *tom.2. pag. 519. num.4. & pag.520. n.5.*

9. Ad validitatem promiſſionis factæ abſenti, per nuncium, vel per literas, tres hæ conditiones requiruntur 1. vt is

cui fit promissio, accipiat ea de re literas, vel nuncium ad hoc destinatum à promittente. 2. vt promissio quæ per nuncium defertur, coram ipso nuncio acceptetur. 3. vt promittens non reuocauerit promissionem, antequàm fuerit acceptata. Si tamen acceptata fuerit promissio, antequàm reuocatio innotuerit nuncio, aut ei qui eam acceptauit, valida est promissio etiamsi reuocata fuerit ante acceptationem. *tom.2. pag.620. num.1. & seq.*

Promissio inualida.

10. Promissio de re illicita nullam inducit obligationem: sequuto tamen effectu illicito, is qui promisit, tenetur promissionem adimplere; nam in persoluendo promisso, non approbatur factum illicitum, sed fides data seruatur. *tom.2. pag.621. num.1.*

11. Inualida est promissio quæ præbet occasionem peccandi. Vt si vxor viuente viro promittat matrimonium ei cum quo adulteratur. Item promissio quæ adimit facultatem disponendi de re sua, irritatur à iure; vt si quis promittat alteri se non reuocaturum testamentum, aut se non electurum alium præter ipsum in hæredem. *ibid. n.2. & 3.*

Promissio quando, & vbi implenda.

12. Promissio facta ad certum diem, non obligat ante illum diem. At si nullus terminus est præfixus, videtur promissio statim adimplenda. Quando autem promissioni præfixus est terminus in fauorem debitoris, potest cedere iuri suo, & cogere creditorem ad recipiendam solutionem ante præstitutam diem. Secùs si præfixus est dies in fauorem creditoris; potest enim creditor vti iure suo. *ibid.n.1. & 6.*

13. Qui promisit certum quid singulis annis, tenetur soluere in fine anni, nisi malit antea soluere. Qui verò promisit annuam quantitatem, vt annuam centum aureorum eleemosynam, tenetur soluere initio cuiuslibet anni, iuxta nonnullos. Probabilius tamen est non teneri soluere ante finem anni; licet enim iura concedant creditoribus facultatem exigendi initio anni, non tamen cogunt debitorem ad soluendum. *ibid. numero 7.*

14. Promissio adimplenda est in loco conuento; si verò nullus locus est assignatus, & promissio est mutua, standum est

iudicio prudentis viri quoad locum deligendum; quando verò promissio est simplex, & gratuita, assignandus est locus arbitrio promittentis, Idem dicendum de promissione iurata. *ibid.n.8. & pag.622.n.eod.*

Quando promissio desinat obligare.

15. Promissio alioquin valida, & acceptata; desinit obligare, superueniente aliqua notabili mutatione, quæ si tempore promissionis adfuisset, vel præuisa fuisset, promissionem impedisset: promittens enim non censetur in hoc casu se voluisse obligare. Quare si res promissa, facta est inutilis, vel damnosa, vel illicita, vel impossibilis, promissionis obligatio cessat. *tom.2.pag.622.n.1.*

16. Qui promisit, vel donauit rem magni pretij, quam non promisisset si rei valorem cognouisset, non tenetur stare promissioni; deest enim voluntas, cùm error dederit causam promissioni. *ibid.num.3.*

17. Qui promisit aliquid quod sine superioris licentia facere non poterat, tenetur petere licentiam, si efficaciter promisit sciens necessariam esse licentiam superioris; hic enim videtur se obligasse sub hac conditione, si superior licentiam concesserit. *ibid.n.5*

Q.

QVARTA PAROCHIALIS, & Episcopalis.

1. QVARTA est quadrans, seu quarta pars rei de qua agitur: consuetudine tamen induci potest vt sit etiam tertia pars, aut medietas. Multiplex autem genus quartæ inuenitur in iure. 1. est quod debetur filiis in bonis parentum, aut parentibus in bonis filiorum. 2. est quod debetur arrogato, in bonis arrogantis. 3. quod iure communi debetur vxori pauperi in bonis mariti diuitis, qui eam duxerat sine dote, & è contra. 4. quod debetur hæredi ex fideicommissis, & legatis, vocatúrque Falcidia, & Trebellianica.

5. quod

5. quod debetur Parocho, & Episcopo, de quo hic nobis sermo, *tom.2.pag.683.n.1.& seq.*

2. Quarta parochialis (quæ soluenda est ex legatis, seu relictis causa mortis, & funeris) debetur illi Ecclesiæ parochiali in qua quis de iure sepeliendus esset, etiamsi alibi sepeliatur: est enim parochialis Ecclesia veluti mater cui debetur legitima in bonis filiorum. *tom.2.pag.684.num.1.*

3. Quarta Episcopalis debetur Episcopo de legatis piis, & funeralibus oblationibus factis Ecclesiæ, seu locis piis sibi subiectis: Episcopus enim est pater spiritualis, & onus sustinet Episcopale, ratione cuius æquum est vt illi quarta portio soluatur; modò legata facta non fuerint ad vsus priuilegiatos, vt pro Missis celebrandis, Ecclesia ornanda, &c. Hæc autem quarta soluenda est ab ipsis qui legatum acceperunt, vel ab hæredibus, seu testamenti executoribus, si nondum legata mortuo testatore soluta fuerunt. *tom.2.pag.685.num.1.& pag.686.num.4.*

4. Hæc obligatio soluendi quartam, tolli potest per consuetudinem legitimè præscriptam spatio 40. annorum: nam ad præscribendum contra Ecclesiam in iis quæ sunt contra ius commune, 40. anni requiruntur. *tom.2. pag. 686. num. 1. & 2.*

R.

RAPTVS.

1. RAPTVS propriè dicitur quando persona aliqua inuita, vel resistentibus eius parentibus, seu tutoribus, aut curatoribus, abducitur per vim, ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendũ. Quando autem nulla vis infertur, sed fœmina, sua sponte, aut etiam precibus inducta, discedit cum amatore, insciis parentibus, non est propriè raptus, sed fuga potiùs voluntaria. Secus dicendum si parentes sciant, & renuant, etiamsi puella consentiat; vis enim infertur parentibus. *tom.1.pag.330. num.1. & pag.331.num.5.*

2. Omissis variis pœnis à iure ciuili constitutis in raptores, vt pœna capitis, & amissionis bonorum; tria pœnarum genera

genera constituta sunt à Tridentino contra raptores, *sess.24. cap.6.* 1. est, vt raptor, & omnes, consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces: hæc tamen excommunicatio non est reseruata. 2. vt raptor siue matrimonium contrahat, siue non, teneatur raptam decenter dotare. 3. vt matrimonium inter raptorem, & raptam, sit inualidum, dum rapta est in potestate raptoris, etiamsi ipsa liberè consentiat; idem dicendum de sponsalibus. *tom.1.pag.331.n.9. & 10.*

3. Qui fœminam precibus aut blanditiis consentientem sponte abduxit insciis parentibus aut moderatoribus, non subiicitur huic excommunicationi; hic enim propriè non dicitur raptor, cùm nulla vis inferatur. Secùs si parentes sciant, & contradicant; ipsis enim vis infertur. *disp.2.quæst.2.pag.163 tom.3.*

4. Fœmina rapiens virum, in hanc excommunicationem non incidit; quia Concilium loquitur tantùm de raptore; lex autem pœnalis non est extendenda. *ibid.n.7.*

5. Hæc excommunicatio non est reseruata.

6. Clericus mulieris raptor, non est ipso facto suspensus, licet sit ipso facto excommunicatus, & suspendendus; nam Concil Trident. *sess.24.c.6.* sic loquitur, *si clerici fuerint, de proprio gradu decidant*, quæ loquendi forma est futuri temporis. *disp.3.quæst.7.punct.3.tom.3.*

Regalia.

1. REgalium nomine intelligitur tributum quod imponitur nomine Regis, seu collecta quæ debetur Regi, vt si Rex, vel Imperator concedat Ecclesiæ, monasterio, vel alteri pio loco portus & vectigalia quæ exigebat, hæc vocantur regalia. *disp.2.quæst.2.punct.23.pag.174.n.4.tom.3.*

2. In cap. *generali constitutione, de elect. in 6.* fertur excommunicatio contra eos qui in Ecclesiis, monasteriis, aut piis locis regalia, custodiam, aut titulum defensionis de nouo vsurpare conantes, iura, aliave bona earumdem Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum vacantium vsurpare præsumunt, & contra clericos earumdem Ecclesiarum, aliasque personas locorum eorundem quæ id fieri procurant: *ibid.*

3. Qui aliqua bona Ecclesiarum vacantium occupat, non vsurpando, vel non conando vsurpare regalia, titulum, aut aliud ius earundem Ecclesiarum huic excommunicationi non subiicitur:

subiicitur : quia textus vtrumque coniungit , itavt simul vtrumque requirat ad incurrendam excommunicationem. Idem dicendum de occupante iura , non occupatis bonis Ecclesiæ vacantis. *ibid.num.*3.

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

RELIGIOSVS.

Contra Religiosos excommunicationes non reseruatæ.

1. GRegorius X. in Concilio generali Lugdunensi sanciuit vt religiosi , quibus ex vi regulæ , seu professionis interdictum est habere possessiones , seu reditus ad congruam sustentationem , in posterum non possent quemquam ad professionem admittere,vel domum, aut locum de nouo acquirere , vel antea acquisita alienare absque speciali Sedis Apostolicæ facultate ; illos autem qui secus faxint , excommunicationi subiicit , & ipsorum acta irritat. *disp.*2.*quæst.*8.*punct.*1. *pag.*288.*num.*1.*tom.*3.

2. Ab hac censura excipiuntur 1. ordines Prædicatorum, & Minorum ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem , vt habetur in textu. 2. ordines Eremitarum S.Augusttni , & Carmelitarum. 3. ordines qui post hanc constitutionem de licentia Summi Pontificis instituti , & approbati sunt,vt patet ex illorum priuilegiis ; vnde patet hanc excommunicationem hodie vix esse in vsu. *ibid.num.*4.

3. Qui nouum religionis ordinem instituunt , aut illius habitum assumunt , in huius canonis censuram non incidunt, immò nullibi extat eiusmodi excommunicatio ; nam in Extrauagant. Ioannis XXII. sermo est de secta Beguinorum, de quibus suo loco actum est. *ibidem* , *pag.* 289. *numero* 5. *tom.*3.

4. Bonifacius VIII. in cap.*vnico* , *de excessibus Prælat.in* 6.interdixit religiosis mendicantibus domos , vel loca acquirere , vel acquisita alienare ; sed quia illa prohibitio non seruabatur , Clemens V.in confirmationem constitutionis Bonifacij VIII.excommunicationem contra transgressores adiecit. *ibid.punct.*2.*num.*1.

5. Nonnullæ extant constitutiones quibus cauetur ne aliqui religiosi ad alios ordines transeant. 1. est Leonis X. in Bulla

Bulla vnionis, in qua sub excommunicatione latæ sententiæ interdixit ne fratres reformati transeant ad fratres conuentuales, vel recedant ab obedientia suorum Ministrorum, nisi capitulo prouinciali aliter visum fuerit; eandémque excommunicationem extendit ad recipientes. 2. est Pauli III. quæ incipit, *Romani*, Iulij III. quæ incipit, *Officij*, & Sixti V. quibus excommunicantur Capuccini recipientes fratres de obseruantia sine facultate, & fratres de Obseruantia se ad Capucinos conferentes. 3. est Iulij II. in Bulla quæ incipit, *Exponi*, in qua excommunicantur fratres S. Francisci de Paula recipientes, vel retinentes sine licentia Papæ, fratres Minores de Obseruantia. *ibid. punct.* 3. *pag.* 289. 290. *tom.* 3.

6. In Clementina vnica, *de consanguinit. & affinit.* extat excommunicatio contra religiosos professos matrimonium contrahentes. *ibid. punct.* 5. *num.* 290.

Contra Religiosos habitum dimittentes.

7. In cap. 2. *vt periculosa, de religiosis domibus*, decernitur sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ne religiosus tacitè, vel expressè professus temerè habitum dimittat in scholis, aut alibi. Is autem dicitur hîc habitum dimittere, qui illum deponit ad sic incedendum, vel se occultandum, vt nequeat agnosci religiosus, indéque vagandi occasionem arripiat. *ibid. punct.* 6. *pag.* 290. *num.* 1. *tom.* 3.

8. Religiosus qui suis vestibus indutus è monasterio fugit, hanc excommunicationem non incurrit; quia non est lata in fugitiuos, & apostatas, sed in eos qui habitum dimittunt; potest autem quis esse apostata, etiamsi habitum non dimittat, & vice versa. Immò apostata fugiens cum habitu, iure communi nullam incurrit excommunicationem, quia nuspiam expressa reperitur; ex iure tamen particulari, seu ex priuilegio nonnullarum religionum apostatæ excommunicationem incurrunt. *ibid. pag.* 291. *n.* 5. *tom.* 3.

9. Professus induens habitum nouitiorum, in hanc censuram incidit, si nouitij non eodem vestium genere vtantur quo professi; hinc enim dicitur sufficiens vagandi occasio; si verò nouitij eodem vestium genere vtantur, superaddito solùm aliquo signo vt à professis distinguantur, professus assumens illud signum non subiicitur huic excommunicationi; quia non dimittit habitum suæ religionis. *ibid. num.* 10.

10. Qui habitum suæ religionis non exuit, sed illum vestibus

stibus sæcularibus superiniectis occultat vt religiosus agnosci nequeat, iuxta probabilem sententiam non afficitur excommunicatione; quia textus loquitur de dimissione habitus; non autem de occultatione. Alij verò secùs sentiunt quia hic videtur formaliter habitum dimittere, cùm iam agnosci non possit tanquam religiosus. *ibid.num.*11.

11. Religiosus qui intra priuatos monasterij parietes habitum non defert, videtur vinculo huius excommunicationis obstringi; licèt enim dimisso habitu non vagetur, nihilominus ea dimissio vagandi præbet occasionem. *ibid.n.*13.

12. Non quælibet habitus dimissio sufficit ad incurrendam excommunicationem; sed debet esse temeraria, ita vt non fiat ex vlla causa rationabili, & fiat in contemptum legis. Vnde sequitur illum excusari ab excommunicatione qui ad vitam seruandam, per loca infidelium, & hæreticorum transiturus, habitum dimittit. *ibid.pag.*292. *n.*14.*tom.*3.

13. Religiosus qui habitum alterius religionis strictioris assumit animo ad illam transeundi, non afficitur excommunicatione; quia hoc licet. Qui verò habitum alterius religionis assumit contra iura, excommunicationem incurrit; quia temère, & cum grauissimo peccato habitum suæ religionis dimittit; adhuc enim manet obstrictus priori religioni. *ibidem, num.*17.*&* 18.

14. Dimissio habitus ad breue tempus, non sufficit ad excommunicationem, etiamsi dimittens, intentionem habuerit diutius dimittendi; quia materia excommunicationis non est animus dimittendi, sed ipsa externa dimissio, quæ cum fuerit ad breue tempus, non censetur materia sufficiens excommunicationis. *ibid. num.*21. Porrò vna hora in hac materia non est tempus notabile. *num.*22.

15. Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis dimittens habitum suæ religionis, in hanc censuram non incidit; quia eximitur ab omnibus regulis, & statutis religionis, quare ex vi regularis obseruantiæ non tenetur ad habitum religionis deferendum; non tamen desinit esse religiosus, neque eximitur à tribus votis religionis, sed obedientiam debet non quidem Prælatis religionis, cùm à regulari obseruantia eximatur; sed Summo Pontifici, non tantùm ex generali obligatione; sed ex peculiari voto obedientiæ. Tenetur etiam voto paupertatis, neque efficitur dominus redditthe Ecclesiasticorum, sed administrator vt eos in vsus decentes insumat. *ibid. pag.* 293. *num.*27.*&* *seq.tom.*3.

16. Pote

16. Potestas dispensandi ab habitu religionis deferendo per se pertinet ad Summum Pontificem; quia illa obligatio consurgit ex iure canonico; per accidens autem dimitti potest ex licentia Prælati concessa ad aliquod opus quod exerceri commodè nequit cum habitu. *ibid. pag.* 294. *num.* 32. *tom.* 3.

Contra Religiosos studentes.

17. Alexander III. in cap. *non magnopere, ne clerici, vel monachi*, excommunicationem tulit contra religiosos exeuntes ad physicam, seu medicinam, vel leges audiendas, & non redeuntes intra duos menses. *ibidem, punct.* 7. *pag.* 294. *tom.* 3.

18. Religiosus è claustro exiens ad audiendas leges vel medicinam in eodem oppido, & finita lectione ad claustrum rediens hanc excommunicationem non incurrit: quia lata est excommunicatio contra religiosos exeuntes ad præfatas disciplinas audiendas nisi intra duos menses ad claustrum redeant; quod argumento est ad excommunicationem incurrendam opus esse vt exeant ad habitandum extra claustrum. *ibid. num.* 2.

19. Religiosus qui exiuit absque intentione præfatas scientias audiendi, si postea mutata voluntate manet extra claustrum animo eas audiendi, neque redit post duos menses, non videtur subiici huic excommunicationi; quia textus non loquitur simpliciter de exeuntibus; sed de exeuntibus eo animo vt audiant leges, & physicam. Opposita tamen sententia tutior est in praxi. *ibid. pag.* 295. *n.* 5. *tom.* 3.

20. Religiosus claustro egressus animo audiendi leges, & medicinam, sed re ipsa non audit, ab hac censura non excusatur nisi intra duos menses ad claustrum redeat; quia excommunicatio non est lata contra religiosos audientes, sed contra egredientes animo audiendi leges, &c. & non redeuntes intra duos menses. *ibid. num.* 6.

21. Religiosus exiens ad docendum leges, vel physicam, ex probabiliori sententia, hanc excommunicationem non contrahit; quia excommunicatio tantùm lata est in audientes, vel egressos ad audiendum. *ibid. num* 8.

22. Superior religionis non potest in hac re cum suis religiosis dispensare: quia inferior non habet ius dispensandi in lege superioris. Ipsi tamen superiores permittentes religiosos exire,

exire, in excommunicationem non incidunt. *ibid. pag.*296. *num.*15. *tom.*3.

23. In cap. 2. *vt periculosa, ne clerici, vel monachi in* 6. excommunicantur religiosi professi accedentes ad quæuis studia literarum, nisi concessa à superiore facultate, cum consilio sui conuentus, vel maioris partis eiusdem. *ibid. punct.*8. *pag.*296.*num.*1.*tom.*3.

24. Religiosus transferens se ad alium suæ religionis conuentum animo dandi operam studiis quæ extra monasterium existunt, non videtur incurrere hanc excommunicationem, si intentionem habeat manendi in monasterio, & iuxta ordinarium modum ad scholas accedendi; hæc enim dicitur potius mutatio cœnobij, quàm profectio ad studia; textus autem loquitur de religiosis aliò proficiscentibus studiorum causa. *ibid.num.*6.

25. Ad vitandam hanc excommunicationem requiritur licentia Prælati immediati, cum consensu conuentus, vel maioris partis, modò Prælatus per constitutiones religionis non prohibeatur hanc facultatem concedere etiam cum consensu capituli. Religiosus tamen qui sic obtinuit à Prælato facultatem quam non poterat dare, excusatur ab excommunicatione. Generalis autem, aut Prouincialis potest hanc facultatem concedere absque consilio, aut consensu conuentus; quia Summus Pontif. voluit solùm Prælati immediati potestatem coarctare. *ibid.num.*7.*&* 8.

26. Licentia inualidè obtenta per dolum, aut metum, vel à superiore quem constat non habere hanc potestatem, ab hac censura non excusat. *ibid. pag.*297 *n.*9. Non requiritur autem consensus, sed sufficit consilium conuentus, aut maioris partis; sic enim exprimitur in textu. *num.*10.*tom.*3.

27. Prælatus monasterij proficiscens ad studia sine licentia, hanc censuram non incurrit; quia hic non est subditus alteri Prælato habenti conuentum, cuius consilium sit expectandum. *ibid.num.*14.

Contra Religiosos ad Curias Principum accedentes.

28. In Clementina 1. *in agro, de statu monach.* fertur excommunicatio contra monachos, & canonicos regulares ad curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumentes, vt suis Prælatis, aut monasteriis noceant. *ibid.punct.*9 *pag.*297.

29. Qui bono animo se ad Principis curiam contulit; sed dùm in ea commoratur, induxit in animum nocere Prælato, vel monasterio suo, non videtur huius excommunicationis reus; quia in materia pœnali verba sunt strictè interpretanda. Qui autem ad curiam accessit animo nocendi, excommunicationem incurrit etiamsi reipsa non noceat; quia sub censura prohibitum est accedere animo nocendi. *ibid.pag.298.numero* 4. *&* 5. *tom.*3.

30. Religiosus accedens ad curiam Principis animo nocendi alicui religioso sui monasterij qui Prælatus non sit vel alteri religioni, aut alteri monasterio etiam eiusdem ordinis, non afficitur excommunicatione; quia textus loquitur de volentibus nocere suis Prælatis aut monasteriis; quod strictè accipiendum est provt habet relationem ad ipsos religiosos delinquentes. *ibid num.*9. *&* 10.

31. Leo X. in Bulla quæ incipit *Dudum per nos*, quæ tamen in Bullario non inuenitur, excommunicationem tulit contra religiosos, & alios qui prædicant, vel priuatim pronunciant indulgentias S. Mariæ ad populum in vrbe, extendi ad sæculares visitantes Ecclesias priuilegiatorum. *ibid.punct.*10.*pag.*298.*tom.*3.

32. Ab eodem Leone X. *in priuileg. ord, Minor.* lata est excommunicatio contra fratres, & moniales S. Claræ, seu tertiæ regulæ, vtentes gratiis, & immunitatibus Bullarum Cruciatæ, vel aliarum similium contra obedientiam ordinis, & sine speciali suorum superiorum licentia. Hæc tamen Bulla in Bullario non extat. *ibid.pag.*299.*punct.*11 *tom.*3.

33. In Clementina 1. *de decimis*, excommunicantur religiosi qui decimas Ecclesiis debitas sibi vsurpare præsumunt, nisi restitutionem fecerint intra duos menses; aut qui decimarum solutionem impediunt, nisi post monitionem impedire destiterint intra mensem. Cum hac tamen differentia quòd religiosi habentes officia, & beneficia suspensionem incurrunt ab illis; qui verò beneficia, vel administrationem non habent, excommunicationi subiiciuntur. *ibid.punct.*12. *numero* 1.

34. Religiosi non soluentes decimas, hac censura non ligantur modò alios non impediant, ne soluant; quia textus non loquitur de non soluentibus, sed de vsurpantibus, vel prohibentibus decimas solui. *ibid.n.*9.

35. Hæc excommunicatio, seu suspensio ante præstitam à delinquente satisfactionem est Summo Pontifici reseruata,

seruata, vt patet ex ipso textu. *pagina* 300. *numero* 10. *tom.* 3.

36. In Clementina, *Cupientes, de pœnis*, referuntur duæ excommunicationes. 1. contra religiosos retrahentes auditores à solutione decimarum quæ Ecclesiis debentur. 2. contra præsumentes prædicare, nondum admonitis confitentibus quos de hac obligatione soluendi decimas monere tenebantur. *ibid.punct.*13.*pag.*30.*n.*1. *& pag.*301.*n.*11. Nam præcipitur religiosis sub pœna suspensionis ipso facto ab officio prædicationis, vt confitentibus conscientiam faciant de soluendis decimis, quoties à rectoribus Ecclesiarum ad hoc requiruntur; si autem scienter negligant id facere dum requiruntur, suspensionem incurrunt, quæ durat donec confitentibus conscientiam fecerint; quod si interim antequam negligentiam oblata opportunitate purgent, prædicare præsumpserint, vinculo excommunicationis obstringuntur. *ibid.*

37. Hæc excommunicatio non incurritur à Sacerdotibus sæcularibus, aut aliis; solos enim afficit religiosos. *pag.*300. *num.*10.*tom.*3.

38. In Clementina 1. *ex frequentibus, de sentent. excommun.* sancitum est sub pœna excommunicationis ipso facto, vt religiosi seruent interdictum, vel cessationem à diuinis, quam seruari vident à cathedrali, vel à matrice, seu parochiali Ecclesia: debet autem illud interdictum esse generale, & latum auctoritate Sedis Apostolicæ, vel ab ordinariis locorum, vel auctoritate Concilii prouincialis. *ibidem, punct.*14.*pag.*301. *tom.*3.

39. Religiosi non seruantes interdictum latum in totam prouinciam, seu regnum quod vident non seruari à cathedrali, licet seruetur à metropolitana, non subiacent excommunicationi. Secùs autem si videant illud seruari à cathedrali, non verò à parochiali loci intra cuius ambitum ipsorum monasterium continetur. *ibid.pag.*302.*n* 6. *&* 7. *tom.*3.

40. Item non incurrunt hanc excommunicationem non seruantes interdictum locale, latum contra aliquod oppidum in quo monasterium existit; si in eo non reperitur Ecclesia cathedralis, vel parochialis, sed in alio oppido proximo non interdicto. Idem dicendum quando interdictum est oppidum, in quo non est Ecclesia cathedralis, sed multæ parochiales quarum nulla principalior est; sed in singulis sacramenta suis parochianis administrantur; nisi omnes illæ parochiales seruent interdictum; tunc enim religiosi tenentur sub excommu-

communicatione illud etiam seruare. *ibidem, numero 7.*

41. Religiosis non prosunt priuilegia celebrandi, & laïcos ad diuina admittendi, si hæc concessa fuerunt ante Clementinam ex frequentibus citatam, quia per illam reuocantur omnia priuilegia: Quæ verò post illam Clementinam concessa sunt, non videntur à Concil. Trident. reuocata. *ibid. num.* 10. *&* 11.

42. Ad sedandas discordias inter religiosos mendicantes, & Ecclesiarum parochialium rectores præsertim in Germania, Sixtus IV. in Extrauag. 2. *de treug. & pace,* excommunicationem tulit contra religiosos mendicantes, & Parochos non seruantes pacem inter se initam. *ibidem, pag.*303. *punct.* 15.*num.*1.*tom.*3.

43. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata nisi post debitam satisfactionem præstitam parti læsæ, & expressum illius consensum. *ibid.num.*4.

44 In Clementina *ne in agro,* fertur excommunicatio contra monachos tenentes arma intra septa monasterij, sine Abbatum suorum licentia: Ligna autem, & lapides non sunt arma, cùm non sint instituta ad vsum bellicum; quare monachus ea in cubiculo suo tenens etiam animo aliquem offendendi, non subiicitur huic excommunicationi; quia in materia pœnali non est facienda extensio. *ibid.punct.*16.*pag.*303. *tom.*3.

45. Religiosus qui arma in monasterio tenet ad necessariam sui defensionem, non subiicitur huic censuræ; quia retinet ex iusta causa, nec dicitur præsumere. *pag.*304.

46. Sub hac censura non comprehenduntur canonici regulares, aut alij religiosi qui monachi non sunt; quia ibi sermo est de monachis tantùm. *ibid. num.*6.

Contra Religiosos excommunicationes Papæ reseruatæ.

47. Martinus V. in Extrauag. *viam ambitiosæ, de regular. & transeunt. ad relig.* excommunicationem tulit contra religiosos mendicantes transeuntes ad religionem non mendicantium absque speciali Summi Pontif. licentia, excepto Carthusianorum ordine. *disput.* 2. *quæst.*9.*punct.*1.*pag.*304. *num.*1.*tom.*3.

48. Non sufficit licentia Prælati religionis quam religiosus mendicans deserere intendit vt transeat ad non mendicantes,

tes, sed requiritur licentia expressa, & specialis Summi Pontif. Excepto Præposito Generali Societatis IESV, cui specialiter concessum fuit vt facultatem concedere possit suis religiosis, etiam solemniter professis, transeundi ad alias quaslibet religiones. quod priuilegium fuit huic Societati incommunicabiliter concessum. *ibid. num.* 5. *&* 6.

49. Religiosus ordinis mendicantium à religione in perpetuum eiectus potest absque speciali Summi Pontif. licentia ad quemlibet ordinem monasticum transire; quia hæc constitutio edita fuit ad conseruationem ordinum mendicantium; in hoc autem casu ordo nullum patitur detrimentum; neque enim vult repetere religiosum quem in perpetuum eiecit. Secùs dicendum si tantùm ad tempus eiectus fuit. *ibid. pag.* 305. *num.* 9. *tom.* 3.

50. Pius V. occasione nefandi sceleris attentati à Farina religioso Ordinis Humiliatorum contra S. Carolum Boromæum quem sclopo voluit occidere; excommunicationem tulit contra professos Ordinis Humiliatorum admittentes aliquem ad habitum, vel professionem sui ordinis, vnde factum est vt ille ordo paulatim extinctus fuerit. *ibidem, punct.* 1. *num.* 1.

51. Ab eodem Pio V. in Bulla quæ incipit, *Æquum reputauimus*, lata est excommunicatio contra religiosos cuiuscumque ordinis admittentes religiosos Societatis IESV sine licentia sui Superioris, exceptis Carthusianis, & contra ipsos eiusdem Societatis religiosos sine sui superioris facultate ingredientes aliam religionem quàm Carthusianam, & contra dantes auxilium, &c. *ibid. num.* 2.

52. Iulius II. in Bulla quæ incipit, *virtute conspicuos.* excommunicationi subiicit claustrales recipientes Minimos sine licentia Summi Pontificis. *ibid. num.* 3.

53. Clemens teste S. Antonino excommunicationem tulit contra Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum volentes ad ipsos transire sine expressa licentia Summi Pontif. vel suorum superiorum. Ipsi tamen transeuntes hac excommunicatione non ligantur. *ibid. num.* 4.

54. Paulus III. in Bulla, *Cùm sicut*, anathemate obstringit Minimos qui se ab obedientia Correctorum subtrahunt. *ibid. num.* 5.

55. Leo X. in Bulla, *Licet alias*, excommunicat Tertiarios Eremitas deferentes habitum Minimorum. *ibid. num.* 6.

56. Refert S. Antoninus 3. *part. tit.* 24. *cap.* 7. excommuni-

nicationem latam contra detinentes in suis monasteriis Apostatas ordinis Prædicatorum. *ibidem, punct.* 3. *pagin.* 305. *tom.* 3.

57. Apostata à religione, ex vi iuris communis ob apostasiam præcisè non est excommunicatus; quia ista excommunicatio nuspiam reperitur; tamen ex peculiari priuilegio in nonnullis religionibus apostatæ sunt excommunicati, vt patet ex priuilegio Societati IESV concesso à Gregorio XIII. in Bulla 89. quæ incipit, *Ascendente Domino.* vbi religiosi à Societate deficientes excommunicantur ipso facto, & apostatarum pœnis subiiciuntur; absolutio autem ab hac excommunicatione reseruata est Summo Pontifici aut Præposito Generali eiusdem Societatis. *ibid.num.*3.

58. Pius V. in Bulla 128 quæ incipit, *Pastoralis officij.* excommunicationem tulit contra Fratres Minores de Obseruantia subornantes pro se, vel pro alio in electionibus, aut procurantes fauorem extra religionem ad officium in religione obtinendum. *ibid.pag.*306.*punct.*4 *n.*1.*tom.*3.

59. Hæc excommunicatio ex vi constitutionis Pij V. est Summo Pontifici reseruata; tamen Gregor. XIII. indulsit, vt tam Minister, quàm Commissarius Generalis possint absoluere quando de ipsis non agitur. *ibid.num.*4.

60. In Clementina, *Religiosi.de priuileg.& excess. priuileg.* extat generalis prohibitio, & excommunicatio contra religiosos absoluentes ab excommunicationibus reseruatis, aut à pœna, & culpa, aut Extremam vnctionem, vel Eucharistiam administrantes, aut matrimonia solemnizantes sine Parochi licentia. *ibid, punct.*5. *pag.*306.*num.*1.*tom.*3.

61. Ad hanc excommunicationem vitandam sufficit licentia generalis data Parochiano vt possit Sacramenta suscipere à quolibet religioso; vel data ipsi religioso vt possit cuilibet Sacramenta ministrare; hæc autem licentia à Parocho est obtinenda, aut eius Vicario. *ibid. pag.*307.*n.*5.*tom.*3.

62. Religiosus conferens extremam vnctionem, vel Eucharistiam aliis religiosis etiam alterius religionis, in hanc censuram non incidit: quia religiosi prohibentur tantùm hæc sacramenta ministrare clericis, vel laïcis. *ibid.n.*12. De sacramentis autem Baptismi, & Pœnitentiæ nulla est prohibitio. *numero* 11.

63. Religiosus sine licentia Parochi absoluens ab excommunicatione lata ab homine in hanc censuram non incurrit; quia prohibita est tantùm absolutio ab excommunicatione la-

ta

ta à iure communi, vel ab excommunicationibus latis & reseruatis per statuta prouincialia, aut synodalia. *ibid.pag.*308. *num.*17.*tom.*3.

64. Religiosus absoluens ab aliis censuris quàm ab excommunicatione, non subiacet huic excommunicationi; quia in textu nulla fit mentio de suspensione, & interdicto, sed de excommunicatione tantùm. *ibid.n.*18.

65. Absoluens ab excommunicationibus non reseruatis, aut absoluens à peccatis, non autem ab excommunicatione, in hanc censuram non incidit. *ibid.num.*21.22.

66. Religiosus concedens indulgentiam plenariam, seu ab omni pœna, subiicitur huic excommunicationi, etiamsi non absoluat sacramentaliter à culpa; absoluere enim à culpa, & à pœna, non est absoluere sacramentaliter à culpa, sed conferre indulgentiam plenariam, quæ supponit culpam remissam per sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto. *ibidem, numero* 24.

67. Nouitius sine licentia faciens præfatas actiones sub excommunicatione prohibitas non incurrit hanc excommunicationem: quia non est religiosus; in pœnalibus enim, & odiosis non est facienda extensio. *ibid.pag.*309.*num.*28.

68. Clemens V. ad tollendas nonnullorum querimonias qui ægrè ferebant Tertiarios S. Francisci tempore interdicti admitti à fratribus Minoribus in suas Ecclesias ad diuina officia audienda aliis exclusis, iniunxit sub excommunicatione iisdem fratribus Minoribus ne in posterum præfatos fratres Tertiarios vel sorores tempore interdicti ad diuina admittant. *ibid punct.*6.*n.*1.

69. Paulus V. in Bulla 26. quæ incipit *Romanus Pontifex*, statuit vt religiosi hæretici, vel de hæresi suspecti denuncientur Inquisitoribus, simúlque excommunicationem infligit superioribus ordinum religiosorum si huiusmodi denunciationem impediant, aut nisi ipsi denuncient. *ibid.punct.*7.*pag.*310. *num.*1. Hinc sequitur religiosum inferiorem non affici hac censura non denunciando; quia lata est solùm contra superiores. *num.*6.

70. Ioannes XXII. cum intellexisset nonnullos religiosos se transferre ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles reperiebantur, vt eos deciperent, & in errorem inducerent, sub excommunicatione interdixit in Extrauag. *Ad nostrum* ne vlli religiosi accedant ad hæc loca sine licentia sui superioris, & ne superiores hanc facultatem concedere audeant qui-

busuis fratribus sui ordinis, sed tantùm fratribus scientia, prudentia, & experientiæ vsu præditis. *ibid.punct.8.n.1.*

71. Religiosus transferens se ad partes transmarinas sine licentia, absque animo inducendi aliquem in errorem, & sine scandali periculo, hanc censuram non euadit; quia licet Summus Pontif. ob huiusmodi periculum inductus fuerit ad faciendam hanc constitutionem; nihilominus in sua constitutione generaliter loquitur. *ibid.pag.311.n.9.tom.3.*

Religiosorum mendicantium exemptio ab oneribus.

72. Pius V. in Bulla *Dum ad vberes.* eximit ordines mendicantes vtriusque sexus à quibuslibet gabellis, oneribus, & contributionibus quauis ex causa impositis, vel imponendis, additque excommunicationem latæ sententiæ contra violantes hanc exemptionem. *disput.2. quæst.10. punct.2. pag.312. num.1. tom.2.*

73. Hæc autem exemptio in hoc consistit vt ipsi monachi, moniales, & aliæ personæ regulares, nec non ipsorum bona mobilia vel immobilia, item ipsorum laboratores, coloni, locatarij, affictuarij, negotiorum gestores, immunes sint à qualibet collecta, contributione, tributo, gabellis, aliisque oneribus seu ordinariis, seu extraordinariis. *ibid num.3.*

74. Gubernatores, & rectores locorum non prohibentes fieri contra istam constitutionem, in hanc censuram non incidunt; quia excommunicatio lata in facientes, non afficit omittentes, seu non impedientes. *ibid.num.5.*

Religiosorum suspensiones.

75. Religiosi non ligantur suspensionibus vel interdictis contra clericos latis; quia religiosi, iuxta communem loquendi modum, non vocantur clerici, distinguuntur enim tres ordines, clericorum, religiosorum, & laicorum: Ad hæc clerici non sunt obnoxij pœnis contra religiosos latis, ergo neque religiosi subiiciuntur pœnis clericorum. Secùs dicendum de suspensionibus generaliter latis; tunc enim omnes comprehenduntur, nisi peculiari priuilegio eximantur *disp.3.quæst.8. pag.379.num.1.& 2.tom.3.*

76. Religiosus ante professionem sacros ordines suscipiens, suspenditur ab illorum executione; Idem dicen-

dum

dum de religioso inualidè professo. *ibidem*, *punct.* 1.

77. Abbates & alij quicumque superiores religionum concedentes dimissorias aliis quam religiosis sibi subditis, suspensionem per annum ipso facto incurrunt ab officio, & beneficio. Abbas verò conferens ordines, vel tonsuram clerico sæculari, seu religioso sibi non subdito, incurrit suspensionem à collatione ordinum per annum. *ibid. punct.* 3.

78. Religiosi mendicantes admittentes aliquem ad professionem nondum expleto probationis anno, incurrunt suspensionem, & excommunicationem comminatoriam latam ab Alexandro IV. in cap. *non solùm*, de regular. in 6. *disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 5. *pag.* 380. *tom.* 3.

79. In Clementina 1. *de rebus Eccles. non alienand.* lata est suspensio ab officio ordinis, & iurisdictionis contra Prælatos religiosos præsidentes monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, vel administrationibus, si iura, reditus, aut possessiones alicui concedant, nisi aliud exigat necessitas, vel vtilitas monasterij, seu Ecclesiæ, cum consensu conuentus. *ibid. punct.* 7. *pag.* 381. *tom.* 3.

80. Sub hac censura non comprehenduntur locationes prædiorum, & fructuum ad breue tempus; vt si locetur prædium ad triennium pro consueta pensione, aut colono partiario vt dimidiam, vel certam fructuum partem tradat; sic enim habetur in eadem Clement. *ibid. pag.* 382. *n.* 4. Absolutio ab hac suspensione conferri potest ab Episcopo, quia non est reseruata. *ibid. n.* 9.

81. Religiosi qui solutionem decimarum Ecclesiis debitarum impediunt, vel eas sine rationabili causa, aut priuilegio sibi vsurpare præsumunt, si requisiti ab illis quorum interest, non desistant intra mensem, vel vsurpata intra duos menses non restituant, incurrunt suspensionem ab officiis, administrationibus, & beneficiis suis donec destiterint, & satisfecerint. Sin hi religiosi nec officia, nec administrationes, nec beneficia habeant, incurrunt excommunicationem à qua absolui non possunt quin satisfecerint. *Clement.* 1. de decimis. *ibid. punct.* 8.

82. In Clementina *cupientes, de pœnis*, lata est suspensio ab officio prædicandi contra religiosos non admonentes pœnitentes de onere soluendi decimas postquam à rectoribus Ecclesiarum requisiti fuerunt vt admoneant. Excipiuntur tamen rectores Ecclesiarum, & religiosi monasteriorum percipientium decimas. Porrò religiosi qui hac censura obstricti, ni-

hilominus concionantur, excommunicationem incurrunt. Absolutio ab hac suspensione vtpote ad tempus lata, reseruata est Papæ. *ibid. punct. 9 pag. 383. tom. 3.*

83. In Clement. 1. §. *quibus*, lata est suspensio contra Prælatos religiosorum non satisfacientes intra mensem partibus læsis occasione excessuum à suis religiosis commissorum, postquam super hoc fuerint requisiti; si tamen ex illis excessibus aliquid commodi perceperunt. Ista suspensio summouet ab officio, & beneficio, estque Papæ reseruata ante satisfactionem; præstita verò satisfactione cessat. *ibid. punct. 10.*

84. In cap. *hi qui*, *distinct. 50.* apostatæ à religione prohibentur ad clericatus officium admitti, & in cap. *consultationi, de apostatis*, decernitur vt monachus qui aliquem sacrum ordinem in apostasia susceperit, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, non possit absque dispensatione Romani Pontificis ordinem sic susceptum exercere. *ibid. punct. 11. pag. 384. tom. 3.*

85. Apostata à religione qui tempore apostasiæ sacrum ordinem suscepit, non potest post apostasiam ad superiorem ordinem ascendere absque dispensatione; quia suspensus ab executione inferioris ordinis, suspensus etiam est ab executione superioris, atque adeo à susceptione; nam ordines non suscipiuntur, nisi vt exerceantur *ibid. n 9.*

86. Religiosus à religione eiectus suspensus est ab exercitio ordinum; nam ita sancitum est à sacra Cardinalium Congregatione; sin iterum admittatur, vel ad aliam religionem transeat, eximitur ab hac censura, quia hæc suspensio lata est contra religiosos degentes extra religionem. Hinc sequitur huiusmodi religiosum incidere in irregularitatem functiones sacrorum ordinum exercendo, quia violat suspensionem. Absolutio ab hac suspensione est Summo Pontifici reseruata. *ibid. punct. 12. pag. 385. tom. 3.*

87. In Clementina 1. §. *si quis, de statu monach.* lata est suspensio contra monachos nigros non vtentes habitu, & vestitu præscripto. Monachi autem *nigri*, vocantur *Benedictini*, qui vtrumque habitum superiorem, & inferiorem nigrum gestant. Hæc suspensio non omnes eodem modo afficit; nam si delinquens sit Abbas, aut Prior non habens Abbatem, suspenditur per annum à collatione beneficiorum; si verò sit inferior habens aliquam administrationem, ea ipsa priuatur per annum; si nullam habet, redditur inhabilis ad administrationem & Ecclesiasticum beneficium obtinendum. *ibid. punct. 14.*

88. In

88. In Clementina 1. §. *ſi quis, de ſtatu monach.* lata eſt ſuſpenſio contra monachos nigros qui venationi, aut aucupationi clamoroſæ, aut cum canibus, vel auibus ex propoſito interſunt; vnde ſequitur eum non obſtringi hac ſuſpenſione qui ex occaſione intereſt venationi, aut qui exercet venationem ſine auibus, aut canibus, ſed cum retibus, & laqueis, cum decentia, & honeſtate. Porrò hæc ſuſpenſio eoſdem habet effectus, quos ſuperior niſi quod durat per biennium. *ibid. pag.* 386. *punct.* 15. *tom.* 3.

Religioſorum clauſura.

89. Religioſi ad clauſuram perpetuam non obligantur; nullo enim iure illis fuit indicta. Ad aliquam tamen clauſuram tenentur quatenus ſine ſuperioris licentia, è clauſtro exire non poſſunt. Sin exeant, venialiter tantùm peccant, regulariter loquendo; quia regulæ non obligant ſub mortali. Fieri tamen poteſt vt mortaliter peccent ratione alicuius circumſtantiæ; vt ſi quis clauſtro egrediatur, vt extra illud diu, & quaſi ſtabili modo viuat, aut ſi noctu furtiuè egrediatur; egreſſus enim nocturnus & furtiuus eſt caſus reſeruatus. *tom.* 1. *pag.* 600. *n.* 1. *&* 2.

90. Non poteſt religioſus, abſque licentia Papæ, habitum dimittere, vt commodiùs parentum neceſſitati conſulat: quia ſolus Pontifex in ſacris canonibus, & in iure communi diſpenſat; iure autem communi ſancitum eſt, vt religioſus habitum ſui ordinis non dimittat. *ibid. num.* 5.

An liceat ab vna religione ad aliam tranſire.

91. Licet à laxiori ad arctiorem religionem tranſire, niſi aliud obſtet: cuilibet enim, iure naturæ, competit ius perfectioris vitæ capeſſendæ. Si tamen ex illo tranſitu graue ſequatur ſcandalum, ſeu notabilem famæ iacturam religio patiatur, non licebit religioſo aliam religionem capeſſere. *tom* 1. *pag.* 612 *num.* 1.

92. Epiſcopus regularis non poteſt abſque licentia Summi Pontificis, ad ſtrictiorem religionem tranſire. Epiſcopus autem qui renunciato de licentia Papæ Epiſcopatu, non vult ad priorem religionem redire, videtur poſſe ad laxiorem tranſire: hæc enim ſecunda religio, licèt non ſit arctior reſpectu prioris, eſt tamen arctior reſpectu ſtatus Epiſcopa-

lis; consequenter transitus ad laxiorem ei licitus videtur, ob-tenta prius à Summo Pontif. facultate. *tom.* 1. *pagin.* 613. *num.*7. & 8.

93. Transiens ab vna religione ad aliam, tenetur nouum peragere nouitiatum: qui enim professionem in aliqua religione facturus est, debet illius onera experiri, tum vt ipse cognoscat, an religio sibi placeat, tum vt ipsa religio illum probet, num sit idoneus. *ibid.num.*10.

94. Volens ad arctiorem religionem transire, debet petere facultatem, sub peccato mort. omittens enim petere licentiam præsumitur contemnere bonum obedientiæ, & vtramque religionem magnis litibus, & scandalis exponit. Debet autem causam transeundi patefacere superiori: quia superior tenetur licentiam concedere; non potest autem eam concedere nisi cognitâ causâ. Neque debet superior, alterius religionis subditum, in suam admittere, nisi constet ipsum facultatem petiisse; at si constet licentiam fuisse iniquè denegatam, potest sine licentia admitti. *tom.*1.*pag.*614.*num.*1.2.& 3.

95. Dum quis ad aliam religionem transit non petitâ licentiâ, aut petitâ; sed non obtentâ, nihilominus valida est professio, si in arctiori religione fiat; consequenter non potest religiosus, post dictam professionem, à prima religione repeti, vel ad eam sponte redire: quia professio sic facta, non irritatur à iure. Secus dicendum si religio à qua hic transit, priuilegium habeat irritans professionem ita factam. *tom.*1.*pag.* 615.*num.*7.

96. Sufficit vt qui ad arctiorem religionem transiturus est, licentiam petat ab immediato superiore monasterij: nam in cap. *licet*, *de regularibus*, habetur, licentiam à Prælato petendam esse; superior autem immediatus, est verè Prælatus, igitur non requiritur licentia conuentus. *ibid. num.*9. & 10.

97. Religiosus iusta de causa transiturus ad religionem æqualem, debet licentiam obtinere à Generali, de consensu Capituli generalis, seu præcipuorum Patrum; immò probabile est Prouincialem posse hanc facultatem concedere, nisi religionis constitutiones aliud ferant. Videtur etiam probabile Episcopum iusta de causa posse hanc facultatem concedere religioso non exempto, sibi subdito. *ibid.n.*12.

98. Quando religiosus ad ordinem laxiorem transire intendit, non potest hanc facultatem obtinere à Prouinciali, aut Generali, si Papa commodè adiri possit: quia Concil. Trident. *sess.*

sess.25. cap.19. generaliter prohibet quemquam transire ad laxiorem religionem, vigore cuiuscumque facultatis. Generali tamen Societatis IESV peculiare priuilegium à Paulo III. & Gregorio XIII. concessum fuit, vt suis religiosis etiam solemniter professis possit facere potestatem transeundi ad aliam quamlibet religionem. Hæc tamen licentia non extenditur ad religionem Equitum militarium. *tom.1.pag.616. num.13.& 15.*

99. Translatus ab vna religione ad aliam, debet in Capitulo sedere iuxta tempus professionis emissæ in secunda religione: quia ex tunc cœpit esse religiosus illius religionis. Si tamen transiuit ad eam religionem vt esset superior illius, finito, vel abdicato officio, sedebit post Prælatum in memoriam gradus, & honoris quem gessit, nisi adsint alij, ratione maioris honoris præferendi. *tom.1.pag. 618. num.1. & 2.*

100. Qui ad aliam religionem transiuerat, necdum in ea professus fuerat, si redeat ad priorem, est admittendus, quia adhuc est subditus illi religioni. Si verò redeat ad priorem religionem, postquam in secunda validè professus fuit, prima religio non tenetur illum admittere, qui iam factus est membrum alterius religionis. *ibid.num.3.*

101. Quando religiosus transit ab vna religione ad aliam, bona quæ prius monasterium acquisiuerat ratione illius religiosi, non transferuntur ad posterius, sed remanent apud prius: quia bona illa fuerunt absolutè acquisita priori monasterio. Quare hic religiosus nihil potest secum deferre, nisi facta sibi à priori Prælato, vel à Summo Pontifice potestate. *tom.1.pag. 619.num.2.& 5.*

102. Hæreditas quæ competit religioso ad aliam religionem transeunti, pertinet ad prius monasterium, si hæreditas delata fuit antequam religiosus professionem emitteret in secunda religione, etiamsi hæreditas tunc temporis adita non fuerit: quia delata fuit cùm adhuc hic esset subditus prioris religionis. *tom.1.pag.620.n.7.*

103. Si religiosus transeat à religione bonorum incapaci, seu etiam capaci ad aliam capacem, bona quæ in secunda religione acquirit, ad ipsam pertinent: iuxta illud vulgatum: *Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.* Neque obstat incapacitas quam contraxerat in prima religione, illa enim sublata fuit. *tom.1.pag.621.n.20.*

104. Omnes religiosi transeuntes ad aliam religionem sunt

sunt incapaces quorumcumque beneficiorum sæcularium, etiam curatorum: sic enim expressè decernitur à Concil. Trident. sess. 14. c. 13. *tom. 1. pag. 622. n. 1.*

105. Mendicantes traseuntes ad non mendicantes etiam cum facultate Pontificis. 1. priuantur voce actiua, & passiua in Capitulo. 2. priuantur loco quoad honores in electionibus & tractatibus, non verò quoad onera, in Capitulo, non autem in choro, & aliis congregationibus. 3. inhabiles fiunt ad prælaturas, administrationes, & quælibet officia, etiam tanquam Vicarij, vel locum aliorum tenentes, nec animarum curam suscipere possunt. Sic habetur in Clement. 1. *vt professores*, de regul. *ibid. n. 2. & 3.*

De inualida professione.

106. Religiosus inualidè professus non tenetur ex vi professionis regulam, aut vota seruare. Vnde sequitur illum non esse apostatam, fugiendo, neque teneri voto obedientiæ, paupertatis, & castitatis, consequenter posse matrimonium validè, & licitè, præciso scandalo contrahere. Tenetur autem reclamare, si quinquennium nondum elapsum est, aut certè professionem ratificare: quia non reclamando, & professionem non ratificando, facit iniuriam religioni, cùm percipiat alimenta, & alia commoda in vtilitatem professorum instituta. At quinquennio elapso cùm iam reclamare non liceat, tenetur inualidè professus ratificare suam professionem, saltem quando professio irrita fuit ob ipsius culpam. Quia fugiendo, notam infamiæ incurrit, & scandali ansam præbet; manendo verò in religione, non ratificata professione, se ipsum grauibus periculis exponit, nec leuia religioni damna infert; nam bonis religionis aletur, vota professorum feret, ad sacros ordines sine titulo promouebitur, &c. *tom. 1. pag. 625. n. 1. & 2.*

107. Ad validam professionis ratificationem requiritur nouus consensus, seu verbis, seu factis expressus, siue etiam solo actu interno, ex parte religiosi; non verò ex parte religionis, quia iam suum præstitit consensum. Quare in huiusmodi ratificatione nihil opus est iteratione cæremoniarum quæ adhiberi solent; quia non pertinent ad substantiam professionis. *ibid. n. 3. & 4.*

108. Probabile est religiosum qui professionem ratificauit, frui posse priuilegiis religionis, ac si ab initio validè professionem emisisset, aliis religiosis ignorantibus nullitatem

tem professionis: quia ratificatio est veluti quædam ratihabitio quæ retrotrahitur ad diem actionis quæ ratificatur. *tom.1.pag.626.n.6.*

Causæ reclamandi contra professionem.

109. Prima causa reclamandi est defectus legitimi consensus, sine quo professio est irrita: professio quippe est contractus mutuus, quo religiosus religioni; & vicissim religio religioso se obligat, omnis autem contractus mutuo consensu perficitur. Quanquam fortè religiosus in foro externo non audietur, quia defectum consensus, qui est merè internus, probare non poterit. Hinc sequitur religiosum qui professionem, per vim, vel metum emisit, posse, defectu legitimi consensus, intra quinquennium reclamare: vis enim, & metus efficiunt inuoluntarium mixtum. *ibid.n.1. & 13.*

110. Secunda causa est defectus integri nouitiatus. Concil. enim Trident. *sess.25.c.15.* ad validam professionem, vnum integrum probationis annum requirit, inchoatum post pubertatem, idest post 14. annum: debet autem hic annus esse continuus: non tamen interrumpitur per egressum ad breue tempus, animo statim redeundi; vt si nouitius causâ conuiuij, aut fornicationis, vna nocte è monasterio discessit statim reuersurus, etiamsi habitum exuerit ne dignosceretur, vel vt commodiùs peccare posset. Secùs dicendum, si duorum, vel trium dierum mora intercessit: tunc enim annus censetur interruptus. *tom.1.pag.627.n.1. & 3.*

111. Tertia reclamandi causa est defectus legitimæ ætatis: ætas autem legitima tam in viris quàm in fœminis ad emittendam professionem, est annus 16. completus de momento ad momentum computandus. *tom.1.pag.628.n.1.& 2.*

112. Quarta causa est defectus sui iuris, itavt profitens alteri se tradere non possit; sic coniugatus inuita coniuge non potest validè emittere professionem, nisi perpetui diuortij causam habeat, vt in casu adulterij. *ibid.n.1 & 2.*

113. Quinta causa est defectus legitimi sexus, vt si fœmina in religione virorum, aut vir in religione monialium professionem emittat: est enim irrita hæc professio, defectu intentionis in superiore acceptante, qui errauit circa substantiam personæ. Hinc sequitur hermaphroditum in quo virilis sexus præualet, in monasterio monialium validè profiteri non posse. Sin vterque sexus sit æqualis, neque inter viros, neque inter moniales validè profiteri. *ibid. n.1 & 2.*

114. Sexta

114. Sexta causa reclamandi contra professionem, est defectus legitimi superioris illam acceptantis: huiusmodi enim professio est irrita. Potestas autem acceptandi, seu admittendi, iure communi pertinet ad immediatum monasterij superiorem, vel ad alium ipso superiorem in officio, vt est Prouincialis, aut generalis. At Episcopus non potest quemquam in monasteriis exemptis, propria auctoritate, ad professionem admittere. *tom.* 1 *pag.* 629. *n.* 1. 2. *&* 4.

115. Non licet reclamare contra professionem factam absque præuia informatione, & solemnitate à Sixto V. præscripta: quia Clemens VIII. Sixti Constitutionem reuocauit quoad irritationem professionis; non autem quoad pœnas contra superiores admittentes aliquem absque præuia informatione. *tom.* 1. *pag.* 630. *num.* 11.

116. Tres conditiones seruandæ sunt ab eo qui reclamaturus est contra professionem. 1. est vt ante reclamationem, habitum non deponat, alioquin non est audiendus, sed tanquam apostata puniendus, vt decernitur in Conc. Trident. *sess.* 25, *cap.* 19. nisi iustam habeat habitus dimittendi causam. 2. vt causas nullitatis suæ professionis deducat coram suo superiore, vel ordinario. 3. vt reclamatio intra debitum tempus fiat. *ibid. num.* 1. *&* *seq.*

Quando sit reclamandum.

117. A die professionis vsque ad quinquennium elapsum licet reclamare contra professionem: vltra quinquennium autem non prorogatur tempus reclamandi; quare computandum est de momento ad momentum: Concilium enim Trident. *sess.* 25. *cap.* 9. vt tranquillitati, & paci religionis consulatur, non vult quemquam, ex quauis causa, post quinquennium audiri; quia præsumit religiosum consensisse, & professionem ratificasse. Si tamen constet aliquem laborare perpetuo impedimento, irritante professionem, is elapso quinquennio, quouis tempore audiri potest: alioquin religio detrimentum pateretur, quia cogeretur retinere perpetuò inhabilem; & mulier quæ mentita sexum, professionem in monasterio virorum emisisset, cogeretur in eodem monasterio remanere; quod est absurdum. *ibid. num.* 1. *&* *pag.* 631 *n.* 3. *&* 7.

118. Religiosus reclamans contra professionem validam, sciens validam, seu falsis testibus probans inualidam esse, & ob id deserens religionem, grauiter peccat, & pœnas apostata-

rum incurrit: quia verè est apostata cum exeat è religione absque licentia, animo ad illam non redeundi: quippe licentia per dolum, & mendacium obtenta, nulla est. *tom.1. pag.632. numero 1.*

119. Religiosus qui inualidè professus, postea professionem expressè, vel tacitè non ratificauit, regulariter loquendo, non peccat mort. reclamando contra professionem: vtitur enim iure suo, etiamsi sacros Ordines susceperit: nam ob illorum susceptionem non censetur professionem ratam habuisse. *ibid. num.2.*

120. Religiosus inualidè professus, sacros Ordines suscipiens, incurrit suspensionem; tum quia sine titulo, tum quia sine dimissoriis legitimi Prælati suscipit. *ibid. num.4.*

Fœminas virorum monasteria ingredi nefas.

121. Omnes fœminæ postquam eam attigerunt ætatem quæ sufficit ad vsum rationis, religiosorum monasteria ingredi prohibentur, nisi fortè ingrediantur ex priuilegio, vel causa diuini officij, vel grauis necessitatis, cui aliter commodè occurri nequeat; vt patet ex motu Pij V. qui incipit, *Regularium personarum.* & ex motu Gregorij XIII. qui incipit. *Vbi gratia.* Fundatrices tamen ingredi possunt monasteria religiosorum habentium regulam qua fundatrices decenter comitatæ ingredi permittuntur: quia superior non censetur velle statutis inferiorum derogare, nisi id exprimat, & Gregor. XIII. interrogatus an intenderet huic regulæ suo motu derogare, negatiuè respondit. Item Imperatrices, Reginæ, ac ipsarum filiæ eodem priuilegio frui possunt. *tom.1. pag.657. num.1.3. & 4.*

122. Fœminæ ingredientes monasteria virorum, incurrunt excommunicationem, Papæ reseruatam. Item Religiosi qui faciunt, aut permittunt fœminas ingredi prætextu facultatum à Summo Pontifice, vel ab aliis concessarum, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, necnon priuationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda. Alij verò religiosi qui fœminas in monasteria intromittere, vel admittere præsumunt, etiamsi fœminæ absque prætextu facultatum ingrediantur, incurrunt ipso facto suspensionem à diuinis, & præterea priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, vt patet ex iisdem motibus Gregor. XIII. & Pij V.

supra citatis. Hæc autem excommunicatio est Summo Pontif. reseruata. *tom.1.pag.658.n.1.2.& 3.*

123. Tribus de causis excusari possunt fœminæ, religiosorum monasteria ingredientes. 1. ob priuilegium. 2. ob necessitatem. 3. ob diuinum officium intra septa monasterij celebrandum. De singulis obiter dicendum. *ibid.*

124. Priuilegio Summi Pontificis, post constitutiones Pij V. & Gregor. XIII. obtento, excusari possunt fœminæ; virorum monasteria ingredientes: modò tamen ipsorum religiosorum statutis cautum non sit ne fœminæ ingrediantur, neve admittantur. Quibus autem ex priuilegio ingredi licet, possunt ingredi comitatæ honestis fœminis, iuxta decentiam sui status. *ibid. & pag.659.n.2. & 3.*

125. Fœminæ monasteria virorum ob instantem necessitatem ingredientes, à peccato, & censura excusantur; vt si religiosus infirmus, iudicio medicorum, fœminæ lacte alendus sit, nec religiosus commodè possit extra monasterium transferri. Idem dicendum si monasterium eo in loco positum sit, vbi alius non inueniatur, præter fœminam, qui certo morborum generi mederi possit. *tom.1.pag.659.n.4.*

126. Fœminæ ingredientes monasteria virorum, causa processionis, Missæ, funeris, vel alterius diuini officij, vel etiam ad audiendam concionem, vel quando tantus est populi concursus, vt mulieres Ecclesiam commodè ingredi, aut egredi non possint, quàm per claustra, vel alia religiosorum loca, à culpa, & censura excusantur: sic enim Pius V. declarauit. Probabile tamen est fœminam quæ monasterium ingreditur, non vt diuinis intersit, sed curiositatis causa, vel ob malum finem, non excusari à peccato, & excommunicatione: mens enim Summi Pontif. est vt fœminæ, diuinorum causa ingredi possit. Porrò religiosus qui processionem fieri iubet vt ea occasione mulieres monasterium ingrediantur, peccat quidem abusu potestatis, & dignus est pœna; non tamen videtur reus pœnarum quas incurrunt religiosi, fœminas in sua monasteria admittentes; quia tunc fœminæ ius habent ingrediendi. *ibid. num.6.& seq.& pag.660.n.13.& 14.*

127. Probabile est fœminas, quæ licitè, & bono fine ingressæ sunt monasterium virorum, excusari posse ab excommunicatione, etiamsi postquam ingressæ sunt, ad vlteriora monasterij loca progrediantur, aut diutiùs immorentur: licet enim peccent contra obligationem clausuræ, nihilominus non videntur incurrere excommunicationem, quia lata est

contra

contra fœminas illicitè ingredientes; fœmina autem iam ingressa, non dicitur ingredi, sed immorari, vel loca monasterij perlustrare. Opposita tamen sententia est valde probabilis. *ibid.num.*15.*&* 16.

128. Clemens VIII. in Bulla 28. quæ incipit, *Religiosè*, vt votum paupertatis integrè seruaretur, & religionum bonis consuleretur, interdixit largitiones, seu donationes, omnibus, & singulis religiosi vtriusque sexus, immò & Capitulis tam generalibus, quàm prouincialibus, nec non Congregationibus, & Conuentibus cuiuscumque Ordinis Societatis, aut instituti, sub pœna 1. priuationis dignitatum, graduum, munerum, & officiorum. 2. incapacitatis, & inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda. 3. infamiæ, & ignominiæ perpetuæ. 4. priuationis vocis actiuæ, & passiuæ. 5. vt contra ipsum regularem tanquam furti, & simoniæ reum, agi & procedi possit. *tom.*1. *pag.*740.

129. Non peccat contra hanc constitutionem religiosus qui volentem rem aliquam sibi, vel monasterio tradere, vel legare, rogat vt eam tradat suo consanguineo, vel alteri: quia sic religiosus non alienat rem vllam acquisitam, cùm eam ipse non acceptauerit. Secùs dicendum, si rem quam rogat alteri tradi, ipse iam acceptauerat, tacitè, vel expressè. *ibid. numero* 4.

130. Hi casus in Bulla Clementis VIII. excipiuntur in quibus licet regularibus aliquid largiri. 1. est si id fiat de licentia Capituli generalis re mature discussa, omnibus approbantibus. 2. de leuioribus poculentis, & esculentis; & de munusculis ad pietatem spectantibus; hæc enim de consensu superioris, & Conuentus tradi possunt. Idem dici potest de rebus medicinalibus, vt de terra sigillata, lapide Bezoar, &c. 3. de pecuniis quæ in diuinum cultum expenduntur, vt pro apparatu diei festi, pro ornando altari, &c. 4. de eleemosynis ad subleuandas veras pauperum necessitates. 5. de hospitalitate, præsertim erga pauperes, & peregrinos, seruata frugalitate, & paupertate religiosa, præsertim in ditioribus hospitio excipiendis, *tom.*1.*pag.*741.*n.*7.*&* *seq.*

131. Societatis Iesv religiosi in hac Bulla comprehenduntur: sunt enim verè religiosi, etiamsi solùm tria vota simplicia emiserint: retinent enim dominium bonorum, dependenter à voluntate Superioris, ex peculiari Summi Pontif. facultate, vt, si à religione dimittantur, non careant bonis quibus se sustentent. Hac de causa pensiones, vel beneficia non

vacant per emissionem trium votorum simplicium in Societate IESV; vacant enim tantùm per professionem. *tom.1. pag.742. num 7.*

132. Episcopi religiosi non subiiciuntur huic constitutioni; quia largitiones non faciunt ex redditibus, aut bonis monasterij, sed ex fructibus sui beneficij quorum liberam habent administrationem. Non tamen testari possunt, vel disponere causâ mortis, ne de bonis quidem patrimonialibus, vel propria industria acquisitis, quia quidquid acquirit Episcopus religiosus, suæ Ecclesiæ acquirit, & solùm liberam habet administrationem inter viuos. *ibid.num.9.& 10.*

133. Accipiens aliquid à religioso, vel moniali, extra casus supra recensitos, tenetur ad restitutionem rei acceptæ, nec absolui potest ante factam restitutionem, modò satisfacere possit absque graui incommodo. Est autem restitutio facienda monasterio in quo degit religiosus qui rem illam dedit, aut alteri loco de cuius bonis res data fuit. *tom.1. pag.743. num.1. & seq.*

134. Ad contrahendam lethalem culpam contra votum paupertatis ea quantitas requiritur, & sufficit quæ ex se, præcisis aliis circumstantiis, sufficit ad peccatum mortale furti. Ea autem quantitas non est spectanda penes ipsum religiosum, præcisè; sed potius penes monasterium cuius bona vsurpantur. Quantitas porrò necessaria ad pœnas Bullæ incurrendas, attendenda videtur iuxta praxim iudiciorum, & tribunalium, in quibus graues pœnæ imponi non consueuerunt ob quantitatem quæ duos, tresve aureos non excedat, nisi aliter sancitum sit à legitimo superiore. *tom.1. pag.744. num.4. & seq.*

135. Prælatus religionis non solùm potest eleemosynas facere de bonis conuentus, verùm etiam alias donationes, pro ratione administrationis, ex causa quam vir prudens, sufficientem iudicauerit: est enim bonorum religionis administrator, & dispensator: seruanda tamen est forma, & taxa quæ præscripta fuit à legitimo superiore cui Prælatus tenetur obedire. At in ludum illicitum, aut in res ludicras, & superfluas non potest Prælatus religionis quidquam expendere: quia bonorum monasterij non est dominus, sed administrator. *tom.1.pag.746. num.1. & seq.*

136. Religiosus subditus non potest vllas eleemosynas, vel donatiooes facere absque licentia superioris: quia non habent bonorum administrationem, & paupertatis voto obstringuntur.

guntur. Hæc autem licentia, præcisa Clementis VIII. constitutione, concedi potest, non solùm à Generali, aut Prouinciali, sed etiam ab immediato monasterij superiore. Idem dicendum de Abbatissis, respectu suarum monialium, modò ipsarum facultas restricta, & limitata non fuerit constitutionibus religionis, aut præcepto Prælati superioris. *ibidem, numero* 5. *& seq.*

137. Religiosus in claustro, vel extra claustrum viuens cui certa quantitas datur ad suam sustentationem, hoc pacto vt monasterium non teneatur ampliùs quidquam ei tribuere, sed eam suo commodo, aut damno impendat, absque obligatione reddendi rationem, potest in eleemosynas, & alios honestos vsus expendere id quod de ea quantitate subtrahit, parcè viuendo, aut quòd occasione illius peculij acquirit: in hoc enim casu adest tacita licentia superioris. Idem esto iudicium de religiosis extra monasterium, cùm licentia degentibus, seque proprio labore, & industria sustentantibus. *tom.*1.*pag.*747. *numero* 17.

138. Religiosus qui à monasterio sustentatur in studiis, vel alibi negotiorum causa, aut peregrinationis, non solùm potest moderatas eleemosynas facere; sed etiam moderatam quantitatem, causa honestæ recreationis, seu ludi expendere: Prælatus enim censetur tacitè consentire, modò ludus sit licitus, & honestus. *ibid.n.*18.

139. Excusatur à mortali religiosus accipiens, vel expendens aliquid ex tacita voluntate superioris, qui licentiam concederet, si peteretur, quamuis ei displiceat modus accipiendi, vel expendendi: superior enim non est inuitus quoad substantiam, sed quo ad modum tantùm; modo id accipiatur ad eum vsum ad quem superior licentiam concederet: nam, si ad alium vsum accipiatur, religiosus à mortali non excusatur. *tom.*1.*pag.*748.*n.*22.

140. Qui aliquid accepit à religioso non habente tacitam, vel expressam dandi facultatem, tenetur ad restitutionem, si res extet; sin minus non tenetur ad restitutionem nisi quatenus factus est locupletior; nisi monasterium, vel eius superior, iusta de causa condonet restitutionem. *tom.*1.*pagina* 749. *numero* 29.

141. Religiosus qui monasterio aliquid debebat ante religionis ingressum, non eximitur à debito per professionem factam in religione: quia oblatio personæ per professionem, non est satisfactio realis, & pecuniaria: non tamen potest pro eo

debito conueniri. Quando verò religioſus ære alieno grauatus admittitur ad profeſſionem, profeſſio non tollit iura creditorum; conſequenter quidquid arte, induſtria, hæreditate, vel donatione acquirit, non monaſterio, ſed creditoribus acquirit: conſequenter monaſterium tenetur creditoribus ſatisfacere. Item ſi religioſus, ante profeſſionem, aliquid ex ſuis bonis ad pias cauſas diſpoſuit, monaſterium non poteſt hanc diſpoſitionem mutare, cùm illa diſpoſitio facta fuerit tempore habili, ſitque valida. *ibid.num.*35.

Religioſus Apoſtata.

142. Dicitur is religioſus apoſtata qui à vero ordine religioſo diſcedit, animo deſerendi ſtatum religioſum, ſeu non redeundi ad religionem, ſiue ſine habitu, ſiue cum habitu diſceſſerit. Nouitius autem deſerens religionem, non cenſetur apoſtata, quia non deſerit ſtatum religioſum quem nondum profeſſus fuerat per trium votorum emiſſionem. *tom.*1. *pag.*632.*n.*1. *& ſeq.*

143. Qui tranſit ad alium ordinem religioſum etiam laxiorem, non eſt propriè dicendus apoſtata; quia ſtatum religioſum planè non deſerit. *ibid.n.*4.

144. Fugitiuus differt ab apoſtata; is enim dicitur *fugitiuus* qui à monaſterio diſcedit ad tempus, cum intentione redeundi, vt ſi fugiat ob rigorem Prælati, vel ſtudio vagandi, & diſcurrendi, vel alia ſimili de cauſa, ſiue cum habitu, ſiue illo abiecto, ſiue ſe proripiat è carcere cui erat in perpetuum mancipatus; is enim cenſetur fugitiuus qui ſine licentia Prælati deſerit monaſterium. At ſi fugiat è triremibus, aut ſi confugiat ad ſuperiorem abſque immediati Prælati facultate; vt ſe iniquæ vexationi ſubducat, non eſt cenſendus fugitiuus. *ibid.num.*5. *& ſeq.*

145. Superiores religionum, per ſe loquendo, tenentur fugitiuos, & apoſtatas, aut etiam eiectos, ſi ſpes ſit melioris frugis, data opportunitate reuocare; debent enim ex officio curam gerere ſalutis ſubditorum; alioquin incidunt in pœnas in decreto ſacræ Congregationis expreſſas, ſuntque officio priuandi. *ibid.pag.*633.*n.*1. *&* 2.

146. Apoſtata, & fugitiuus à religione à ſuo Prælato vbique capi poteſt, etiam extra ſuum monaſterium, & territorium: & ſi habitu dimiſſo apoſtata prætendat irritam fuiſſe profeſſionem ſuam, non gaudet priuilegiis religionis; secùs

autem

autem si cum habitu discessit; tunc enim adhuc gaudet priuilegiis toti ordini religioso concessis, cùm nullum ius extet in contrarium. *ibid.pag.*634.*n.*1. *& seq.*

147. Apostatæ, seu fugitiuo nulla debentur alimenta, quæ alioquin religio ei præbuisset: nam quemadmodum pater non tenetur alere filium sua culpa discedentem; ita neque religio tenetur alere religiosum à religione fugientem. *ibid.n.*4.

148. Apostata, peractâ pœnitentia, eligi potest in superiorem nisi aliud obstet, aut nisi constitutiones, & priuilegia religionum aliud ferant. *ibid.n.6.*

149. Qui detinet apostatam, non videtur reus excommunicationis, in genere loquendo, nisi admonitus ab Ordinario loci eum dimitttere nolit; quia Paulus IV. in Bulla 14. quæ incipit *Postquam diuina bonitas*, excommunicat omnes cuiuscumque gradus, & conditionis homines qui recipiunt apostatas, si admoniti ab Ordinario non desistunt. *tom.*1.*pag.*636. *numero* 1.

Religiosorum eiectio.

150. Religiosus absque iusta causa expelli non potest à religione: quia sicut religio ius in ipsum per professionem acquisiuit, ita ipse ius acquisiuit vt à religione alatur, & sustentetur. Quapropter superior religiosum absque legitima causa expellens, grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem damni quod religiosus eiectus patitur; potestque hic religiosus religionem cogere vt iterum se admittat, aut alat. *ibid.pag.*637. *numero* 1.

151. Potest religiosus, iusta concurrente causa, ob religionis vtilitatem, à monasterio expelli. Quia vulnera quæ remedium non admittunt, abscindi possunt, & bonum priuatum publico posthabendum est. *ibid.num.*4.

152. Iusta causa expellendi religiosum à monasterio est incorrigibilitas Vt autem quis incorrigibilis censeatur, non satis est vt in iisdem, aut etiam grauioribus delictis perseueret; sed præterea opus est vt vno anno in carcere probetur ieiunio, & pœnitentia; sin post eiusmodi probationem non resipuerit, incorrigibilis habeatur. *ibid.pag.*637 638.*n.6.*

153. Religiosus qui professionem emisit celato morbo, aut alio notabili vitio, quo cognito non fuisset ad professionem admissus, non propterea iustam expulsionis causam præbet; quia hæc deceptio non est circa substantialia religionis,

neque tanti est momenti vt postulet exclusionem. *ibidem numero 7.*

154. Religiosus semel eiectus, vel fugitiuus; sed postmodum ad eandem religionem admissus, non quidem in eodem monasterio in quo professus fuerat, sed in alio, alendus est à monasterio ad quod mittitur, si prius monasterium est bonorum incapax; sin est capax, & religiosus dotem seu hæreditatem illi attulit, ab eo alendus est; æquum enim est vt qui sentit commodum, sentiat & onus. *ibid. pag. 638. n. 10.*

155. Laudabiliter, & sine vllius iniuria institui potuit Religio Societatis IESV in qua R. Patri Generali libera competit facultas expellendi iustam ob causam religiosos post biennij nouitiatus vota; quia scienti, & volenti non fit iniuria; Religiosi autem Societatis IESV scientes hoc grauamen, & volentes admittuntur ad professionem: præterea ita fieri expedit propter bonum religionis; sic enim religiosi facilius in officio continentur, metu dimissionis. Porrò religiosus à Societate IESV dimissus post biennij vota, liber remanet ab obligatione votorum, ac si numquam vouisset; modo dimissus non fuerit ob fraudem, vel ob peccata ad hunc finem commissa; quia vota biennij fiunt sub conditione si vouens retineatur, & non dimittatur. *tom. 1. pag. 639. num. 13.*

156. Religiosus Societatis IESV qui mediocrem non adhibet diligentiam vt vitet defectus propter quos præuidet se à religione dimittendum, mortaliter peccat, etiamsi huiusmodi defectus ex sua natura, mortaliter peccaminosi non sint: quia qui votum emisit, grauiter peccat, reddendo se impotentem ad illius voti adimpletionem. *ibid. num. 12.*

157. Religiosus à religione eiectus, tenetur suos deprauatos mores corrigere, vt iterum ad religionem admittatur, ne per ipsum stet quominus votum perseuerantiæ in religione adimpleat: si autem ad religionem redeat, puniri potest priuatione gradus, & dignitatis. *ibid, pag. 639. n. 1. & 2.*

158. Religiosus professus à religione eiectus, tenetur vota religionis substantialia seruare: quia adhuc est religiosus professus; ob id si ad religionem redeat, nouam professionem facere non tenetur. Ad paupertatem tamen, & obedientiam non tenetur eo modo quo in religione tenebatur: cum enim superior illos eiiciat, nec velit necessaria illis ministrare, censetur illis facultatem dare vt sibi prospiciant; quare possunt habere patrimonium ne mendicare cogantur. *tom. 1. pag. 640. num. 1.*

159. Si religiosus eiectus aliquid inutiliter expendat, aut ad actus turpes insumat, non peccat contra votum paupertatis. Quia eiectis in perpetuum, permittitur administratio bonorum, ac si illorum dominium haberent; non tamen possunt testari, quia re ipsa non sunt bonorum domini. *ibidem, num.2.*

160. Religiosus qui aliquod votum vltra tria substantialia in religione emisit, tenetur ad illius obseruantiam etiam postquam eiectus fuit, vt sunt religiosi Minimi, qui quartum votum abstinentiæ quadragesimalis emittunt. Contraria tamen opinio est etiam probabilis. *ibid. num.4.*

161. Religiosus in perpetuum eiectus, non tenetur ad regulares obseruantias quæ sunt onera consequentia statum religiosum; quia illa tantùm promiserat accessoriè posito statu regulari, à quo cum fuerit depositus, ea obligatio cessat. *ibid.num.5.*

162. Religiosus eiectus, qui iam emendatus est, sed desperat fore, vt ad priorem religionem admittatur, potest absque vlla licentia aliam ingredi æquè perfectam, vel etiam laxiorem, & facta in ea professione, non potest amplius à prima reuocari, quia secunda ius acquisiuit per professionem. *ibid. pag.641.num.11*

163. Religiosus in perpetuum eiectus, non tenetur aliam religionem ingredi, nisi eiectus fuerit sub hac conditione, vt ad aliam transiret, quia non tenetur ad id quod non promisit; at promisit seu professus est hanc, non verò aliam religionem. *ibid. num.2.*

164. Religiosus eiectus cogi non potest ab eiiciente, vel à Pontifice, vt ad aliam religionem transeat: quia nullus cogi potest ad id quod non promisit. *ibid.n.3.*

165. Religiosus eiectus non tenetur ex vi voti obedire Episcopo; quia in professione id non promisit. Tenetur tamen illi obedire tanquam subditus iurisdictioni illius in cuius diœcesi commoratur. At Summo Pontifici probabile est teneri obedire ex vi voti, quia est Prælatus religionis. *ibid. num.1.*

166. Religiosus eiectus, si priuatus fuit habitu, non potest illum deferre; quia sententiæ iustæ obedire tenetur: si verò cum habitu expulsus fuit, tenetur illum deferre, quia adhuc est religiosus. *ibid.n.2.*

167. Eiectus à religione non potest beneficium suscipere cui adnexus sit aliquis Ordo, seu functio Ordinis; cum enim

suspensus sit ab exercitio ordinum, suspenditur etiam à beneficio cui Ordo est adnexus. *tom.1.pag.642.num.4.*

168. Eiectus à religione non potest à superioribus religionis ad mortem condemnari; quia Ecclesiasticis vetitum est causam sanguinis exercere. Neque à foro sæculari, nisi fuerit degradatus, & curiæ sæculari traditus; quippe ipsius iudicium ad forum Ecclesiasticum spectat. *ibidem, numero 7.*

169. Bona acquisita à religioso expulso, iure nouo pertinent post eius obitum ad Cameram Apostolicam; sic enim statuit Gregor. XIII. modò religiosus extra religionem obierit; alioquin pertinent ad eam religionem in qua obiit, si est capax; sin minus, pertinet ad Summum Pontificem. *ibid. num.3.*

Reliquiæ Sanctorum.

1. PAulus V. in quadam Bulla edita 24. Augusti 1613. excommunicationem tulit contra extrahentes reliquias ex cœmeteriis, cryptis, vel catacumbis intra, vel extra vrbem existentibus; necnon contra cooperantes illi extractioni per mandatum, consensum, auxilium, vel fauorem. *disp.2.quæst.3. punct.13.pag.203.tom.3.*

2. Hoc edictum ligat non solùm Romæ commorantes, verùm etiam extraneos Romam venientes; estque perpetuò duraturum, quia editum est per modum legis, & statuti. *ibid.*

3 Hæc excommunicatio est Summo Pontifici reseruata.

4. Eadem adoratio tribui potest reliquiis quæ tribuitur personæ cuius sunt reliquiæ: apprehendi enim possunt vt coniunctæ illi personæ, consequenter vno, & eodem actu adorari possunt. Immò etiamsi non apprehendantur vt coniunctæ, possunt adorari adoratione respectiua propter excellentiam, & sanctitatem illius cuius sunt reliquiæ. *tom.2. pag. 146. numero 4.*

5. Reliquiæ quæ publicè proponuntur adorandæ, postquam Summus Pontifex, aut Episcopus debitam adhibuit diligentiam ad inquirendum num veræ sint reliquiæ viri canonizati, illásque approbauit, possunt absolutè, & absque conditione adorari: nullum enim est periculum erroris, saltem formalis in huiusmodi adoratione. *ibid.num.5.*

6. Episcopus potest non solùm in sua diœcesi, verùm etiam extra, reliquias approbare: quia hæc non est iurisdictio contentiosa,

tentiosa, sed voluntaria quæ exerceri potest in aliena diœcesi, etiam sine facultate proprij Episcopi. Illæ autem reliquiæ quæ Roma afferuntur cum Bulla Apost. aut etiam cum testimonio Episcopi diœcesis à qua translatæ sunt, non sunt necessariò approbandæ ab Episcopo diœcesis ad quam transferuntur, sed tantùm examinandum est an sint illæ ipsæ quæ legitimè fuerunt approbatæ. *ibid.*

7. Non est speciale peccatum, in confessione necessariò aperiendum ab eo qui fornicatur, vel furatur, &c. dum reliquias habet ad collum appensas. Qui surripiunt, vel extrahunt aliquid de reliquiis alterius, peccant mortaliter peccato sacrilegij, & furti, nisi hoc faciant de licentia domini, aut nisi eas eripiant de manibus infidelium: nam furtum rei sacræ, inuito domino, est sacrilegium. *tom.* 2. *pag.* 147. *num.* 8. *&* 9.

Repressaliæ.

1. Repressaliæ, seu pignorationes nihil aliud sunt, quàm concessio, seu facultas alicui facta vt pro re ab alio sibi erepta, vel pro damno sibi illato, possit rem æquiualentem, propria auctoritate impune accipere ab alia tertia persona, etiam vim inferendo, si opus fuerit. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 22. *pag.* 173.

2. In cap. vnico, *de iniurijs, in 6.* cautum est sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne huiusmodi repressaliæ contra Ecclesiasticos, aut ipsorum bona concedantur, vel concessæ, ad illos extendantur. Hæc autem censura incurritur, nisi concedentes reuocauerint concessionem intra mensem, & exequentes intra mensem restituerint, si fuerint personæ singulares; si verò fuerit vniuersitas, Ecclesiastico subiicitur interdicto. *ibid.*

3. Qui alicui potestatem facit accipiendi à clerico sibi debitore tantumdem quantum sibi debetur, in hanc censuram non incidit; quia hic non concedit repressalias, in quibus vnus pro alio grauatur; hic autem clericus grauatur pro suo debito, non pro alieno, quod non est illicitum si debito modo fiat. *ibid. pag.* 174. *num.* 5.

4. Hæc excommunicatio non est reseruata.

RESTITVTIO.

Quid sit restitutio.

1. RESTITUTIO est actus iustitiæ commutatiuæ quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ad æqualitatem. Ex violatione autem iustitiæ distributiuæ præcisè non oritur obligatio restituendi, nisi quatenus simul violatur aliquod ius pertinens ad iustitiam commutatiuam; quia restitutio dicitur actus iustitiæ commutatiuæ. Hinc patet Principem qui confert officium digno, relicto digniore, non teneri ad restitutionem, quia non violat iustitiam commutatiuam, sed distributiuam; secùs dicendum si conferat indigno, & malè administraturo; tenetur enim ad restitutionem damnorum inde prouenientium, cùm teneatur ex officio idoneos ministros constituere. *tom. 2. pag.* 357. *num.* 1. *& pagin.* 358. *num.* 10. *&* 13.

2. Iustitia alia est *commutatiua*, cuius munus est restituere rem ipsam quæ debetur ad æqualitatem, habita ratione æqualitatis rei quæ debetur, non autem meritorum personæ; alia *distributiua*, quæ consistit in conferendis præmiis, dignitatibus, & officiis, iuxta merita cuiusque. *tom. 2. pag.* 358. *num.* 8.

3. Restitutio necessaria est ad salutem non necessitate medij: quia iustam ob causam omitti potest restitutio; sed necessitate præcepti: quia res aliena non potest inuito domino retineri, quin peccetur contra iustitiam. Quare præceptum restitutionis obligat sub peccato mort. nisi paruitas materiæ excuset. *tom. 2. pag.* 359. *num.* 2. *&* 3.

Obligatio ad restitutionem.

4. Ex sola violatione iustitiæ, non verò aliarum virtutum oritur obligatio restituendi: quia per violationem iustitiæ aufertur alienum quod cuique debetur ad æqualitatem: hoc autem in aliis virtutibus non accidit, vt pietate, religione, &c. quare qui proximo non succurrit in necessitate, cui tenetur subuenire ex sola charitate, non obligatur ad restitutionem. *tom. 2. pag.* 360. *num* 2. *&* 3.

5. Non ex solo peccato mort. contra iustitiam, sed etiam ex veniali oritur obligatio restituendi. At si absque vlla culpa illatum

illatum est damnum etiam graue, putà per ignorantiam, aut inaduertentiam, nulla est in foro conscientiæ obligatio ad restitutionem; quia pœna supponit culpam. *ibidem, numero 5. & 6.*

6. Qui rem alienam bona fide possedit, credens esse suam, tenetur ex iustitia restituere statim ac cognoscit esse alienam: alioquin sciens retineret rem alienam inuito domino. Qui verò rem alienam emit à fure, nesciens esse furtiuam, non potest pretium quod ipse soluit, exigere à domino cui res restituenda est, sed tenetur eam reddere absque pretio; alioquin fit possessor malæ fidei, quia æquum non est vt dominus rem suam emat: potest tamen pretium exigere ab eo qui sibi vendidit. *tom.2.pag.361.num.3.& 4.*

7. Qui rem alienam bona fide consumpsit, vel alienauit, credens esse suam, non tenetur ad restitutionem nisi quatenus inde factus est ditior. Ille autem censetur factus locupletior qui vel pepercit rei suæ dum vteretur aliena, vel habet aliquid quod alioquin non habuisset. Quare non tenetur ad restitutionem cui res aliena periit casu, aut etiam sua culpa, dùm adhuc illam possideret bona fide: nam cum re desiit obligatio quæ inde oriebatur. Item qui rem alienam bona fide emptam vendidit æquali, vel minori pretio; quia non est inde factus ditior. At qui vestem alienam bona fide consumpsit, tenetur comparente domino restituere valorem illius, si aliàs vestem æqualis valoris consumpsisset. At qui vestem sericam alienam bona fide consumpsit, non tenetur restituere quantum illa valebat, sed quantum valet vestis vilior quam ipse consumpsisset si sericam non habuisset. *ibidem, num.5. & seq. & pag. 362. num.15.*

8. Qui postquam rem alienam accepit, dubitare cæpit an esset aliena, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, si post sufficientem inquisitionem non comperit esse alienam: quia in dubio melior est conditio possidentis. At possessor malæ fidei dubitans an res accepta, sit aliena, tenetur adhibere debitam diligentiam ad rei veritatem explorandam, quam si assequi non possit, tenetur rem iis restituere, de quibus dubitat, vnicuique pro rata: comperto autem vero domino, non solùm rem integram tenetur ipsi restituere, sed etiam fructus à se perceptos. *tom.2.pag.363.num.4 & 11.*

9. Possessor bonæ fidei postquam dubitare cœpit an res sit aliena, non potest ea vti, si vsu consumitur, aut fit deterior, donec comperiat non esse alienam. Si verò non consumitur, nec

deterior

deterior fit ipso vsu, potest ea vti cum intentione soluendi pretium, detractis expensis, si rei dominum inueniat. *ibidem, numero 9.*

10. Qui possessori bonæ fidei rem abstulit, dubitans an esset sua, tenetur ad integram restitutionem, tanquam possessor malæ fidei; quia non potest alium de possessione deiicere, nisi certò sciat rem suam esse, quam alter iustè possidet. *tom.2. pag.364.num.15.*

11. Illud axioma iuris, *Melior est conditio possidentis*, non tantùm locum habet in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum, post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem explorandam. Possessio enim est titulus communis omnibus virtutibus. Sic dubitans an expleuerit 21. annum, non tenetur ieiunare ex præcepto Ecclesiæ: quando enim dubia est obligatio, melior est conditio possidentis suam libertatem. Item qui dubitat an sit legitimus, adhibita priùs debita diligentia, potest cum aliis fratribus diuidere hæreditatem; quia possessio illi fauet. *ibid.n.1. & pag.365.n.11. & 12.*

12. Qui positiuè concurrit ad actionem iniustam, seu ad damnum alterius, tenetur ad restitutionem, etiamsi non fuerit particeps rei acceptæ; quia est causa iniusta damni. Sex autem modis potest quis concurrere positiuè, ad damnum alteri inferendum: iussione, consilio, consensu, approbatione, data securitate, auxilio. *tom.2.pag.365 n.1. & 2.*

13. Qui negatiuè cooperatur ad actionem iniustam, seu ad damnum alterius tacendo, non obstando, vel non manifestando quando tenetur ex iustitia, obligatur ad restitutionem: quia non tantùm actione positiua, sed etiam negatiua potest alteri damnum efficaciter inferri, omissione scilicet iniusta. Hoc autem disticho habes nouem modos quibus potest quis cooperari ad damnum alterius; sex priores positiuos; tres posteriores negatiuos:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

14. Qui dubitat an sua actione, seu omissione cooperatus sit efficaciter ad damnum alterius, non tenetur ad restitutionem: in dubio enim præsertim in materia iustitiæ, melior est conditio possidentis. Hinc fit vt qui dedit alteri consilium occidendi inimicum, sed posteà dubitat an suo consilio fuerit occisus, non teneatur ad restitutionem; quia possessio stat pro ipsius libertate, nisi constet re ipsa commissum fuisse homicidium ab eo cui dedit consilium: tunc enim præsumptio est

est contra consulentem. *tom.* 2. *pagin.* 366. *num.* 1. & 3.

15. Qui absolutè, & simpliciter consentienti damnum infert, absque vllo inuoluntario admixto, non tenetur ad restitutionem: quia volenti, & consentienti non fit iniuria. Secùs quando est aliquid admixtum inuoluntarij; sic vsurarius facit iniuriam accipienti mutuum sub vsuris, teneturque ad restitutionem; sic latro facit iniuriam viatori, à quo accipit nummos; quia ibi non est absolutus consensus dantis. *tom.*2. *pag.*367.*num.*1.

Restitutio ob iussionem.

16. Qui tacitè vel expressè iussit, seu mandauit aliquod damnum fieri, tenetur ad restitutionem damni sequuti, nisi tacitè, vel expressè mandatum reuocauerit, itavt reuocatio innotuerit ei qui mandatum acceperat: tunc enim non censetur influere in damnum. Hinc collige discrimen inter mandantem, & consulentem; nam consulens, etiamsi conetur consilium reuocare; tamen tenetur ad restitutionem si alter cui consilium dedit, damnum inferat. Mandans verò, si post reuocatum mandatum, damnum inferatur à mandatario cui reuocatio innotuerit, non tenetur ad restitutionem: faciliùs enim reuocatur mandatum quàm consilium quod etiam inuito consulente, potest influere in damnum. *tom.*2.*pag.*368. *num.*2. & 3.

17. Qui rem sibi traditam ad vendendum, pluris vendidit quàm sibi esset constitutum, non potest sibi incrementum pretij retinere, nisi dominus tacitè donet; aut nisi illud acquisierit ex mera industria; aut nisi ipsius labori debeatur. Si tamen ipse pretio à domino constituto, rem sibi emit, & postea suo nomine vendidit maiori pretio, potest excessum pretij sibi retinere: quia ipse erat illius rei dominus. *tom.*2.*pag.*369. *num.*16. & 17.

18. Gesta per mandatarium sunt inualida, post reuocationem mandati quæ ipsi innotuit. Valida verò, si reuocatio non innotuit; nisi in casu matrimonij, quod constat post reuocationem mandati, inualidè celebrari, etiamsi procurator ignoret reuocationem: quia ad contractum matrimonij requiritur verus, & expressus consensus. *ibid.n.*22.

Restitutio ob consilium.

19. Consulens tenetur ad restitutionem damni suo consilio

lio illati, quamuis ante factum conatus sit consilium reuocare; nisi fortè consilium fuerit falsum: nam qui reuocat consilium falsum, non tenetur ad restitutionem damni, v. g. qui Titio quærenti an contractus sit licitus, respondit esse licitum, cum tamen sit illicitus, satisfacit reuocando consilium, & dicendo se fuisse deceptum; hoc enim pacto videtur sufficienter influxum reuocare, indicando consilij falsitatem; & damnum quod sequitur non est imputandum consulenti, sed malitiæ delinquentis, qui cognita veritate noluit à delicto abstinere. Si verò consilium fuit verum, itavt consulens ostenderit vtilitatem, & commodum inde sequuturum, etiamsi postea conatus fuerit consilium reuocare, tenetur adhuc ad restitutionem damni quod delinquens illius suasu intulit; quia non censetur sufficienter consilium reuocasse: sicut tradens instrumentum ad damnum inferendum, tenetur ad restitutionem, nisi instrumentum re ipsa auferat; nam vsus illius adhuc imputatur tradenti. *tom.2.pag.*370.*n.*2. *&* 6.

20. Qui suo consilio, vel alia ratione fuit causa minoris damni quàm alioquin fuisset illatum, non tenetur ad restitutionem, v. g. qui parato furari 20. suasit vt furaretur 10. & parato occidere suasit vt tantùm percuteret, cùm alia ratione non posset delinquentem à peccato reuocare: hoc enim consilium videtur tantùm conditionale, vt videlicet delinquens si à maiori malo nolit abstinere, saltem eligat minus malum; neque hoc consilium est intrinsecè malum. *tom.2.pag.*371. *numero* 8. *&* 9.

21. Qui exercet aliquod officium medici, aduocati, confessarij, &c. tenetur de damno sua lata culpa sequuto: tenetur enim ex officio ea scire, & præstare quæ sciunt & præstant homines eius conditionis. Sic confessarius, seu Theologus qui consultus respondit Titium non teneri ad restitutionem, cùm teneretur, aut teneri cùm non teneretur, reus est damni, inde sequuti. *tom.2.pag.*372.*n.*20. *& seq.*

Restitutio ob consensum.

22. Qui suo consensu non est causa efficax damni, non tenetur ad restitutionem: quia non influit efficaciter in damnum. Hinc collige proceres quos Princeps conuocauit, non ad dandum consilium an bellum esset ineundum; sed solùm ad præstandum suum consensum, non teneri ad restitutionem damnorum ex bello iniusto sequutorum; quia ille consensus non influxit

influxit efficaciter in damnum. Qui verò suo consensu concurrit efficaciter ad damnum, tenetur ad restitutionem, vt qui per suffragia, vel subscriptionem consentiunt, & influunt in mortem innocentis. Obseruandum autem quando omnium suffragia necessaria sunt, omnes teneri ad restitutionem; quando verò suffragia maioris partis sufficiunt, posteriores peccare quidem mortaliter consentientes in mortem innocentis; sed non teneri ad restitutionem ferentes suffragia postquam præstita sunt ab aliis sufficientia ad mortem: posteriores enim non sunt causa efficax damni, nisi spes esset fore, vt priores reuocarent sua suffragia, posterioribus nolentibus consentire. *tom.2.pag.372.n.3.& 4.*

23. Qui priore loco suffragium tulit, antequam cæteri tulissent suum, quos tamen sciebat in eandem sententiam iniquam ituros, tenetur ad restitutionem; quia in damnum efficaciter influxit: quamuis enim sine ipsius suffragio damnum fuisset sequuturum, re ipsa tamen sine ipsius suffragio non est sequutum. *tom.2.pag.373.n.6.*

Restitutio ob fauorem.

24. Qui laudat malefactorem, eúmque ad inferendum alteri damnum inducit. Item eius receptator; & fautor, qui refugium, & securitatem ei præbet ad patrandum delictum, tenetur ad restitutionem; est enim causa efficax damni. Idem dicendum videtur de eo qui deridet, aut vituperat eum qui non furatur, vel non vlciscitur: constat enim teneri ad restitutionem, si sua derisione delinquentem impulit ad furandam. *ibid.num.1.& 2.*

25. Cauponarij accipientes pecunias à filiisfamilias, vel à seruis surreptas parentibus vel dominis, non excusantur à restitutione, quia non solùm dicuntur receptatores malefactorum, sed etiam rem alienam accipiunt inuito domino. Immò si nihil accipiant à filiisfamilias, sed solùm concedant sedilia, vel mensam, vel lumen, vel chartas ad ludendum, videntur adhuc teneri ad restitutionem, in defectum ipsorum ludentium; quia cooperantur damno alterius. *ibid.n.3.*

Restitutio ob participationem.

26. Participans in opere intrinsecè malo contra iustitiam, peccat, & tenetur ad restitutionem damni secuti; nam culpa-

biliter, & efficaciter influit in damnum. Qui verò metu coa-ctus, aut alia rationabili causa impulsus participat in opere non intrinsecè malo, excusatur à peccato, & restitutione. Sic Christiani capti à Turcis, remigantes metu mortis, in triremibus Turcarum contra Christianos, excusantur. Si tamen ex illa remigatione magnum Respubl. Christiana capiat incommodum, tenentur potius mortem oppetere, quàm remigare. *tom.2.pag.374.num.3.& 4.*

27. Qui metucoactus præbet furi claues, vel instrumenta, quibus arcas infringat, aut qui scalam tenet dum fur per murum, vel fenestram ascendit, excusatur à restitutione; videtur enim actiones ex se indifferentes, ex iusta causa exercere. Secus dicendum de eo qui metu compulsus, per seipsum arcas effringit; præstat enim opus intrinsecè malum contra iustitiam. *ibid.num.8.*

28. Qui ratum habet damnum suo nomine illatum, non tenetur ad restitutionem: quia non influxit in damnum, cum ratihabitio sit posterior: peccat tamen grauiter contra charitatem, dum alterius damnum suo nomine illatum approbat, & ratum habet. *ibid.n.9.*

29. Quisquis physicè, vel moraliter est causa damni, tenetur ad restitutionem in solidum. Qui verò non est causa totius damni, sed partis tantùm, non tenetur in solidum, sed solùm pro sua parte. Hinc sequitur ducem generalem exercitus teneri in solidum ad restitutionem damnorum iniustè illatorum; est enim causa efficax totius damni: militem verò gregarium teneri tantùm pro sua parte. *ibid.n.10.*

Restitutio ob taciturnitatem, vel omissionem.

30. Qui sine iusta causa non clamat, non impedit, vel non manifestat cùm teneatur ex iustitia, ratione officij, vel contractus, obligatur in solidum ad restitutionem damni sequuti: tã enim est causa efficax damni, quàm qui positiuè influxit in dãnum. Si verò teneatur tantùm ex charitate clamare, aut non impedire, non tenetur ad restitutionem si omittat clamare, &c. quia ex sola violatione iustitiæ oritur obligatio restituendi. Neque obstat odium, & mala intentio; hæc enim sunt contra charitatem, non autem contra iustitiam. *tom. 2. pag. 375. num.2.*

31. Famuli tenentur ad restitutionem si non impediant ne damna dominis inferantur in iis rebus quarum est ipsis cura

cura commissa : peccant enim contra iustitiam. Secùs dicendum de famulis quibus non est cura domus concredita, si non impediant ne ab extraneis damna dominis inferantur. *tom.2. pag.376.num.7.*

32. Custodes saltuum, lacuum, vectigalium, &c. tenentur ad restitutionem damni quod domini patiuntur à venatoribus, piscatoribus, vel defraudatoribus, nisi eos accusent, vel impediant : tenentur enim ex vi pacti, vel officij, dominorum damnum impedire. Non videntur tamen teneri ad solutionem pœnæ quam delinquentes soluissent, si ab ipsis custodibus accusati fuissent : hoc enim non est vsu receptum. *ibid.num.9.& 10.*

33. Qui suo prauo exemplo alium inducit ad furtum, vel homicidium, non tenetur ad restitutionem, neque incurrit irregularitatem, sequuto homicidio, quamuis intendat suo exemplo alium inducere : quia obligatio restituendi oritur ex actione externa iniusta. Licèt autem hic peccet contra iustitiam, respectu illius quem suo prauo exemplo pertrahit ad peccandum; non tamen facit contra iustitiam respectu illius qui damnum patitur. *tom.2.pag.377.n.16.*

34. Qui sine vi, & fraude impedit alium ne consequatur aliquod bonum quod ei ex iustitia non debetur, non tenetur ad restitutionem, etiamsi impediat animo nocendi : hic enim non violat iustitiam, cùm illud bonum alteri non debeatur. Qui verò etiam absque vi, & fraude alterum impedit à consecutione boni quod ei debetur ex iustitia, tenetur ad restitutionem : violat enim ius quod alter habet vt illud bonum sibi conferatur. *ibid.n.2.& 3.*

Quid sit restituendum.

35. Restituenda est res aliena si extat, præsertim si dominus habet affectum singularem ad rem suam : nondum enim amisit dominium rei suæ. At si res ipsa non extat, restituendus est illius valor, & pretium, vt seruetur æqualitas. Quando verò quis rem alienam cum propriis rebus ita permiscuit, vt eam nequeat dignoscere, censetur acquisiuisse dominium illius rei : tenetur tamen restituere domino rem æqualem, vel pretium illius : nullus enim potest locupletari ex re aliena, inuito domino. *tom.2.pag.378.n.1.& seq.*

36. Qui detinet iniustè rem alienam, non tantùm tenetur restituere rem ipsam, sed etiam damna quæ dominus rei, in-

iustè passus est ipsius culpa. Propterea tenetur ad restitutione fructuum quos dominus percepisset, immo etiam expensarum, quas dominus fecit in re sua quærenda. *ibidem, numero 2.*

37. Tantum restituendum est quantum sufficit ad æqualitatem, consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum, &c. habitaque ratione lucri cessantis, & damni emergentis. Sic qui conculcauit segetes nondum maturitatem adeptas, aut arbores adhuc teneras incidit, tenetur arbitrio prudentis restituere, quanti res valere potuisset habita ratione expensarum,& casuum fortuitorum. Qui occidit pullum equinum qui sequenti anno plus duplo valuisset, non tantum debet restituere quantum nunc valet, sed quantum suo tempore valuisset, vt dominum seruet indemnem. *tom.2.pag.*379. *numero* 8. *& seq.*

38. Nobiles qui diu differunt solutionem mercatoribus, tenentur in conscientia restituere lucrum cessans, si constet ipsis lucrum cessasse ob dilatam solutionem: quia fuerunt causa iniusta damni. *ibid.n.*13.

39. Quuod accipitur ad faciendum opus alioquin debitum ex iustitia, restituendum est, vt si iudex accipiat pro ferenda iusta sententia, quando habet iustum stipendium sibi constitutum, nisi fortè gratis,& liberaliter detur: accipit enim supra id quod sibi debetur. *tom.2.pag.*380.*num.*1. Accipiens verò aliquid pro faciendo opere debito ex charitate, non tenetur ad restitutionem; quia ex solius iustitiæ violatione oritur obligatio restituendi. *ibid.num.*9.

40. Pro turpi, seu illicita actione exercenda nihil dari, vel accipi potest antequam fiat: quia pretium est medium ad illam actionem exercendam, tanquam ad finem ad quem inducit: patrato autem opere illicito, tenetur promittens soluere pretium ex pacto, & accipiens non tenetur ad restitutionem: res enim illicita, est pretio æstimabilis, ratione periculi, laboris, vel damni cui se exposuit exequens illud opus, aut ratione voluptatis, aut vtilitatis perceptæ ab eo qui opus illicitum fieri curauit. *ibid.n.*2. *& pag.*381.*n.eod.*

41. Acquisita ob turpem causam, restituenda sunt, non solum ante, sed etiam post factum, quando lex reddit acquirentem inhabilem ad rem accipiendam: sic per simoniam acquisita, retineri non possunt, etiamsi sponte tradita fuerint: nam simoniacus iniustè acquirit. *tom.2.pag* 381.*n.*11. *& pag.* 382.*num.*12.

42. Bona

42. Bona inuenta quorum dominus ignoratur, restituenda sunt pauperibus, seu capsæ incertorum, iuxta consuetudinem locorum, adhibitâ prius diligentia sufficienti in inquirendo domino: communi enim consuetudine, quæ vim habet legis, receptum est, vt huiusmodi bona cedant in commodum pauperum, atque hæc censetur esse rationabilis voluntas dominorum. Nomine autem pauperum intellige quoduis opus pium. Porrò inuentor rei alienæ non potest quidquam exigere à domino rei, nisi forte ratione laboris, vel impensarum, vel pacti, &c. *tom.2.pag.*383.*n.*3.

43. Bona incerta acquisita ex delicto, puta ex iniusta venditione, furto, &c. restituenda sunt pauperibus, ex iure positiuo: quia æquum non est vt quis ex iniquitate reportet lucrum, nisi ipse sit pauper; tunc enim de licentia Episcopi, vel confessarij potest ea sibi applicare. *ibid.n.*9. *&* 13.

44. Bona incerta quæ per compositionem Summus Pontif. retineri concedit, possunt tuta conscientia retineri: nulli enim damnum infertur cùm bona sint incerta, & illorum dominus ignoretur. Si tamen facta compositione inueniatur dominus, facienda est illi restitutio. *tom.2.pag.*384.*n.*21.

45. Bona laïcorum morientium ab intestato, & non habentium hæredes intra decimum gradum, iure communi ciuili deuoluuntur ad fiscum. Bona verò peregrinorum morientium ab intestato, non pertinent ad hospitem, apud quem mortuus est, sed per Episcopum loci tradenda sunt hæredibus, si fieri potest, vel distribuenda in pias causas. *tom.2.pag.*385. *num.*4. *&* 5.

46. Bona derelicta fiunt occupantis; ea autem vocantur derelicta quæ abiiciuntur intentione non amplius ea recuperandi: quapropter in iis non numerantur bona quæ eiiciuntur è naui ad eam leuandam: immò in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio cõtra occupantes bona Christianorum naufragorum: vnde patet iniquam esse legem qua sancitur, vt naufragorum bona sint illius, ad cuius locum peruenerint. Habentur tamen pro derelictis quæ naufragio amissa diu iacuerunt in fundo maris, & inde extrahuntur, vel in littore reperiuntur. *ibid.n.*1. *& seq.*

47. Thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris. Si verò fortuitò inuentus est in alieno, dimidium illius cedit domino fundi, alterum dimidium inuentori. At si data opera inuentus est, totus pertinet ad dominum fundi ante sententiam iudicis. *ibid.n.*3.

48. Thesaurus inuentus in loco religioso, & sacro, vt in Ecclesia, cœmeterio, &c. diuidendus est inter inuentorem, & Prælatum, aliumve cuius fuerit ille locus: Ecclesiæ enim hac in parte pertinent ad Prælatos. *ibid.n.*5.

49. Qui emit fundum in quo sciebat latere thesaurum, acquirit dominium illius; neque emptor tenetur indicare venditori, thesaurum in ipsius fundo latere; dominus enim agri non est dominus thesauri, cùm thesaurus non sit fructus terræ; potest igitur emptor illius dominium acquirere, si illum effodiat; idem dicendum de mineralibus, seu venis auri, argenti, lapidum pretiosorum: quia in venditione agri attenditur valor & pretium in ordine ad communem vsum, non verò ad peculiarem circumstantiam quam emptor non tenetur manifestare: estque probabilis sententia asserentium venas pretiosas fieri primi occupantis. *tom.*2.*pag.*386.*n.*7.

50. Lapilli, gemmæ, ambarum, succinum, corallium, &c. quæ inueniuntur in littore maris, sunt primi occupantis; quia nullum habent dominum. *ibid.n.*11.

51. Animalia fera ex sua natura, sed mansuefacta, non fiunt capientium quando habent consuetudinem redeundi in potestatem prioris domini. Quare peccant qui ad sua columbaria traducunt alienas columbas, quæ non amiserunt consuetudinem redeundi ad columbrarium prioris domini: est enim furtum eas attrahere arte, fraude, & dolo. Licet tamen absque fraude apponere bonos cibos ad suas columbas nutriendas: etiamsi ea occasione alienæ alliciantur. *tom.*2.*pag.*387.*numero* 4. *&* 5.

52. Fera meo capta instrumento, seu laqueo vnde se non poterat expedire, mea est licèt ab alio eximatur: quia in meo laqueo amisit libertatem: si verò fera inde se poterat extricare, fit eximentis: quia nondum in meo laqueo amiserat libertatem. *tom.*2.*pag.*387.*n.*11.

53. Venatio, piscatio, & aucupium, à Principe prohiberi possunt, ob solam Principis oblectationem: hoc enim decet ipsius dignitatem, præsertìm cùm pro Republ. laboret. Quæ tamen capiuntur venatione, aut piscatione illicita, non sunt obnoxia restitutioni, si animalia capta, suam retinebant libertatem: sunt enim primi occupantis. Peccat tamen mortalìter qui piscatione illicita notabile damnum infert Reipubl. vt qui escas medicatas proiicit in flumen quibus aquæ inficiuntur, & pisces moriuntur. *tom.*2.*pag.*388.*n.*13.

54. Insulæ quæ aliquando in mari nascuntur, sunt primi occu-

occupantis, vt patet ex Institut. *de rerum diuisione*, vbi etiam deciditur insulas quæ aliquando in mediis fluminibus nascuntur, diuidendas esse ex æquo inter eos qui in vtraque ripa possident prædia; insulam verò quæ propior est ripæ, fieri illius cuius prædia sunt ad ripam. Item illud quod flumen per alluuionem agro meo paulatim adiecit, iure gentium, meum esse; si verò magnam partem alieni agri detraxit totam simul, meoque adiecit, mihi non acquiri, sed manere penes priorem dominum. *tom.2.pag.*389.*n.*28. *&* 29.

55. Dominus non tenetur ante sententiam iudicis resarcire damnum absque sua culpa illatum per suos seruos, aut animalia: quia lex id præcipiens est pœnalis quæ non obligat ante iudicis sententiam. Ad damnum verò resarciendum à suis seruis, seu animalibus sua culpa illatum, tenetur dominus ante iudicis sententiam: quia ipsi imputatur damnum. *ibidem, num.*2. *& pag.*390.*n.*3.

56. Si res mutuo accepta pereat, vel deterior fiat antequam perueniat ad creditorem, perit, vel deterior fit debitori: res enim domino perit: propterea si ego pecuniam mutuam accepi à Caio, & postea illam transmitto per nuncium à me electum, si pereat, aut intercipiatur in itinere, mihi perit: ego enim sum dominus illius donec perueniat ad creditorem; vnde fit vt tenear ad nouam solutionem. At quando res eadem numero debetur, vt in commodato, si pereat absque culpa debitoris, perit creditori, etiamsi mitteretur per nuncium ab ipso debitore electum, consequenter debitor ad nullam tenetur restitutionem: quia res domino perit. Aduerte discrimen inter mutuum & commodatum, pignus, & depositum; quod in mutuo transfertur dominium, nec mutuatarius tenetur eandem rem numero restituere. In commodato verò, deposito, locato, ac pignore non transfertur dominium; consequenter eadem res numero restituenda est. Quo fit, vt si vestis mihi commodata pereat absque mea culpa, pereat commodanti; res enim domino perit. *tom.2.pag.*390.*n.*4. *& pag.*391.*n.*6. *&* 7.

57. Possessor bonæ fidei qui rem bona fide accepit, neque fuit in mora restituendi, non tenetur ad restitutionem rei quæ apud ipsum periit; nisi forte in aliqua re factus sit locupletior. Possessor verò malæ fidei, qui rem iniustè accepit, vel detinuit, tenetur ad restitutionem, quacumque tandem ratione res apud ipsum pereat: nam rem alienam iniustè detinenti imputatur etiam casus fortuitus, nisi apud dominum res

esset certò peritura. *tom.2. pagin.*391. *num.* 1. *&* *pag.* 392. *numero* 2.

58. Possessor malæ fidei non tenetur ad restitutionem iuxta summum valorem quem res habuit tempore acceptionis, vel detentionis; nisi dominus passus sit damnum iuxta summum valorem: v. g. si fur triticum surripuit eo tempore quo valebat 30. libras in singulos modios; sed post mensem decreuit ad 20. libras, & dominus seruaturus erat triticum ad illud vsque tempus, fur tenetur restituere tantum 20. libras in singulos modios; sic enim fit restitutio ad æqualitatem. Secùs dicendum si dominus passus sit damnum iuxta summum valorem; restitutio enim facienda est ad æqualitatem damni illati. *tom.2. pag.*393.*num.*2. *&* 4.

Restitutio fructuum.

59. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus industriæ perceptos ex re aliena; v.g. qui triticum alienum in proprio fundo seminauit, non tenetur restituere fructus inde perceptos, sed satisfacit restituendo triticum; fructus autem naturales tam pendentes, quàm perceptos, tenetur restituere si extant: si verò non extant, restituendum est id quo factus est ditior: v.g. qui ex fundo alieno percepit fructus, credens fundum esse suum, tenetur restituere id quo factus est locupletior; nisi illos bona fide possederit per triennium; res enim mobiles triennali possessione vsucapiuntur. At fructus quos sua negligentia non percepit, non tenetur restituere: neque enim peccauit contra iustitiam, non colligendo fructus ex fundo quem credebat suum esse. *tom.* 2. *pag.* 394. *num.*3. *&* 7. *&* *pag.*395. *num.*8. *&* 10. *&* *seq.*

60. Possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem fructuum quos ipse non percepit, quos tamen dominus rei percepisset; nam per iniustam detentionem est causa efficax damni: detrahendæ tamen sunt expensæ quas dominus fecisset in iis fructibus percipiendis. Tenetur item restituere fructus quos percepit ex re aliena quam ipse fecit meliorem; res enim domino fructificat. *tom.2.pag.*395.*n.*1.*&* *pag.*396.*n.*2. Ex illis tamen fructibus detrahenda est proprij laboris, & industriæ merces: dominus enim non debet fieri ditior ex labore alieno. *ibidem*, *num.*9.

Cui restituendum.

61. Qui rem alienam accepit à fure, vel ab alio iniusto detentore, tenetur eam vero domino restituere; si constat illum à quo res fuit accepta, fuisse iniustum illius detentorem, nec eam vllo iure possedisse. *pag.397.num.5.*

62. Qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroso, postquam comperit rem esse alienam, non tenetur eam domino restituere, sed potest contractum rescindere, eique restituere rem à quo bona fide accepit, vt pretium suum recuperet: nullus enim tenetur ex charitate, commodum proprium posthabere alieno. Qui verò rem mala fide accepit sciens, vel dubitans esse alienam, tenetur eam domino restituere; etiamsi pretium solutum sit amissurus; sibi enim imputèt illam iacturam. Hinc collige vectorem, v.g. qui rem furtiuam accepit transportandam, sciens esse furtiuam, teneri eam vero domino restituere quamuis pretium vectionis sit perditurus. *tom.2.pag.*398.*n.*1.*&* 3.

63. Qui bona fide rem furtiuam emit, & denuò eodem pretio, bona fide vendidit, postquam cognouit rem esse alienam, tenetur rescindere contractum; emptor enim non emisset si cognouisset rem esse alienam: tenetur autem venditor de euictione seruare emptorem indemnem, quod fit rescindendo contractum, & restituendo pretium acceptum. *ibid.num.*5.

64. Qui rem alienam bona fide emit, eamque maiori pretio, sed iusto vendidit, tenetur solum augmentum pretij restituere domino rei; quia in eo censetur factus locupletior. Si autem rem vendidit quam gratis acceperat, tenetur integrum pretium restituere; in illo enim factus est locupletior. *ibid.num.*11.

65. Qui creditori sui creditoris restituit quod debet suo creditori, videtur satisfacere, neque teneri ad nouam restitutionem in foro conscientiæ: quia nullum infert damnum suo creditori immediato, cùm ipsum liberet à debito, quo tenebatur obstrictus erga suum creditorem. *tom.2. pag.*399. *numero* 1.

Vbi restitutio facienda.

66. Quando obligatio restitutionis nascitur solum ex re bona fide accepta, facienda est restitutio in loco vbi res habe-

tur tunc temporis quo cognoscitur esse aliena, neque tenetur possessor bonæ fidei, illam mittere domino suis expensis: quia par non est vt damnum patiatur ex restitutione rei alienæ, bona fide acceptæ. Quando verò restitutionis obligatio nascitur ex iniusta acceptione, facienda est restitutio expensis debitoris, in loco vbi dominus rem suam possessurus erat, si illi ablata non fuisset: æquum enim est vt qui rem alienam abstulit, expensarum onus ferat. *ibid.n.*1.*&* *pag.*400.*n.*4.

67. Quando obligatio restitutionis nascitur ex contractu, vel quasi contractu celebrato in certo aliquo loco, facienda est restitutio in eodem loco in quo res accepta fuit, nisi aliud fuerit expressum in contractu: ille enim censetur locus designatus ad restitutionem. Est autem facienda restitutio eius expensis in cuius vtilitatem res fuit accepta. *tom.*2. *pag.* 400. *num.*9.

Quando restitutio facienda.

68. Cui onus incumbit restituendi ratione iniustæ acceptionis, aut detentionis, tenetur restituere statim ac commodè potest; nisi dilationem obtineat à creditore. Debitor verò ex contractu, tenetur restituere statim ac elapsus est terminus, etiamsi non admoneatur: nam dies definita interpellat pro domino. *tom.*2.*pag.*401.*n.*1.*&* 3.

69. Qui non restituit prima data opportunitate, sed longo tempore differt restitutionem, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis, & voluntatis non restituendi, moraliter interrupti. Quamdiu verò intentio non restituendi virtualiter durat, vnum numero peccatum committitur. Confessarius tamen non debet esse nimium anxius in inuestigando numero peccatorum interruptorum in detentione rei alienæ; sed sufficit ipsum scire quamdiu res fuerit detenta; sic enim facilè cognoscet numerum peccatorum, & statum pœnitentis. *tom.*2. *pag.*402.*num.*9.*&* *seq.*

70. Confessarius non potest absoluere pœnitentem, qui cùm possit commodè restituere, intendit restitutionem differre vsque ad mortem, aut illam testamento relinquere suis hæredibus. Quia pœnitens quamdiu potest restituere, & non restituit, est in statu peccati mortalis. Neque videtur absoluendus, regulariter loquendo, is qui sæpius promisit restituere, nec dum restituit, cùm commodè potuerit, nec obtinuerit dilationem à creditore: ex præteritis enim omissionibus præsumitur

sumitur pœnitens non habere debitum dolorem, ac propositum vitandi peccatum.

71. Debitor potest anticipatè soluere, & creditor tenetur solutioné acceptare quando terminus fuit appositus in fauorem debitoris: potest enim debitor cedere iuri suo; cõsequenter mutuum v. g. vel commodatum acceptum ad sex menses, potest ante elapsos sex menses restituere, & creditor tenetur acceptare, licet non possit ante præfixum tempus, debitum repetere. At quando terminus fuit appositus in fauorem creditoris, debitor non potest anticipare solutionem inuito creditore. *tom.2.pag.*403.*n.*21.

Quo ordine restitutio facienda.

72. Inter cooperantes ad damnum, ille principaliter obligatur ad restitutionem cuius iussu, seu mandato illatum est damnum: præcipiens enim se habet vt causa principalis; exequens verò se habet vt instrumentum. Post mandantem, principaliter tenetur exequens, deinde consulens, tum receptator, vltimò non impediens, & non manifestans. Restituente autem causa principali, cæteræ liberæ sunt ab onere restitutionis. At si causa minùs principalis restituat, causa principalis tenetur eam seruare indemnem, eique restituere quod parti læsæ fuit persolutum. *tom.2.pag.*404.*num.*4. *& seq. & pag.*405.*num.*11.

73. Quando plures æqualiter tenentur ad restitutionem, & pars læsa remittit vni obligationem, cæteri tenentur in solidum restituere, detracta parte quæ restituenda fuisset ab eo cui facta fuit remissio. Creditore autem remittente obligationem vni qui minus principaliter tenetur, ille habet ius contra principalem debitorem, ad repetendum id cuius sibi facta fuit remissio: quia succedit in locum creditoris. *tom.2. pag.*405.*num.*17. *&* 18.

74. Quando res obnoxia restitutioni, eadem numero extat, illa primo loco restituenda est, etiamsi non constet cuiusnam sit: res enim quamdiu extat, semper pro suo domino clamat. Quando autem rei dominus ignoratur, restituenda est capsæ incertorum, seu pauperibus. *tom.2.pag.*406.*numero* 5. *&* 6.

75. Debitor qui non potest omnibus creditoribus satisfacere, debet præferre creditorem, qui sibi credito vendidit rem adhuc extantem apud ipsum debitorem. v. g. ego vendi-

di Titio equum qui adhuc extat apud ipsum; si non potest omnibus creditoribus satisfacere, debet me cæteris præferre, mihique equum reddere: neque enim videtur rationi consentaneum vt res adhuc extans apud emptorem, pretio nondum persoluto, tradatur potius extraneo quàm illi qui eam vendidit. *ibid.num.*8.

76. Multis debitis obstrictus, aliis certis, aliis incertis, debet priùs persoluere certa quàm incerta, si non est omnibus soluendo: ius enim hoc dictat. Qui verò multa debita contraxit alia ex delicto, v. g. furto, alia ex contractu, non tenetur priùs soluere contracta ex delicto, quàm ex contractu, aut contrà, nisi res ipsa restituenda adhuc extet: quia bona debitoris non sunt magis hypothecata vni creditori, quàm alteri; debet igitur illus satisfacere pro rata. *tom.2 pag.*407.*numero* 9. *&* 11.

77. Priùs satisfaciendum est debitis ex contractu oneroso, quàm ex contractu gratioso; vt si quis debeat Titio centum nummos ex contractu emptionis, & Caio centum ex promissione gratuita, tenetur præferre Titium Caio. Hinc collige quando bona testatoris non sufficiunt ad satisfaciendum legatis, & debitis, priùs satisfaciendum esse debitis, quàm legatis, aliisque liberalibus dispositionibus. *ibidem, numero* 12. *&* 13.

78. Priùs soluenda sunt legata defuncti testatoris, quàm debita contracta ab hærede, modò non fuerint contracta intuitu hæreditatis, vt in sumptus funeris defuncti testatoris: quia bona defuncti sunt tacitè hypothecata pro legatis, & fideicommissis, modò satisfieri possit omnibus creditoribus defuncti. *ibid.num.*14.

79. In persoluendis debitis priùs satisfaciendum est creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, quàm creditoribus personalibus, hypothecam, vel pignus non habentibus, qui creditores chirographarij vulgo nuncupantur: quando verò eadem res fuit pluribus creditoribus hypothecata, sed non sufficit ad satisfaciendum omnibus, priùs satisfaciendum est illi cui priùs fuit hypothecata; his casibus exceptis. 1. quando quis mutuauit pecuniam ad reparandam domum, seu rem hypothecatam. 2. quando quis mutuauit pecuniam ad rem emendam. 3. quando quis mutuauit pro vectura mercium subiectis hypothecæ. 4. in hypotheca dotali. 5. quando quis rem duobus obligatam emit à debitore, si ex pretio satisfactum est primo creditori, emptor ei succedit

dit in iure. 6. quando eadem res obligata fuit duobus, priori quidem scriptura priuatâ, posteriori publicâ. In his, inquam, casibus, posterior tempore, præfertur priori habenti hypothecam *ibid.num.*15.*&* 16.*&* *pag.*408.*n.*16.

80. Quando res aliqua diuersis temporibus vendita fuit multis in solidum, præferendus est primus emptor, si res nulli tradita fuit: si verò fuit vni tradita, soluto pretio, vel habito pro soluto, hic præferendus est reliquis, etiamsi contractus venditionis prius celebratus fuerit cum aliis, adiuncto iuramento: quia per nudum contractum venditionis, absque traditione rei venditæ, regulariter loquendo, non transfertur dominium: transfertur autem sequuta traditione, & accepto pretio, seu fide de pretio. Tres casus excipiendi. 1. quando absque traditione transfertur dominium, vt accidit quando aliquid donatur, aut venditur Ecclesiæ, monasterio, ciuitati, hospitali, &c. cum enim hæc loca sine traditione, rei dominium acquirant, ex priuilegio, sunt aliis præferenda. 2. quando priori emptori res fuit vendita, eique fuit in securitatem contractus hypothecata. 3. quando res fuit tradita alicui qui sciebat rem illam in fraudem creditorum alienari; tunc enim priores creditores habent ius euictionis. *tom.*2.*pag.* 408.*num.*17.

81. Illa regula: *Qui prior est tempore, potior est iure*, locum habet solùm in creditoribus realibus habentibus hypothecam in eandem rem, aut habentibus aliquod ius prælationis; non verò in creditoribus personalibus. Propterea in debitis personalibus non est habenda ratio temporis, nisi adsit alius titulus prælationis. Porrò hi gaudent priuilegio prælationis. 1. is qui moderatas fecit impensas in funus debitoris; is enim præfertur cæteris creditoribus habentibus hypothecas in bonis defuncti. 2. is qui pecuniam deposuit apud numularium publicum, non accipiens inde vsuras; is enim præfertur creditoribus chirographariis. 3. sponsa de futuro, quæ tradidit dotem sponso, sed postea matrimonium non fuit celebratum; tunc enim sponsa gaudet priuilegio personali, vt præferatur aliis creditoribus personalibus: sponsa verò de præsenti præfertur etiam aliis creditoribus realibus; hoc tamen priuilegium non transit ad hæredes ipsius. 4. pupillus cui aliquid debetur à tutore; his enim gaudet priuilegio prælationis; non tamen eius successores. 5. is qui soluit creditori habenti priuilegium personale prælationis. *ibid.n.*19.

82. Quando ex pluribut creditoribus personalibus, non haben

habentibus ius prælationis, vnus petit solutionem debiti, priùs illi satisfaciendum est in integrum: nam eius diligentia facit ipsum melioris conditionis. Quare creditor qui curat sibi satisfieri ante alios, non peccat, nec tenetur ad restitutionem, cùm vtatur suo iure, modò alij non habeant ius prælationis. *tom.2.pag.409.num.20.& 21.*

83. Debitor non potest prius satisfacere creditoribus pauperibus, nisi sint in extrema, vel graui necessitate, quam debitor teneatur ex charitate subleuare: omnes enim debitores ius habent æquale. *ibid.n.24.*

84. Quando hæreditas non sufficit ad satisfaciendum omnibus creditoribus, deduci possunt moderatæ expensæ in funus debitoris iuxta qualitatem ipsius; antequam creditoribus satisfiat, etiamsi ipsi habeant hypothecam in bona defuncti: quia sumptus funeris cuiuis debito præferuntur. *ibidem, numero 25.*

85. Qui bona fide, contractu oneroso, aliquid accipit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem postquam id comperit: rei enim acceptæ dominium iustè acquisiuit. Secus si accepit sciens, vel dubitans contractum esse in fraudem creditorum: cooperatur enim actioni iniustæ, cum damno creditorum. *ibidem, num. 27.*

86. Donatio facta à debitore, antequam fieret impotens ad soluendum creditoribus, valida est, neque donatarius ad vllam tenetur restitutionem: nam hæc donatio non censetur facta in fraudem creditorum. Secus dicendum de donatione facta postquam donator factus est impotens ad soluendum. *tom.2.pag.410.n.34.*

87. Debitor qui non est creditoribus soluendo, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem damni quod passi sunt creditores, eò quod ipse repudiauerit hæreditatem qua creditoribus satisfacere potuisset: cùm enim teneatur ex iustitia satisfacere creditoribus, tenetur etiam assumere media ad satisfaciendum, quale medium est acceptatio hæreditatis. *ibid.num.36.*

Cur restitutio differri, vel omitti possit.

88. Quando restitutio creditur ipsi creditori, vel alteri grauiter obfutura, differri potest in tempus opportunius. Immò si debitor nouerit creditorem re sibi debita abusurum in

graue

graue alterius detrimentum, peccat contra iuſtitiam ſi eam reſtituat,tenetúrque ad reſtitutionem damni à creditore illati: quia cooperatus eſt ad illud damnum. *tom.pag.*411.*num.*1.*&* *pag.*412.*n.*8.*&* 9.

89. Quando debitor longè maius paſſurus eſt damnum ſtatìm reſtituendo, quàm creditor ex dilata reſtitutione, poteſt reſtitutio differri: tunc enim creditor cenſetur irrationabiliter inuitus, ſi nolit concedere dilationem. Secùs dicendum ſi damnum quod debitor patitur reſtituendo, eſt æquale damno quod patitur creditor ex dilatione reſtitutionis; tunc enim potior eſtconditio creditoris. *tom.*2.*pag.*412.*num.*11. *&* 19.

90. Poteſt debitor licitè differre reſtitutionem, quando eam præſtare nõ poteſt niſi excidat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito, etiamſi debita contraxerit ex delicto, vt ex comeſſationibus, ludis, ſcortis, &c. Si verò ſtatus fuit iniuſtè acquiſitus per vſuras, rapinas, &c. debitor tenetur ſtatim reſtituere,etiam cum iactura ſtatus: nam reſtituendo non excidit à proprio ſtatu, ſed ad priorem redit; poteſt tamen ea retinere quæ ſibi ſunt neceſſaria ad tenuem victum, & corporis cultum. Quare filius vſurarij tenetur ad reſtitutionem etiam cum iactura ſtatus per vſuras acquiſiti; niſi adſit periculum infamiæ, aut niſi ignoret facultates quas poſſidet eſſe iniuſtè acquiſitas. *tom.*2. *pag.*413.*n.*24. *&* *ſeq.*

91. Qui cogitur cedere bonis, poteſt abſcondere, ſibique retinere quod ſufficiat ad tenuem ſui, & familiæ ſuæ ſuſtentationem, iuxta ſuum ſtatum; neque enim tenetur ad reſtitutionem cum tanto ſuo incommodo. Tamen ceſſio bonorum non ita eximit à reſtitutionis obligatione, quin debitor teneatur ad reſtitutionem poſtquam peruenerit ad pinguiorem fortunam: quia debita per ceſſionem bonorum non fuerunt extincta, ſed conſopita. *tom.*2.*pag.*414 *n.*36. *&* 37.

92. Condonatio, ſeu remiſſio facta debitori à creditore, eſt cauſa ſufficienter excuſans à reſtitutione, modò facta ſit omnino liberè, nec ſit à iure impedita: nam remiſſio quæ impeditur à iure, non eſt valida, cuiuſmodi eſt remiſſio facta à pupillo, aut furioſo. *ibid.n.*1. *&* *pag.*415.*n.*5.

93. Debitor qui compoſuit cum creditoribus minori ſumma contentis, planè eximitur ab onere ſoluendi etiamſi redierit ad pinguiorem fortunam: huiuſmodi enim compoſitio cenſetur quædam remiſſio quæ vim habet donationis, modò abſit fraus, vel metus; alioquin remiſſio eſſet potiùs coacta

quàm

quàm libera, vt contingit quando debitor qui facultates habet sufficientes ad satisfaciendum omnibus, confugit ad Ecclesiam vt debiti remissionem obtineat in totum, vel in partem. *tom.2.pag,*415.*n.6.*

94. Compensatio facta à creditore, est causa sufficienter excusans debitorem à restitutione: sic enim ponitur æqualitas. Est autem licita compensatio, his conditionibus concurrentibus. 1. vt debitum sit liquidum, & certum. 2. vt compensatio fiat in re debita ex iustitia. 3. vt in compensatione nihil accipiatur vltra debitum. 5. vt creditor non possit debitum alia ratione commodè recuperare. 5. vt compensatio fiat in re ipsius debitoris, modo non fuerit deposita apud creditorem, vel ipsi commodata; huiusmodi enim compensatio videtur fieri contra fidelitatem depositi, vel commodati: non videtur tamen improbabile, in foro conscientiæ dari posse compensationem in deposito; vel commodato, quando alia ratione nequit debitum obtineri. 6. vt absit periculum scandali, vel punitionis corporalis: nam iudices solent hasce compensationes punire tanquam furta. Facta autem compensatione tenetur creditor, si commodè potest, admonere debitorem, vel eius hæredes, debitum esse persolutum, ne bis fiat restitutio. *ibid.num.*10.*& seq.& pag.*416.*num.*19.*&* 20.

95. Compositio obtenta à Summo Pontifice est causa sufficienter excusans à restitutione, quando nescitur cui sit facienda. Quando verò constat cui facienda sit restitutio, non valet compositio obtenta à Sede Apostolica sine graui causa: quia Summus Pontif. non est dominus bonorum, suorum subditorum, neque potest de illis disponere suo arbitratu. *tom.2. pag.*416.*num.*27.

96. Debitor non potest ingredi religionem, quando præuidet fore vt ingrediendo nequeat creditoribus satisfacere, quibus satisfaceret manendo in sæculo: quia obligatio iustitiæ præferenda est concilio. Immò obstrictus voto religionis emisso ante debita contracta, non potest votum implere si sperat manendo in sæculo se creditoribus satisfacturum; votum enim includit hanc tacitam conditionem, nisi superueniat notabilis mutatio; superuenientibus autem debitis censetur notabilis mutatio superuenire. *tom.* 2. *pagin.* 417. *num.*1.*&* 2.

97. Obligatio restituendi non extinguitur per ingressum in religionem, aut per professionem: quamobrem qui religionem ingressus est ante præstitam satisfactionem, tenetur dare operam

operam vt ſuo labore, vel arte acquirat bona quibus ſatisfaciat, quantum decet ſtatum religioſum, interueniente licentia ſuperioris. Profeſſio tamen ante factam reſtitutionem eſt valida: nam Clemens VIII. moderatus eſt motum Pij V. quo grauati ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum, reddebantur inhabiles ad profeſſionem; moderatus, inquam, eſt quoad inualiditatem profeſſionis, quamuis illum reliquerit in ſuo robore quo ad pœnas admittentium obæratos ad profeſſionem. *ibid.num.*7. *&* 8.

Reus.

1. REi accuſatio fit ſemper ſcripto; at denunciatio ſolis verbis fieri poteſt. Reum accuſans ſuſcipit in ſe onus probandi; non autem denuncians, ac proinde non ſe ſubiicit pœnæ talionis. *tom.*2. *fol.*325.*n.*1.*&* *ſeq.*

2. Non eſt neceſſariò præmittenda ſecreta admonitio ante accuſationem, cuius finis eſt punitio. *ibid.n.*4.

3. Quando crimen vergit in damnum commune, vel tertiæ cuiuſpiam perſonæ, & poteſt impediri, reus eſt accuſandus; & qui non accuſat peccat, tenetúrque ad reſtitutionem ſi ex officio accuſare tenebatur: non obligatur tamen ad luendam pœnam quæ fuiſſet reo ſubeunda ſi in iudicium veniſſet. *ibid. fol.*326.*num.*6.*&* *ſeq.*

4. Quicumque in iure habentur infames, vt excommunicati nominatim denunciati, concubinarij publici, vſurarij, proditores, & inimici ad accuſandum non admittuntur, præterquàm in caſu hæreſis, & in crimine læſæ maieſtatis; quiuis enim poteſt, immò tenetur huiuſmodi criminum reos ſtatim denunciare, ne quid reſpublica capiat detrimenti. *ibid. num.* 10.

5. Quando crimen eſt occultum, reus non tenetur ſe prodere; quia iuridicè non interrogatur: At ſi infamiæ nota fuit reo inuſta, aut ſi eſt ſemiplena probatio ex grauibus indiciis ſufficienter probatis, poteſt iudex reum cogere ad fatendam veritatem; tunc enim legitimè procedit, & iuris ordinem ſeruat. Immò ſi coniecturæ ſint adeò certæ vt is qui accuſatur, meritò præſumatur criminis reus, poteſt iudex contra illum ſententiam ferre. *tom.*2.*fol.*327.*n.*1.

6. Reus iuridicè interrogatus, tenetur dicere veritatem, licèt ex ea confeſſione ſit condemnandus ad mortem; probabiliter tamen defendi poteſt, abſque peccato mortali reum

posse negare veritatem vbi agitur de capite, de iactura bonorum, aut famæ, si spes sit euadendi. Quapropter non tenetur Confessarius illum cogere ad manifestandam iudici veritatem, quamdiu spem habet euadendi, aut ad dictum retractandum si ex illa retractatione sequutura sit condemnatio; debet tamen illum monere, non esse negandam veritatem si rursus interrogetur. *ibid.fol.* 328.*n.*7.*&* 8.

7. Potest reus, aut eius aduocatus tuta conscientia, testium crimina occulta aperire ad eorum fidem labefactandam, cuiusmodi sunt periurium, crimen falsi, excommunicatio, & infamia iuris, vel facti, modò nihil falsi affingat: quia vtitur iure suo vtendo mediis ad sui defensionem ordinatis. *ibid. numero* 10.

8. Potest reus fugere è carcere, etiamsi ibi detineatur ob debita, aut etiamsi ex eius fuga custos carceris sit aliquid damni passurus. Idem sentiendum de eo qui damnatus est ad perpetuum carcerem, vel ad triremes. Potest item vincula, & carcerem effringere, nec tenebitur ad restitutionem, tametsi reliqui vincti inde ansam arripiant fugiendi, quia illius fugæ est tantùm causa per accidens; tenebitur tamen carcerem effractum restituere. *ibid.pag.*329.*n.*13.*& seq.*

9. Qui fugam reo consulit, aut instrumenta ad effringendum carcerem præbet, non peccat, modò ad ipsam effractionem non cooperetur. *ibid.num.*19.

10. Reus, per se loquendo, non tenetur morem gerere sententiæ iudicis quæ nititur falsa præsumptione; non tamen potest se per vim tueri contra iudicem ne huiusmodi sententiam exequatur. *tom.*2.*pag.*330.*num.*22.

11. Reus negans veritatem non tenetur pœnam soluere quæ fuisset luenda, si veritatem aperuisset, dummodò ad eam pœnam non teneretur ante sententiam iudicis, aut iure naturæ ob cõtractum, vel damnum iniustè illatum: tunc enim non eximeretur ab obligatione soluendi, quia illa obligatio erat anterior. *ibid. num.*23.

ROMANA CVRIA.

Ad Romanam Curiam accedentes.

1. QVi per se, vel per alios interficiunt, vel mutilant, vel spoliant, vel capiunt, vel detinent accedentes ad Sedem

dem Apostolicam, seu Curiam Rom. vel ab ea recedentes; aut qui vsurpata temere auctoritate præfatas actiones per se, vel per alios contra morantes in Rom. Curia audent perpetrare, incurrunt excommunicationem 9 latam in Bulla Cœnæ. Illi autem dicũtur accedere ad Sedem Apostolicam qui negotiorum causa Summum Pontif. adeunt, qui verò causa indulgentiarum, aut Vrbis visendæ Romam petunt, non dicuntur accedere ad Sedem Apost. seu Curiam Rom. Item illi dicuntur à Sede Apost. recedere, qui ad eam accesserant causa negotiorum in Curia expediendorum. *disp.* 1. *quæst* 10. *punct.* 1. *&* 2. *pag.* 42. *&* 46. *tom.* 3.

2. Hanc censuram non incurrit qui interficit, spoliat vel detinet eum qui solùm decreuerat iter suscipere ad Curiam Rom. aut qui ad eam ibat negotiorum causa, sed postea voluntatem mutauerat, aut longo tempore iter intermiserat: quia is non dicebatur amplius ad Rom. Curiam accedere. *ibid. punct.* 1. *pag.* 42. *num.* 4. *tom.* 3.

3. Qui accedentem ad Rom. Curiam leuiter percussit, ex quo tamen vulnere casu accidit vt percussus interierit, non censetur ligatus censura huius Bullæ, modò id à percutiente præuisum non fuerit. Item si multi percusserunt, vnus autem lethale vulnus infixit vnde mors sequuta est, ille vnus excommunicationem incurrit. *ibid. pag* 43. *n.* 11. *&* 12. *tom.* 3.

4. Qui accedentem ad Sedem Apost. verberat, aut illi digitum amputat, aut membrum debilitat non tamen abscindit, aut qui claudum illum efficit, nullo membro abscisso, non incidit in censuram Bullæ: quia hæc censura lata est in mutilantes; mutilare autem est membrum aliquod à corpore præscindere; porrò membrum appellatur ea pars corporis quæ proprium habet officium distinctum à reliquis, vt oculus, pes, manus, &c. *ibid num.* 14 *&* 15.

5. Qui accedenti ad Sedem Apostolicam eripit vestem, pecuniam, equum, &c. ligatur censura huius Bullæ (nisi materiæ paruitas, vel ignorantia excuset.) Qui tamen clàm, & per dolum crumenam, aut aliquid aliud surripit, non videtur hanc censuram incurrere; quia hic non dicitur spoliare, cùm nullam vim inferat. *ibid. pag.* 44. *n.* 18. *&* 19. *tom.* 3.

6. Qui rapit vxorem, filios, vel familiares seu famulos quos accedens ad Rom. Curiam secum ducit intuitu negotiorum ibi tractandorum, contrahit hanc excommunicationem. Quia Pontifex sub censura prohibuit spoliationem accedentium ad Sedem Apost. committitur autem spoliatio non solùm

lùm dum pecunia aut vestes, vel similia per vim auferuntur, verùm etiam dum vxor, filius, famuli rapiuntur; quippe rapina, & plagium sub spoliatione tanquam species sub genere continentur. *ibid.num.21.& 22.*

7. Qui personaliter comprehendit accedentes ad Sedem Apost. vel recedentes, subiacet huic censuræ, nisi paruitas materiæ excuset, aut nisi iustè id egerit: Qui enim accedentem ad Sedem Apost. personaliter capit ob delictum in sua ditione commissum, vel ob debitum, vtitur iure suo, neque censuram incurrit. Idem dicendum de capiente clericum de fuga suspectum, vt eum suo Episcopo quamprimùm consignet, & de Abbate capiente monachum fugitiuum asserentem se velle Sedem Apostolicam adire. *ibidem, pag.45. num.23. & 27. tom. 3.*

8. Qui præcepto, aut verbis comminatoriis absque vlla violentia detinet aliquem, illúmque impedit ne ad Sedem Apostolic. accedat, probabiliter videtur non incidere in hanc excommunicationem, licet grauiter peccet. Quia excommunicatio lata est contra detinentes; detinere autem videtur importare actionem physicam violentam contra personam quæ detinetur; at verba legis pœnalis non sunt vltra propriam significationem extendenda. *ibid.num.32.*

9. Qui nullam in Rom. Curia iurisdictionem habet, obstringitur vinculo huius excommunicationis si spoliet, capiat, aut detineat vsurpata temerè auctoritate eos qui in Rom. Curia commorantur. Vnde sequitur Episcopum, vel Prælatum qui capit, aut detinet aliquem ex sibi subditis in Curia Rom. commorantem contrahere excommunicationem: quia sibi vsurpat iurisdictionem quam in subditum quamdiu in Curia moratur, non habet: excusat tamen ignorantia etiam vincibilis, & affectata si putet se iurisdictionem habere. At contrà si quis ex officiliabus Papæ actiones aliquas prohibitas exerceat contra commorantes in Curia, hanc excommunicationem non incurrit: quia licet grauiter peccet, & iurisdictionis suæ terminos excedat; nihilominus iurisdictionem habet in Curia. *ibid. pag.45.& 46. num.35. 36. & seq. tom. 3.*

10. Qui interficit, capit, aut detinet de mandato superioris iurisdictionem non habentis in Rom. Curia, ligatur vinculo huius censuræ: quia licet sit tantùm executor, agit tamen auctoritatiuè, potestate scilicet accepta ab eo qui sibi iurisdictionem vsurpauit; excusat tamen ignorantia. *ibid.n.43.pag.46.*

11. Qui

11. Qui mandat vel iubet interfici, aut capi accedentes ad Rom. Curiam aut in ea commorantes, ſubiicitur huic cenſuræ modò ſecuta ſit actio mandata, & mandatum non fuerit reuocatum: effectus enim reuocato mandato, non imputatur mandanti, modò reuocatio innotuerit ei qui acceperat mandatum. *ibid. punct. 2. pag. 46. n. 1. & ſeq.*

12. Qui infidelem, vel hæreticum ad Sedem Apoſt. accedentem negotiorum cauſa interficit, mutilat, &c. videtur incurrere in hanc cenſuram: Quia Eccleſia non ſolùm fideles benignè excipit, ſed etiam infideles ad ſe confugientes admittit, nullique gremium claudit: quare debent etiam infideles gaudere priuilegio ſecuritatis, in hac Bulla conceſſo. *ibidem, pag. 47. 48. num. 12. tom. 3.*

Victualia impedientes.

13. Omnes iniuſtè impedientes ne victualia, vel alia ad vſum Rom. Curiæ neceſſaria deferantur, vel inuadentes eos qui hæc ad Rom. Curiam deferunt, excommunicationem 8. Bullæ incurrunt. Nomine autem Rom. Curiæ intelligitur Summum Eccleſiæ Tribunal, ſeu Audientia Papæ ipſo præſente, vel etiam abſente; neque enim Rom. Curia conſtat ſolo Summo Pontifice tanquam capite, ſed etiam Cardinalibus, Auditoribus, Iudicibus, aliiſque miniſtris, & officialibus audientiæ, necnon litigantibus aliiſque Romam venientibus ob negotia coram officialibus Summi Pontif. expedienda. Quare qui impedit ne Romam victualia deuehantur; ſi aliò translata ſit Curia, non incidit in hanc excommunicationem. *diſp. 1. quæſt. 9. punct. 1. & 2. pag. 37. 38. tom. 3.*

14. Gubernator Prouinciæ, vel ciuitatis alicuius qui triticum ex prouincia, vel ditione ſua extrahi prohibet, nec deferri permittit ad Rom. Curiam, vt ſuæ prouinciæ, vel ciuitati conſulat, non ligatur hac cenſura; quia non impedit iniuſtè, ſed iure, cùm teneatur damnum ſuæ prouinciæ vel ciuitatis præcauere; per accidens autem, & præter ipſius intentionem fit vt triticum ad Rom. Curiam non deferatur. Idem dicendum ſi Rom. Curia laboret peſte, & prohibeatur quis eò victualia deferre, ne rediens vrbem inficiat. *ibid. pag. 39. n. 8. tom. 3.*

15. Qui deferentem victualia, ſpoliat pecuniis, non ablatis victualibus, huius Bullæ cenſuram non incurrit: quia in hoc caſu Rom. Curia non offenditur in victualibus, aut aliis ad

ipſius vſum pertinentibus, cùm hæc non auferantur, vt ſuppono; Modò tamen non ſpoliet animo impediendi delationem victualium; tunc enim ligatur cenſura ſi pecuniis ſpoliatus victualia ad Rom. Curiam non deferat; quia actione iniuſta impedit ne deferantur. Item ſi pecunia deferatur ad vſum alicuius Curialis, ſpolians afficitur hac cenſura; ſecùs ſi ad vſum ipſius deferentis. *ibid.n.*10.

16. Non ligatur hac cenſura qui res ſuas vendere non vult ad Rom. Curiam transferendas, etiamſi fortè aliæ deſint: hic enim propriè non impedit, cùm nullam actionem poſitiuam exerceat, ſed negatiuè ſe habeat. *ibid.n.*11.

17. Non incurrit hanc cenſuram qui deferentem victualia compellit ad ſolutionem vectigalis; etiamſi pro ſolutione magna victualium pars danda ſit. Idem dic de exactore vectigalium qui omnia Romam deferenda aufert in pœnam non ſoluti vectigalis, modò vectigal ſit iuſtum: hic enim non impedit iniuſtè. *ibid.n.*13.

18. Qui ob priuatas inimicitias inuadit deferentem victualia ad Rom. Curiam, vel etiam occidit, non animo impediendi, ſed vt vindictam ex eo ſumat, non ligatur hac cenſura: quia primò & per ſe intendit vindictam, per accidens autem impeditur delatio victualium Romam. *ibid.n.*4.

19. Excuſatur ab hac cenſura qui emit victualia ab eo qui ad Rom. Curiam ea deferebat, ſeu emat in ſuum, & familiæ vſum; ſeu emat vt vendat cum lucro: hic enim vtitur iure ſuo, & per accidens tantùm impedit ne ad Rom. Curiam deferantur. Item qui deferentem victualia in carcerem trudit ob crimen, vel debitum: quia vtitur iure ſuo. *ibidem, numero* 16. *&* 17.

20. Victualia quæ ex alieno territorio ad Rom. Curiam deportantur, poteſt Princeps per cuius ditionem tranſeunt impedire, & detinere in vſum ſuorum ſubditorum conuertenda, vrgente graui annonæ caritate: Principis enim eſt bono communi proſpicere. Niſi Curia Rom. pari, vel maiori rerum penuria laboret; in hoc enim caſu Princeps non habet ius ea victualia detinendi. *ibid.pag.*40.*n.*20.*tom.*3.

21. Qui mandat, vel conſulit impediri, aut perturbari delationem victualium ad Rom. curiam, in hanc cenſuram non incurrit: quia cenſura lata contra facientes non afficit mandantes, vel conſulentes, niſi hoc exprimatur. *ibidem, numero* 21.

22. Impedientes victualium tranſlationem ad Rom. Curiam

riam ex vi huius Bullæ præter excommunicationem, aliam pœnam non incurrunt: Ex aliis verò iuribus qui terras, vel oppida in feudum, vel alio titulo retinent à Sede Apostolica, priuantur dominio dictorum feudorum, terræ autem, & oppida subiiciuntur Ecclesiastico interdicto; Immò persistentes vltra sex menses in sua contumacia, ipso iure priuantur omnibus feudis, & iuribus quæ ab sede Apostolica vel ab aliis obtinebant. *ibid.num.22.*

23. Qui per se, vel per alios defendunt impedientes vel inuadentes eos qui victualia ad Rom. Curiam deferunt, eandem censuram incurrunt; id enim disertè exprimitur in Bulla: modò tamen sequatur effectus. Qui autem defendunt seu protegunt impedientes, vel inuadentes post sequutum effectum impedimenti vel inuasionis, vt si eos defendant ne capiantur à satellitibus & puniantur, non ligantur hac censura: quia actio principalis propter quam lata est censura, iam præcessit, suumque effectum sortita est. *ibid.n.23 & 24.*

24. In dubio an sit legitima impediendi causa, si impediens publicam personam gerit, præsumitur iustè impediuisse; quia in facto Principis, seu personæ publicæ non præsumitur delictum. Sin impediens est persona priuata, cùm ius non habeat impediendi, præsumitur iniustè impediuisse, nisi ostendat se id iure fecisse. *ibidem, punct 3.pag.41.num.2. tom.3.*

25. Paruitas materiæ excusare potest ab hac censura incurrenda; hæc autem paruitas non solùm ex quantitate rei, verùm etiam ex deturnitate temporis pensanda est. Vnde sequitur illum excusari qui tantùm per aliquot horas victualium delationem retardauit, vel qui impediuit, quò minus victualia quæ vnius iumenti onus non excedebant, ad Rom. Curiam deportarentur. *ibid.num.3.& 4.*

Recurrentes ad Romanam Curiam.

26. Omnes, & singuli iniustè occidentes, percutientes, aut bonis spoliantes eos qui recurrunt ad Rom. Curiam negotiorum causa, vel Iudices, Aduocatos, & procuratores qui hæc negotia prosequuntur in eadem Curia; seu qui per se vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut iis auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, Bullæ Cœnæ 12 excommunicationem incurrunt. *disp.1.quæst.13.pag.62,tom.3.*

27. Ille dicitur ad Rom. Curiam recurrere non solùm qui seipsum personaliter confert ad Rom. Curiam, vt ibi negotia sua tractet; verùm etiam ille qui alium mittit, vel qui per literas negotium tractat. Incola verò ciuitatis, vel loci in quo est Rom. Curia, non dicitur ad Curiam recurrens; consequenter huius canonis priuilegio non gaudet nisi fortè sit agens, aut procurator recurrentis. *ibid. punct.* 2. *pag.* 63. *num.* 2. *tom.* 3.

28. Qui recurrentem ad Rom. Curiam verbis contumeliosis afficit, famam illius, & existimationem voce, vel scriptis lædit, huius canonis excommunicationem non subit: quia hic non dicitur propriè spoliare qui alteri famam, & honorem aufert. *ibid. punct.* 1. *pag.* 62. *n.* 5. *tom.* 3.

29. Qui recurrenti ad Rom. Curiam aliquid aufert ad compensationem sibi faciendam, non est huic censuræ obnoxius: quia hæc actio non est spoliatio sed compensatio, seu acceptio rei sibi debitæ, ac proinde non est iniusta. *ibid pag.* 63. *num.* 6. *tom.* 3.

30. Non quælibet spoliatio, seu vsurpatio iniusta sufficit ad hanc censuram incurrẽdam, sed ea quæ fit occasione causarũ (vt habetur in Bulla) id est, quia recurritur ad Rom. Curiam vnde sequitur latronem qui occidit recurrentem ad Rom. Curiam, aut eum spoliat, non incurrere censuram huius canonis; quia id facit animo prædandi, non autem occasione causarum vel negotiorum. Idem dicendum de eo qui ob priuatas simultates occidit recurrentem ad sedem Apost. *ibid. n.* 7.

31. Qui recurrentem ad Sedem Apost. vim vi repellendo, ad necessariam sui defensionem occidit, non contrahit excommunicationem: quia nec occidit iniustè nec intuitu causarum, & negotiorum. Rursus qui recurrentem ad Sedem Apost. criminaliter accusat, & ob accusationem causa est mortis, vel spoliationis bonorum, non subiicitur huic excommunicationi; quia vtitur iure suo. Item qui proscriptum ad Rom. Curiam recurrentem, ad quam venire non potest nisi obtenta à Principe facultate, occidit, hanc censuram non incurrit: quia illa actio, iure permittente, est iusta. *ibid punct.* 3. *pag.* 65. *numero* 2. *tom.* 3.

32. Qui iniustè percutit vel spoliat eum qui iniustè recurrit ad Sedem Apost. nihilo seciùs hanc censurã incurrit: tùm quia excommunicatio lata est contra iniustè percutientes; tum quia alioquin aperiretur via delictis, cùm pars aduersa ferè semper existimet, alteram partem iniquè litem prosequi. *ibid. n.* 3.

33. Qui

33. Qui ex ignorantia etiam culpabili nescit aliquem ad Curiam Rom. recurrere, non ligatur excommunicatione si illum occidat; quia Summus Pontifex censuram tulit in contumaces; vbi autem est ignorantia, non est contumacia. *ibid. num.6.*

34. Qui recurrentem ad Rom. Curiam iniustè accusat, aut falsis testibus conuincit, incidit in excommunicationem si ex illa accusatione mors, vel bonorum spoliatio sequatur illi qui iniquè accusatus est intuitu negotiorum in Curia tractandorum: quia hic saltem indirectè est causa occisionis, vel spoliationis. *ibid.*

35. Qui ad Rom. Curiam confugere volenti suadet vt tali via (quam ipse suadens nouit à latronibus obsideri) Romam contendat, ligatur censura huius canonis, si confugiens ad Rom. Curiam à latronibus occidatur, vel spolietur: quia est causa saltem indirecta huius occisionis vel spoliationis. *ibid.*

36. Qui ratas habet huiusmodi actiones sub censura prohibitas, ex probabiliori sententia, non subiacet excommunicationi; tum quia id non exprimitur in canone; tum quia ratihabitio est posterior actione, proindéque non potest positiuè in eam influere. *ibid.num.7.*

37. Qui non impedit præfatas actiones prohibitas cùm possit, vinculo huius censuræ non irretitur: quia se habet negatiuè, neque influit in actum; nisi auctoritatiuè assistat, & suo silentio delinquentibus fauere videatur. *ibid. num.8. pag.66. tom. 3.*

38. Qui Clericum ad Rom. Curiam recurrentem negotiorum causa percutit, duplicem incurrit censuram; quia violat duas leges censuram excommunicationis continentes, & ex variis motiuis latas: altera quippe condita est in gratiam Rom. Curiæ, altera in honorem Ordinis, seu status Ecclesiastici. *ibid. num.10.*

Censura huius canonis non solùm in hac Bulla, verùm etiam alibi promulgata inuenitur.

Romanæ Ecclesiæ Iura, & Bona.

39. Qui per se, seu per alios, directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore inuadunt, destruunt, occupant, & detinent terras, vel iura temporalia ad Rom. Ecclesiam pertinentia, aut qui vsurpant, vel perturbant supremam iuris-

dictionem quam Rom. Ecclesia in illis terris habet, in excommunicationem 20. Bullæ Cænæ incurrunt. *disp.1.quæst.21. pag.137.tom.3.*

40. Qui habet à Summo Pontifice ciuitatem in feudum quæ ab alio iniustè occupatur aut quæ per rebellionem deficit à fide illius cui in feudum data fuerat, non incurrit excommunicationem illam inuadendo, capiendo, & detinendo; quia non agit iniustè, neque præsumitur Summus Pontif. velle iniustitiam alterius iniustè occupantis fouere. *ibid.punct.2.pag. 140.num.2.tom.3.*

41. Qui aliqua Rom. Ecclesiæ bona, seu iura, bona fide, & proprio nomine possedit spatio centum annorum, ab excommunicatione huius canonis excusatur; quia hic non dicitur bona Rom. Ecclesiæ iniustè detinere, cùm spatio centum annorum res Ecclesiæ Rom. præscribantur; modò tamen bona quæ occupantur, capacia sint præscriptionis: sola autem Bullæ promulgatio singulis annis fieri solita non sufficit ad interrumpendam præscriptionem, nisi malam fidem, aut dubium possidenti inducat; præscriptio enim bona fide inchoata non interrumpitur nisi mala fides, aut dubium superueniat. Superueniente autem dubio possidens Ecclesiæ bona tenetur adhibere diligentiam vt cognoscat an illa bona sint Ecclesiæ, an sua; qua adhibita potest illud dubium deponere, nec tenetur bona Ecclesiæ restituere, quia in dubio melior est conditio possidentis. *ibid.n.2.& 3.*

42. Qui ex priuilegio, aut legitima concessione supremam iurisdictionem in terris ad Rom. Ecclesiam pertinētibus exercent, vt Rex Hispaniæ in Sicilia, & Sardinia, Respublica Genuensis in Corsica, non subiiciuntur huic excommunicationi: quia legitimè illam iurisdictionem exercent, non autem vsurpant *ibid.punct.1.pag.139 n.23. & 24.tom.3.*

43. Qui fauent, adhærent, auxiliantur, consulunt, aut defendunt prædicta facientes eandem censuram incurrunt. Hinc sequitur eum qui equos, arma, milites, commeatum, pecuniam, aut alia præbet huiusmodi inuasoribus, & vsurpatoribus iurium Rom. Ecclesiæ, aut qui illis transitum per suam ditionem concedit, eiusdem excommunicationis vinculo obstringi, si sequatur effectus; cum enim actiones accessoriæ prohibeantur intuitu principalium, excommunicatio non incurritur non sequuta aliqua principali actione. *ibid. pag.140.n.26. & 27.tom.3.*

44. Ciuitates, & loca quæ in hoc canone inuadi, deuastari, detineri,

detineri, vel vsurpari prohibentur sunt illa omnia quæ Rom. Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiiciuntur vt Roma, Sicilia, Sardinia, Corsica, Ducatus Spoletanus, Comitatus Venusinus, Comitatus Sabinensis, Marchia Anconitana, Campania, Bononia, Ferraria, &c. Dicuntur autem loca Rom. Ecclesiæ immediatè subiecta in quibus Summus Pontif. ius dicit per se ipsum, vel per Gubernatores à se missos; vel etiam delegatos ab ipsis Gubernatoribus; Illa verò dicuntur mediatè subiecta, in quibus Summus Pontif. facultatem ius dicendi in alios transtulit, retento sibi dominio directo, vt sunt loca quæ in feudum alicui tradita sunt. Igitur qui huiusmodi loca inuadit, aut occupat iniustè, excommunicationi huius canonis est obnoxius. Secùs autem qui inuadit, destruit vel occupat iura, aut bona ad Summum Pontif. pertinentia non quatenus Pontifex est, sed quatenus priuatus; quia hæc bona seu iura non sunt Ecclesiæ Rom. *ibid. punct.* 3. *pag.* 141. *n.* 2. *&* *seq. tom.* 3.

ROMIPETA. PEREGRINVS.

Romipetarum violatores.

1. OMnes, & singuli iniustè interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, deprædantes Romipetas, seu peregrinos Romam petentes deuotionis, vel peregrinationis causa vel in ea morantes, vel ab ea recedentes, vel in his dantes auxilium, consilium vel fauorem, excommunicationem 10. Bullæ Cœnæ incurrunt. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 2. *pag.* 50. *num.* 1. *tom.* 3.

2. Hinc sequitur eum qui offendit ciuem Romanum, sacra Vrbis loca visitantem, aut peregrinum ad S. Iacobum Compostellanum, vel ad S. Christi Domini sepulchrum, vel ad ædem Lauretanam proficiscentem, non subiacere huic excommunicationi: quia isti non sunt Romipetæ seu peregrini ad vrbem. *ibid. punct.* 3. *pag.* 51. *num.* 4. *&* 6. *tom.* 3.

3. Qui Romipetam seu peregrinum ad vrbem proficiscentem verberat, seu percutit sine vulnere, & sanguinis effusione, etiamsi ex percussione aliqua contusio, tumor, liuor vel macula in cute appareat, non ligatur hac censura: immò nec qui os brachij, vel femoris perfringit absque scissione carnis, & sanguinis effusione: quia hic propriè non dicitur vlnerare. Porrò non quælibet sanguinis effusio sufficit ad excommunicationem

nem incurrendam, sed requiritur ea quæ constituat peccatum mortale. *ibid.punct.1.pag.49.n.3.& 4.tom.3.*

4. Sub censura huius canonis comprehenduntur qui vias obsident, adoriuntur Romipetas, illisque per vim pecunias, vestes vel alia eripiunt: Secùs autem qui furtim pecunias vel alia surripiunt: quia hi furari potius quàm deprædari dicuntur. Neque in hanc censuram incidit qui Romipetam iam ab alio occisum vestibus, vel pecuniis spoliat: Quia mortuo nullam vim infert; vis enim seu violentia, ex Aristotele, est à principio extrinseco, resistente passo. *ibid.pag.50. num.8. & seq. tom.3.*

5. Qui Clericum Romipetam deuotionis causa ad vrbem proficiscentem vulnerat, mutilat, occidit, &c. duplicem censuram incurrit: quia percussio clerici speciali ratione vetita est sub pœna excommunicationis, in honorem Ordinis, & status Ecclesiastici: vnde fit vt ad obtinendam absolutionem vtraque circumstantia sit aperienda. *ibidem, pag.52. num.16.tom.3.*

6. Qui vexat Iudæum, hæreticum, vel excommunicatum accedentem ad Vrbem conuersionis, vel deuotionis causa, incidit in hanc censuram: licèt enim illi à fidelium communione excludantur, Romam tamen se conferunt vt in Ecclesiæ gremium admittantur, proindéque priuilegio huius canonis gaudent. *ibid.pag.53.num.20.tom.3.*

7. Quamdiu peregrini Romæ morantur deuotionis causa, non possunt sine excommunicatione violari. Qui verò absoluta deuotione decreuit Romæ manere, ibique domicilium figere vt frequentiùs loca sacra inuisere, & alia pietatis opera obire possit, non gaudet ampliùs priuilegio huius canonis: quia desinit esse peregrinus, & fit vrbis incola, consequenter qui eum offendit, censuram non incurrit. *ibid.num.22.*

8. Qui suscepta peregrinatione Romam versus, iámque inchoato itinere domum reuertitur vt aliquid faciat, vel accipiat quod domi oblitus fuerat, non gaudet priuilegio huius canonis quandiu domum reuertitur; consequenter qui eum in reditu vulneraret, in excommunicationem huius canonis non incideret: quia canon loquitur de vexantibus accedentes ad vrbem, vel recedentes; hic autem neque accedit ad vrbem cùm domum redeat, neque recedit ab vrbe, cùm ad illam nondum peruenerit. *ibid. pag.54.num.26.tom 3.*

9. Dantes auxilium, consilium, vel fauorem ad violandos Romipetas, non censentur ligari excommunicatione nisi sequuta

quuta sit mutilatio, vulneratio,&c.quia auxilium,fauor,& cōsilium non per se primò prohibentur; sed in detestationem mutilationis, vulnerationis & aliarum actionum quibus vis infertur Romipetis; censura autem non incurritur ob actiones accessoriè tantùm prohibitas, nondum sequuto effectu. *ibid. punct.* 1.*pag.*50.*n.*15.*tom.*3.

10. Ignorantia probabilis iuris, & facti vel etiam pœnæ, excusat ab hac censura. Quia censuræ feruntur contra contumaces; contumax autem non est qui probabili laborat ignorantia. Hinc sequitur prædones excusari posse ab excommunicatione dum aliquem adoriuntur qui nullum peregrinationis signum præse fert. Secùs si peregrinus consuetum peregrinorum habitum gestet. Qui verò Romipetam non in odium peregrinationis, sed ob priuatas simultates offendit, non propterea huius censuræ pœnam euadit. *ibid. punct.* 4. *pag.* 54. *n.*1. *& seq.tom* 3.

11. Qui iusta de causa Romipetam vulnerat, mutilat, occidit,&c. non est huic censuræ obnoxius. Ideo si iudex seruato Ordine iuris peregrinum in delicto comprehensum capi, vel suspendi iubeat, aut si quis ad sui defensionem peregrinum cum moderamine inculpatæ tutelæ vulneret, vel occidat, non incurrit excommunicationem. *ibid.num.*4.

S.

SACRAMENTVM.

Sacramentum quid.

1. SACRAMENTVM est signum sacrum, infallibiliter efficiens rem sacram quam significat, per quam homines sanctificantur. Vnde patet Sacramentum non esse ens rationis; habet enim vim significandi, & efficiendi id quod significat, etiam nemine cogitante. *tom.*1. *pag.*1.2.*num.*1.*&* 2.

2. Sacramentalia non sunt Sacramenta propriè dicta; neque enim ex opere operato gratiam conferunt. Neque sacrificium, vt sic, est Sacramentum, quia non est institutum ad sanctificandum

ctificandum sacrificantem: fieri tamen potest vt sacrificium materialiter sumptum, sit Sacramentum, vt est nostrum sacrificium incruentum. *pag.2.n.3.& 4.*

3. Sacramentum dicitur signum, quia præter externam illam speciem quam oculis exhibet, deducit nos in alterius rei cognitionem. Est autem signum rememoratiuum Christi patientis: demonstratiuum gratiæ; & prognosticum gloriæ. *ibid.num.6. & 7.*

4. Sacramenta Deus ineffabili prouidentia instituit in iis rebus quæ similitudinem habent cum eo quod significant, & cum effectu quem producunt. In rebus autem sensibilibus Sacramenta sunt instituta, vt homo à sensibilibus, & materialibus ad spiritualia contemplanda traducatur. *ibid.n.8.& 9.*

Sacramenta quot sint.

5. Certum est de fide sacramenta nouæ legis septem esse, nec plura, nec pauciora, Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Huius numeri ratio peti potest ex analogia vitæ spiritalis, ad corporalem. Inter Sacramenta, si spectemus ordinem essentialẽ, & necessitatis, Baptismus primum sibi locum vendicat, proximum Pœnitentia. At si perfectionis Ordinem attendamus, primas occupat Eucharistia. *tom.1.pag.2.& 3.num.1.& seq.*

Sacramenta veteris Legis.

6. Status innocentiæ caruit Sacramentis; quia illis non indigebat. Nam matrimonium tunc institutum, non fuit Sacramentum; sed datum fuit ad humani generis propagationem; dicitur autem ab Apostolo sacramentum quia fuit mysterium, & figura futuræ Incarnationis. Porrò in statu naturæ lapsæ, ante & post Christi aduentum necessaria fuerunt Sacramenta. *pag.3.num.2.& seq.*

7. In statu naturæ fuerunt saltem duo Sacramenta. 1. fuit remedium pro paruulis, externa scilicet protestatio fidei facta à parentibus, qua protestabantur omnes saluandos per Christi aduentum. 2. fuit sacrificium pro adultis, quatenus per ipsum remittebantur peccata in virtute Christi venturi. *ibid. num.7.& 8.*

8. Lex scripta plura habuit Sacramenta, nempe Circumcisionem,

...m, Sacrificium, Agnum Paſchalem,&c. quæ fuerunt pro... Sacramenta, non tamen conferebant gratiam ex opere ..., neque introducebant ad gloriam. *ibidem, nume... ſeq.*

9. Circumciſio inſtituta fuit à Deo, & tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem ſcriptam Moyſi traditam, & obligabat omnes ab Abrahamo deſcendentes; reliqui autem, licet non tenerentur, poterant circumcidi. Miniſter Circumciſionis nullus erat determinatus, immò poterat quis ſeipſum circumcidere. *tom.1.pag.4.n.1.& ſeq.*

10. Circumciſio inſtituta fuit ad delendum peccatum originale, nec videtur improbabile contuliſſe gratiam per modum operis operati; quippe conferebat gratiam vltra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis, non tantùm paruulis, ſed etiam adultis, illam cum attritione ſuſcipientibus. Vnde colligitur per circumciſionem non tantùm debitum fuiſſe peccatum orig. ſed etiam actuale in adultis. *ibidem, numero 4. 5. & ſeq.*

11. Circumciſio adultis neceſſaria fuit neceſſitate præcepti. Paruulis verò nec neceſſitate præcepti, nec medij; nam ante octauum diem morientes, cum ſolo remedio legis naturæ ſaluabantur. Fiebat cultro ferreo, vel etiam lapideo. Porrò pro fœminis nullum aliud fuit remedium quàm naturæ. *ibid.n.8. & pag.5.num.12.*

Sacramentorum neceſſitas.

12. Sacramenta non ſunt abſolutè, & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem; virtus enim Dei infinita, non eſt alligata Sacramentis. At ſuppoſita Chriſti inſtitutione ſunt neceſſaria neceſſitate medij; illis enim prætermiſſis ſalus obtineri nequit, & multò magis neceſſitate præcepti. *tom.1.pag.5.num.2. & ſeq.*

Sacramentorum materia, & forma.

13. Omnia nouæ legis Sacramenta conſtant materia, & forma, ſeu rebus, & verbis; rebus vt materia, verbis vt forma. Materia autem eſt duplex, proxima, & remota, v.g. Euchariſtiæ materia remota eſt panis, & vinum, proxima ſunt ſpecies panis, & vini. *tom.2.pag.6.n.3.& ſeq.*

14. Ex diuina inſtitutione, materia, & forma Sacramento-

rum

rum est determinata quam Ecclesia non potest mutare, aut variare; quia Ecclesia non est supra Christum qui est caput Ecclesiæ. Mutatio substantialis verborum irritat Sacramentum; non autem accidentalis, itavt maneat eadem significatio. *pag.6.& 7.num.7.& seq.*

15. Quando verba ita interrumpuntur vt vnam orationem non componant, aut quando ita diuiduntur vt vnum integrum sensum non conficiant, inualidum est Sacramentum: quare danda est opera vt verba successiuè, & absqua interruptione proferantur, necnon vt forma, & materia coniungantur, vt certior sit validitas Sacramenti. *tom.1.pag.8.n.23.*

16. Validum est Sacramentum administratum per verba synonyma, aut etiam æquiuoca, modò minister rectam habeat intentionem significandi quod per verba formæ significatur, & non inducendi nouum ritum. Non tamen licet noua verba, priuata authoritate confingere. *ibid.n.24 & seq.*

17. Qui omittit, vel addit aliquod verbum quod credit esse de essentia, cùm tamen non sit, nihilominus validè conficit Sacramentum, modò debitam habeat intentionem; quia illa omissio, vel additio est tantùm accidentalis. At si debita intentio desit, nihil fit, quamuis adsit debita materia & forma. Quippe Sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & intentione ministri. *ibid.n.28.*

18. Qui absque necessitate in conficiendis Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia, grauiter peccat; quia se exponit periculo faciendi Sacramentum inualidum. At in necessitate, quando non suppetit certa materia, potest dubia adhiberi, præsertim in Sacramento Baptismi. Ille etiam peccat qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit, aut detrahit; facit enim contra ritum Ecclesiæ. *ibidem, num.32. & pag.9. num.34.*

19. Quando rationabiliter dubitatur de validitate Sacramenti, potest iterum administrari sub conditione. Secùs si adsit leue dubium, seu leuis scrupulus; quia iteratio Sacramenti facta sine legitima causa, videtur quædam irrisio Sacramenti. Vnde patet non esse rebaptizandos eos qui nati, & educati fuerunt inter Christianos, nisi apertè constet non fuisse baptizatos. At infantes abrepti à barbaris, si dubitetur an abducti fuerint ante Baptismum, vel post, sunt sub conditione rebaptizandi. Idem dicendum de infantibus expositis sine vllo signo indice Baptismi. *ibid.n.36. & seq.*

20. Materia, & forma, seu res, & verba sunt partes intrinsecæ,

ſecæ, & eſſentiales, Sacramentorum nouæ legis, vt patet ex Chriſti inſtitutione. At ſi loquamur de Sacramentis in communi, res, & verba non ſunt de eſſentia ſacramentorum; nam olim circumciſio ſine verbis miniſtrabatur. *ibidem, numero* 1. *&* 3.

21. Vbique terrarum ſufficit eadem forma, & materia in ſingulis Sacramentis; propterea Baptiſmus Græcorum vbique gentium valet, quia mutatio accidentalis non deſtruit ſubſtantiam Sacramenti: Integra autem forma ab vno eodémque miniſtro proferenda eſt ne ſit falſa; præterquam in Sacramento Extremæ vnctionis, cuius vnctiones ſicut poſſunt à pluribus Sacerdotibus fieri, ita ſingulæ partiales formæ poſſunt à multis proferri ſimul, vel ſucceſſiuè; quia Extrema vnctio confertur per modum orationis. *tom.* 1. *pag.* 10. *n.* 1. *&* 2.

Sacramentorum cauſa efficiens.

22. Sacramentorum cauſa principalis auctoritatiuè eſt ſolus Deus; per poteſtatem autem excellentiæ Chriſtus; illi enim competit hæc poteſtas propter excellentiam quam habet ob vnionem cum diuinitate. Cæterum quamuis hanc poteſtatem inſtituendi Sacramenta potuerit Chriſtus communicare Eccleſiæ, ſeu Apoſtolis, non tamen communicauit, vt homines in ſolo Deo ſpem ſuam collocarent. *ibid. num.* 2. *& ſeq. pag.* 11.

23. Miniſter concurrens tanquam inſtrumentum ad conficienda Sacramenta in virtute Chriſti, eſt ſolus homo; non tamen quilibet. At ex diuina diſpenſatione poteſt Angelus eſſe miniſter Sacramenti. Immò ipſe Dæmon de potentia Dei abſoluta poteſt in aſſumpto corpore validè miniſtrare Sacramentum: ſi tamen de potentia ordinaria adminiſtret, habendum eſt pro nullo, quia non eſt credibile Deum velle vti opera dæmonis ad conficienda, & conferenda Sacramenta. *tom.* 1. *pag.* 11. *num,* 8. *& ſeq.*

Sacramentorum miniſter qualis eſſe debeat.

24. Probitas miniſtri, regulariter loquendo, non eſt neceſſaria ad validam Sacramentorum adminiſtrationem; quia Sacramenta operantur in virtute Dei, non autem miniſtri. Eſt tamen neceſſaria ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem; grauiter enim peccat adminiſtrans Sacramenta in peccato

mort. quippe ministri Sacramentorum debent conformari illi cuius sunt ministri, nempe Deo, & Christo per sanctitatem. *ibid.num.*1.*& pag.*12.*n.*2.

25. Exercens functiones Ordinum cum conscientia peccati mort. per se loquendo, non peccat mortaliter, præcisa administratione Sacramentorum facta à ministro, tanquam ad illam deputato, & consecrato; quia functiones ordinum non sunt immediatè sanctificatrices, consequenter qui eas exercet, non tenetur sub mortali esse in gratia. Vnde sequitur nec Episcopum conferentem primam tonsuram, aut conficientem Chrisma, nec Diaconum canentem Euangelium in choro, nec Parochum assistentem matrimonio cum conscientia peccati mort. peccare mortaliter. *pag.* 12. *num.*4. *& seq. & pag.*13. *numero* 10.

26. Sacerdos in necessitate ministrans Baptismum in peccato mort. absque solemnitate, non peccat mortaliter; quia non administrat ex officio, & vt minister consecratus. Idem dicendum de laico. Excusatur item à mortali Sacerdos qui mortalis culpæ sibi conscius tranfert Eucharistiam ab vno altari ad aliud; hæc enim non est administratio Sacramenti; quanquam opposita sententia videtur probabilior. *ibid. num.* 11. *& seq.*

27. Non est necessaria fides ad validam Sacramentorum administrationem; quia materia, forma, & intentio ministri adesse possunt etiamsi minister non habeat fidem. Infidelis tamen nondum baptizatus non potest Sacramenta validè conficere, & administrare, excepto Baptismo; reliquorum enim Sacramentorum, præter matrimonium, minister est Sacerdos; at character Sacerdotalis baptismum supponit. *pagina* 13. *numero* 1.

28. Ad licitam Sacramentorum administrationem necessaria est fides, consequenter administrans Sacramenta sine fide, grauiter peccat, licèt validè administret. *ibid.n.*2.

29. Ad validè conficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit; neque sufficit intentio proferendi verba, vel exercendi actionem externam Sacramentorum. Hanc autem intentionem faciendi quod Ecclesia intendit, non necesse est esse actualem, sufficit virtualis; habitualis verò nec sufficit, nec necessaria est. Idem sentiendum de attentione. Hinc collige Sacerdotem illum verè consecrare qui secum tulit hostiam ad altare cum intentione consecrandi, licet tempore consecrationis

crationis non recordetur, nec aduertat. *tom.*1. *pag.*14.*n.*4. 5. *& ſeq. pag.*15.

30. Intentio qua quis ſuſcepit ordines hoc animo vt fieret Sacerdos, & miniſter Eccleſiæ, non ſufficit ad conficienda validè Sacramenta; quia videtur habitualis. Non tamen requiritur neceſſariò intentio formalis faciendi quod Chriſtus inſtituit; ſed ſufficit intentio confuſa faciendi ſaltem in genere quod Sacerdos facere conſueuit. *tom.*1.*pag.*15.*n.*15.

31. Ille non conficit validè Sacramentum qui præuidens ſe inebriandum, intendit tempore ebrietatis, aliquos v. g. baptizare; quia durante ebrietate neque adeſt intentio actualis, neque virtualis, ac proinde hæc actio non eſt libera, & humana. *ibid.n.*17.

32. Sacramentum adminiſtratum ſub conditione de præſenti, vel de præterito validum eſt, ſi res ita ſit, ſicut exprimitur in conditione; quia verificata conditione, Sacramentum operatur. At ſub conditione de futuro adminiſtratum, nullum eſt; nam eo tempore quo implebitur conditio, iam non exiſtet materia, neque forma Sacramenti. *tom.*1.*pag.*16.*numero* 18. *&* 19.

33. Miniſter Sacramenti apponens conditionem non tantùm de futuro, ſed etiam de præterito, vel de præſenti, abſque rationabili cauſa, peccat: quia exponit ſe periculo adminiſtrandi inualidè Sacramentum, cùm non intendat conficere Sacramentum niſi dependenter ab illa conditione quæ fortè non ſubſiſtit. At iuſta de cauſa poteſt Sacramentum miniſtrari ſub conditione de præterito, vel de præſenti: de futuro verò nunquam. *ibid.n.*20.

Sacramentorum effectus.

34. Omnia nouæ legis Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ideſt non propter ſolam diſpoſitionem ſuſcipientis, ſed propter id quod à Chriſto inſtitutum eſt ad conferendam gratiam vltra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis. Hæc autem gratia ſemper confertur niſi ponatur obex, defectu debitæ diſpoſitionis, aut cum peccato mortali, actualiter in ipſa Sacramenti ſuſceptione commiſſo. *ibidem, numero* 2. *&* 5.

35. Sacramenta nouæ legis non tantùm conferunt gratiam iuſtificantem, verùm etiam gratiam virtutum, ſeu donorum, vt fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ iuſtitiæ, &c. & præterea

gratiam sacramentalem, ordinatam ad consequendum finem propter quem singula Sacramenta fuerunt instituta. *tom.*1. *pag.*17.*num.*6.

36. Sacramenta veteris legis non conferebant propriè gratiam, sed eam conferendam per Christi passionem præfigurabant. Excipienda videtur circumcisio quæ, ex multorum sententia, conferebat gratiam per modum operis operati. *ibid. numero* 7.

37. Aliqua Sacramenta, ex sua institutione, conferunt primam gratiam, vt Baptismus, & Pœnitentia. Reliqua verò ex sua institutione non conferunt primam gratiam primariò, & per se; sed tantùm per accidens; instituta enim sunt ad augendam gratiam, & supponunt suscipientem constitutum in gratia, & qui ea suscipit cum conscientia peccati mort. crimen sacrilegij committit. *ibid.n.*2.

38. Ad recipiendam primam gratiam per Sacramenta, requiritur in intellectu fides; in voluntate attritio; non tamen necessaria est contritio, alioquin suscipiens Sacramentum, iam esset in gratia, consequenter Sacramenta nunquam primam gratiam conferrent. *tom.*1.*pag.*18.*n.*4.

39. Suscipientes Sacramenta eiusdem speciei cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam, quia à causis naturalibus ad supernaturales debemus, cum proportione, argumentari. Suscipientes autem Sacramenta eiusdem rationis, cum inæquali dispositione, inæqualem gratiam recipiunt. Hinc sequitur quando duo accedunt ad sacramentum Pœnitentiæ quorum alter est attritus, alter contritus, contritum recipere maiorem gratiam, non solùm ex vi Sacramenti, verum etiam ex vi dispositionis, id est, contritionis, quæ sufficit ad consequendam gratiam extra Sacramentum, nec debet esse deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento. *pag.* 18.*num.*1. *& seq.*

40. Non recipit quis eò maiorem gratiam quò melior est minister conferens Sacramentum; quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed ob merita Christi: recipit tamen aliquod auxilium, seu motum quo se præparet, & disponat ad maiorem gratiam. *ibid.num.*4.

41. Gratia quæ confertur in Sacramentis non est essentialiter, & specificè diuersa; sed accidentaliter tantùm; hæc autem diuersitas accidentalis consistit in diuersis auxiliis quæ comitantur gratiam habitualem, vt obtineatur finis ad quem Sacramentum est ordinatum. *tom.*1.*pag.*19.*n.*1.*&* 1.

42. Sacra

42. Sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ;quia Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi,producit gratiam : Neque tantùm sunt causa moralis;verùm etiam sunt causa physica vere producens ipsam gratiam immediatè; tùm quia Sacramentum est signum , non sòlùm repræsentatiuum, sed etiam verè effectiuum;tùm quia non implicat Deum vti creatura ad effectum supernaturalem producendum, vt patet tùm in Christi humanitate quæ fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam,& miracula ; tùm in voluntate , & intellectu hominis , quæ tametsi sint potentiæ naturales, eleuantur ad eliciendos actus supernaturales fidei,& charitatis. *ibid.num.*2.*&* 3.

43. Sacramenta producunt gratiam per potentiam obedientialem quæ nihil est aliud quàm aptitudo quædam in creatura per quam Deus ea vti potest ad faciendum quidquid non implicat contradictionem. Hæc autem gratia educitur de potentia animæ à qua pendet in esse , & fieri tanquam à causa materiali , quia gratia est accidens , ac proinde esse non potest sine subiecto. *tom.*1.*pag.*20 *n.*5.*&* *seq.*

44. Sacramenta causant gratiam eo instanti intrinseco quo materia , & forma habent perfectam significationem ad quam sunt instituta ; nam eo instanti gratiam producunt quo eam significant. Idque dicendum est de omnibus Sacramentis quæ consistunt in vsu. At sacramentum Eucharistiæ cum sit permanens , non producit gratiam nisi in ipsa susceptione. *ibidem, num.*1. *&* 2.

45. Qui morti proximus baptizatur , aut sacramentaliter absoluitur, & moritur eo instanti quo perficitur Sacramentum, non videtur suscepisse Baptismum, aut absolutionem ; quia in eo instanti quo moritur, iam non est homo,sed immediatè ante fuit ; Sacramentum autem non agit in eum qui non est homo; alioquin sequeretur hominem qui toto vitæ suæ tempore fuit in peccato mort. posse iustificari, & constitui in gratia quando iam non est. *ibid.num.*4.

46. Certum est de fide tria Sacramenta , videlicet Baptismum , Confirmationem , & Ordinem imprimere characterem in anima. Est autem character qualitas quædam spiritualis, animæ diuinitùs infusa , per quam homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda , vel administranda , & ad alia diuini cultus opera. Per characterem Baptismi homo disponitur ad suscipienda cætera Sacramenta. Per characterem Confirmationis disponitur ad eliciendos actus fidei. Per characterem

Ordinis disponitur ad exercenda, seu obeunda munera cuiusque ordinis propria. Porrò in Christo non fuit character, quia per vnionem hypostaticam reddebatur aptus ad opera diuini cultus obeunda. *tom.*1.*pag.*21.*n.*2.*& seq.*

47. Hi tres characteres supra recensiti, inter se specie differunt; quia ordinantur ad diuersos actus. Eam autem habent inter se connexionem, vt characteres Confirmationis, Ordinis, characterem Baptismi necessariò supponant; quippe Confirmatio, & Ordo non baptizato inualidè conferuntur. Character semel susceptus est indelebilis, nec amittitur per peccatum, degradationem, aut mortem; vnde sequitur Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse. *ibid. num.*1.*& pag.*22.*num* 2.*& seq.*

Sacramentorum subiectum capax.

48. Solus homo in hac mortali vita degens, est subiectum capax Sacramentorum, quia instituta sunt in remedium peccati: posset tamen beatus de potentia Dei absoluta, suscipere Sacramenta. Angelus veró, vtpote spiritualis, non est capax Sacramenti quod in rebus corporeis, & materialibus consistit. Non tamen omnes homines sunt omnium sacramentorum capaces. *pag.*22.*n.*1.*& seq.*

49. In adulto suscipiente Sacramenta requiritur debita intentio, saltem habitualis, & dispositio qua suscipiens Sacramentum ita se disponat vt sit capax saltem principalis effectus sacramentorum, nempe gratiæ; sancta enim sanctè tractanda sunt. Addo eum grauius peccare qui Sacramentum suscipit in peccato, quàm qui administrat; nam ministrans in peccato non tollit efficaciam Sacramenti; qui verò suscipit indignè, quantum est ex se, reddit inanem Sacramenti significationem, nec recipit gratiam quam Sacramentum significat. *tom.*1.*pag.*22. 23.*num.*1.*& seq.*

50. Qui accedit ad Baptismum, vel Pœnitentiam, non tenetur esse in gratia; quia hæc Sacramenta, ex sua institutione, conferunt primam gratiam. Tenetur tamen habere fidem, & elicere actum attritionis, seu detestationis peccatorum. Qui verò accedit ad ea Sacramenta quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam, debet esse in gratia. Si quis tamen ea suscipiens, inculpabiliter non aduertat se esse in peccato mort. recipit gratiam si actum attritionis eliciat; hic enim non ponit obicem gratiæ. *pag.*23.*num.*11.*& seq.*

51. Qui acceſſit ad aliquod Sacramentum ſine intentione,ſublata illa fictione, & mutata voluntate, non recipit effectum Sacramenti;quia defectu voluntatis,ſeu intentionis , Sacramentum fuit inualidum , nec per ſubſequentem voluntatem validari poteſt. Excipe matrimonium de quo ſuo loco. Qui verò ſuſcipit Sacramentum ſine attritione,inculpabiliter omiſſa,ſublata fictione,id eſt,poſita attritione,conſequitur effectum Sacramenti , modò poſt eius ſuſceptionem non fuerit commiſſum nouum peccatum mort. tunc enim requiritur contritio, aut confeſſio. *tom.1.pag.23.24.n.2.& 3.*

52. Obiic. quod non eſt, non poteſt producere effectum; ſed quando ſuppletur diſpoſitio, quæ fuerat prætermiſſa in ſuſceptione ſacramenti, & recedit fictio , iam non eſt ſacramentum , ſed præceſſit. ergo tunc non poteſt producere ſuum effectum. *Reſp.* non eſſe abſurdum dicere effectum produci à cauſa non exiſtente ; nam de ratione effectus non eſt vt coexiſtat ſuæ cauſæ , ſed tantùm vt ab ea dependeat ; poteſt autem dependere etiamſi ſimul non exiſtat. *tom. 1. pag.24.numero 3.*

53. Ex dictis colligitur illum qui bona fide ſuſcepit Baptiſmum, aut Pœnitentiæ Sacramentum,ſine dolore requiſito, aut Euchariſtiam in peccato mort. putans ſe eſſe in gratia,poſita attritione recipere fructum illorum Sacramentorum, illis reſpondentem. *ibid.*

54. Peccatori publico indignè petenti , ſiue petat publicè, ſiue occultè , non ſunt adminiſtranda ſacramenta : Idem dicendum de eo qui grauiter ſuſpectus eſt de graui crimine,ita-vt ſuſpicio moralem certitudinem inducat ; quia ſacramenta ſunt fideliter adminiſtranda. Peccatori autem occulto occultè petenti ſunt deneganda ſacramenta, publicè petenti minimè ; ſic Chriſtus Iudæ ſui corporis Sacramentum porrexit: alioquin graue onus imponeretur miniſtro , ſi occultam ſuſcipientis indignitatem probare cogeretur. Quare peccator occultus publicè petens, non eſt à ſacramentis arcendus,quandò id fieri nequit ſine ſcandalo , & infamia. *tom.1.pag.25.numero 2.& ſeq.*

55. Poteſt ſacerdos ob metum mortis , vel grauis infamiæ , adminiſtrare Sacramentnm publico peccatori ; in hoc enim caſu non tam cooperatur peccato , quàm illud permittit ex iuſta cauſa , exercendo actionem ex ſe bonam. Non tamen poteſt peccatori occulto publicè petenti , præbere hoſtiam non conſecratam vt vitet ſacrilegium ; dat enim , quan-

tum est ex se, occasionem idololatriæ. *tom.1.pag.26. numero 14. & 15.*

56. Vigente necessitate, vel ob rationabilem vtilitatem, licèt petere, & suscipere Sacramenta à quolibet sacerdote iurisdictionem habente, quem scimus administraturum in peccato, siue paratus sit ad illa ministranda, siue non. Vtitur enim iure suo qui petit rem quæ sanctè, & religiosè præstari potest. At extra necessitatem, aut rationabilem vtilitatem non licèt: quia quisque tenetur, ex charitate, impedire ruinam, & peccatum proximi nisi necessitas, vel rationabilis causa, aliud suadeat. *ibid.n.1.& 2.*

57. Suscepturus Sacramenta ab aliquo sacerdote, non tenetur inquirere, an sacerdos sit probus; quia non est temerè iudicandum de proximo; modò tamen moraliter non constet illum indignè administraturum, vt si certus sit de eius concubinatu; tunc enim præcisa necessitate, non potest ab eo petere Sacramenta; nam cuique mandatum est de proximo suo. *tom. 1. pag.27.num.5.& 6.*

Sacrilegium.

1. SAcrilegium est violatio rei sacræ vt sacerdotis, templi, calicis, &c. Tria autem sunt rerum genera quarum violatione committitur sacrilegium, nempe persona, locus, & alia Deo dicata. *Persona sacræ* sunt Clerici, Religiosi, Moniales quæ violantur percussione, fornicatione, vectigalium exactione, ad sæcularia tribunalia pertractione, &c. *Res* autem *sacræ* sunt vasa, vestes, & alia ad sacram supellectilem pertinentia, item verba sacra, imagines sacræ, Sacramenta, &c. Denique *loca sacra* dicuntur templa auctoritate Episcopi consecrata, monasteria, hospitalia, &c. *tom.2.pag.187.n.1.& seq.*

2. Committitur sacrilegium dum Ecclesiæ seu loca sacra in profanos vsus conuertuntur, vt si arx seu munitio in Ecclesia constituatur absque necessitate, & facultate; si in ea negociatio, seu mercatus exerceatur; si causæ ciuiles in ea, aut in cœmeterio agantur; si reus in loco sacro capiatur, aut examinetur à iudice sæculari, aut inde extrahatur, exceptis casibus in iure permissis; aut si furtum in Ecclesia committatur, siue res sit sacra, siue non. *tom.2.pag.188.n.14. & seq.*

3. Probabile est profana colloquia habere peculiarem sacrilegij malitiam, grauem, aut leuem pro rei grauitate, si in Ecclesia habeantur: hæc enim prohibentur in *cap. decet, de immu-*

immunit. intuitu religionis; consequenter si quis otiosè loquatur in templo, venialiter peccat non solùm ratione verbi, sed etiam ratione loci, cui aliqua irrogatur irreuerentia: qui verò grauiter detrahit de fama aliena, aut contumelias graues in alium profert, grauiter peccat, non modò peccato detractionis & contumeliæ, , sed etiam sacrilegij. Contraria tamen sententia est etiam probabilis. *tom.2.pag.* 190.*n.*24.

4. Sacrilegium est peccatum mortale ex suo genere: quia Deo & rebus sacris grauem irrogat iniuriam. Ratione tamen inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ fieri potest veniale, vt si quis clericum leuiter percutiat, vel rem leuis momenti in Ecclesia furetur, &c. *ibid.n.*25.

Scandalum.

1. SCandalum aliud est *actiuum*, aliud *passiuum*. *Actiuum* est dictum, vel factum inordinatum dans proximo sufficientem occasionem ruinæ: alio etiam nomine dicitur *scandalum datum. Passiuum*, est peccatum quod committitur ex sola malitia peccantis, arrepta occasione peccandi ab aliquo nostro facto quod ex se non potest dare occasionem peccandi, & dicitur *scandalum acceptum.* *tom.2.pag.*113.*n.*1. *& seq.*

2. Qui alium inducit ad peccatum, intendens ipsius damnum spirituale, duplici peccato peccat 1. peccato speciali scandali. 2. eo ipso peccato quod ab altero committitur; quare qui alium inducit ad furtum, ipse reus est furti, atque hæc duo peccata sunt in confessione explicanda. Qui verò alium ad peccatum inducit, seu illius peccato cooperatur, non intendens ipsius ruinam, nec cum ipso peccatum consummans, reus est illius peccati quod alter committit: quia est causa illius. *ibid.num.*8 *& pag.*114.*n.*12.

3. Qui alium ad peccandum inducit, simulque cum ipso peccatum consummat, videtur duorum peccatorum reus, etiamsi proximi ruinam spiritualem non intendat: est enim proprij, & alieni peccati reus; peccatum quippe alienum imputatur inducenti. *tom.2.pag.*114.*n.*15.

4. In his casibus censetur quis cooperari peccato alterius, seu alterum inducere ad peccatum. 1. quando facit aliquid quod de se allicit, & inducit ad peccatum. 2. quando facit aliquid ex se indifferens ea intentione vt alter peccet, vt si quis arma vendat ea intentione vt emptor alium occidat. 3. quando absque iusta, & sufficienti causa facit opus

indifferens quo alios credit ad peccatum abusuros. *ibidem, numero* 17.

5. Qui petit aliquid illicitum ab eo qui paratus erat ad illud faciendum, peccat: quia non licèt alteri quamuis parato dare occasionem exequendi prauam voluntatem; vnicuique enim mandatum est de proximo. *tom.2.pag.*115.*n.*21.

6. Maritus non potest cum vxore pacisci vt amasio ipsam ad adulterium sollicitanti, fictè consensum præbeat, vt amasius deprehendatur, & percutiatur: hæc enim actio est intrinsecè mala, & censetur inductio, seu cooperatio ad peccatum amasij. *tom.2.pag.*116.*n.*34.

7. Non peccat mortaliter qui facit opus indifferens quo alter iam paratus ad peccatum abutetur; sed opus illud indifferens alter faceret, si ipse non faceret, vt si Titius paret cibos Caio iam parato ad frangendum ieiunium, quos alter porrigeret si Titius denegaret: quia hæc videtur leuis cooperatio, neque sufficiens ad peccatum mort. *ibid.n.*35.

8. Qui suo exemplo, seu facto alios induxit ad peccatum, neque habuit sufficientem causam, & rationem faciendi illud opus ex quo alij peccandi ansam arripuerunt, tenetur in confessione dicere se aliis ruinæ causam dedisse. Quare publicè peccantes videntur obligandi ad circumstantiam scandali in confessione aperiendam, ob periculum ruinæ proximi. Immò exprimendus est, quantum fieri potest, numerus personarum, quibus data est occasio ruinæ. Qui tamen facit opus aliquod malum coram aliis quos probabiliter credit, ob morum probitatem, non peccaturos occasione praui sui operis, non peccat mort. peccato speciali, aut generali scandali, consequenter non tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire. Idem dicendum de eo qui peccatum committit coram iis, qui iam incitati, & parati sunt ad peccandum. *ibid.n.*41.

9. Qui suo consilio, vel exemplo alium induxit ad peccandum, tenetur in confessione speciem peccati exprimere: peccatum quippe inductionis est eiusdem speciei cum peccato quod inductus committit. *ibid.num.*44.

Scrupulus.

1. SCrupulus est quædam suspicio orta ex leuibus indiciis, consequenter ille dicitur *scrupulosus* qui solet dubitare ex leuibus indiciis, seu motiuis. Nascuntur autem scrupuli ex variis causis, ex melancholia, ignorantia, dæmonis suggestione,

ne,nimia maceratione,vigilia,ieiunio, &c. quæ cerebrum exsiccant,ex frequenti conuersatione cum scrupulosis,&c. *tom.2. pag.127.num.1.& 2.*

2. Non desunt remedia quibus scrupuli curari possint. 1.vt quando oriuntur ex causa naturali, tollatur causa. 2. vt ad Deum cum humilitate, & fiducia recurratur. 3. vt dubia scrupulosi explicentur in mitiorem partem. 4. vt confessarius consulat pœnitenti ne confiteatur peccata quæ dubitat an sint mortalia, neve permittat ipsum in confessione repetere quæ dubitat an in aliis confessionibus fuerint omissa. 5. vt confessarius præcipiat scrupuloso ne credat se mortaliter peccasse, aut consensisse, nisi hoc ipsi certò constet. 6. vt scrupulosus stet iudicio confessarij. 7. vt sæpe faciat contra scrupulos. 8. vt ad scrupulos non attendat. *ibid. num. 3. & pag. 128. num.3.& 4.*

3. Non peccat qui aliquid facit deposito scrupulo, aut etiam ipso permanente: quia non facit contra conscientiam; nam conscientia non dictat illud esse illicitum, sed scit esse licitum cum aliqua apparentia oppositi, vt patet ex natura scrupuli qui consistit in apparentia contra prius iudicium, id est, contra id quod scitur, vel firmiter creditur. Quare qui sibi probabiliter persuadet aliquid esse licitum, potest tuta conscientia illud facere, etiamsi occurrant apparentiæ, seu argumenta quæ nequeat ipse dissoluere, nisi forte sint eiusmodi vt tollant prius iudicium, seu assensum: tunc enim non dicitur scrupulus, sed dubium, quod est practicè deponendum. *ibid. num.5.& 6,*

Schisma. Schismaticus.

1. SChisma est voluntaria, & pertinax subtractio, & separatio ab obedientia vniuersalis Ecclesiæ, vel Summi Pontif. qui principem in Ecclesia locum tenet, quando constat illum fuisse canonicè electum: nam qui se subtrahit ab obedientia illius quem probabiliter putat non esse legitimum Papam, non est censendus Schismaticus; quia non recedit ab obedientia Summi Pontif. sed huius personæ quam putat ad Sedem Pontificiam non fuisse legitimè electam. *disp.1.quæst.2.punct.5.pag.13.tom.3.*

2. Schisma est peccatum mortale grauissimum ex suo genere, tum quia aduersatur charitati cuius proprium est vnire & conciliare, tum quia grauissimis pœnis punitur, vt patebit infra;

infra; neque vnquam fieri potest peccatum veniale ex paruitate materiæ. Quamuis autem hæresis esse nequeat sine schismate, fieri tamen potest vt schisma reperiatur sine hæresi; quia fieri potest vt quis detrectet obedientiam Summi Pontif. etiamsi credat illum esse verum Christi Vicarium. *ibid. num.4.pag.14.*

Schismaticorum Pœnæ.

3. Schismaticus priuatur Ecclesiastica potestate, non quidem ordinis, quia fundatur in charactere qui est indelebilis, sed iurisdictionis: cùm enim voluntariè se retrahat ab Ecclesia, & ipsius capite, non est æquum vt fruatur potestate iurisdictionis quæ confertur ab Ecclesia: vnde sequitur inualidam esse absolutionem collatam à Schismatico saltem nominatim denuntiato. *ibid.num.8.pag.14.tom.3.*

4. Schismaticus incurrit excommunicationem 1. Bullæ Cœnæ ipso facto si re ipsa se subtrahat ab obedientia Papæ; non autem si solo animo intendat se subtrahere; nam ad incurrendam excommunicationem non sufficit actus internus; sufficit autem actus externus etiamsi non adsit intentió se subtrahendi. Vnde patet discrimen inter excommunicationem ob hæresim, & excommunicationem ob schisma; nam illa non contrahitur nisi adsit error in mente; hæc verò contrahitur ob solum opus externum. *ibid.n.10.pag.14.tom.3.*

5. Hanc censuram non incurrunt fautores, receptatores, aut defensores schismaticorum: nam verba legis pœnalis non sunt vltra propriam verborum significationem extendenda; in Bulla autem Cœnæ excommunicantur tantùm fautores hæreticorum: ligantur tamen excommunicatione contenta in constitutione Pauli IV. sed ea non est reseruata. *ibid.pag.15. tom.3.*

6. Schismaticus est inhabilis ad beneficia in futurum consequenda, quæ inhabilitas tolli potest ab Episcopo quamdiu delictum est occultum. Non tamen priuatur ipso facto beneficiis quæ ante schisma possidebat, nisi schisma habeat hæresim annexam. *ibid.n.11.12.pag.15.tom.3.*

7. Qui ordines suscipit à Schismatico, incurrit suspensionem ab vsu illorum ordinum: qui autem accipit beneficium à Schismatico, vel dignitatem Ecclesiasticam, priuandus est illo beneficio seu dignitate, si Shismaticus est denunciatus. *ibid. pag.15.num.14.tom.3.*

Secretum.

1. QVi reuelat ſecretum in graue damnum alterius, peccat mort. præſertim ſi commiſſum ei fuit ſecretum ſub ſigillo: fidem enim violat quæ iure naturæ ſeruanda eſt. Aperiens tamen ſecretum vni vel duobus, qui illud celabunt, non videtur peccare mort. vt ſi vir ſecretum detegat vxori, amicus amico; modò id quod detegitur, non ſit aliquod peccatum vergens in infamiam, aut modò non detegatur illi qui is qui ſecretum commiſit non vult manifeſtari. *tom.2.pag.*424. *numero* 1. & 2.

2. Reuelans ſecretum cum leui alterius iniuria, & detrimento, non peccat mortaliter, etiamſi promiſerit ſe celaturum ſecretum, ſub ſigillo ſibi commiſſum. Excipe ſecretũ confeſſionis quod, etiam in re leui, abſque grauiſſimo peccato mort. violari non poteſt. *ibid.*

3. Qui reuelat ſecretum in materia graui, cum alterius detrimento, abſque iuſta cauſa, tenetur ad reſtitutionem; eſt enim cauſa iniuſta damni prouenientis ex ſigillo ſecreti violato. *ibid,n.*4.

4. Aperiens & legens literas ſigillo munitas, aut quæ in ſecreto loco ſeruabantur, peccat mortaliter, ſi præuideat inde graue aliquod damnum oriturum, aut ſi is cuius ſunt literæ, valdè cupiat ea tegi ſilentio, quæ literis continentur. Qui verò legit ſine periculo grauis iniuriæ, aut damni, ſed ob curioſitatem, non peccat mort. nulli enim grauem irrogat iniuriam. *ibid.num.*5.

5. Qui vi tormentorum, & metu mortis compulſus, ſecretum alterius reuelat, non peccat, modò inde non oriatur graue damnum publicum: quilibet enim tenetur potius mortem ſubire. Quare milites, etiam cum vitæ periculo, tenentur ſilentio premere ſecretum cuius reuelatio vergeret in graue detrimentum exercitus, vel ducis. Præterea publico fungentes officio tenentur ea reticere quæ in conſiſtorio geruntur, grauis momenti, ſpectantia ad bonum commune. *ibidem, numero* 8.

6. Secretum nobis commiſſum ſub ſigillo, & iuramento, detegendum eſt quando vergit in damnum communitatis, vel innocentis, etiamſi committens ſecretum, dicat ſe illud manifeſtare in confeſſione, aut ſub ſigillo confeſſionis; cùm tamen non haberet animum confitendi, & ſuſcipiendi ſacramentum

mentum pœnitentiæ. Si verò secretum non vergat in damnum alicuius, nulli est reuelandum, ne superiori quidem; quia iure naturæ secretum celandum est. *tom.2.pag.425.n.9.*

7 Is cui commissum est secretum, potest iudici interroganti respondere, etiam cum iuramento, se nihil scire, addita restrictione mentali, vt illi aperiat, vel vtendo æquiuocatione; habet enim iustam causam tergiuersandi, cùm iudex eum cogere non possit ad ius naturæ violandum. *ibidem, numero* 10.

8. Sacerdos potest absque periculo irregularitatis, denunciare homicidia, proditiones, & alia delicta extra confessionem sibi nota, præmissa protestatione, qua ostendat se vindictam sanguinis non intendere: nam ratio naturalis dictat innocentem præferendum esse nocenti. *ibid. n.*11.

Sepultura.

1. OMnes catholici in loco sacro speliendi sunt, nisi iusta de causa prohibeantur. Immò ipsi etiam cathecumeni, licèt baptismum actu non susceperint; mortui enim sunt cum voto Baptismi. *tom.2.pag.677.n.*1.

2. Priuandi sunt Ecclesiastica sepultura 1. hæretici, apostatæ, excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, in duello mortui. 2. qui sibi ipsis mortem intulerunt laqueo, ferro, veneno, &c. in dubio tamen an quis se ipsum occiderit, sepeliendus est in loco sacro. 3. vltimo supplicio affecti in pœnam scelerum, nisi pœnitentiæ signa dederint. 4. publicæ meretrices, quæ se ad meliorem frugem non receperunt. *ibid.num.*2.

3. Quisque, regulariter loquendo, in sua Parochiali Ecclesia sepeliendus est, nisi sepulturam alibi elegerit, aut nisi locorum consuetudo aliud ferat. Peregrinus extra patriam moriens, in sepulchrum maiorum est transferendus, si commodè potest, alioquin in Ecclesia cathedrali, vel parochiali in qua decedit, est sepeliendus; præsertim si in ea parœcia, Sacramenta suscepit. *tom 2.pag.678.n.6.*

4. Ad probandam sepulturæ electionem in foro externo duo requiruntur testes, cùm agatur de præiudicio Ecclesiæ parochialis; neque sufficit propositum eligendi, nisi probetur ipsa electio actualis. *tom.2.pag.679.n.*10.

5. Corpora defunctorum, sine licentia superioris, & iusta causa, non possunt ex vna Ecclesia in aliam transferri, nisi ibi

ibi posita fuerint titulo depositi, aut nisi prior Ecclesia diruta fuerit, & noua alibi extructa. *ibid.n.*14.

6. Episcopus, seu iudex ordinarius, potest absque metu irregularitatis dare iudici sæculari facultatem exhumandi cadauer defuncti, vt inde capiantur informationes: quia iste actus est causa remota mortis delinquentis; non incurritur autem irregularitas defectu lenitatis nisi ob actum proximum, & influentem in mortem. *tom.*2.*pag.*680.*n.*15.

7. Locus iam deputatus ad sepulturam, vendi nequit præcisa consuetudine in contrarium:quia, vt sic,censetur locus sacer. An verò committatur simonia in venditione sepulturæ, vide *tit.* Simonia. *ibid.n.*1.*&* 2.

8. Pro ipso actu, seu functione sepeliendi, nihil accipi potest nisi liberaliter detur, aut honesta consuetudo sic ferat:hæc enim actio cum sit spiritualis, est materia simoniæ: legitima tamen consuetudine induci potuit vt aliquid detur, & exigatur, non tanquam pretium rei spiritualis, sed pro labore extrinseco, vel titulo sustentationis. *ibid.n.*4.

9. Laicus qui vult cum habitu alicuius religionis sepeliri, potest defunctus illo indui,& sic efferri, etiamsi sepulturam in Ecclesia illius Ordinis non elegerit; ille tamen habitus obtinendus est à superiore illius Ordinis cuius habitu indui cupit; sic enim Leo X. & Sixtus IV.decreuerunt .*ibid.n.*1.

10. Nonnullis in locis in quibus catholici Lutheranis, aut Caluinistis permixti viuunt, vsu receptum est, vt Catholici, funus sui cognati, aut amici prosequantur; hoc enim est opus misericordiæ, quod necessitudinis, & amicitiæ causa impenditur, ad communicationem politicam inter ciues fouendam. *ibid.*

Sumptus funeris.

11. Impensæ funeris faciendæ sunt ab hæredibus ex bonis defuncti, ante solutionem legatorum, & cuiuscumque alterius debiti, etiam restitutionis dotis; nam funus præfertur quibusuis creditoribus,etiam habentibus hypothecam. *tom.*2. *pag.*682.*n.*2.*&* 3.

12. Impensæ quæ fiunt causa sepulturæ, ad solatium, & salutem defuncti, cedunt Ecclesiæ parochiali, seu parocho loci, iuxta consuetudinem. Impensæ verò factæ ad pompam, & solatium viuorum, pertinent ad hæredes defuncti, nisi explicitè tradantur Ecclesiæ. *ibid. n.*6.

Contra

Contra sepelientes Hæreticos excommunicatio.

13. In cap. *quicumque hæreticos*, *de hæret. in 6.* extat excommunicatio contra sepelientes hæreticos, vel eorum receptatores, ac fautores, à qua non sint absoluendi donec propriis manibus illos publicè extumulent, & proiiciant illorum corpora, & locus ille perpetuo careat sepultura. *disp.2.quæst.2.tom.3. punct.30.pag.177.* Hoc intelligendum est de hæreticis denuntiatis. *num.4.*

14 Sepultura Ecclesiastica quæ hîc prohibetur, est sepultura in loco sacro in quo reliqui fideles sepeliri solent. Nam qui in loco profano hæreticum sepelit, hanc excommunicationem non incurrit, etiamsi fortè inter sepeliendum aliquas orationes recitet, vel adhibeat cæremonias Ecclesiasticas; hæc enim non dicitur Ecclesiastica sepultura. *ibidem, numero 3.*

15. Ille dicitur sepelire qui propriis manibus tumulat; quia Summus Pontif. prohibet sepelientem absolui, donec propriis manibus extumulet; igitur signum est ipsum velle eos solùm huic censuræ subiicere qui propriis manibus hæreticum, vel eius fautorem Ecclesiasticæ tradiderint sepulturæ. *ibid.pag.178.tom.3.num.6.*

16. Absolutio ab hac excommunicatione iure communi potest à quolibet confessario approbato impendi postquam is qui sepeliuit publicè, propriis manibus publicè extumulauit, & proiecit cadeuera. At si hæreticus secretò & remotis arbitris fuit sepultus, sufficit secreta extumulatio. *ibid.n.7.*

17. Non tota Ecclesia, seu totus locus in quo sepultus fuit hæreticus, carere debet sepultura, sed ea tantùm pars quæ fuit hac sepultura contaminata, ita vt amplius expiari aut reconciliari non possit. *ibid.n.8.*

Contra sepelientes tempore interdicti.

17. In Clementina 1. *de sepultura*, excommunicantur ij qui tempore interdicti sepeliunt mortuos in loco sacro in casibus à iure non concessis, aut qui etiam extra interdictum sepeliunt publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos. *disp.2.quæst.2.punct.31.pag.178* Habentes autem priuilegium audiẽdi diuina aut celebrandi tempore interdicti, possunt in loco sacro sepeliri. *ibid.n.3.*

19. Si

19. Si quis interdictus, seu suspensus sit solùm à iurisdictione, vel ab aliquo spirituali exercitio, non autem à diuinis, non videtur illicitum cum eo in diuinis participare; consequenter in loco sacro sepeliri potest. *ibid.n.*5.

20. Hæc excommunicatio non incurritur à sepeliente vsurarium publicum, qui nondum denunciatus est vsurarius; quia quandiu non est denunciatus, sententia contra ipsum non est specialiter lata. *ibid.num.*7.

21. Probabiliter valde sustineri potest comitantes funus excommunicati &c. aut terram fodientes, aut mandantes sepeliri, sub hac censura non comprehendi, sed eos tantùm qui propriis manibus sepeliunt. *ibid.pag.*179.*n.*10.*tom.*3.

22. Absolutio ab hac censura obtineri non potest donec arbitrio Episcopi satisfactum fuerit iis quibus per illam sepulturam facta fuit iniuria. Post satisfactionem autem quilibet approbatus potest absoluere; quia absolutio in hoc casu non reseruatur. *ibid.num.*11.

Sepultura exenterati.

23. Apud nonnullos olim consuetudo obtinuerat vt cadauera exenterarentur, membratim conciderentur, coquerentur, & ossa carnibus nuda, aliò sepelienda transferrentur. Ad hanc immanitatem tollendam Bonifacius VIII. excommunicationem tulit in Extrauag. *de sepultura*, contra exercentes hanc lanienam. *disp.*2.*quæst.*3.*punct.*45.*tom.*3.*pag.*257.

24. Præterea ipsum cadauer sic exenteratum punitur pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ; tum in detestationem huius carnificinæ, tum quia præsumitur defunctus fuisse huius criminis conscius; cum enim huius consuetudinis gnarus elegerit sepulturam in remotis locis, censetur occasionem, vel consensum delicto præbuisse. *ibid.*258.*n.*7. *tom.*3. fideles tamen non peccant tradentes hoc cadauer sepulturæ ante condemnationem à iudice latam. *num.*8.

25. Ad incurrendam hanc excommunicationem opus est vt fidelis cuius cadauer exenteratur, diem extremum clauserit in terris Catholicorum; nam si in terris infidelium, seu hæreticorum moriatur, non videtur sub excommunicatione prohibitum illius cadauer exenterare vt aliò transferatur, & inter fideles Ecclesiasticam habeat sepulturam; satius enim est id fieri quàm corpus hominis Christiani iacere inter infideles, & carere Ecclesiastica sepultura. *ibid.num.*3.

S. Sepulchrum Domini.

1. IN libro pœnitentiali Summi Pœnitentiarij refertur excommunicatio contra accedentes ad sepulchrum Domini quod est Hierosolymis, deuotionis causa absque licentia Papæ. *disp.2.quæst.3.pag.252.num.1.tom.3.*

2. Qui accedit ad sepulchrum Domini alia de causa quàm deuotionis, v.g. causa mercaturæ, aut alterius negotij, huic censuræ non subiicitur, etiamsi accedat absque Summi Pontificis facultate; quia verba legis pœnalis vltra propriam significationem non sunt extendenda. Neque excommunicationem incurret etiamsi, postquam eò peruenerit, visitet ex occasione S.Sepulchrum; quia non venit Hierosolymas deuotionis causa. *ibid.num.4.*

3. Qui vouit peregrinationem ad S.Domini Sepulchrum, tenetur votum adimplere, petita prius à Summo Pontifice licentia; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media conducentia ad finem. Sin vouens intendebat, dum vouit, eò accedere absque licentia Papæ, non tenetur votum adimplere, quia hoc votum est de re illicita: Si verò non cogitabat de licentia, censetur vouisse sub tacita conditione, si Papæ placuerit. *ibid.num.5.*

4. Hæc excommunicatio est Papæ reseruata, vel Summo Pœnitentiario. *ibid.*

Sequestratio.

1. IN Clementina vnica, *de sequestratione possessionum, & fructuum*, decernitur vt lata apud Sedem Apostol. vna sententia definitiua in petitorio, vel possessorio contra possessorem beneficij, qui illud triennio pacificè non possedit, fructus beneficij apud idoneam personam sequestrentur vt finita lite tradantur ei qui causam vicerit. Qui verò præsumpserit huiusmodi sequestrationem impedire, aut fructus sequestratos occupare, anathemate feriatur. *disput. 2. quæst. 2. punct.2. pag.17. tom.3.*

2. Absolutio huius excommunicationis ante sublatum impedimentum sequestrationis, & præstitam satisfactionem est Summo Pontifici reseruata: quia Summus Pontif. prohibet absolutionem conferri nisi impedimento amoto, & occupatis fructibus restitutis. *ibid.num.4.*

3. Quæres cui facienda ſit reſtitutio fructuum ab eo qui eos ſequeſtrationis tempore vſurpauit. *Reſp.* ante finitam litem facienda eſt illi apud quem ſequeſtratio facta eſt; finita verò lite facienda eſt beneficiario cui ius fructuum ſequeſtratorum competit, *ibid. num.*5.

SIMONIA.

Quid, & quotuplex ſit Simonia.

1. SImoniæ nomen ductum eſt à Simone illo Mago qui *Actor.*8. Dei donum, ſeu Spiritum ſanctum emere volebat, vt illum venderet. Eſt autem *Simonia* ſacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, aut vendendi, ſeu commutandi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali adnexam, pro temporali. *tom.*1.*pag.*663.*num.*1.*&* 2.

2. Simonia committitur ab Epiſcopo qui ſuo debitori beneficium confert cum pacto, vt debitum ſibi ſoluat. Quia in beneficiis omnis pactio eſt ſimoniaca, ſaltem ex iure canonico. Item ſimoniam committit qui beneficium confert filio iudicis, vel eum præſentat ad beneficium cum pacto vt abſoluat reum, vel rigorem iuſtæ ſententiæ, ſeu pœnæ mitiget. imponit enim onus iudici pretio æſtimabile. Secùs ſi beneficium conferat ſine pacto, animo conciliandi ſibi beneuolentiam iudicis. *tom.*1.*pag.*665.*n.*10.*&* 11.

3. Pretium quod pro re ſpirituali tradi ſolet, & cuius traditione committitur ſimonia, triplex eſt; *à manu*, *à lingua*, & *ab obſequio.* Ad hæc autem tria reuocantur alia omnia quæ in pretium pro re ſpirituali tradi poſſunt. *ibidem, numero* 1.

4. Per *munus à manu* intelliguntur quælibet bona externa, pretio æſtimabilia, ſiue mobilia, ſiue immobilia, ſiue corporalia, ſiue incorporalia. Hinc patet ab eo ſimoniam committi qui beneficium, vel rem ſpiritualem alicui confert ob rem pretio æſtimabilem, vt ob pecuniam, remiſſionem debiti, promiſſionem penſionis, mutuationem pecuniæ, dilationem ſolutionis, &c. hæc enim omnia, pretio æſtimari poſſunt. *ibid. n* 3. *&* 4. *& pag.*666.*num.*5.*& ſeq.*

5. Per *munus ab obſequio*, intelligitur opus hominis conducens ad vtilitatem, ſeu commodum hominis. Eſt autem illud obſequium duplex, temporale, & ſpirituale; *obſequium ſpirituale*, in ſe ſpectatum, non eſt pretio æſtimabile. Quare ſimo-

nia committitur tradendo beneficium, vel aliud spirituale, cum pacto; seu onere præstandi aliquod obsequium temporale: hoc enim est pretio æstimabile, nisi obsequium temporale quod exigitur, sit annexum beneficio, seu rei spirituali quæ cum tali onere traditur. Item committitur simonia, cum beneficium confertur, vel impetratur alicui propter obsequia antea præstita, in compensationem ipsorum. Secùs si tradatur titulo gratitudinis, absque præuio pacto, tacito, vel expresso. Sic excusantur aulici, & famuli Cardinalium, vel Episcoporum, à quibus obtinent postea beneficia vel pensiones; modò tamen aliquid accipiant nomine stipendij: nam si nihil acciperent, non possent absque labe simoniæ, beneficium vel pensionem, sibi à Cardinali, seu Episcopo procuratum, accipere; quia non videretur hoc gratis conferri; sed potius in compensationem debitæ mercedis, seu stipendij. *tom.* 1. *pag.* 666. *n.* 8. *& seq.*

6. Per *munus à lingua*, intelliguntur preces, seu intercessiones quæ lingua exerceri solent in fauorem illius qui rem spiritualem confert, ex pacto expresse, vel tacitè initò. Vt si quis det beneficium Titio vt oret Principem pro se, vel vt ipsum laudet apud Principem, committitur simonia. Secùs si nullum pactum præcessit. Item simonia committitur ab eo qui pecuniâ inducit familiarem, vel amicum Episcopi ad petendum pro se, vel pro alio beneficium: hic enim pecunia sibi viam munit ad beneficium, licèt Prælatus non conferat beneficium pro pecunia; quare Prælatus ratione bonæ fidei, excusatur à simonia; at mediator qui pecuniam accipit, & orator qui eam tradit, simoniam committunt; nisi orator det pecuniam familiari Episcopi vt eum certiorem faciat de meritis postulantis: hoc enim est obsequium temporale, pretio æstimabile. *tom.* 1 *pag.* 667. *n.* 13. *& seq.*

7. Si res temporalis detur ante collationem beneficij, vel alterius rei spiritualis, non vacat suspicione simoniæ, etiamsi dicatur dari merè gratis: videtur enim dari vt res spiritualis conferatur, & vt collator inducatur ad conferendum beneficium. Sin detur post collatum beneficium, faciliùs præsumitur donatio gratuita, præsertim si aliqua mora intercessit: solet quippe postea factum, tradi temporale titulo gratitudinis. *tom.* 1. *pag.* 669. *num.* 2.

8. Simonia est triplex, *mentalis*, *conuentionalis*, & *realis*. *Mentalis* hîc non est intelligenda quæ sola mente concipitur, absque vllo actu externo: (cùm enim hic actus sit merè internus,

ternus, sub pœnas Ecclesiasticas non cadit) sed intelligitur illa actio quæ fit mente simoniaca, etiamsi ex se, & ex circumstantiis, simoniæ labem non præferat; vt si Capellanus pecuniam titulo sustentationis, seu eleemosynæ relictam pro Missa quotidie celebranda, accipiat tanquam pretium Missæ: hic committit simoniam mentalem, quia intentione simoniaca facit actum externum, in quo simoniæ labes non apparet. Simonia *conuentionalis*, consistit in pacto expresso, vel tacito dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali. *Realis* est illa, qua res temporalis traditur pro spirituali. *ibid.num.*1.*& seq.*

9. Simonia *ficta*, qua quis non intendit emere, aut vendere rem spiritualem, sed tantùm decipere, non est vera simonia. Quapropter ille non est verè simoniacus, neque subiicitur pœnis contra simoniacos latis, qui promittit beneficium pro pecunia, intentione solùm accipiendi pecuniam, non verò tradendi beneficium. Quamuis enim alter verè simoniacus sit, intentione, & affectu, cùm intendat tradere pecuniam pro beneficio: re tamen, & effectu, non committit simoniam: quia pactum, siue conuentio inter duos inita non subsistit sine mutuo consensu. Verum tamen est committentes simoniam fictam, in foro externo præsumi simoniacos; consequenter tanquam simoniacos puniri posse. *tom.*1.*pag.*670.*n.*8.

10. Simonia prohibita est iure diuino, naturali, & humano. Potest tamen dari simonia, iure tantùm humano prohibita: quia Ecclesia potest facere rem immunem à laica potestate; v.g. potest facere ne iudex quemquam ab Ecclesia extrahat, ita vt sacrilegium committat si id fecerit: igitur potest prohibere ne res adnexa rei sacræ vendatur in reuerentiam talis rei. *tom.* 1.*pag.*671.*num.*1.*&* 2.

11. Hæc autem sunt propter quæ committitur simonia iure tantùm humano prohibita. 1. permutatio beneficij cum alio, absque auctoritate legitimi superioris. 2. resignatio beneficij propria auctoritate facta, cum reseruatione pensionis. 3. venditio beneficij, habita ratione fructuum, & emolumentorum temporalium. 4. acceptio alicuius rei, ratione examinis. 5. venditio officiorum Ecclesiasticorum, seu spiritualium. 6. venditio officij dispensatoris, seu procuratoris, seu œconomi. 7. venditio officij defensoris, seu syndici. 8. venditio officij iudicis. 9. venditio officij mansionarij, qui curam habet distribuendi clericis, seu canonicis, domos, seu mansiones ex domibus Ecclesiæ. 10. venditio officij primicerij, cuius munus est clericos instruere, & chorum dirigere, ob idque

dicitur magiſter chori. Porrò venditione bonorum Eccleſiæ ſeu mobilium, ſeu immobilium, non committitur ſimonia. *ibid.num.3.& ſeq. & pag.672.n.9.*

12. Simonia eſt peccatum mort. ex ſuo genere, contra religionem; neque ratione paruitatis materiæ, fieri poteſt veniale: quia etiam in re parua res ſpiritualis contemnitur, eique grauis iniuria irrogatur dùm pretio æſtimatur: fieri tamen poteſt veniale ob ignorantiam, aut inaduertentiam. *tom.1. pag.672.num.11.& 13.*

Materia Simoniæ.

13. Materia ſimoniæ eſt res aliqua ſacra, ſpiritualis, & ſupernaturalis: quia ſimonia opponitur religioni, & cultui debito rebus ſacris. Hinc ſequitur committi ſimoniam vendendo gratiam ſanctificantem. Venditur autem gratia, ſeu Spiritus ſanctus multis modis 1. in concreto, vt ſi vendatur Sacerdos intuitu Sacerdotij, aut Propheta, ob donum Prophetiæ. 2. in abſtracto, vt ſi quis pretio conferat alteri ſacrum Ordinem, & characterem, aut gratiam ſacramentalem. 3. quo ad actum, vt ſi vendatur abſolutio Sacramentalis. Potuit etiam ſimonia committi vendendo Chriſtum, propter vnionem hypoſtaticam, vel ſupernaturalia dona in Chriſto exiſtentia. *tom. 1. pag.672.num.1. & pag.673.n.3.*

14. Poteſt ſimonia committi vendendo Euchariſtiam: hæc enim eſt res ſacra, etiam ratione ſpecierum conſecratarum. Si autem vendatur Euchariſtia ad magicas artes, & maleficia, aliud peccatum committitur longè grauius, per cooperationem ad maleficium. *tom.1.pag.673.num.4.*

15. Vendens opera miſericordiæ, vt viſitationem infirmorum, actionem ſepeliendi mortuos, &c. labem ſimoniæ non contrahit: quia hæc opera ex ſe non ſunt res ſacræ, & ſupernaturales. *ibid.num.7.*

16. Vendens reliquias, aut eas oſtendens pro pretio, ſimoniam committit: ſunt enim, ex ſe, res ſacræ, neque expetuntur niſi ob ſanctitatem illius hominis, cuius ſunt reliquiæ. Si tamen reliquiæ thecis argenteis includantur, vel aureis, pretium tradi poteſt, iuxta æſtimationem auri vel argenti, vel gemmarum, modò ne propter ipſas reliquias pretium augeatur. Item vendens pluris roſarium eò quod reliquias attigerit, ſimoniam committit. *ibid.num.8.*

17. Calix, aliæve res ſacræ, non ſunt pretio locandæ: hoc

enim redolet auaritiæ ſordes,& ſcandali materiam præbet; lòcari tamen poſſunt ſine ſimoniæ labe: harum enim rerum vſus eſt pretio æſtimabilis, non quatenus ſacer eſt; ſed quia res illæ vſu atteruntur. *ibid.num.*12.

18. Præſtimonia ſine labe ſimoniæ vendi non poſſunt: Inſtituta enim fuerunt ad alendos in ſtudiis pauperes clericos, vt poſtea Eccleſiæ inſeruire poſſint:Pius autem V. adiunxit obligationem diuini officij, conſequenter huiuſmodi beneficia titulum habent ſpiritualem,cum iure ad fructus capiendos.*tom.* 1.*pag.*674. *num.*13.

19. Commendæ clericales, ſiue perpetuæ ſint, ſiue temporales, ſunt materia ſimoniæ: quia continent ſpiritualem adminiſtrationem cui temporales fructus adnectuntur,tenentúrque commendatarij ad penſum canonicarum precum, ac ſi eſſent beneficiarij. Commendæ autem militares non ſunt materia ſimoniæ; quia non ſunt quid ſpirituale; conferuntur enim titulo laico, dantúrque in ſtipendium pro temporalibus ſeruitiis, licèt non dentur niſi religioſis profeſſis. Quare ſimoniam non committit qui pecuniâ procurat commendam militarem, aut illam vendit, aut alteri confert, reſeruata penſione in ſuum, vel alterius fauorem: peccat tamen contra iuſtitiam, illam vendendo, cùm non ſit dominus illius, ſed vſufructuarius ad vitam. *tom.*1.*pag.*674.*n.*14*&* 15.

20. Rectoriæ, ſeu officia regendi, & gubernandi hoſpitalia, Epiſcopi auctoritate erecta, & illius curæ commiſſa,ſunt materia ſimoniæ: quia vel conferuntur in titulum perpetuum, & ſic cenſentur beneficia Eccleſiaſtica, habentque ſpiritualem adminiſtrationem; vel non conferuntur quidem in titulum; ſed tamen adminiſtrationem ſpiritualem habent adnexam: ſi verò temporalem tantum habent adminiſtrationem, cum cura infirmorum, & peregrinorum, probabile eſt non eſſe materiam ſimoniæ. *ibid.n.*17.

21. Committitur ſimonia, accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis vt ſunt Sacramenta. Licèt tamen abſque labe ſimoniæ, tradere, vel accipere aliquid pro materia remota Sacramentorum, vt pro pane, vino, oleo, chriſmate, &c. Verùm ſi Sacramenta gratis obtineri non poſſint, in graui, aut ſaltem extrema neceſſitate ſalutis, peccunia tradi poteſt; non pro ipſis Sacramentis, vel eorum adminiſtratione, ſed ad remouendum impedimentum, vel ad iniuſtam vexationem redimendam: in hoc enim caſu nulla irrogatur iniuria Sacramentis. Hinc ſequitur licere pecuniam dare ſacerdoti nolen-

ti Baptiſmum gratis conferre. Item violenter impedienti dignum à conſecutione beneficij, aut iniuſtè contradicenti electioni, tradi poſſe pecuniam ne impediat, vel contradicat: hoc enim fit ad redimendam iniuſtam vexationem. At qui pecuniam promittit alteri, aut penſionem, ne concurrat in petitione beneficij, ſimoniam committit, quia pretio ſibi viam parat ad beneficium. *ibid. num.*1.*& pag.*675.*n.*2.*&* 3. *& pag.*676.*num.*5.

22. Non licet aliquid dare, aut accipere pro ſacramentalibus, id eſt, pro cæremoniis, & benedictionibus ſacris, quæ publica auctoritate, & ex Eccleſiæ inſtituto fiunt; quia non licet vendere miniſteria ſacra. *tom.* 1. *pag.* 676. *numero* 2. *&* 3.

23. Omnes res conſecratæ, ſi earum naturam præcisè ſpectemus, vendi poſſunt ratione materiæ: aliquæ tamen, ob iuris canonici prohibitionem, vendi non poſſunt, vt ſepultura, etiam ratione terræ, chriſma, & balſamum, item effigies cereæ agni Dei benedictæ; nam Romæ extat ſpecialis prohibitio vendendi huiuſmodi agnos benedictos, ad vitandum ſimoniæ periculum, etiamſi non vendantur pluris ob conſecrationem. *ibid.num.*4.*& pag.*677.*n.*6.

24. Suſcipiens Ordines, præuia pecunia, ſeu pretio, ſimoniacus eſt: quia Ordo eſt quid ſpirituale, & ſacrum. Quare ſimoniacus eſt qui patrono ipſum præſentanti, vel ad Ordines admittenti promittit ſe nullam ab eo prouiſionem petiturum. Item Epiſcopi, & alij Ordinum collatores, accipientes aliquid in collatione Ordinum, ſunt ſimoniaci, etiamſi ſponte offeratur: excipiuntur tamen candelæ, & faculæ, ex declaratione ſacræ Congregationis. At notarius cui ſalarium alia ratione conſtitutum non eſt, poſſunt aliquid accipere, nomine ſtipendij, pro literis dimiſſoriis, vel teſtimonialibus: quia non tenetur gratis operam ſuam præſtare, & Concil. Trident. dat ei facultatem accipiendi decimam vnius aurei partem. Sin notarius aliunde habeat ſalarium, peccat aliquid accipiendo; quamuis enim illa actio ſcribendi ſit temporalis, tamen Conc. Trident. vetat, intuitu Ordinum, quicquam à notario accipi. *ibid.n.*1.*& ſeq.*

25. Simonia committitur accipiendo, vel tradendo temporale quidpiam pro functionibus Ordinum: quia huiuſmodi functiones, ſunt miniſteria Eccleſiaſtica, pro quibus nihil licet accipere, quia ſunt res ſacræ. Quare ſimonia committitur ab accipientibus, ſeu dantibus aliquid tanquam pretium pro di-

uinis

uinis officiis persoluendis: sunt enim ministeria Ecclesiastica, & actus religionis, diuinum cultum continentes. Neque solùm in diuinis officiis publicis, sed etiam in priuatis orationibus committitur simonia, si emantur, aut vendantur, sunt enim res sacræ, & religiosæ. *ibid. num.2. & pag.678. num.2. & 3.*

26. Locus sacer communis pro sepultura fidelium, vendi non potest absque simonia iure humano prohibita: sic enim expresè decernitur in iure canonico, ne dùm locus sacer venditur ad sepulturam, non vendatur ratione terræ præcisè, sed ratione sepulturæ in loco sacro, consequenter ratione rei sacræ. Consuetudo tamen pluribus in locis obtinuit vendendi certum locum Ecclesiæ, vel cæmeterij, quæ consuetudo, si fuit legitimè præscripta, non videtur damnanda; locus enim ratione materiæ, est pretio æstimabilis. *tom. 1. pag. 679. num.1. & 2.*

27. Qui dat pecuniam pro honoratiore loco sepulturæ, simoniam non committit, si locus est honoratior ob respectum aliquem temporalem: quia non emitur res sacra, sed honor quidam humanus, qui pendet ab hominum apprehensione. Secùs dicendum si locus est honoratior ob respectum, seu rationem aliquam spiritualem, vt quia propior est altari, aut quia est intra Ecclesiam: quia hic honor fundatur in maiori sanctitate loci quæ est res merè spiritualis. *ibid.num.4.*

28. Qui promittit, vel tradit quidpiam temporale alteri vt præstet opus spirituale, simoniam committit, quia emit spirituale pro temporali, & iure canonico improbantur omnia pacta, & conuentiones in materia spirituali. Qui tamen aliquid alteri tradit, vt peccatum vitet, vel vt opus spirituale exerceat in solius operantis vtilitatem, v.g. vt confiteatur, vt Eucharistiam sumat, &c. relicta illi libertate faciendi, aut non faciendi tale opus, non committit simoniam, siue opus sit consilij, siue præcepti: hic enim nulla interuenit emptio, aut venditio rei sacræ; sed tantùm proponitur præmium, tanquam illecebra ad bonum opus. *tom.1. pag.679. num.1. & pag.680. numero 2.*

29. Nihil tradi, vel accipi potest tanquam pretium, pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione, seu statu religioso: est enim res merè spiritualis. Potest tamen aliquid tradi pro congrua sustentatione: datur enim temporale, pro temporali: quippe onus alendi aliquem est quid pretio æstimabile. Sic in matrimonio, quod est Sacramentum, licitè traditur

temporale ad matrimonij onera sustinenda. *tom.1. pag.680. num.1. & 2.*

30. Qui pecuniam accipit vt abstineat à bono opere, seu ab actione spirituali, v. g. vt non absoluat aliquem à censura, vel vt non approbet dignum ad Ordines, vel ad beneficium, in rigore loquendo, simoniam non committit, modò cum huiusmodi omissione coniunctus non sit actus iurisdictionis, qui pretio vendatur: hic enim non datur, nec accipitur pretium pro re spirituali, & sacra; sed potius pro omissione illius. *tom.1.pag.681.num.2.*

31. Vendens scientiam, & doctrinam, seu dona spiritualia intellectus, non committit simoniam. Quamuis enim huiusmodi dona in se vendibilia non sint, cum inhæreant animæ, ne in alium transferri possint: tamen actus, & exercitium ipsorum vendi potest, neque in hac venditione vlla interuenit simonia: quia actus huiusmodi donorum, non est res sacra, sed naturalis, ad religionem non pertinens. Quare licet pretio docere facultates naturales, immò & supernaturales, vt Theologiam: quia actiones magistri docentis Theologiam sunt naturales, & labor, ac opus ipsius est pretio æstimabile. *tom.1. pag.682 num.1. & 5.*

32. Præciso labore, & sustentatione quæ in pactum deduci potest, nihil accipi potest pro ipsa concione sacra: est enim actus sacer: concionator enim est veluti Dei legatus, ad hoc missus. Pro actu tamen docendi doctrinam Christianam, ad instruendum intellectum, vel excolendam memoriam; vt vulgo fieri solet in scholis, aliquid absque simoniæ labe accipi potest: hic enim est actus naturalis. At si tradatur doctrina Christiana concionando, & persuadendo, committitur simonia si aliquid accipiatur: tunc enim est actus sacer, & consequenter materia simoniæ. *tom.1.pag.683.n.8. & 9.*

33. Vendens magisterium, seu doctoratum Theologiæ, non est simoniæ reus: quia huiusmodi doctoratus nihil est aliud quàm quædam approbatio ad docendam Theologiam, cum quibusdam honoribus, & priuilegiis; ipse autem actus docendi, non est quid spirituale. *ibid.num.12.*

34. Iuspatronatus vendi non potest, cùm sit aliquid spirituale quod habet pro obiecto beneficium: bona tamen ipsa quibus iuspatronatus est adnexum, vendi possunt, quibus in alium translatis, transfertur etiam iuspatronatus; videndum tamen ne bona carius vendantur ob iuspatronatus adnexum; alioquin ipsum ius vendi censeretur. *tom.1.pag.684.n 3.*

35. Beno

35. Beneficium resignans non potest aliquid exigere ratione fructuum, & emolumentorum:quia persona priuata non potest separare præbendam, seu fructus beneficij, à beneficio; consequenter si vnum vendat, censetur etiam alteram vendere. Præterea ius ad fructus est quid spirituale: beneficiarius enim non habet ius ad fructus nisi ratione tituli, seu ministerij sacri; ergo vendens ius ad fructus, vendit aliquid spirituale, ac proinde est simoniacus. *tom.* 1.*pag.*685.*n.*9.

36. Si beneficium spectetur ratione tituli, seu iuris spiritualis, ne ipse quidem Pontifex potest in collatione beneficij, quicquam exigere in suum, aut alterius fauorem: quia titulus beneficij est quid spirituale: sin beneficium spectetur ratione præbendæ, seu emolumentorum, Papa potest aliquid exigere ratione præbendæ, immò illam vendere: est enim Papa Ecclesiasticorum bonorum administrator, cum iure amplissimo; ergo potest vni beneficium conferre cum iure ad officium spirituale, & ad partem fructuum tantùm, reseruata sibi, vel alteri reliqua parte; quia Papa potest beneficium à fructibus, & fructus à beneficio separare; consequenter potest præbendam, facta separatione, vendere, absque labe simoniæ *ibid.num.*13. Immò potest Pontifex, dum beneficium alicui confert cum onere pensionis, æstimare simul temporalem totius pensionis valorem, illúmque simul anticipatè recipere, vel facultatem concedere alteri, ad recipiendum illum valorem pensionum, seu pensiones anticipatas. Idque valet, etiamsi Papa nolit beneficium conferre nisi volenti statim redimere pensionem. Hinc patet resignantem Episcopatum alteri, cum pensione qua posita non remanerent mille resignatario, iuxta Concilij dispositionem, posse de licentia Papæ, cum resignatario conuenire, & cautionem exigere, vt resignatarius statim capta Episcopatus possessione, redimat pensionem, conuentis annatis: sic enim remanent mille ipsi resignatario, sicque consulitur successoribus, ad quos Episcopatus sine tanto onere transferetur. *tom.* 1. *pag.* 686. *num.*15.*&* 16.

Permutatio Beneficiorum.

37. Permutatio rei spiritualis cum alia re item spirituali non est simoniaca, iure diuino: quia simonia consistit in commutatione rei spiritualis pro pecunia, seu re pretio æstimabili; at res spiritualis non est pretio æstimabilis. Videndum

dum

dum tamen ne res illa ſpiritualis ſit adnexa temporali; tunc enim permutatio eſſet ſimoniaca vt ſi detur calix pro Eccleſiaſtico beneficio, quippe datur temporale pro ſpirituali. *ibid. num.*1 .*&* 2.

37. Beneficiorum permutatio, ſeu prouiſio priuata auctoritate facta continet ſimoniam contra ius canonicum: quia Eccleſia vetuit omnes pactiones in beneficiis, ob periculum ſimoniæ. Hinc ſequitur ſimoniam committi, ſaltem contra ius humanum in permutationibus actionum pertinentium ad prouiſiones beneficiorum: vt ſi quis dicat, *Tu elige hunc & ego eligam illum*; vel, *Reſigna mihi tuum beneficium, & ego hunc præſentabo ad beneficium mei iuriſpatronatus*, &c. nam eiuſmodi actiones licèt ſint ſpirituales; ſunt tamen media ad lucrum temporale. *tom.*1.*pag.*687.*n.*3.*&* 4.

39. Volentes beneficia permutare, poſſunt priùs inter ſe agere de permutatione facienda, & inter ſe tranſigere, non quidem abſolutè; ſed in ordine ad conſenſum Prælati: Immò obligare ſe poſſunt ad perſiſtendum in conuentione, donec ſuperior abnuerit: nam eiuſmodi conuentio nuſpiam inuenitur prohibita, cùm non ſit permutatio. Hæc autem permutatio coram Epiſcopo loci, in quo eſt beneficium, aut coram alio iuriſdictione Epiſcopali gaudente, fieri debet, modò permutatio purè fiat; non verò cum penſione, aut alio onere: quia ius ſolùm permittit Epiſcopo vt approbet permutationes beneficiorum, & iuxta ſtylum Curiæ Rom. penſio non imponitur niſi auctoritate Papæ. Quare beneficia quamuis inæqualia in temporalibus, permutari non poſſunt cum penſione, aut alia re pretio æſtimabili, coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papâ. Si verò accedat Papæ auctoritas, poteſt inæqualitas prouentuum, annua penſione, aut etiam numeratâ pecuniâ compenſari. At beneficiorum inæqualitas in dignitate, aut re ſpirituali, compenſari non poteſt pecuniâ aut alia re pretio æſtimabili, etiam auctoritate Papæ, ſi dignitas præciſè ſpectetur: quia non eſt quid pretio æſtimabile. *ibidem, num.*5. *& ſeq. & pag.*688. *num.*8. *& ſeq.*

Simonia in penſionibus.

40. Penſio temporalis, ſeu laicalis, id eſt, quæ ob cauſam merè temporalem, & humanam confertur, non eſt materia ſimoniæ: quia eſt res temporalis, pretio æſtimabilis. At penſio clericalis, quæ ſcilicet confertur titulo ſpirituali, eſt materia ſimoniæ:

ſimoniæ:eſt enim,vt ſic, aliquid ſpirituale;quippe ex conſtitutione Pij V. annexum habet onus recitandi paruum officium B.V. conſequenter abſque ſimonia vendi non poteſt. *tom.* 1. *pag.* 689.*num.*3.*&* 4.

41. Penſionarius non poteſt priuata auctoritate, penſionem, anticipatis ſolutionibus extinguere:tum quia ſtylus Curiæ obſtat: tum quia venderet rem ſpiritualem. Poteſt tamen, propria auctoritate, cedere penſioni, & gratis ius ſuum remittere. Poteſt item vendere,vel donare fructus ſuæ penſionis abſque labe ſimoniæ, etiam ad totam vitam, modò retineat titulum penſionis: traditur enim temporale pro temporali, éſtque hæc veluti locatio fructuum, ſeu potius anticipata venditio. Non ſunt tamen in hac materia laxandæ habenæ: quia in foro externo, venditio fructuum penſionis, præſumi poterit potiùs tranſlatio penſionis, præſertim quando penſionarius vendit fructus alteri, ipſúmque, & eius hæredes conſtituit procuratores perpetuos,& irreuocabiles; quanquam in foro conſcientiæ excuſari poteſt, ſi ſibi retineat titulum penſionis, cum onere recitandi officij. Contraria tamen ſententia eſt tutior. *ibidem*, *num.* 7. *&* *pag.* 690. *num.*12. *&* 13. *&* *pag.* 691. *numero* 16.

Simonia in reſignatione beneficiorum.

42. Reſignatio beneficij quæ non eſt pura, & abſoluta, labem ſimoniæ continet, niſi coram Summo Pontifice fiat: quia quælibet pactio in beneficiis, iure communi vetita eſt. Hinc fit vt qui beneficium reſignat alteri, ea conditione vt ſibi penſionem ſoluat, ſimoniam committat. Item beneficiarius qui beneficium litigioſum, cum multis expenſis aſſequutus, illud alteri reſignat, cum pacto vt reſignatarius expenſas ſoluat,niſi accedat Papæ conſenſus, ſimoniæ labe non vacat. Item reciproca reſignatio, coram Epiſcopo facta, eſt ſimoniaca, vt ſi quis dicat: *Ego reſigno meum beneficium tuo nepoti; tu verò reſigna tuum mihi*: hæc enim non eſt reſignatio pura. *tom.* 1. *pag.* 691.*num.*2. *&* *ſeq.*

43. Reſignatio beneficij, non abſolutè facta, ſed cum deſignatione ſucceſſoris, illicita eſt, & inualida: vt patet ex Bulla Pij V. quæ incipit. *Quanta Eccleſiæ.* At, ſi reſignatio fiat abſque vllo pacto, aut obligatione conferendi beneficium perſonæ deſignatæ; probabile eſt ſimoniam non committi: quia hic nullus interuenit contractus oneroſus, ſeu

commutatio spiritualis pro temporali. *tom.* 1. *pagin.* 692. *num.* 5. *&* 6.

Simonia in transactione.

44. Transactio simoniaca est dùm remittitur, vel retinetur ius temporale pro spirituali, vel contra. Transactio verò circa rem spiritualem non est simoniaca, cùm res spiritualis compensatur alia re spirituali proportionata, modò non fiat in materia beneficiali. Ad valorem tamen transactionis requiritur auctoritas legitimi Prælati, si transigentes intendant facere perpetuam transactionem, quæ successores etiam afficiat: Immò si transactio fiat cum laicis, super decimas, necessarius est Summi Pontificis consensus. *ibid. num.* 3. *&* 4. *& pag.* 693. *num.* 5.

45. Transactio in materia beneficiali, fieri potest auctoritate Episcopi, vel etiam arbitratorum, etiamsi non sint Episcopi, vel iudices causæ. Episcopus autem, ad dirimendam litem, potest absque simoniæ labe, applicare vni beneficium litigiosum, cum onere soluendi alteri collitiganti, pensionem, quandiu vixerit ipse beneficiarius, modò ipsa persona beneficiarij onerata maneat, non autem beneficium, neque onus pensionis transeat ad successorem in beneficio. *ibidem, numero* 8. *&* 9.

46. Litigantes circa beneficium, possunt arbitrum eligere, etiamsi non sit Prælatus, nec iudex causæ: hoc enim nuspiam in iure prohibitum inuenitur. Vnde patet fieri posse compromissum in quoslibet, qui poterunt vt arbitri, litem dirimere, adiudicantes beneficium illi, qui verosimiliùs præsumitur titulum habere, & imponentes onus temporale beneficiario in fauorem alterius partis collitigantis, si ita expedire iudicauerint. *tom.* 1. *pag.* 694. *n.* 12.

Simonia in actibus iurisdictionis.

47. Committitur simonia dando, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni: quia datur temporale pro spirituali. Quare simoniacum est dare, vel accipere pecuniam pro absolutione à censuris. Potest tamen dari pecunia, iniustè impedienti, aut deneganti absolutionem, ad redimendam iniustam vexationem. Item pro dispensatione, vel commutatione votorum, pro concessione, vel applicatione indul-

gentiarum,

gentiarum,non poteſt,abſque ſimonia,aliquid accipi, aut dari. Item Parochus videtur ſimoniæ reus, ſi nolit matrimonio aſſiſtere niſi accepto pretio : eſt enim actus muneris Parochialis, & officij ſpiritualis. *ibid. num.*1. *& ſeq. & pagin.*695. *num.*6.*&* 7.

48. Simoniacum non eſt dare, vel accipere temporale pro actibus iuriſdictionis laicæ, & temporalis. Quare Prælatus Eccleſiaſticus, pretio concedens licentiam docendi, vel legitimandi ad honores temporales, vel ad ſucceſſionem in bonis, non eſt ſimoniæ reus; quia non exercet iuriſdictionem ſpiritualem, vt ſic, ſed quatenus continet temporalem. *tom.*1. *pag.*695.*num.*1.*&* 2.

49. Simonia committitur dando, vel accipiendo aliquid temporale pro actibus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis : nam iuriſdictio Eccleſiaſtica, eſt aliquid ſpirituale, & ſupernaturale. Quare Prælati exigentes aliquid pro diſpenſatione votorum, irregularitatis, impedimentorum matrimonij, ſunt ſimoniæ rei:Concil.enim Trident. *ſeſſ.*25. *cap.* 18. generaliter decernit vt diſpenſatio Eccleſiaſtica gratis concedatur ; alioquin ſubreptitia cenſeatur. *ibid. num.*3. Stylo tamen Curiæ Rom. receptum eſt vt in diſpenſationibus concedendis aliquid detur 1. pro ſuſtentatione Summi Pontif. 2. pro labore officialium. 3. pro commutatione vnius operis in aliud. 4. in pœnam delicti. *ibid.num.*3.*& pag.*696.*n.*6.

Cauſæ à ſimonia excuſantes.

50. Non committitur ſimonia cùm occaſione rei ſpiritualis accipitur pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis, non tanquam pretium rei,ſed gratis,& titulo gratitudinis,& vice verſâ, cum occaſione rei temporalis accipitur, vel traditur aliquid ſpirituale, gratis, ſeu titulo gratitudinis : quia hîc nulla eſt emptio,aut venditio. Sic Prælatus beneficium conferens de ſe bene merito,ſimoniam non committit.Non tamen licèt hoc deducere in pactum : eſſet enim ſimoniacum tradere aliquid ſpirituale,cum pacto, vt accipiens ſit gratus, vel vt obſequium ſibi præſtet titulo gratitudinis:hoc enim eſt pretio æſtimabile. *tom.*1.*pag.*697.*n.*1.*& pag.*698.*n.*2.*&* 7.

51. Non committitur ſimonia dùm pro actione ſpirituali accipitur aliquid titulo ſuſtentationis; ſuſtentatio enim iure naturæ debetur operanti, & dignus eſt operarius mercede ſua, & *Rom.* 15. qui altari ſeruit, de altari viuere debet. Sic

excuſantur

excusantur Ecclesiastici ministri, accipientes pias oblationes, vel alia stipendia, ex consuetudine, vel legibus Ecclesiæ; hæc enim non dantur tanquam pretium rei spiritualis, sed in stipendium, & sustentationem. Caueat tamen sacerdos ne plus accipiat pro sustentatione quàm ferat ratio laboris, & operis; sic enim simoniæ suspicionem incurreret. *tom.*1.*pag.* 699.*n.*1.*&* 3.

52. Simoniacum est accipere aliquid temporale pro labore intrinseco actioni spirituali; hic enim labor non distinguitur ab ipsa actione sacra, & spirituali; consequenter est aliquid sacrum, neque pretio æstimari potest. At si accipitur aliquid pro labore extrinseco, qui per accidens coniunctus est cum opere sacro, non committitur simonia: hic enim labor est quid temporale, & pretio æstimabile: sic cantor aliquid exigens pro cantu in Missa, vel diuinis officiis, à simoniæ labe excusari solet. Item aliquid accipiens pro itinere suscepto causa celebrandæ Missæ, vel pro obligatione celebrandi in tali loco, tali hora, &c. excusatur: hæc enim sunt extrinseca celebrationi Missæ, & pretio æstimanda. *ibid.n.*1.*&* 2. *&* *pag.*700.*num.*3.*&* *seq.*

53. Non committitur simonia accipiendo aliquid titulo priuationis libertatis ad alia opera vtilia, quæ quis eo tempore exercere potuisset. Sic nonnulli excusant à simonia eum qui pecuniam accipit, non simpliciter vt procuret alteri beneficium; sed habita ratione laboris in scribendo, iter agendo, expensis faciendis, in priuatione lucri, & commodi temporalis quo se ea de causa priuat, &c. hæc enim sunt pretio æstimabilia. *tom.*1.*pag.*700.*n.*1.*&* 2.

54. Licet absque simoniæ labe, aliquid dare ad redimendam iniustam vexationem quam quis patitur circa rem spiritualem, modò id quod datur non sit quid temporale: cum enim iniusta vexatio, sit impedimentum temporale, non potest redimi re spirituali: quare si quis vexetur iniustè in pingui beneficio, & tenue beneficium vexatori conferat, vel procuret, simoniam committit, quia tradit spirituale pro temporali. At si idem pecuniam ei qui per vim, vel fraudem me impedit ne concurram cum ipsius amico, in petitione beneficij, aut ei qui iniustè apud Episcopum me infamat ne mihi beneficium conferatur, simoniam non committo: quia do pecuniam pro cessatione damni, & pro redimenda vexatione, quam alter mihi infert iniustè contra meam libertatem, & famam. Idem dicendum quando quis precibus vel muneribus

peruertit

peruertit electores in me propensos : neque enim trado pecuniam pro electione, sed pro cessatione nocumenti quod iniustè mihi infertur. *tom.*1.*pag.*701.*n.* *& seq.* *& pag.*702.*num.*7. *& seq.*

55. Consuetudo non excusat acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij : hoc enim est intrinsecè malum, & simoniacum, contra ius naturale diuinum. Secùs dicendum de simonia solo iure humano inducta ; lex enim humana potest consuetudine abrogari. *tom.*1. *pag.*703.*num.*1.

56. Qui tenentur ex officio ministrare, & habent redditus ad sustentationem assignatos, possunt per consuetudinem acquirere ius ad maiores prouentus, saltem titulo sustentationis. Quia consuetudo induci potest circa illud quod potest esse materia legis : legitimus autem superior præcipere potest vt prouentus ad sustentationem augeantur. Videndum tamen ne huiusmodi consuetudo, speciem aut suspicionem aliquam simoniæ præ se ferat. *ibid.n.*2.

An acta simoniacè sint valida.

57. Actiones, seu functiones ordinis, vel iurisdictionis, simoniacè factæ, validæ sunt, per se loquendo: nõ enim est maior ratio, cur simonia potius irritet huiusmodi actiones, quàm reliqua peccata ; nisi extet aliquod ius peculiare. Dicuntur tamen ordines per simoniam collati esse irriti, non quòd verè sint irriti quoad substantiam ; sed quia vetitus est illorum vsus : ordinatus enim per simoniam, suspensus est ab ordinum exercitio. *tom.*1 *pag.*714.*n.*1. *&* 2. *& pag.*715.*n.*3.

58. Quælibet acquisitio rei Ecclesiasticæ, & spiritualis, irrita videtur, si fiat datâ vel promissâ pecuniâ : nam iure canonico generaliter irritantur simoniacè acquisita, vt patet ex cap. *ea quæ. tom.*1.*pag.*715.*n.*9.

59. Omnis actio iurisdictionis, vel administrationis quæ ordinatur ad obtinendam beneficij prouisionem, si fiat per simoniam, irrita est ; non quidem iure naturali, vel diuino: sed Ecclesiastico. Quare prouisus per simoniam, tenetur beneficium dimittere, & fructus restituere quos medio tempore percepit : neque enim potest fructus percipere rei non suæ, nisi sciens committi simoniam in suum fauorem, contradixerit, & declarauerit se illi non consentire : qui enim beneficium obtinuit reclamans, & resistens simoniæ in suum fauorem

commissæ, validè beneficium obtinet. *tom.* 1. *pag.*716. *num.* 10. 11. & 17.

60. Collatio, seu prouisio beneficij, facta per simoniam ignoranti, inualida est ipso iure: nam iure canonico irritatur ipso facto, & qui sic beneficium obtinuit, etiam ignoranter, inhabilis est non modò ad illud beneficium, sed etiam ad alia in futurum obtinenda, nisi habilis efficiatur, dispensatione Pontificis in dignitatibus, & beneficiis curatis, vel dispensatione Episcopi in beneficiis simplicibus. *ibidem, num.* 19. & *pag.*717. Qui tamen bona fide beneficium obtinuit, ignorans simoniam ab alio commissam, gaudere potest regula de triennali possessore, itavt ante triennium elapsum turbari nequeat circa illius beneficij possessionem. *ibid. n.*20.

61. Collatio pensionis simoniacè facta, iuxta probabiliorem sententiam, valida est: quia tametsi sit res spiritualis, tamen non est propriè beneficium Ecclesiasticum; consequenter illius prouisio non est irrita, cùm sermo sit in iure de beneficiis per simonium obtentis. *tom* 1.*pag.*717.*n* 22.

62. Qui beneficium obtinuit promissâ pecuniâ, nec tenetur, nec potest in conscientia, promissionem implere, & pretium soluere: hæc enim promissio, & pactio cùm sit de re turpi, & illicita, irrita est. *tom.*1.*pag.*718.*n.*27.

63. Qui beneficium per simoniam adeptus est, non tenetur in conscientia dimittere beneficium, aut fructus medio tempore perceptos restituere, donec per iudicis sententiam condemnetur. *ibid.num.*29.

64. Simonia in beneficiis, per se loquendo, non inducit ipso facto, priuationem beneficiorum antea ritè obtentorum: immò neque inducit irritationem aliorum actuum præcedentium qui ordinantur ad beneficium perfectè obtinendum, cuiusmodi sunt electio, confirmatio, collatio: quamuis enim quælibet harum actionum simoniacè facta, irrita sit: tamen si prior, v. g. electio ritè fiat, confirmatio verò fiat simoniacè, confirmatio est irrita, electio verò subsistit. Actus tamen præcedens, per sententiam iudicis irritari potest, in pœnam delicti. *ibid.n.*1.& 2.

65. In tribus hisce casibus inducitur priuatio beneficiorum antea ritè obtentorum. 1. in simonia confidentiali, de qua infra. 2. in simonia commissa in electione Papæ. 3. in simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum, in synodo constitutis, seu electis: non enim possunt quidquam occasione examinis accipere; alioquin ipso facto priuantur beneficiis

ficiis antea ritè obtentis, tenenturque illa dimittere, etiam ante sententiam iudicis, declaratoriam criminis. *tom.* 1.*pag.* 719.*num.*4. *&* 5.

66. Simoniacus in beneficio, efficitur inhabilis ad illud, & ad alia in futurum obtinenda: hæc autem inhabilitas incurritur ipso facto, ante vllam sententiam: est enim pœna ipso iure imposita, quæ ad sui executionem, nullam requirit hominis actionem. Porrò dispensatio huius inhabilitatis, ad solum Summum Pontif. pertinet, neque potest Episcopus in ea dispensare. *ibid.num.*1.*& seq.& pag.*720. *num.*4.

Restitutio ob simoniam.

67. Qui pretium accepit, sed rem spiritualem nondum tradidit, tenetur iure naturali, & diuino, pretium restituere: quia traditum fuit pro re spirituali, quæ nondum tradita fuit, nec licitè tradi potest. Qui verò pretium simoniacè accepit; absque tamen iniuria, & iniustitia contra ipsum tradentem, non est obnoxius restitutioni. Quia obligatio restituendi oritur ex iniustitia; ergo vbi nulla iniustitia, ibi nulla est obligatio, iure naturali, ad restitutionem. At pretium simoniacè, & simul iniustè acceptum, restituendum est, propter violatam iustitiam commutatiuam. Quare obligatus ex iustitia ad functiones spirituales gratis exercendas, vt Episcopus, & Parochus, tenetur ad restitutionem pretij accepti pro hisce functionibus exercendis. *tom.*1. *pag.*720. *num.*1. *& seq. & pag.*721.*num.*4. *& seq.*

68. In tribus casibus Ecclesia obligat ad restitutionem pretij simoniacè accepti. 1. quando pretium est acceptum pro collatione beneficij, vel alia actione ordinata ad prouisionem beneficij. 2. quando pretium est acceptum pro ingressu religionis. 3. quando pretium est acceptum pro collatione Ordinum. Cæterùm Pontifex potest dispensare, vel compositionem concedere, quando solo iure Ecclesiastico facienda est restitutio in pœnam delicti. *tom.*1.*pag.*722.*n.*18.*& pag.*723. *num.*19 *& seq.& pag.*724.*n.*24.

69. Res spiritualis simoniacè accepta, nec iure naturali, nec iure canonico est obnoxia restitutioni ante sententiam iudicis; exceptis beneficiis, quæ simoniacè obtenta, vnà cum fructibus perceptis, restituenda sunt ante vllam iudicis sententiam: sic enim iura præscribunt. *tom.*1.*pag.*724. *num.*1.*& pag.* 725. *num.* 3. *& seq.* Porrò mediatores simoniæ commissæ

in beneficio, tenentur in defectum beneficiarij, ad restitutionem fructuum à beneficiario simoniaco perceptorum. *pag. 725. num. 6.*

Contra simoniam confidentialem excommunicatio.

70. Pius IV. in Bulla 85. quæ incipit, *Rom. Pontificem*, & Pius V. in Bulla item 85. quæ incipit: *Intolerabilis multorum peruersitas*, tulerunt excommunicationem Summo Pontifici reseruatam contra committentes simoniam confidentialem in beneficiis, & pensionibus. Simonia autem confidentialis contingere solet in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione, hoc animo vt beneficium, vel fructus in totum, vel in partem restituantur, vel resignentur ipsimet resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri ad ipsius electionem. *ibid. punct. 25. pag. 232. n 1. tom. 3.*

71. Qui accipit beneficium ab altero qui hoc ipsi resignat cum spe, & confidentia quod accipiens beneficium, illud postea dimittet, vel soluet fructus in fauorem resignantis, vel amici, vel alterius, quem resignans nominauerit, incurrit excommunicationem; non autem resignans, vt patet ex citatis constitutionibus vtriusque Pontificis, etiamsi ista confidentia non deducatur in pactum; ad incurrendam tamen excommunicationem opus est vt accipiens beneficium animaduertat spem, & confidentiam resignantis. Qui autem accipit beneficium animo illud postea restituendi danti, aut eius amico, vel alteri, præter spem ipsius resignantis, non est obnoxius excommunicationi; nulla enim hic interuenit simonia confidentialis quæ originem trahit à spe, & confidentia ipsius resignantis. *ibid. num. 2. & seq. pag. 233. tom. 3.*

72. Ille non ligatur vinculo excommunicationis qui beneficium accepit putans illud sibi resignari cum spe, & fiducia restituendi illud eidem resignanti vel alteri in ipsius fauorem; cum tamen resignans hanc spem, & fiduciam non haberet: quia conscientia erronea non inducit excommunicationem; sed solum delictum sub excommunicatione prohibitum. Tamen qui hoc modo beneficium accepit, tenetur se tanquam excommunicatum gerere, donec conscientiam erroneam deposuerit cognita rei veritate. *ibid. num. 4.*

73. Accipiens beneficium ab eo qui cum spe, & confidentia illud sibi resignat; licèt non intendat illud accipere in confidentiam, incurrit excommunicationem: quia Summus

Pontif.

Pontif. intendit excommunicare accipientem beneficium quoties animaduertit illud sibi in confidentiam resignari, etiamsi solus resignans intentionem habeat confidentialem; facto enim consentit, licet interius dissentiat. *ibid.n.*5.

74. Nonnulli censent Cardinales, & Prælatos beneficium in confidentiam accipientes non affici excommunicatione, sed interdicto ab ingressu Ecclesiæ Papæ reseruato; probabilius tamen videtur illos ab hac excommunicatione non eximi ob declarationem Pij V. in Bulla quæ incipit. *Hodie in consistorio. ibid.pag.*234.*num.*12.*tom.*3.

Contra simoniam in prouisione beneficiorum.

75. Pius V. in Bulla 104. quæ incipit, *Durum nimis*, vt tolleret consuetudinem quandam simoniacam quæ quibusdam in Ecclesiis obtinuerat vt fructus primi anni inter Canonicos diuiderentur, &c. graues imposuit censuras retinentibus, petentibus, vel exigentibus aliquid ex huiusmodi fructibus, vel distributionibus, nec non inducentibus aliquem ordinaria, vel Apostolica auctoritate prouisum ad præstandum iuramentum de obseruandis eiusmodi consuetudinibus, & statutis. Censuræ autem quæ imponuntur, sunt diuersæ: nam Episcopi, aliique Antistites suspenduntur à Pontificalibus donec præstita satisfactione, à Summo Pontifice absoluantur; capitula verò, & collegia subiiciuntur interdicto; aliæ verò personæ singulares vinculo excommunicationis obstringuntur. *ibid.punct.*26.*pag.*234.235.*tom* 3.

76. Hæc censura non incurritur dùm iuxta consuetudinem, vel statuta quarundam Ecclesiarum, in prouisione beneficiorum aliquid exigitur in pios vsus conuertendum: hic enim casus excipitur in Concil. Trident. sess. 24. cap. 14. *ibidem, numero* 5.

77. Refertur quædam excommunicatio, quæ tamen in Bullario non extat contra dantes, vel promittentes aliquid nunciantibus prouisiones à Sede Apostolica factas; hæc tamen excommunicatio non extenditur ad ipsos nunciantes. *ibidem. punct.*27.*pag.*235.*tom.*3.

Contra simoniacam procurationem beneficiorum.

78. Paulus IV. in Bulla 12. quæ incipit, *Inter cæteras curas*, ad tollendas simoniacas labes quæ in beneficiis procu-

randis committuntur, excommunicationem tulit contrà supponentes se pro aliis in examine, aut impetrantes beneficia pro aliis id ignorantibus cum oblatione pensionis, aut cum spe alicuius commodi temporalis, aut impetrantes beneficia pro seipsis animo illa resignandi in fauorem aliorum: prætarea inualidas reddidit prouisiones, & dispositiones hoc pacto obtentas. *ibid. punct.* 28.

79. Hæc censura solùm afficit eos qui beneficia in Curia Rom. obtinent apud Datarium Papæ; quia Summus Pontif. vult occurrere incommodis quæ audierat committi in consecutione beneficiorum apud Curiam. *ibid. pag.* 236. *num.* 9. *tom.* 3.

Contra simoniacum Religionis ingressum.

80. Vrbanus IV. in cap. *Sane, extrà de simonia*, excommunicationem infligit singularibus personis dantibus, vel recipientibus aliquid ex pacto pro ingressu in religionem; capitulis verò, & conuentibus, pœnam suspensionis. *ibidem, punct.* 29. *pag.* 236. Vnde sequitur si aliquid detur sine præuio pacto, non incurri excommunicationem. *ibid. pag.* 237. *num.* 3. *tom.* 3.

81. Non incurritur hæc excommunicatio cùm aliquid datur, vel accipitur pro sustentatione ingredientis religionem, etiamsi monasterium diues sit, & locuples: quia datur, & accipitur temporale pro temporali, pecunia scilicet, vel res alia pretio æstimabilis, pro sustentatione religiosi quæ pretio æstimabilis est; neque enim tenetur monasterium licet locuples hunc admittere, & in ipsius sustentationem bona sua insumere. *ibid. num.* 4. Modò tamen absit excessus, ideſt non accipiatur vltra onus sustentationis. Vitandum est etiam scandalum; nam si monasterium locuples renuat admittere pauperem, alioquin idoneum, facilè scandali ansam præbebit, non tamen propterea incurritur excommunicatio; quia hæc est labes auaritiæ potiùs, quàm simoniæ. *ibid.*

82. Licèt monialibus indultum sit à Clemente VII. vt reæ non sint labis simoniæ dùm conuentiones faciunt circa dotem recipiendarum pro congruenti, & sufficienti sustentatione: tamen si aliquid exigant vltra congruam sustentationem, ab hac censura non excusantur, nisi liberaliter detur, & non ex pacto. *ibid. pag.* 238. *num.* 6. *tom.* 3.

83. Abbatissa quæ certam peccuniæ quantitatem pacisci-

tur, vel accipit donec dos monasterio promissa pro nouitia ingrediente soluatur, excusari potest si hanc pecuniam accipiat ratione damni emergentis, quod interim monasterium patitur ob dotem non solutam. Idem dicendum si aliquid exigatur ratione lucri cessantis; sed hac in parte magna cautione opus est ad vitandum scandalum, & periculum vsuræ. *ibid.num.*8.

84. Quando in susceptione habitus religiosi aliquid datur, & accipitur, committitur quidem simonia; probabile tamen est censuram non incurri donec professio emittatur: quia censura non incurritur nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus; completur autem effectus per emissionem professionis. Vnde sequitur excommunicationem non incurri si susceptio habitus fuit simoniaca, modò postea religiosus gratis ad professionem admittatur. *ibid.n.*11.

Contra simoniam in Indulgentiis.

85. Pius V. in Bulla 99. quæ incipit, *Quàm plenum*, vetuit concedi indulgentias vel facultatem eligendi confessarium qui à casibus reseruatis absoluat, soluentibus certam pecuniæ summam; & Episcopis quidem, aliisque antistitibus huic decreto contrauenientibus infligit pœnam suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum, à qua absolui nequeant nisi à Summo Pontif. post præstitam satisfactionem; alios verò Episcopis inferiores subiicit excommunicationi Pontifici reseruatæ. *ibid.punct.*30.*pag.*239.*tom* 3.

86. Licèt Ordinarij locorum nequeant prohibere quominus religiosi inconsultis ipsis ordinariis publicent indulgentias olim sibi à Summo Pontifice concessas; nihilominus nullus licet exemptus potest indulgentias de nouo concessas publicare in sua Ecclesia absque licentia Ordinarij; sic enim per sacram Cadinalium Congregationem declaratum fuit. *ibid. numero* 9.

Contra simoniam in gratiis à Curia Rom. obtinendis.

87. Bonifacius VIII. in rubrica, *de sententia excommunic.* quæ incipit, *Excommunicamus*, tulit excommunicationem contra omnes facientes promissionem, vel pactum temporalium pro aliqua gratia, vel iustitia obtinenda in Cu-

ria Rom. & contra dantes vel recipientes aliquid paruum, vel magnum, ex pacto aut promissione. Item contra præbentes consilium, auxilium, vel fauorem, & contra scientes, & non reuelantes eos qui ex pacto dant, vel recipiunt aliquid pro gratia, seu iustitia in Curia Rom. obtinenda. *ibid. punct.* 31. *pag.* 240. *tom.* 3.

88. Qui fictè promittit se aliquid daturum pro gratia, aut iustitia in Curia Rom. obtinenda; vel qui promittit, altero cui fit promissio non acceptante promissionem, non subiacet huic excommunicationi; quia ficta promissio non est promissio, & de ratione promissionis est acceptatio. *ibid. pag.* 242. *numero* 8. & 9.

89. Promissio facta ex gratitudine, & solùm vrbanitatis gratia sub hanc censuram non cadit. Secùs autem si promissio fiat animo se obligandi vt faciliùs inflectatur iudex ad gratiam vel iustitiam concedendam; nam huiusmodi promissiones nihil aliud sunt quàm munera in spe oblata; iustitiæ autem administratoribus nihil simpliciter debetur ex gratitudine cùm aliunde habeant stipendium. *ibid. n.* 10.

90. Ad hanc excommunicationem incurrendam non sufficit quælibet res data, aut accepta, sed requiritur vt ea sufficiat ad peccatum mortale furti; paruitas enim materiæ excusat à mortali, atque adeo ab excommunicatione. *ibid. n.* 12. & 13. *pag.* 243. *tom.* 3.

91. Ab hac censura excusantur 1. qui dant ob meram liberalitatem, vel beneuolentiam, siue dent ante gratiam obtentam, siue ea iam obtenta. 2. qui dant ad redimendam iniustam vexationem; quamuis enim sit turpitudo ex parte iudicis recipientis, ac proinde iudex excommunicationem incurrat; nulla tamen est ex parte dantis; neque enim dat pro iustitia obtinenda, sed pro vexatione redimenda. 3. qui dant, vel accipiunt xenia, vel sportulas dari consuetas, modò non sit notabilis excessus. 4. qui dant, vel accipiunt tanquam stipendium laboris, vt si quid detur Aduocato, vel Notario, vel Procuratori, seu sollicitatori. 5. qui dant, vel accipiunt ob maiorem industriam, vel operam præstitam quam alioquin præstare teneantur. *ibid. pag.* 244. *n.* 14. *tom.* 3.

92. Qui dat, vel accipit aliquid solùm titulo gratitudinis post gratiam, aut iustitiam in Curia Rom. obtentam absque præuia promissione, aut pacto hanc censuram non incurrit: quia hic non dicitur dare, aut accipere pro gratia vel iustitia obtinenda, sed tantùm titulo gratitudinis

situdinis ob gratiam, vel iustitiam impetratam. *ibidem, numero* 15.

93. Qui nouit aliquod delictum committi contra hanc constitutionem, incurrit excommunicationem nisi intra triduum deferat Summo Pontifici, aut alteri, qui Summo Pontifici fideliter denunciet; sic enim in Bulla præscribitur; id tamen intelligendum est de iis tantùm qui in Romana Curia degunt. *ibid.num.* 18.*pag.*245.*tom.*3.

94. Præter excommunicationem aliæ pœnæ imponuntur transgressoribus huius constitutionis: nam 1. gratia, aut iustitia sic obtenta est irrita, & qui ea scienter vtitur, easdem pœnas incurrit quas alij transgressores. 2. qui aliquid accepit hoc nomine, absolui nequit antequam restituat pauperibus id quod accepit. 3. imponitur ipso facto priuatio omnis beneficij Ecclesiastici, & omnis officij etiam sæcularis; non tamen ante sententiam criminis declaratoriam. 4. additur perpetua infamiæ nota. 5. inhabilitas ad omnia beneficia, & officia. *ibid.num* 21.*& seq. pag.*246.*tom.*3.

95. Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *pro commissa nobis*, has pœnas extendit ad eos qui dant, promittunt, vel accipiunt aliquid pro gratia, vel iustitia obtinenda etiam extra Curiam Rom apud quæcumque tribunalia, & quoscumque iudices etiam laicos in terris, vel locis temporali ditioni Summi Pontificis mediatè, vel immediatè subiectis. *ibid.punct.*32. *pag.*246.*tom.*3.

96. Episcopus qui necessariam correctionem non adhibet contra simoniam committentes in Sacramentis, vel ordinibus subiacet excommunicationi. In cap. *quicquid*, 1. *quæst.* 1.

Contra simoniam in Ordine, vel beneficio.

97. Paulus II. in Extrauag. *Cum detestabile, de simonia*, pœnam suspensionis ab executione Ordinum imposuit ordinato per simoniam; aliis verò committentibus simoniam, aut ad illam cooperantibus in beneficiorum, vel Ordinum collatione, seu consequutione, excommunicationem iniunxit. *pag.* 230.*tom.*3. vide tit. *Ordo.*

98. Qui dat pecuniam pro consequutione beneficij, vel Ordinis, hanc censuram non incurrit antequam beneficium, vel Ordo actu conferatur. Idem dicendum quoties Ordo, vel beneficium confertur ex præuio pacto simoniaco, sed pretium nondum solutum fuit. *ibid.n.*7.

99. Qui bona fide ignorans, per simoniam ab altero commissam, beneficium obtinuit, postea cognita simonia, tenetur quidem beneficium resignare, vt pote per simoniam acquisitum; non tamen excommunicationem incurrit si nolit resignare; licet enim peccet retinendo beneficium, non tamen simoniam committit. *pag.*231.*n.*12 *&* 13.*tom.*3.

100. Qui scit simoniam ab alio commissam in Ordine, vel beneficio, non incurrit excommunicationem nisi denunciet; non tamen potest absolui donec denunciauerit. Quia Summus Pontif. in præfata Extrauag. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, huiusmodi delinquentes denunciari, & statuit eos qui non denunciant, absolui non posse donec denuncient; nulla tamen extat excommunicatio contra non reuelantes. *ibid.num.*16.

101. Pœnæ comminatoriæ, iure antiquo contra simoniacos sancitæ, iure nouo non incurruntur ipso facto, ex vi istius Extrauagantis: quia in hac Extrauag. iura antiqua innouantur, id est, in priori statu, ac robore restituuntur; manent igitur comminatoria, vti erant antea. *pag.*232. *num.* 19. *tom.* 3.

102. Hæc excommunicatio est Summo Pontifici reseruata.

Societas I E S V.

1. GRegorius XIII. in Bulla 89. quæ incipit. *Ascendente Domino*, approbauit institutum, & constitutiones Clericorum regularium Societatis I E S V, addita pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quælibet officia, & beneficia sæcularia, seu regularia contra impugnantes præfatæ Societatis institutum, constitutiones, aut hanc suam Bullam, aut aliquem illorum articulum quouis prætextu. *pag.*249. *tom.* 3.

2. Hac eadem Bulla prohibetur de instituto Societatis I E S V disputatio, non quælibet, sed ea tantùm quæ instituitur ad impugnandum illud institutum, seu constitutionem Apostolicam, vel ad contradicendum, idque factum est ad tollendas discordias, & compescendas maleuolorum linguas. *pag.* 250.*num.*3. *tom.*4.

3. Huic subiicitur excommunicationi qui facit libellos famosos contra Societatem I E S V. Secùs si scribat librum famosum contra nonnullos Patres eiusdem Societatis; quia hic

hic non impugnat institutum; grauissimè tamen peccat. *ibid. numero* 4.

4. In eadem Bulla prohibentur nonnullæ aliæ actiones quæ videntur etiam cadere sub excommucicationem, vt facere notationes, declarationes, glossas, vel scholia super præfato instituto, constitutionibus, vel Bulla, nisi de licentia Generalis, aut inferiorum præpositorum eiusdem Societatis; eas interpretari, nisi quantum verba ipsa sonant, de eis disceptare, seu scrupulum iniicere, reuocare in dubium, vel controuersiam, legere glossas, vel interpretationes ad id pertinentes, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere; hæc, inquam, videntur prohiberi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. *ibidem, numero* 5. *tom.* 3.

SOCIETATIS CONTRACTVS.

Quid sit Societas.

1. SOcietas est conuentio duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem, ad commune lucrum. Ad coëundam Societatem quinque conditiones requiruntur. 1. vt fundetur in negotiatione licita, & honesta; nam quæ fundatur in negotiatione illicita, non est obligatoria. 2. vt singuli aliquid conferant in commune. 3. vt seruetur æqualitas inter socios, itavt lucrum, expensæ, & damna sint omnibus communia, vnicuique pro rata. 4. vt sors, seu pecunia quam socius in commune contulit, subiaceat periculo conferentis, itavt si pereat absque culpa sociorum, illi pereat qui eam contulit; res quippe domino perit. Est enim Societas leonina, & vsuraria, cùm quis tradit pecuniam mercatori ea lege, vt periculum sit solius mercatoris, lucrum verò diuidatur. 5. vt seruentur pacta. *tom.* 2. *pag.* 548. *n.* 1. *&* 3.

2. Qui vnam Societatem iniit, non peccat, neque tenetur ad restitutionem si aliàs ineat, absque præiudicio prioris, etiamsi promiserit se non daturum operam alteri negotiationi; quia socij nullam inde iniuriam patiuntur. Si verò Societas aliquid patitur damni, peccat, tenetúrque ad restitutionem. Hinc collige famulos qui ab vno conducti, aliorum se negotiis implicant, cum præiudicio illius à quo fuerunt conducti, teneri ad restitutionem. *ibid. n.* 4. *&* *pag.* 549. *n.* 5.

Quis

Quis inire possit societatem.

3. Potest contractus societatis ab iis celebrari qui possunt ad libitum disponere de iis rebus quas conferunt in societatem. Sic filius cum patre potest coire societatem de bonis castrensibus; de profectitiis, aut aduentitiis non potest, illis aduentitiis exceptis quorum vsusfructus non pertinet ad patrem. Potest item filius societatem coire cum patre, itavt pater conferat pecuniam, filius operam, & industriam; tamen vsusfructus lucri spectantis ad filium, perttnet ad patrem quoad vixerit. *tom.2.pag.549.n.1.& seq.*

4. Religiosus non potest contractum societatis celebrare, cùm non sit sui iuris. Fratres inter se possunt, saluo tamen iure patris. Ex iuris dispositione medicus cum infirmo, durante infirmitate; aduocatus cùm cliente, tutor cum pupillo, curator cum minore contrahere societatem non possunt. Item carcere detenti, in suam perniciem contrahere prohibentur. *ibid. num.6.& seq.*

Diuisio in societate.

5. Lucrum quod finita societate diuidendum est, illud dicitur, quod superest deductis expensis, & damnis. Est autem diuisio facienda ad æqualitatem, habita ratione illius quod quisque contulit in societatem. Hinc fit, vt si vterque socius contulit 100. aureos, cum æquali industria, & lucrum perueniat ad 200. detracto capitali, possit quisque accipere 100. pro lucro, & 100. pro capitali. Si verò vnus contulit 100. alter verò solam industriam valentem 100. & lucrum sit 200. sic facienda est diuisio, vt is qui contulit pecuniam, primo loco recipiat 100. quos contulit, deinde 200. æqualiter diuidantur; æquum enim non videtur, vt qui solam operam contulit, veniat in partem capitalis, in quod nullam pecuniam contulit. *ibid.num.1.& 2.*

6. Etiamsi pecunia ex se sit infœcunda, & sterilis; tamen is qui pecuniam contulit in societatem, meritò percipit lucrum, non quidem ex pecunia, provt est pecunia, & pretium rerum venalium; sed quatenus exponitur negotiationi, periculo conferentis; vt sic enim censetur frugifera, cùm sit instrumentum negotiationis. *tom.2.pag.550.num.4.*

7. In diuidendo lucro non tantùm est habenda ratio periculi

culi cui exponitur capitale, sed etiam quantitatis pecuniæ quæ confertur in societatem: quia qui plura præbet instrumenta ad negotiandum, dignus videtur maiori lucro. *ibid. numero* 5.

8. Lucrum quod socius facit ex administratione rei communis, nomine communi, debet esse commune: acquisita enim nomine societatis, sunt societatis. Quando verò socius rem communem administrat proprio nomine, totum lucrum pertinet ad ipsum; quia fructus industriæ pertinent ad lucrantem; tenetur tamen compensare damnum, quod societas inde passa est: nullus enim vti potest re aliena in damnum domini non consentientis. *ibid.num.9*.

9. Caius qui contulit 100. in societatem, potest conuenire cum socio solam industriam conferente, vt sibi detur certa aliqua pars, v.g. quinque vel sex in centum, reliquum verò lucri, siue maius sit, siue minus, ab altero socio retineatur: quia hîc præter contractum societatis, initur alius contractus sortis, quo vterque subit aleam lucri, aut damni. At si pereat capitale, perit Caio conferenti. *ibid.*

10. Bulla Sixti V. quæ incipit, *Detestabilis auaritiæ.* quæ damnat societatem initam cum assecuratione principalis, videtur intelligenda de societate cui non admiscetur alius iustus contractus: nihil enim obstat quo minus periculum capitalis reiici possit in alterum socium, si onus illud iusto pretio compensetur. Quare socius conferens capitale, potest cum altero, solam operam conferente, conuenire, vt si capitale pereat, etiam casu fortuito, pereat in damnum æquale vtriusque, modò hoc grauamen iusto pretio compensetur: hic enim est contractus assecurationis. *ibid.num.*10.

11. Capitale, finita societate, redit ad eum qui illud contulit, nisi aliter conuentum fuerit: nam si pereat, ipsi perit, nisi eam fecerit cum socio communem. Qui verò contulit pecuniam, eámque fecit communem cum socio, potest cum illo pacisci, vt eius periculum, & damnum, sit commune; cùm enim vterque sentiat æquale commodum, par est vt sentiat onus æquale. *tom.2.pag.*551.*n.*12.

12. Quando onus contulit pecuniam, alter solam operam, neque vllum lucrum fuit perceptum ex societate, conferens industriam, amisit fructum suæ industriæ, & conferens pecuniam, amisit fructum pecuniæ. At si capitale integrum perseueret, restituendum est ei qui contulit, nisi ex conuentione factum fuerit commune. *ibid.*

13. Titius

13. Titius contulit in societatem centum ducatos, singulos valentes quinque libras, finita verò societate peruenerunt ad valorem sex librarum auctoritate Principis, augentis pretium monetæ. Potestne Titius incrementum pecuniæ retinere? Non potest seclusa conuentione qua vterque socius exposuerit periculo damni, & lucri: si enim valor monetæ decreuisset, alter qui solam contulit industriam, obligatus fuisset ad restituendam pecuniam iuxta valorem quem habebat tempore traditionis; ergo satisfacit restituendo pecuniam iuxta valorem quem habebat tempore celebrati contractus quamuis pecunia medio tempore acceperit incrementum. *ibidem, numero* 13.

14. Expensæ non superfluæ quæ fiunt à socio suam conferente industriam, faciendæ sunt ex communi pecunia societatis, nisi aliter conuentum sit inter socios, aut nisi aliter lege cautum sit, aut consuetudine receptum. Item expensæ quas socius fecit in itinere, causa societatis, pertinent ad societatem, neque inde detrahendum est id quod domi insumpsisset; sic enim iura definiunt. *tom.2.pag.*552.*n.*3.

15. Societas non tenetur ad damna quæ patitur vnus sociorum, qui dum iter faceret, ob priuatas simultates, vulnus accepit. Item qui causa societatis Principem adiuit, eique placuit, ob idque donum à Principe obtinuit, potest sibi donum retinere; nam censetur illud obtinuisse, non ex causa, sed occasione societatis. *tom.2.pag.*551.*n.*1.

16. Rebus societatis furto sublatis absque vlla culpa sociorum, damnum debet esse commune. Secùs dicendum si surreptæ fuerunt ob negligentiam, vel incuriam alicuius è sociis, illi enim damnum est adscribendum. *tom.2.pag.*552. *numero* 2.

Societas animalium.

17. Ad societatem animalium tres saltem conditiones requiruntur. 1. vt singuli aliquid conferant in societatem, nempe animalia, vel custodiam, vel industriam. 2. vt seruetur æqualitas, ita vt expensæ, damna, & lucra sint communia vnicuique pro rata. 3. vt animalia stent periculo conferentis, ita vt si pereunt, ipsi pereant; nisi hoc periculum in alterum reiectum sit, facta grauaminis compensatione. *tom.2. pag.*553.*num.*2.

18. Iniquus est ille societatis contractus quo traduntur pastori

paſtori animalia cum hac conditione. 1. vt illa paſcat, & cuſtodiat. 2. vt ſemper ſeruetur idem numerus, ita vt, ſi aliqua pereant, ſuppleantur ex fœtibus, & paſtor in fine ſingulorum annorum accipiat dimidiam partem reliquorum fœtuum: huic enim contractui deeſſe videtur æqualitas, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur.quàm valeat numerus animalium ipſi aſſignatus. *ibid.num.3.*

19. Licitus eſt contractus ſocietatis quo quis alteri tradit animalia ad ſocietatem, hoc pacto, vt lucrum ſit commune, ſed qui recipit animalia, nihil lucri capiat, donec animalia domino fuerint reſtituta: hîc enim nulla eſt inæqualitas, modò animalia ante recuperatam ſortem, ſtent periculo ipſius apponentis. *ibid.num.4.*

20. Illicita videtur ſocietas qua quis tradit alteri animalia hoc pacto, vt ſi pereant, æqualiter pereant; ſi verò non pereant, capitale reddatur apponenti; fructus verò æqualiter diuidantur; quia non ſeruatur æqualitas. *ibid. num. 5.*

21. Qui tradit in ſocietatem oues ſimpliciter æſtimatas, non cenſetur inire contractum venditionis, ſed ſocietatis; nam illa æſtimatio fit vt, ſi animalia, culpa, vel dolo ſocij pereant, ſocius teneatur ad reſtitutionem; non verò ſi pereant abſque ipſius culpa; res enim domino perit. Qui verò tradit oues æſtimatas hoc pacto, vt ſocius, ſi pereant abſque ipſius culpa, teneatur reſtituere pretium, vel alias oues, præſumitur inire contractum venditionis; nam æſtimatio in hoc caſu, venditionem facit. Vnde ſequitur vſurarium eſſe contractum, quo quis tradit oues alteri, æſtimatas hoc pacto vt ſibi partem fœtuum reddat, & adhuc tradat illarum pretium, etiamſi perierint caſu: hic enim eſt contractus venditionis, cui admiſcetur contractus mutui, quo tradens oues, virtualiter mutuat pretium, cum pacto recipiendi emolumentum. *ibid. n.6.*

22. Socius cuius culpâ animalia ſimpliciter æſtimata perierunt, tenetur ad reſtitutionem, iuxta valorem quem habebant tempore amiſſionis, ſeu læſionis; nam ad dominum pertinet incrementum, & decrementum rei, niſi aliud deducatur in pactum. *ibid.num.7.*

23. Illicita videtur ſocietas qua Titius tradit Caio duas vaccas, hoc pacto, vt in fine temporis præſcripti, lucrum diuidatur, pretium verò illarum tradatur Titio iuxta æſtimationem factam tempore traditionis; niſi hoc grauamen iuſta mercede compenſetur. *ibid.num.9.*

Societas officiorum.

24. Societas officiorum Romæ, & non alibi, vſu recepta eſt. Sunt enim in Rom. Curia, multa officia fructifera, quæ vendi ſolent, & durant ad vitam emptorum, niſi extinguantur, aut in alios transferantur. Porro is qui emit officium, poteſt ſocietatem cum alio circa illud ipſum officium inire, ídque duobus modis. 1. faciendo vt alij conferant pecuniam ad illud officium emendum, eò quod ipſius pecuniæ non ſufficiant. 2. vt alius, ſeu alij poſt emptionem officij, tradant pecuniam ſuper eodem officio; non tamen ob id ſunt plures officiales, ſed vnus, quo viuente durat officium; illo autem mortuo ceſſat, niſi alteri fuerit reſignatum. Extincto autem officio per mortem officialis, Papæ acquiritur pecunia tradita pro emptione officij; mortuo verò ſocio, pecunia quam ipſe tradidit officiali, acquiritur ipſi officiali, modò ſocius moriatur morte naturali, non autem violenta. Sin officium extinguatur viuente officiali, pecunia tradita pro emptione officij, reddenda eſt ipſi officiali; ſicut etiam ſi officialis moriatur, aut alia ratione dimittat officium, pecunia quam ſocius tradidit, ipſi reddenda eſt; ob id officialis præſtat ſocio fideiuſſionem pro pecunia ab ipſo accepta. Hæc autem ſocietas celebratur ad ſemeſtre, & non vltra, niſi ratificetur. *tom. 2. pag.* 553. *&* *pag.* 554.

25. Hæc ſocietas officiorum eſt conuentio inter ſocium, & officialem, qua ſocius exponit ſe periculo perdendi ſortem, & acquirendi lucrum, & viciſſim officialis exponit ſe periculo perdendi certam pecuniam, & acquirendi ſortem à ſocio collatam. *tom.* 2. *pag.* 554. *num.* 1.

26. Ad huius ſocietatis contractum multæ conditiones requiruntur, partim in Bulla Pij IV. expreſſæ, quæ incipit. *Motu proprio*; partim ex conuentione, partim in ipſo contractu contentæ. 1. eſt vt Romæ ſit officium ſuper quo ſocietas fundatur. 2. vt officialis qui ſocietatem celebrat, non aſſumat ſocios ſupra valorem officij, ſeu non plus pecuniæ accipiat quàm poſtulet officij æſtimatio. 3. vt ſi officialis moriatur, aut alia ratione officium amittat, ante finitam ſocietatem; ſocio ſuperſtiti reſtituatur, non ſolum lucrum ſex menſium, verùm etiam reſtituatur pecunia quam ipſe tradidit in officij ſocietatem. 4. vt ſi ſocius moriatur intra ſemeſtre, officialis acquirat pecuniam acceptam à ſocio, niſi ſocius intra 15. dies nomina

nominauerit alium, cuius vitæ periculo ſtare velit pecuniam apud officialem. 5. vt officialis ſoluat ſex pro centum, vnoquoque ſemeſtri, quamdiu ſocietas durat. *tom. 2. pag.* 554. *num.* 4. *&* *ſeq. pag.* 555.

27. Finitur hæc ſocietas 1. lapſu termini. 2. morte naturali ſocij, non autem morte violenta. 3. morte illius in quem ſocius tranſtulit periculum amittendæ ſortis. 4. morte ipſius officialis; tunc enim officium redit ad Principem. 5. venditione, ſeu tranſlatione officij in alterũm. *tom. 2. pag.* 556. *num.* 12. *&* *ſeq.*

Societas inter fratres.

28. Fratrum inter ſe ſocietas extenditur tantùm ad bona hæreditaria quæ defunctis parentibus poſſident indiuiſa, & ad lucra inde prouenientia; non verò ad bona aliunde parta, putà donatione, hæreditate, officio, induſtria, &c. niſi aliter fratres inter ſe conuenerint. Quare frater habens patrimoniũ indiuiſum cum aliis fratribus, non propterea tenetur cum illis communicare lucrum acquiſitum ex officio, induſtria, &c. *tom.* 2. *pag.* 556. *num.* 1. *&* *pag.* 557. *n.* 2.

29. Diuiſio inter fratres facienda eſt ad ratam hæreditatis, itavt ſi fratres habeant bona inæqualia, ratione hæreditatis, finita ſocietate, bona diuidantur iuxta vniuſcuiuſque portionem, niſi fuerit aliter conuentum. *tom. 2. pag.* 557. *numero* 3.

30. Fratres patrimonium indiuiſum poſſidentes, poſſuut de communibus bonis, ſumptus facere ordinarios, & competentes; extraordinarios non poſſunt, cuiuſmodi ſunt ſumptus faciendi ab aliquo ex fratribus propter delictum, aut priuatas ſimultates. Debita tamen honeſta quæ vnus fratrum contraxit in ſtudiis, viuente patre, ſoluenda ſunt ex bonis communibus hæreditatis; quia cenſentur debita patris. At ſi mortuo patre velit ſua ſtudia perſequi, cæteri fratres non tenentur contribuere in ſumptus faciendos. *ibid. n.* 4. *&* 5.

31. Statutum eſt iure nouo, vt filij volentes ſuo parenti ſuccedere cum aliis in hæreditate, conferant, & adducant ad partitionem, ea quæ de bonis illius parentis cui volunt ſuccedere, acquiſierunt, niſi parens obligationem conferendi condonarit. Adducenda ſunt autem ad partitionem bona profectitia quæ filius ſucceſſurus cum aliis in hæreditate, accepit à patre, vel auo cui vult ſuccedere. Bona verò caſtrenſia non

ſunt conferenda, quia dominium eorum, pleno iure, pertinet ad filium, neque bona aduentitia, quoad proprietatem, immò neque quoad vſum fructum, quando vſus fructus pertinet ad filium. *tom.2.pag* 557 *n.*1.*&* *pag.*558.*n.*3.

32. Filius, qui vult ſuccedere patri, vel auo, non tenetur ea conferre quæ validè accepit donatione ſimplici facta ex mera liberalitate; hæc enim donatio non cenſetur facta in compenſationem legitimæ. Excipitur donatio facta filio emancipato; hic enim tenetur conferre quidquid à parentibus in emancipatione, vel poſt emancipationem accepit. Qui verò vult alteri ſuccedere, tenetur ea conferre quæ accepit donatione ob cauſam, v.g. ad Ordines, ad nuptias, &c. hæc enim præſumuntur tradita in compenſationem legitimæ, niſi aliter conſtet de mente dantis. *tom.2.pag.*558.*n.*5.

33. Quæ pater filio tradidit præ reliquis, ad cibum, veſtitum, equitatum, &c. præſumuntur liberaliter data; ideóque non ſunt in partitionem adducenda. Neque eſt improbabile libros filio traditos à patre, non eſſe conferendos, ſi pater illos emit nomine filij: quia pater præſumitur illam collationem condonaſſe; modò ex hac condonatione non ſequatur magna inter fratres inæqualitas; tunc enim pater non cenſetur emiſſe nomine filij, nec collationem condonaſſe. *tom.2.pag.*559. *num.* 8. *&* 9.

34. Veſtes pretioſæ quæ ſolent dari ſponſæ, conferendæ ſunt, niſi conſtet parentem eas nurui donaſſe; tunc enim filius non diceretur eas acquiſiuiſſe, ſed nurus. Item munera, arrhæ, & aliæ largitiones ſponſalitiæ, factæ cauſa nuptiarum à patre, ſunt à filio conferendæ: cenſentur enim factæ ob cauſam matrimonij. Quæ verò pater filio tradidit ad onera matrimonij ſuſtinenda, v.g. pro alenda vxore, & familia, non ſunt ad partitionem adducenda; cum enim pater teneatur filium ſuſtentare, & nurum alere, cenſetur huiuſmodi fructus condonaſſe. Secùs dicendum de bonis immobilibus quæ pater tradidit filio, vt ex eorum prouentibus, matrimonij onera ſuſtineret: hæc enim eſt donatio ob cauſam matrimonij. *ibidem, num.*12.13.*&* 14.

Societas quomodo finiatur.

35. Finitur ſocietas 1. lapſu temporis conſtituti, aut finita negotiatione. 2. per renunciationem, id eſt, per mutuum conſenſum ſociorum, tacitum, vel expreſſum. 3. morte alterius

ſocij,

socij, naturali, aut ciuili; quare societas, regulariter non transit ad hæredes defuncti, nisi sint idonei ad societatem. 4. egestate alterius socij, vt quando non potest contribuere promissam pecuniam, aut quando ære alieno oppressus cessit bonis, aut eius bona publicantur. *tom. 2. pag. 560. num. 1. & seq.*

36. In his casibus potest societas dissolui ante præfixum tempus, sociis etiam inuitis. 1. si ita postulet Reipubl. necessitas, vt si socium abesse oporteat causa Reipubl. neque alium in suum locum ad societatem administrãdam subrogare possit. 2. quando spes subest obtinendi id cuius causâ inita fuit societas. 3. si socij non stent pactis, & conuentis. 4. dùm socij, arbitrio prudentis, iniuriam, & damnum inferunt. Non tamen facilè dissoluenda est societas, inuitis sociis; cùm pro ipsis stet possessio. *ibid. n. 2.*

Sodomia.

1. SOdomia propriè dicta, est coitus inter personas eiusdem sexus. Licèt enim masculus cognoscens fœminam extra vas naturale, dicatur committere sodomiam; hæc tamen non est propriè sodomia, sed est peccatum alterius speciei; nam in sodomia propriè accepta, peccatur contra sexum: masculus autem congrediens præposterè cum fœmina, licèt non seruet vas debitum; seruat tamen sexum. *tom. 1. pag. 321. num. 1.*

2. Peccatum sodomiæ turpissimum, & grauissimum est, vt patet ex epist. *ad Roman. cap. 1* & grauissimis pœnis tùm à iure ciuili inductis vt mortis per flammas inferendæ, tùm à iure canonico impositis, præsertim contra clericos: nam clericus nefandum hoc crimen exercens, meretur pœnam depositionis, & priuandus est omni priuilegio clericali omni beneficio, & Ecclesiastica dignitate: non tamen incurrit irregularitatem, aut suspensionem, quamdiu delictum est occultum. *ibid. n. 2. & 3.* vid. tit. *Clericus.*

3. Vir coniugatus qui præpostero actu cœpit cognoscere suam vxorem, sed actum perficit, & seminat in vase naturali, peccat mort. quia vtitur vase indebito, & illegitimo, à quo natura ipsa abhorret, & Canones expresse sentiunt, propter nefandum hoc crimen attentatum, posse vxorem petere diuortium à marito. Quare confessarij debent pœnitentes ab hoc flagitio deterrere. *tom. 1. pag. 322. n. 12.*

 4. Commit

4. Committens nefandum sodomiæ crimen siue publicum, siue occultum, non est ipso iure suspensus; quia hæc suspensio nuspiam in iure inuenitur: tamen arcetur ab Ordinis executione, fitque irregularis, si crimen sit notorium, non ratione suspensionis, sed ratione infamiæ quæ huic crimini, ex dispositione iuris est adnexa. *tom.3.pag.376.377.*

5. In Bulla Pij V. graues infliguntur pœnæ committentibus tam nefarium scelus, quæ tamen ante iudicis sententiam, in conscientia non obligant. *tom.3.pag.377.*

Spes.

1. SPes est virtus Theologica, & supernaturalis, qua speramus beatitudinem diuino auxilio obtinendam. Ideo sperans beatitudinem, aut remissionem peccatorum, vt naturæ viribus, absque Dei ope obtinendam, committit peccatum præsumptionis, quod est vitium contrarium, & destructiuum habitus spei. Immò est destructiuum fidei, si cum iudicio contra fidei articulos coniungatur: peccatum enim præsumptionis committitur ab eo qui sperat aliquid eo modo quo non fit, aut fieri nequit, vt si quis speret beatitudinem absque Dei misericordia, ex suis solis meritis naturalibus, quæ fuit hæresis Pelegiana; aut si quis velit beatitudinem adipisci ex sola Dei misericordia, absque vlla cooperatione, aut bonis operibus, qui fuit error Lutheri. *tom.2.pag.160.n.1.& seq.*

2. Præsumptio, ex suo genere, est peccatum mort. neque ob paruitatem materiæ fieri potest veniale: quia grauem continet inordinationem, & iniuriam. Qui spe veniæ obtinendæ differt pœnitentiam vsque ad senectutem, non tàm peccat contra spem, quàm contra præceptum pœnitenriæ: quia hic non sperat veniam ex sola Dei misericordia, aut ex solis viribus propriis, sed spe veniæ, conuersionem differt. *ibid.n.5.& 6.*

3. Extat præceptum spei affirmatiuum, quo obligamur aliquando spei actum elicere, Psal.4. *Sperate in Domino.* Extat etiam præceptum spei negatiuum, quo prohibetur desperatio: quia non est beatus qui non sperat, ergo multò minus beatus erit qui desperat. Præceptum autem negatiuum spei obligat semper, & ad semper: hæc enim est natura præcepti negatiui. Præceptum verò spei affirmatiuum, per se obligat quando quis grauiter vexatur tentationibus contra spem, versaturque in periculo desperationis, nisi actibus spei se muniat. *ibid.num.1.& 2.*

4. Si cui fieret reuelatio suæ damnationis, is nec deberet, nec posset sperare, immò, sine peccato mort. desperare posset: quia impossibile est sperare id quod certò constat obtineri non posse: at supposità reuelatione, consequutio beatitudinis certò cognoscitur impossibilis; ergo cui facta est hæc reuelatio, beatitudinem sperare non potest. *ibid. n. 4. & pag. 161.*

5. Desperatio potest esse sine hæresi: potest enim quis actum desperationis elicere, etiamsi non sentiat quidquam contra fidem, vt si dicat, *Deus nunquam mihi parcet.* At si dicat. *Deus non potest mihi parcere*, aut *ego non possum saluari*, &c. committit peccatum hæresis, & desperationis; sentit enim contra fidem. *tom. 2. pag. 161. num. 5.*

Spolium.

1. SPolium dicitur omne id quod reperitur in bonis personæ Ecclesiasticæ, post ipsius mortem, ad ipsius hæredes non pertinens. Neque vllus Ecclesiasticus, nisi speciali priuilegio, ab onere spolij eximitur. Eximuntur autem 1. Cardinales nisi Episcopatum habeant, ibique non resideant. 2. sectantes Curiam, seu commorantes in vrbe, in eaque, aut in eius districtu morientes. 3. habentes facultatem testandi. 4. Equites S. Ioannis, quatenus ipsorum morientium bona non acquiruntur Cameræ Apostolicæ, sed religioni Hierosolymitanæ. *tom. 2. pag. 687. num. 1. & seq.*

2. Spolium non fit ex iis quæ clericus proprio labore, & industria acquisiuit, vt concionando, cantando, ducendo funus, assistendo choro, sculpendo, pingendo, &c. hæc enim inter bona quasi patrimonialia numerantur. Si tamen clericus decedens, non relictis consanguineis, seu cognatis ex testamento, vel ab intestato venientibus, non solùm eius bona quasi patrimonialia, sed etiam patrimonialia cedunt Cameræ Apostolicæ. *ibid. num. 3. & pag. 688. num. eod.*

3. Qui habet beneficium tenue, non excedens valorem congruæ sustentationis, non videtur obnoxius spolio; quia fructus congruæ sustentationi respondentes, numerantur inter bona quasi patrimonialia, quorum beneficiarius liberam habet dispositionem. Quamobrem Pius V. decreuit vt habentes beneficia, vel pensiones non excedentes valorem 30. ducator. aureor. spolio Ecclesiastico non subiaceant. *tom. 2. pag. 688. num. 5.*

4. Vtensilia domestica non fiunt spolium, sed sunt illius

cui relicta fuerunt, vel qui succedit ab intestato: hæc enim Pius V. à spolio Cameræ Apostolicæ exemit. *tom.2.pag.689. num.8.*

5. Clericus qui moritur in eo loco, in quo spolium non est vsu receptum, ibique beneficium habet, vel pensionem, exemptus est à spolio, modò beneficium, vel pensionem non habeat in alio loco in quo spoliorum vsus viget. *ibid.n 9.*

6. Acquisita negotiatione illicita, aut alio modo per sacros canones prohibito, subiiciuntur spolio; etiamsi clericus haberet facultatem testandi; sic enim Pius IV & Pius V. expresse decreuerunt. Idem dicendum de acquisitis per sordidum officium, ludum vetitum, conductionem aliorum prædiorum, &c. hæc enim omnia per sacros canones prohibentur. *ibid.n.1.& 2.& pag.690.n.12.*

7. Instrumenta, & vasa sacra cuiuscumque beneficiarij, item ornamenta ad cultum diuinum destinata non acquiruntur legatariis, vel hæredibus, sed spolio Ecclesiæ subiiciuntur, etiamsi empta sint ex pecunia patrimoniali, & relicta sint ab eo qui facultatem habebat testandi, & disponendi de quibuscumque bonis: Summus enim Pontifex non vult facultatem testandi, & disponendi de bonis, extendi ad huiusmodi ornamenta: vendi tamen possunt, si alia bona non extent, ad persoluendum æs alienum. *tom.2.pag.690.num.1.& pag.691.num.4. & 7.*

8 Præfata instrumenta, & vasa sacra, exceptis instrumentis Cardinalium, relicta post mortem beneficiarij, debentur illi Ecclesiæ, vel monasterio in quo habet, vel habuit beneficium, licet illud postea resignauerit: sic enim expresse decernitur in Bulla Pij V. *tom 2.pag.691.num.9*

9. Bona à religiosis extra religionem degentibus relicta post mortem, non acquiruntur religioni, sed Cameræ Apostolicæ: sic enim à Gregorio XIII. est constitutum in Bulla quæ incipit, *Officij nostri.* Nisi religiosus speciale habeat priuilegium testandi. Excipiuntur instrumenta sacra diuino cultui addicta: hæc enim ad monasterium, seu religionem videntur pertinere. *ibid.n.1.& 4 & pag 692.n.6.*

10. Cùm spolia, regulariter loquendo, ad Cameram Apostolicam pertineant, ipsa tenetur soluere debita quæ beneficiarius ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ contraxit, tenetur item facere funeris sumptus, habita ratione qualitatis, & dignitatis defuncti, necnon facultatum ipsius. *tom.2.pag.692. n.1.& 4.& pag.693.n.8.*

11. Spo

11. Spolium debetur ante iudicis sententiam; lex enim spoliorum non est pœnalis, sed dispositiua, quæ obligat ante sententiam. Porrò moriente beneficiario, spolium fieri potest de omnibus ab eo relictis, nisi hæredes probent exemptionem. Quod si hæredes asserant illa bona esse patrimonialia, aut quasi patrimonialia, & consequenter non esse spolio obnoxia, ipsis incumbit onus probandi; pro Camera enim Apostolica stat possessio. *tom.1.pag.693.n.1.& 5.*

SPONSALIA.

Quid sint sponsalia, & quas conditiones requirant.

1. SPonsalia sunt mutua promissio futuri matrimonij. Vt autem sint valida, tres conditiones requiruntur. 1 est; vt promissio sit voluntaria. 2. vt promissio sit mutua. 3 vt signo aliquo externo sufficienter manifestetur. *tom.1 pag.235. num.1.& 2.*

2. Si pater, & mater, aut alius curam filiorum habens contrahat sponsalia, vel matrimonium pro filiis tacentibus, & non contradicentibus, validè contrahit, modò filij interiùs consentiant; ius enim, in hoc casu, accipit taciturnitatem pro consensu. Sin alius qui non est pater, vel mater, vel qui non habet curam, promittat pro filio tacente, non contrahit sponsalia, etiamsi filius tacens, interius consentiat: in hoc enim casu valet regula iuris in sexto, *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.* *tom.1 pag 236.num.11.*

3. Hæc verba, *Non ducam aliam præter te*, non sufficienter exprimunt consensum requisitum ad sponsalia, consequenter ex vi illorum verborum non contrahuntur sponsalia: quia hæc verba in contractibus faciunt sensum conditionatum, neque sufficienter exprimunt consensum de præsenti, vel de futuro, nisi adsint aliæ circumstantiæ, & coniecturæ. Hæc autem verba, *habebo te in vxorem*, in foro externo explicanda sunt pro sponsalibus: in foro verò interno standum est intentioni contrahentium: nam si per illa verba intendebant contrahere matrimonium de præsenti, explicanda sunt pro matrimonio, modò adsint cætera requisita: sin tantùm intendebant celebrare sponsalia, explicanda sunt pro sponsalibus. Porrò hæc verba: *Ex hoc tempore, vel semper, vel omnibus diebus vi-*

tæ meæ habebo te in vxorem, explicanda ſunt pro matrimonio de præſenti, modo adſint cætera requiſita. *ibid. num.* 13. *&* *pag.*237.*num.*18.

Sponſalia ad quid obligent.

4. Ex veris ſponſalibus oritur obligatio ſub mortali ad ipſa adimplenda: ſunt enim ſponſalia contractus quidam inter ſponſum, & ſponſam, in materia graui. Verùm promiſſio ficta, etiam cum iuramento, abſque animo ſe obligandi, non obligat præcisè ex vi iuramenti: fieri tamen poteſt vt ob aliam rationem ſeruanda ſit hæc promiſſio. Immò fictè promittens cogetur in foro externo ſtare promiſſioni, aut iuramento; quia præſumetur iuraſſe cum intentione ſe obligandi. *tom.* 1. *pag.* 237.*n.*1.*&* *pag.*238.*n.*4.

5. Qui ficta promiſſione matrimonij, virginem, aut viduam bonæ famæ decepit, & carnaliter cognouit, & inde ſequatur infamia, tenetur illam ducere non ex vi promiſſionis, ſed ratione damni illati; neque ſatisfaciet illam virginem, ſeu viduam dotando, ſi ipſa non eſt contenta dote: niſi fortè vir ſit longè diſparis conditionis. At ſi copula eſt adeo occulta vt nullum ſit periculum infamiæ, non tenebitur illam ducere; ſed tantùm iniuriam compenſare. *tom.*1.*pag.*237. *num.*4. *&* 5.

6. Vir qui copulam extorſit à fœmina longè inferioris conditionis, non tenetur illam ducere aut dotare, aut aliquid ei reſtituere, ſi fœmina ſciebat inæqualitatem viri; neque tenetur illam ducere, quamuis fœmina inæqualitatem ignoraret: ſed poteſt illius damno occurrere illam dotando, vel dotem augendo; neque tenetur cum tanto ſuo damno damnum fœminæ adeo diſparis compenſare. *ibid.n.*7.*&* 8.*&* *pag.*239. *num.*13.

7. Sponſalia incerta (id eſt quæ fiunt cum perſona indeterminata, ſeu cum pluribus diſiunctiuè) non ſunt propriè ſponſalia. Redduntur autem certa per determinationem, & electionem promiſſoris. Ex ſponſalibus tamen incertis oritur obligatio ea adimplendi; niſi facta ſint animo ficto: conſequenter promiſſor cogi poteſt ad ducendam vnam ex illis quibus ſub conditione promiſit. At ſi vna illarum renuat, promiſſor non tenetur aliam ducere: quia per ipſum non ſtat quo minus vnam illarum ducat. *tom.* 1. *pag.* 239. *num.* 1. *&* *ſeq.*

8. Qui

8. Qui promiſit alteri cum iuramento, ſe traditurum in matrimonium vnam ex tribus filiabus quas habet, ſi is cui promiſit, interim habeat copulam cum vna illarum, non tenetur aliquam tradere: quia non tenetur eam tradere quæ fuit vitiata: neque enim pater priuandus eſt ſua libertate ob alterius delictum. Neque tenetur aliam tradere propter impedimentum affinitatis. At ſi nulla carnaliter cognita eſt, electio pertinet ad patrem. *ibid. num.* 5.

9. Ætas ſeptem annorum requiritur ad ſponſalia celebranda: quia ad promiſſionem requiritur vſus rationis. In foro tamen conſcientiæ valida ſunt ſponſalia, quando malitia ſupplet ætatem, etiamſi ante ſeptennium celebrentur. Verùm contrahentes ante legitimam ætatem, grauiter peccant, niſi excuſentur ob ignorantiam legis, vel ob vrgentiſſimam cauſam. *ibid. num.* 1. *&* 2. *&* *pag.* 240. *n.* 6.

10. Parentes, ſeu tutores, curatores, & conſanguinei curam gerentes infantum, poſſunt, vrgente graui neceſſitate, pro filiis contrahere ſponſalia, ante ſeptennium. Vt tamen ſint valida, requiritur poſtea conſenſus expreſſus, vel tacitus filiorum, poſtquam peruenerint ad vſum rationis, qui conſenſus, in foro externo, ſufficienter præſumitur adeſſe, ſi filij taceant, & non contradicant, poſtquam ſeptennium attigerint, ſcientes contracta fuiſſe à parentibus ſponſalia ſuo nomine. *tom.* 1. *pag.* 240. *n.* 8. Non tenentur tamen filij conſentire in ſponſalia à parentibus, vel curatoribus contracta: quia in iis quæ ad ſtatum matrimonij ſpectant, filij, per ſe loquendo, non tenentur parentibus obedire. *ibid. num.* 9.

11. Ad validitatem autem matrimonij, iure Eccleſiaſtico, requiritur in maſculo ætas 14. annorum, & in fœmina, 12. niſi malitia ſuppleat ætatem, id eſt, niſi adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum. Sufficit autem illam ætatem eſſe moraliter completam. *ibid. num.* 10. *&* *pag.* 241. *num.* 11.

Cauſæ ſponſalia dirimentes.

12. Cauſæ ſponſalia dirimentes ſunt hæ 1. ingreſſus in religionem. 2. votum ſimplex caſtitatis, aut religionis. 3. votum ſimplex ſacrorum Ordinum. 4. ætas. 5. lapſus termini. 6. diſceſſus in longinquum. 7. dolus. 8. metus. 9. matrimonium ſubſequens cum alia celebratum, aut impedimentum dirimens matrimonium. 10. fornicatio ſuperueniens. 11. mu-

tuus conſenſus. 12. conditio non adimpleta. *tom.1.pag.241. num.1.*

13. Sponſus ingrediens religionem, non tenetur poſtea, ſi egrediatur, contrahere matrimonium cum ea, cum qua antè religionis ingreſſum contraxerat ſponſalia: quia obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit; modò bona fide ingreſſus fuerit religionem; nam ſi ingreſſus eſt vt ſponſam deciperet, non ceſſat obligatio ex parte ingredientis religionem; ceſſat tamen ex parte ſponſæ. *ibid.num.3.*

14. Qui contraxit ſponſalia cum iuramento, poteſt nihilominus ingredi religionem niſi aliud obſtet: hoc enim iuramentum cenſetur factum ſub hac tacita conditione, *niſi melior ſtatus eligatur.* At ſi virtute ſponſaliorum, copulam habuit cum ſponſa, tunc non poteſt ingredi religionem; ſed debet matrimonium contrahere cum ſponſa: quia obligatio naturalis reparandi famam ſponſæ, præferenda eſt conſilio ingrediendi religionem. Immò ſi poſt ſponſalia copulam extorſit à ſponſa, deinde vouit religionem, non poteſt eam ingredi; quia votum non eſt vinculum iniquitatis, neque obligat ad aliquid illicitum. Neque ſufficit in hoc caſu, vt ſponſus matrimonium celebret cum ſponſa, mox ante conſummationem matrimonij ingrediatur religionem: ſic enim non impedit infamiam, neque reſarcit iniuriam; ſed debet matrimonium conſummare, & cum vxore permanere. Obſeruandum tamen hoc votum, non eſſe irritum, & inualidum, ſed obligare poſt diſſolutionem matrimonij: quia obligatio voti non extinguitur per matrimonium, ſed ſuſpenditur. *ibid. num. 4. & pag.242.num 5.& 6.*

15. Qui poſt votum religionis, vel caſtitatis, virginem deflorauit, cum promiſſione matrimonij, tenetur adhuc matrimonium contrahere cum illa; ſi votum ipſius ignorabat. Quia vinculum iuſtitiæ, fortius eſt vinculo charitatis; ſed propter vinculum charitatis tenetur quis votum ſuſpendere vt parentum inopiæ conſulat; ergo multò magis ſponſus propter vinculum iuſtitiæ, vt famæ damnum impediat. *tom. 1. pag. 242 num.7.*

16. Priora ſponſalia non diſſoluuntur per poſteriora, etiamſi copula ſubſequuta ſit cum ſecunda ſponſa, aut etiamſi poſteriora facta ſint cum iuramento. Quia ſecunda ſponſalia non poſſunt ſine peccato adimpleri, ſuntque in præiudicium alterius. *ibid.num 9.& 10.*

17. Sponſalia dirimuntur per votum ſimplex caſtitatis, factum

factum poſt ipſa ſponſalia:quia in ſponſalibus ſubintelligitur illa conditio, *niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur* ; ſtatus autem celibatus perfectior eſt ſtatu matrimonij.Vnde ſequitur ſponſalia facta poſt votum ſimplex caſtitatis, eſſe inualida , etiamſi facta ſint cum iuramento : quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis,ſeu promiſſionis iniquæ. *ibid.n.*13.& 15.

18. Sponſalia dirimuntur per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines:eligitur enim perfectior ſtatus. Qui tamen vouit ſacros Ordines,non tenetur,ex vi voti,ſeruare caſtitatem ante illorum ſuſceptionem. *tom.*1.*pag.*243 *n.*29.

19. Sponſalia diſſolui poſſunt propter defectum ætatis impuberis:ius enim concedit vt filij poſſint ſtatim adepti pubertatem , reſilire à ſponſalibus celebratis dum eſſent impuberes. Pubertatem autem adeptus niſi ſtatim reſiliat à ſponſalibus,non poterit poſtea reſilire : cùm enim ſponſalia ab initio eſſent valida , manent valida , & irreuocabilia , niſi ſtatim poſt pubertatem reuocentur. Porrò qui prior attigit pubertatem , non tenetur alterius pubertatem expectare, ſed poteſt ſtatim reſilire. *ibid.num.*1.

20. Reclamatio ad ſponſalia dirimenda , fieri debet apud Epiſcopum,vel eius Vicarium,vel ipſis deficientibus,apud perſonas honeſtas : hoc tamen videtur tantummodò neceſſarium in foro externo , vt iudex ferat ſententiam pro ſponſalibus dirimendis:in foro verò conſcientiæ ſufficit,vt qui attigit pubertatem,ſtatim diſſentiat interius : quippe reclamatio requiritur in foro externo,ne videantur ſponſalia prius facta ratificari;at qui interiùs diſſentit , verè non ratificat; ergo , &c. *tom.*1. *pag.*244. *num.*5.

21. Sponſalia dirimuntur per lapſum termini conſtituti ad matrimonium contrahendum,ex parte eius per quem non ſtetit quo minus matrimonium præſtituto tempore celebraretur ; modò terminus appoſitus fuerit ad limitandam obligationem ; elapſo enim termino expirat obligatio. Ille verò per quem ſtat quo minus tempore præfinito matrimonium contrahatur , non liberatur ab obligatione , ſi alter velit ſtare ſponſalibus : neque enim æquum eſt vt dilator ex mora commodum reportet,ſi fuit in culpa. *tom.*1.*pag.*244.*n.*6.

22. Nullo præfixo termino , ſponſalia diſſolui poſſunt per moram,& dilationem alterius,quando ſcilicet ab altero requiſitus ad perficienda ſponſalia,& matrimonium contrahendum, ita differt,& prorogat,vt arbitrio prudentis viri cenſeatur eſſe in mora culpabili. *ibid.num.*7.

23. Spon

23. Sponſalia etiam facta cum iuramento, diſſolui poſſunt per diſceſſum alterius ſponſi in longinquum, abſque licentia alterius. At ſi profectus eſt ad locum propinquum vnde ſperatur breui rediturus, expectandus eſt, vel requirendus vt intra certum tempus matrimonium contrahat: ſin nolit intra illud tempus, diſſolui poterunt ſponſalia; quia ſponſus requiſitus cenſetur cedere ſponſalibus, ſi recuſet contrahere matrimonium intra tempus aſſignatum, abſque legitima cauſa. *ibid.num.*8.

24. Sponſalia irritantur per ſubſequens matrimonium validè celebratum cum alia perſona: quia res tradita vni per contractum indiſſolubilem, non poteſt amplius alteri tradi, cui tantùm promiſſa fuerat. Si tamen ſponſalia facta fuerant cum iuramento, ſponſus diſſoluto matrimonio per mortem coniugis, tenetur vi iuramenti, ſtare ſponſalibus; quia obligatio iuramenti non fuerat extincta, ſed tantùm ſuſpenſa per ſubſequens matrimonium. *tom.*1.*pag.*245.*num.*1.*& ſeq.*

25. Sponſalia etiam iurata diſſoluuntur per impedimentum dirimens matrimonium, cuiuſmodi eſt error perſonæ, affinitas ſuperueniens, &c. quia non eſt obligatio ad id quod fieri non poteſt. Hinc ſequitur ſponſalia diſſolui per copulam habitam cum conſanguinea ſponſæ in primo, vel ſecundo gradu, nam per huiuſmodi copulam fit affinis ſponſæ; affinitas autem dirimit matrimonium vſque ad ſecundum gradum, quando procedit ex copula illicita. *ibid.n.*5. *&* 6.

26. Sponſus qui poſt ſponſalia contraxit impedimentum dirimens, tenetur impetrare diſpenſationem impedimenti, ſi commodè poſſit, aut ſi alioquin ſequatur graue damnum ſponſæ, ob deflorationem, & famæ iacturam: æquum enim non eſt vt ſponſus ex ſuo delicto commodum reportet. *ibidem, num.*9.

27. Sponſalia clandeſtina, id eſt, ſine Parocho, & teſtibus celebrata, ſunt valida: quia Concil. Trident. irritat tantùm matrimonium clandeſtinum, non autem ſponſalia. Neque peccant mortaliter ita contrahentes; nullo enim iure huiuſmodi ſponſalia ſunt prohibita, quamuis ſint diſſuadenda, cùm ſæpius fiant ſine debita circumſpectione, & prudentia, *tom.*1. *pag.*246.*num.*12 *&* 13.

28. Sponſalia quamuis iuramento confirmata, diſſoluuntur per fornicationem alterius ſponſi: quia qui fornicatur facit contra leges coniugij, & deſponſationis, fitque ſuſpectus de fide in futurum ſeruanda. Item fornicatio ſponſæ commiſſa

etiam

etiam ante ſponſalia, eſt ſufficiens cauſa ob quam ſponſus poſſit illa diſſoluere, ſi ante contracta ſponſalia, illam ignorabat: at fornicatio ſponſi commiſſa ante ſponſalia non eſt ſufficiens cauſa cur ſponſa reſiliat à ſponſalibus; quia illa fornicatio non infert graue dedecus ſponſæ. *ibid. num.* 1.

29. Diſſoluuntur ſponſalia etiamſi fœmina per vim fuerit conſtuprata: nam hæc cenſetur notabilis mutatio ex parte ſponſæ, cùm vir poſſit hinc graue dedecus pati, quia non ita facile conſtare poteſt an ſponſa per vim fuerit compreſſa. *ibid. num.* 3.

30. Sponſalia diſſolui poſſunt ob fornicationem ſpiritualem, videlicet ob hæreſim, vel apoſtaſiam: huiuſmodi enim fornicatio notabilem inducit mutationem. Immò tenetur ſponſus in eo caſu reſilire à ſponſalibus: nam contrahere matrimonium cum hæretico eſt peccatum mort. *tom.* 1. *pag.* 247. *numero* 7.

31. Quoties notabilis aliqua mutatio, ſeu cauſa de nouo ſuperuenit ſponſalibus, qua cognita contrahentes præſumuntur non habuiſſe voluntatem ſaltem implicitam ſe obligandi, ſufficit ad illa diſſoluenda, etiamſi celebrata fuerint cum iuramento: quia promittens non cenſetur habuiſſe intentionem promittendi, ſuperueniente notabili mutatione. Sic ſponſus non tenetur contrahere matrimonium cum ſponſa quæ poſt ſponſalia incidit in lepram, vel paralyſim, &c. vel quæ amiſit oculos, nares, &c. vel quæ facta eſt notabiliter deformis; maior tamen requiritur deformitas in viro ad ſponſalia dirimenda, quàm in fœmina. Item paupertas ſuperueniens ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia. Tamen ſi altero ſponſo in eodem ſtatu permanente, alter fit valde diues, tenetur hic ſtare ſponſalibus: quia non eſt deceptus in conditione ſponſæ. Item diſſolui poſſunt ſponſalia ob grauem ſimultatem inter ſponſos interuenientem, vel per morum aſperitatem, & ſæuitiam alterius ſponſi, de nouo cognitam. *ibid. num.* 8.

32. Dolus adhibitus ab altero contrahentium, dans cauſam contractui, facit ſponſalia ipſo iure irrita, & inualida: quia ſponſalia ſunt contractus bonæ fidei. Si tamen deceptus velit ſtare ſponſalibus, poteſt cogere decipientem ad contrahendum matrimonium: quia par non eſt vt decipiens ex ſua fraude commodum reportet. Quanquam probabile eſt vtrumque liberum eſſe à ſponſalibus; quia ſponſalia non claudicant. *tom.* 1. *pag.* 248. *num.* 1. *&* 2.

33. Sponſalia celebrata per metum leuem, in foro conſcien-

tiæ

tiæ diſſolui poſſunt. In foro tamen externo non datur actio ad diſſoluenda ſponſalia per metum leuem celebrata, vt litium occaſio computetur. *ibid. num.6.*

34. Sponſalia etiam cum iuramento facta, mutuo conſenſu diſſolui poſſunt: quia ſponſalia ſunt contractus diſſolubilis: hæc autem mutua remiſſio debet eſſe libera; nam ſi alter ſponſus remittat obligationem ob metum ſibi incuſſum ab altero, ſponſalia non cenſentur diſſoluta. Secùs dicendum de remiſſione facta ob metum parentum, vel ob viri aſperitatem; hic enim metus non tollit libertatem. *ibid.num.*1.*& pag.*249. *num.*2.*&* 3.

35. Sponſalia diſſolui poſſunt quando non adimplentur conditiones ſub quibus fuerunt celebrata. Immò ſponſalia non obligant, donec impleatur conditio expreſſa in contractu ſponſaliorum. *tom.*1.*pag.*249.*n.*4.

36. Ad dirimenda ſponſalia, ſi natura rei ſpectetur, non requiritur iudicis auctoritas, quando certò conſtat de cauſa ſufficiente ad diſſoluenda ſponſalia; ſed priuata auctoritate diſſolui poſſunt, quamuis facta fuerint cum iuramento. Per accidens tamen, ad vitandum ſcandalum, fieri poteſt vt neceſſaria ſit iudicis auctoritas. Hic autem iudex eſſe debet Eccleſiaſticus, Epiſcopus ſcilicet, aut ab ipſo delegatus; quia cauſa eſt ſpiritualis. *ibid.num.*5.*&* 8.

37. Sponſus ius amittit dirimendi ſponſalia quando cognoſcit carnaliter ſponſam, ſciens præceſſiſſe cauſam ſufficientem ad diſſoluenda ſponſalia; modò tamen illa ſponſalia fuerint valida: nam ſponſalia inualida non inducunt obligationem, nec fiunt valida per copulam habitam, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus. *ibidem*, *num.*10.

38. Sponſus habens defectum occultum, propter quem alter iuſtam haberet cauſam diſſoluendi ſponſalia, poteſt alterum cogere per iudicem vt ſtet ſponſalibus: quia nemo tenetur propria ſponte pœnam ſubire. Sic adulter occultus non priuatur iure petendi debitum. *ibid.num.*12.

39. Qui habuit copulam cum ſponſa alterius, debet hanc circumſtantiam in confeſſione aperire; quia facit grauem iniuriam ſponſo, qui cogetur aut reſilire à ſponſalibus, aut ducere fornicariam in vxorem. At fornicans cum ſponſo, non facit grauem iniuriam illius ſponſæ. *tom* 1.*pag.*250.*n.*13.

40. Sponſalibus apponi non poteſt pœna ſoluenda ab eo qui non ſteterit ſponſalibus: quia hoc repugnat libertati matrimonij.

trimonij. Possunt tamen tradi arrhæ quas tradens amittat si fregerit fidem sponsaliorum. Verùm arrhæ non sunt soluendæ quando sponsalia dissoluuntur auctoritate iudicis, aut per ingressum in religionem: nam vbi abest culpa, debet etiam abesse pœna. *tom.1.pag.250 num.1.& seq.*

41. Interesse damni emergentis exigi potest ab eo qui iniustè resilit à sponsalibus, non virtute conuentionis pœnalis, quam diximus esse inualidam; sed ob iniustitiam commissam ab eo qui iniustè violat fidem sponsaliorum. Non potest autem iniri pactum soluendi interesse lucri cessantis: quia sponsus ante initum matrimonium non habet ius ad illud lucrum, *tom.1.pag.251.num.6.*

Stuprum.

1. STuprum strictè acceptum est concubitus viri cum virgine fœmina, quo virginalis integritas violatur: habetque malitiam specie distinctam à fornicatione, necessariò in confessione explicandam, siue puella consentiat, siue sit inuita; quia puella non habet dominium suæ integritatis corporalis; fitque iniuria patri cuius est specialem curam gerere corporis filiæ. *tom.1.pag.328.n.2.*

2. Qui per vim, aut fraudem, metum, aut mendacium, copulam à puella extorsit absque promissione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare, vt æquè bene nubat, ac si esset virgo: quia tenetur ex iustitia, damnum illi iniustè illatum reparare. At si virgo liberè consensit, non tenetur ad restitutionem: quia illi non intulit iniuriam, modò stuprator non manifestauerit copulam occultam; tunc enim tenetur ad restitutionem famæ, & damnorum incrementi dotis, &c. *tom.1.pag.329.n.7.*

3. Qui precibus, vel muneribus, vel suasionibus, ac blanditiis extorsit copulam à puella, non tenetur ad restitutionem: quia huiusmodi preces, munera, &c. non adimunt voluntarium. Neque facienda est restitutio patri sub cuius cura est ipsa puella deflorata: quia nullum illatum est damnum, patri. Quod enim pater cogitur augere dotem vt puella æquè commodè nubat, hoc damnum est per accidens, & puella potest manere innupta. *ibid.n.13 & 14.*

4. Potest filius inconsulto, vel inuito patre, validè contrahere matrimonium cum ea à qua copulam extorsit: quia, per se loquendo, non tenetur obedire patri in iis quæ pertinent

nent ad vitæ statum. Per accidens tamen fieri potest vt in his etiam grauiter peccet, vt quando inuito patre contrahit cum indigna, ex cuius matrimonio magnum familiæ dedecus infertur, vel quando multum referret patris, filium aliam ducere ad componendas familiæ lites, aut quid simile. Igitur valdè consentaneum est rationi, & honestati, vt filij absque parentum consilio, & consensu, non ineant matrimonium, idque Ecclesia prohibuit: quare qui inconsulto patre matrimonium contrahit, peccat mort. nisi iustam habeat causam sic contrahendi. *tom.1.pag.330.n.18.& seq.*

5. Potest Ecclesiasticus iudex suam interponere auctoritatem ne matrimonium contrahatur à filiofamiliàs, quando constiterit adesse graue scandali periculum. Neque propterea matrimonij libertas impeditur; quia non dicitur libertas alicuius impediri, nisi impediatur ad id ad quod ius habet; filius autem non habet ius ad nuptias iniuriosas patri, & toti familiæ. *ibid.num.26.*

Substitutio.

1. SVbstitutio est vocatio vnius, aut plurium ad hæreditatem, in locum alterius, vel aliorum. Sex autem modis potest aliquis alteri substitui. 1. substitutione vulgari. 2. pupillari. 3. exemplari. 4. fideicommissoria. 5. reciproca. 6. compendiosa seu breuiloqua. *tom.2. pag.648.n.1.& 2.*

2. Substitutio *vulgaris*, est substitutio directa, & simplex qua quilibet, non prohibitus, substitui potest à quolibet, hac conditione, vt si ille qui fuit institutus hæres, vel qui succedere debet ab intestato, nolit, aut non possit succedere, succedat substitutus. *ibid. n.3.*

3. Substitutio *pupillaris* est illa, qua quis proli impuberi in sua potestate constitutæ, substituit aliquem, vt si pater dicat: *Si filius meus infra pupillarem ætatem decedat, substituo Titium.* Ætas autem pupillaris in masculo intelligitur vsque ad 14. annum, in fœmina vsque ad 12. Hæc autem substitutio pupillaris fuit instituta, quia, cùm impubes non possit testari, par fuit vt ius concederet facultatem patri substituendi hæredem filio impuberi. Porrò ad validitatem huius substitutionis requiritur. 1. vt ille cui fit substitutio, sit impubes. 2. vt sit filius, nepos, vel descendens. 3. vt sit in potestate testatoris. 4. vt post mortem testatoris fiat sui iuris, & non recidat in potestatem alterius. *ibid.n.4.*

4. Substi

4. Substitutio *exemplaris* ea est, qua quis filio amenti, vel prodigo, vel alia ratione prohibito testari, substituitur. Atque hæc substitutio fieri potest non solùm à patre, verùm etiam à matre;auo, auia, proauo, proauia. *ibid.n.5.*

5. Substitutio *fideicommissoria* illa est per quam hæres ab intestato, vel testamento constitutus, accipit hæreditatem cum hoc onere, vt eam, vel eius partem aliquotam, v.g. dimidiam, tertiam, vel quartam restituat alteri post mortem, sub hac tacita conditione, *si decedat sine liberis, vel descendentibus.* Porrò si hic hæres professionem faciat in religione, bonorum capaci, monasterium percipit vsumfructum illorum bonorum, donec sequatur mors naturalis ipsius religiosi.*ibid. num.6.& pag.649.n.9.*

6. Substitutio reciproca, seu breuiloqua dicitur illa qua hæredes substituti,sibi inuicem substituuntur,vt si testator dicat: *Instituo tales hæredes, quos inuicem substituo. tom.2. pag.651. num.18.*

7. Substitutio *compendiosa* illa est quæ plures complectitur substitutiones diuersas quoad tempora,vt si quis dicat.*Instituo Caium filium meum hæredem,& cum è vita decesserit, substituo ei Titium. ibid. num.19.*

Successio ab intestato.

1. SVccessio alia est qua *ascendentes succedunt in bonis descendentium*, quando scilicet defunctus non reliquit descendentes,aut collaterales in primo gradu.Alia qua *descendentes succedunt in bonis ascendentium.* Alia denique *collateralium*,seu *transuersalium. tom.2.pag.675.n.4.*

2. In successione *descendentium* seruanda est illa regula, vt si quis decedat, relictis filiis legitimis,aliisque descendentibus,iure communi succedant filij, aliique descendentes,aliis omnibus exclusis. Porrò filij legitimati per subsequens matrimonium, succedunt ac si essent verè filij legitimi naturales: matrimonium enim subsequens, omnia antecedentia purgat, efficitque filium habilem, & idoneum ad omnia. *ibid.num.1.& 5.*

3. In successione *ascendentium*, dùm quis decedit, nullis relictis descendentibus, sed solis ascendentibus, parentes succedunt liberis,modò liberi non essent spurij, sed vel legitimi, vel naturales. Quando autem quis decedit relictis ascendentibus, & collateralibus, si collaterales sunt fratres, vel sorores

defuncti vtrinque coniuncti, id est, eodem patre, & matre orti, tunc collaterales succedunt in capita, siue cum patre, & matre, siue cum superioribus ascendentibus, modò parentes non transierint ad secundas nuptias absque consensu filiorum; tunc enim succedunt solum in vsum fructum: si verò supersint fratres, aut sorores ex vno solùm latere coniuncti, parentes succedunt illis exclusis. *tom.2.pag.676.n.5.& 6.*

4. Dùm quis decedit solis collateralibus relictis, succedunt primò fratres, & sorores vtrinque coniuncti, eorúmque filij; his deficientibus succedunt fratres ex altero tantum parente, eorúmque filij, ita vt coniuncti ex patre succedant in bonis paternis; coniuncti verò ex matre succedant in bonis maternis, in bonis verò acquisitis à patre, & matre, succedant æqualiter. Obseruandum autem ascendentes, & descendentes succedere in infinitum; collaterales verò vsque ad decimum gradum, iuxta computationem iuris ciuilis. His deficientibus succedit vxor viro, & vir vxori. *ibid.num.6.& 7.*

Suffragium.

1. SVffragij nomen hic sumitur pro auxilio quod vnus fidelis præbet alteri ad consequendam remissionem pœnæ temporalis. Possunt autem fideles, dùm in hac vita degunt, non solùm se inuicem iuuare suffragiis, verùm etiam subleuare defunctos, satisfaciendo pro pœna ipsis debita. Hoc fatemur dùm in symbolo credimus. *Communionem Sanctorum.* Cuius articuli sensus est, in Ecclesia esse communicationem bonorum operum inter iustos, ita vt tanquam vnius corporis membra, sub vero capite Christo, se inuicem iuuent, & alter alteri per suffragia, & opera satisfactoria opem ferat. *tom. 1. pag. 212. num. 1.*

2. Bonum opus, vt est satisfactorium, non prodest facienti, quando illud alteri applicat, habet enim satisfactionem limitatam; sed prodest ei cui applicatur: nam satisfactio communicabilis est. At si opus bonum spectetur vt est meritorium, prodest soli applicanti, ad meritum vitæ æternæ. *ibid. numero 2.*

3. Vt suffragium alteri prosit, 1. debet ad illum dirigi intentio offerentis. 2. requiritur, vt opus fiat ab homine viatore, id est, viuente. 3. vt fiat seu sustineatur voluntariè; in quo differt satisfactio à satispassione. 4. vt opus sit bonum, saltem ratione intentionis. 5. vt operans sit in gratia, alioquin non proderit

proderit alteri ex opere operantis ; prodesse tamen poterit ex opere operato:propterea dictum est,titul.*Indulgentia*,prodesse indulgentias defunctis , etiamsi qui facit opus præscriptum in Bulla,sit in statu peccati mort. Sic Missæ sacrificium oblatum ab improbo Sacerdote, non caret suo fructu , non solùm quatenus est sacrificium ; verùm etiam si consideretur secundùm preces , quatenus offeruntur à Sacerdote in persona Ecclesiæ. *ibid.num.*2.*&* *seq. pag.*213.

4. Opus quod ab vno præcipitur , & ab altero adimpletur, prodest ad satisfactionem , si præcipiens sit in gratia , etiamsi exequens sit in peccato,modò non sit causa proxima illius operis : quia præcipiens est agens principale, ergo sufficit vt sit in gratia,saltem tunc quando præcepit;nam si postquam præcepit incidat in peccatum mort. nihilominus opus est satisfactorium. *pag.*213.*num.*9.

5. Opera quæ per alium fiunt,tanquam per instrumentum, sunt satisfactoria,quamuis qui ea facit, sit in peccato mort. vt si dominus in gratia existens præcipiat per famulum, seu amicum fieri eleemosynam suo nomine ; sufficit enim principale agens esse in gratia. *ibid. num.*10.

6. Qui ex iniuncta pœnitentia tenetur pro defuncto suffragium offerre,debet iterum opus iniunctum præstare, si illud præstitit in peccato mort. nisi habeat valorem ex opere operato,aut nomine Ecclesiæ offeratur. *ibid num.*11.

7. Tres conditiones requiruntur in eo cui suffragium applicatur,vt illi prosit. 1. vt indigeat suffragio. Vnde suffragia Beatis non prosunt , nisi ad gaudium quoddam accidentale, quatenus per ea coluntur , & honorantur. 2. vt sit in gratia; quare opus applicatum alicui existenti in peccato mort. conuertitur in vtilitatem offerentis. 3. vt peccata pro quibus exhibetur satisfactio , iam sint remissa quoad culpam ; idcirco non prodest satisfactio etiam pro venialibus nondum remissis ; quia remissio pœnæ supponit remissionem culpæ , quippe manente culpa, manet obligatio ad pœnam. *tom.*1. *pag.*213. 214.*num.*1.*&* *seq.*

Superstitio.

1. SVperstitio est cultus vitiosus quo vel colitur creatura cultu diuino ; vel Deus modo indebito. Duplex est superstitio , 1. *ratione rei cultæ*, quatenus creatura colitur cultu diuino. 2.*ratione modi indebiti*;quæ rursum est duplex. 1. di-

citur *cultus falsus*, vt si quis Deum colat cæremoniis Iudæorum, quibus significatur Christus venturus, aut fidem nostram falsis miraculis confirmare contendat, aut diuino officio turpia admisceat tanquam illius partem. 2. dicitur *cultus superfluus*, quando scilicet præter Ecclesiæ vsum ponitur religio iis in rebus, aut circumstantiis in quibus non est ponenda, vt in numero, colore, situ, &c. aut quando variantur cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, quæ variatio, vt plurimùm, est tantùm peccatum veniale; nisi fiat magna peruersio in cæremoniis, ex præcepto vel consuetudine adhiberi solitis. At cultus falsus est peccatum mortale ex suo genere; quia grauem infert irreuerentiam Deo. *tom.2.pag.*177.*n.*1.*& seq.*

2. Qui in diuino officio turpia, aut vana canit voce, organo, aut alio musico instrumento, etiamsi non intendat illa admiscere tanquam diuini officij partem, grauiter peccat ratione scandali; prouocat enim impuram delectationem. At si tantùm vtatur sono, aut voce profana & sæculari, absque impura delectatione, non videtur grauiter peccare: quia sonus organi, aut vocis est ex se indifferens; ergo non fit mortalis, nisi ratione praui finis, aut circumstantiæ mortalis. *ibid num.*3.

SVSPENSIO.

Quid & quotuplex sit suspensio.

1. SVspensio propriè dicta est censura Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica impeditur ne functiones exerceat sui beneficij, vel officij, vel ordinis, in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. Est autem multiplex suspensio: alia enim est *à beneficio tantùm*, siue beneficium sit canonicatus, siue dignitas, siue Episcopatus, siue aliud: alia est *ab officio tantùm*, siue officium sit Ordinis, siue iurisdictionis: alia *ab officio, & beneficio simul.* Rursus suspensio ab officio, alia est *ab officio in totum*, alia *ab officio in partem.* Item alia est *suspensio pœnalis*, quæ fertur in pœnam delicti; alia *medicinalis*, qua intenditur emendatio, & bonum delinquentis. Item alia est *temporalis*, quæ fertur cum limitatione temporis; alia *perpetua*, quæ fertur absque limitatione. Denique alia est *à iure*, alia *ab homine*, *tom.*1.*pag.*423.*num.*1.*&* 2.

2. Episcopus, vel iudex qui tulit censuram suspensionis, vel interdicti, potest ex iusta causa illam suspendere ad tempus, & concedere celebranti vt tunc temporis non incurrat irregula-

regularitatem: quia cenſura non ligat vltra intentionem iudicis. *ibid.num.*4.

3. Quando Epiſcopus fert ſententiam ſuſpenſionis, poſtea iuſta aliqua de cauſa illam ſuſpendit, vel aufert ad reincidentiam: ſuſpenſus autem durante illo termino appellat, appellatio vim habet ſuſpendendi ipſam ſententiam, itavt elapſo termino conceſſo à ſuperiore, cenſura non liget, ſed eius executio impediatur per appellationem. *ibid.*

Suſpenſionis effectus.

4. Suſpenſio lata abſolutè abſque vlla limitatione, ſuſpendit abſolutè ab officio, & beneficio: cùm enim verba ſint generalia, generaliter ſunt accipienda. Quæ verò lata eſt cum expreſſione alicuius effectus particularis, extenditur ad illum effectum, & ad ea quæ ſunt illi adnexa: cenſura enim efficit id quod ſignificat. Quare Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, vel ab Ordine Pontificali, intelligitur ſolùm ſuſpenſus ab iis quæ pertinent ad vſum Ordinis Epiſcopatus, cuiuſmodi ſunt confirmare, Ordines conferre, conſecrare Eccleſias, &c. Non verò intelligitur ſuſpenſus ab iis quæ pertinent ad iuriſdictionem, qualia ſunt excommunicare, conferre beneficia: neque intelligitur ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, confeſſionibus audiendis, &c. *tom.*1.*pag.*424.*n.*1.2.*&* 3.

5. Suſpenſus ab Ordine, non cenſetur eo ipſo ſuſpenſus à iuriſdictione, quia Ordo non eſt neceſſariò adnexus iuriſdictioni, vt patet in eo qui electus eſt, & confirmatus in Epiſcopum, quem conſtat poſſe ante conſecrationem, ea quæ ſunt iuriſdictionis exercere, vt excommunicare, &c. *ibidem, numero* 4.

6. Suſpenſus ab Ordine, non videtur ſuſpenſus à beneficio, vel eius fructibus niſi indirectè, quatenus per ſuſpenſionem impeditur ne munus ſuum obeat. Suſpenſus autem ob Ordine inferiori, cenſetur ſuſpenſus à ſuperiori: quia cui non licet quod minus, nec ei licere debet quod maius. At qui ſuſpenſus eſt à ſuperiori, non cenſetur ſuſpenſus ab inferiori: quia inferior non fundatur in ſuperiori, *ibid.n.*5.*&* 7.

7. Suſpenſus ab officio, nulla addita limitatione, intelligitur ſuſpenſus ab officio Ordinis, & iuriſdictionis. Suſpenſus ſimpliciter ab officio, non cenſetur ſuſpenſus à beneficio, ſeu fructibus illius: debet tamen per alium ſupplere onera ſui beneficij, quæ per ſe non poteſt exercere, alioquin non poteſt

fructus percipere, quia beneficium datur propter officium. *ibid.num.9.& 10.*

8. Suspensus à beneficio non intelligitur suspensus ab officio, etiamsi officium ei competat ratione beneficij: propterea suspensus à beneficio non priuatur vsu, & exercitio rerum spiritualium, vel temporalium; consequenter potest beneficia conferre. Fructus autem beneficij eo tempore quo quis manet suspensus à beneficio, conuertendi sunt in vtilitatem Ecclesiæ, detractis iis quæ dantur substituto vt inseruiat. *tom. 1. pag.425.num.12.& 14.*

9. Suspenso ob contumatiam, nulla tradenda est portio fructuum beneficij: sibi enim imputet, cum in ipsius manu positum sit liberari à suspensione, & acquirere ius ad fructus. Suspenso verò in pœnam delicti tradenda est portio fructuum sufficiens ad congruam sustentationem ne mendicare cogatur. *ibid.num.14.*

10. Suspensus ab officio in aliquo loco, est vbique suspensus, modò suspensio lata sit absque loci determinatione; quia suspensio sequitur suspensum vbicumque sit. *tom. 1.pag. 426. numero 7.*

11. Inualida est collatio beneficij facta suspenso à beneficiis: quia suspensus à beneficio priuatur iure percipiendi fructus beneficij; modò suspensio lata sit absolutè. *ibidem, numero 8.*

Violatio suspensionis.

12. Suspensus peccat mortaliter, ex suo genere, exercendo actum à quo est suspensus: quia violat præceptum Ecclesiasticum in re graui: ratione tamen paruitatis materiæ, excusari potest à mortali. *ibid.n.1.*

13. Communicans cum suspenso nondum denunciato in iis à quibus est suspensus, non peccat mort. Neque ipse suspensus peccat mort. nec fit irregularis exercendo functiones Ordinum à quibus est suspensus, modò non se sponte ingerat, nec maiorem ordinem, à quo est suspensus, solemniter exerceat. *ibid.n.3.& pag.427.n.5.*

14. Acta per suspensum toleratum, valida sunt: cum enim hic ab Ecclesia toleretur, non illi adimitur iuridisctio. Acta verò iurisdictionis propriæ per suspensum nominatim denunciatum, inualida sunt, nisi adsit titulus coloratus, & error communis vulgi: actus autem ordinis qui non requirunt

runt iurisdictionem, validi sunt vt consecrare, confirmare, &c. Porrò absolutio sacramentalis collata à suspenso denunciato, est inualida, quia est actus ordinis, & iurisdictionis. *ibid. numero 7.*

Absolutio à suspensione.

15. Suspensio ad tempus lata, cessat eo tempore elapso, absque alia absolutione; item suspensio lata cum particula, *donec satisfeceris*, cessat exhibita satisfactione: sic enim vsu, & praxi receptum est in suspensione, & interdicto; non verò in excommunicatione. *tom.1.pag.436.n.1.*

16. Potest Episcopus absoluere suos subditos à suspensione perpetua, etiam Papæ reseruata, modò proueniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. At suspensio lata in puram pœnam pro delicto præterito, non potest auferri ab eo qui est inferior eo à quo lata est suspensio; quia hæc non aufertur per absolutionem, sed per dispensationem. Dispensatio autem, ex sua natura, censetur reseruata. *ibid.num.6.*

De suspensione Episcoporum, clericorum, & religiosorum, vide tit. *Episcopus, Clericus, Religiosus.*

Susurratio.

1. SVsurratio est peccatum linguæ quo quis alterius defectum aperit ad discordias inter amicos seminandas. Differt à detractione cuius finis est denigratio famæ; sæpe tamen vsuuenit, vt susurratio includat detractionem; quia ad seminandas discordias detegitur aliquando crimen alterius occultum. *tom.2.pag.443.n.1.& pap.444.n.2.*

2. Susurratio videtur peccatum grauius detractione, & contumelia: quia finis illius est dirimere, & dissoluere amicitiam, quæ præstantior est fama, & honore. *tom.2.pag.444. numero 3.*

3. Susurratio est peccatum mort. ex suo genere, contra iustitiam; ratione tamen indeliberationis, & inaduertentiæ, aliquando excusatur à mortali. Immò est aliquando licita, vt quando quis manifestat alterius defectum, absque mendacio, ad periculosam, & perniciosam amicitiam dissoluendam. Sic secluso mendacio, licet dicere concubinario, quam domi alit concubinam esse turpem, & publicam meretricē *ibi.n.1.& seq.*

4. Possum aliquorum amicitiam modis licitis dirimere, vt eam mihi conciliem: amicitia enim est bonum gratuitum pendens à libera voluntate conferentis. *ibid.n.6.*

T.

TEMPERANTIA.

1. TEMPERANTIA in eo posita est, vt non plus cibi, & potus sumatur quàm ratio naturalis dictat. Peccatur autem contra temperantiam 1. quando finis vltimus in cibis, & ingluuie constituitur, vti faciunt ij quorum Deus venter est. 2. quando qui cibo, & potui ita indulget, vt inde sibi graue nocumentum præuideat euenturum. 3. quando quis per intemperantiam dat causam ebrietati: ebrietas quippe est intrinsecè mala, estque peccatum ex suo genere mortale: quia mortaliter aduersatur rectæ rationi, cùm violenter adimat vsum rationis, quod est præcipuum hominis bonum, per quod à brutis distinguitur: neque tantum adimit vsum rationis, vt somnus, sed etiam facultatem vtendi ratione, qua facultate homo se priuare nequit, cùm non sit dominus illius. *tom.2.pag.336.n.2.*

2. Ebrietas tamen non ita est intrinsecè mala, quin ob iustam circumstantiam possit aliquando permitti. Potest enim quis ex præscripto medici magnam potus quantitatem sumere causa sanitatis, quamuis inde præuideat sequuturam ebrietatem: quia hic non intendit ebrietatem, sed sanitatem, cuius recuperandæ causa ebrietatem permittit; sicut aliquando licet pollutionem iusta de causa permittere, quamuis eam intendere, & procurare non liceat. *tom.2.pag.337.n.3.*

3. Germani, aliíque qui se prouocant maioribus poculis, séque vino ingurgitant, non sunt excusatione digni; quia intendunt ebrietatem. Secùs si graui ex causa vinum largiùs hauriant, non intendentes ebrietatem, vt si sumant ad vitandam mortem quàm propinans minatur, nisi respondeant: tunc enim dicuntur solùm permittere ebrietatem. Porrò qui prouocat, seu inducit alium ad ebrietatem, mortaliter peccat. *ibid.*

4. Non

4. Nonnulli haud obſcuri nominis auctores cenſent licitum eſſe alium inebriare ad impediendum graue malum, quod alia ratione impediri nequeat: vt ſi quis captus ab hoſtibus ducatur ad tabernam, ibíque cum illis ſtrenuè potet vt illos inebriet, ſéque fugâ proripiat: licet enim inducere ad minus malum, vt impediatur maius. Probabilius tamen eſt, nunquam licere intendere ebrietatem, & ad illam directè cooperari; cum ſit intrinſecè mala, nec ſint facienda mala, vt inde eueniant bona. *ibid.*

Tentatio Dei.

1. TEntatio Dei eſt actus contra religionem quo quis abſque iuſta cauſa, aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum de aliqua Dei perfectione, v. g. de potentia, de ſapientia, iuſtitia, miſericordia, &c. vt ſi quis imperitus velit concionari abſque iuſta cauſa, & præuia meditatione, ſeu præparatione, ſperans ſibi à Deo ſuggerendos conceptus. *tom.2.pag.212.num.1.*

2. Tentatio Dei eſt peccatum contra religionem; eſt enim quædam irreuerentia in Deum. Eſt autem alia *expreſſa*, cùm aliquid fit ea intentione vt experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione, vt ſi quis petat miraculum, vel ſe præcipitem det in puteum, vt experiatur an Deus ſe lædi permittat. Alia *interpretatiua*, quando aliquid fit quod per ſe, & ſuapte natura, ad nihil aliud referri poſſe videtur quàm ad experiendam aliquam Dei perfectionem, etiamſi expreſsè hoc non intendatur, vt ſi quis ad Chriſti imitationem velit per totam Quadrageſimam à cibo abſtinere; hic enim dicitur interpretatiuè Deum tentare, cùm omittat modos à diuina prouidentia conſtitutos. *ibid.num.2.& pag.213.n.3.*

3. Tentatio Dei, regulariter loquendo, eſt peccatum mort. eſt enim quidam Dei contemptus, In his autem caſibus peccatur mortaliter Deum tentando. 1. quando experimentum coniunctum eſt cum aperto grauis damni periculo, vt cùm grauiter ægrotans reſpuit medicamenta, ſperans à Deo ſanitatem; aut quando quis duellum acceptat, ad probandam ſuam innocentiam, ſperans ſe à Deo ſeruatum iri. Huc ſpectant purgationes per ferrum candens, aquam frigidam, vel feruentem, aut per ſanguinem ex corpore occiſi manantem: peccat autem grauiter, iudex qui ex huiuſmodi indiciis procedit ad aliquem torquendum, condemnandum, ſeu abſoluendum: hæc

enim indicia non sunt humana, neque naturalia. 2. casus est; quando subest periculum scandali, vt cùm quis absque necessitate petit miraculum in fidei confirmationem. 3. quando ex curiositate petitur opus aliquod supernaturale; neque enim Deus est fautor curiositatis. *tom.2.pag.213.n.4 & 5.*

4. Fieri tamen potest vt tentatio Dei sit tantùm peccatum veniale, vel ratione ignorantiæ inuincibilis, aut indeliberationis; vel ratione paruitatis materiæ, vt dùm quis leui morbo affectus, vanè sperat à Deo sanitatem, mediis ordinariis prætermissis, &c. *ibid.num.6.*

5. Ille non dicitur Deum tentare qui iusta causa interueniente, miraculum à Deo expectat, vt dùm speratur infidelium conuersio. *ibid.num.7.*

TESTAMENTVM. LEGATVM.

Quid & quotuplex sit testamentum.

1. TEstamentum est iusta nostræ voluntatis sententia, qua testatum relinquimus quid fieri velimus de nostris bonis, cum directa institutione hæredis. Codicillus non est propriè testamentum; definitur enim vltima voluntas minus solemnis, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, coram quinque testibus declarata. *tom.2. pag.637.num.1. & pag.638.num.2.*

2. Duplex est testamentum; alterùm dicitur *clausum*, eo quod testator latere velit quod in eo continetur; alterum dicitur *nuncupatiuum* eò quod testatur sine scriptura, coram testibus declaret, quid post mortem suam fieri velit, ob eam causam vocatur testamentum *apertum*: interdum tamen additur scriptura, vt facilius probetur intentio testatoris. *ibid. num 9.*

3. Ad testamentum in scriptis, seu clausum, hæc requiruntur. 1. vt post confectam, & clausam scripturam adhibeantur septem testes, masculi, liberi, puberes, & rogati, seu vocati ad hoc, coram quibus testator, vno, eodemque tempore indicet, illud esse suum testamentum, illudque propria manu subscribat, si potest; sin minus, adhibeat octauum testem, qui pro ipso subscribat, vidente notario, & facta mentione se id fecisse de ordine testatoris. 2. opus est vt singuli testes eodem tempore subscribant, modò ibi reperiantur septem testes qui scribere sciant, alioquin vnus pro aliis subscribet. 3. vt singuli sigilla

apponant;

apponant; iure autem communi idem annulus omnibus sufficit. 4. vt quando testamentum fit coram tabellione, scripturâ publicâ, apponatur dies, mensis, & annus. Secùs si fiat scriptura priuata; sufficit enim vt publicetur, quod non requiritur in testamento facto scriptura publica. *tom. 2. pag. 639. num. 10. & 11.*

4. Ad testamentum nuncupatiuum requiruntur septem testes masculi, liberi, puberes, id est, qui 14. annum compleuerint, & rogati, seu vocati. Hi autem testes debent simul audire, & intelligere vocem, & voluntatem testatoris, seu scripto, seu viua voce expressam; non tamen necessaria est subscriptio, aut sigillum, aut notarij præsentia. Quare validum est testamentum; quando testator coram septem testibus suam declarauit voluntatem, quam notarius in scriptis redegit, sed antequam scriptura, seu lectio absolueretur, testator interiit: testamentum enim perfectum videtur; cùm scriptura non sit de eius solemnitate substantiali. Item validum est testamentum quo quis coram septem testibus nominat, & instituit aliquem hæredem, expresso eius nomine proprio, aut etiam dùm tacito ipsius nomine dicit se illum instituere hæredem, quem expressit in scheda relicta apud Parochum, vel Ordinarium loci. *ibid. num. 12.*

5. Ad testamentum militare factum in castris, sufficiunt duo testes rogati; subsistitque hoc testamentum per annum post iustam missionem, seu discessum ab exercitu; elapso verò anno non subsistit, quia tempus habuit faciendi nouum testamentum, iuxta formam iuris communis. Ad testamentum verò factum in ipso conflictu, satis est, vt miles, proprio sanguine, suam scribat voluntatem in clypeo, vagina, vel re alia, eiusque manus probetur duobus testibus, etiam non rogatis. *ibid.*

6. Testamentum patris inter liberos valet, etiamsi tantummodo ab eo scriptum fuerit, vel subscriptum, absque testibus. Aut si pater suam exprimat voluntatem coram duobus testibus, etiam fœminis, & non rogatis. *ibidem, numero 13.*

Quis testari possit.

7. Quilibet sufficienter vtens ratione, & liberam habens bonorum administrationem, testari potest, nisi prohibeatur. Prohibentur autem testari 1. furiosi lucidis destituti internallis;

uallis; quare si quis postquam cœpit testari, incidat in phrenesim, vel amentiam, antequam perficeret testamentum, inualidè testatur. 2. surdi, & muti à natiuitate testari non possunt ad causas profanas; ad pias possunt, quia in dispositione ad pias causas, necessaria non est solemnitas iuris ciuilis. 3. qui non possunt articulatè loqui ad exprimendum hæredem. 4. impuberes qui nondum impleuerunt 14. annum si sint masculi, aut 12. si sint fœminæ. 5. prodigi quibus adempta est bonorum administratio. 6. filij familiàs qui sunt sub patris potestate, nisi habeant bona castrensia, vel quasi castrensia, possunt tamen ad causas pias de aduentitiis, consentiente patre testari. 7. illi qui ob delicta testari prohibentur, vt vsurarij notorij, hæretici, Cardinalium percussores, damnati ob libellum famosum, & capite damnati. 8. religiosi qui votum paupertatis solemne emiserunt in approbata religione. 9. serui sunt actiuè intestabiles; passiuè tamen sunt testamenti capaces. *tom.2 pag. 640. n.1. & seq. & pag. 641. & 642.*

8. Testamentum factum à beneficiario, si iura spectemus, non est validum. Sin attendamus consuetudinem in multis locis receptam, validum est non modò ad pias causas, sed etiam ad profanas; ius enim positiuum potest contraria consuetudine abrogari. Quare qui accipiunt fructus beneficij, sibi testamento relictos, non peccant, neque tenentur ad restitutionem: peccat tamen beneficiarius qui de fructibus beneficij testatur ad profanas causas. De bonis autem patrimonialibus clericus, mortuo patre, licitè, & validè testatur. *tom.2. pag. 641. n.4. & pag. 642. n.5.*

Quis possit hæres, aut legatarius institui.

9. Omnes, non solùm priuati, sed etiam communitates, possunt institui hæredes, & legatariæ, modò sint capaces, neque impediantur à iure. Prohibentur autem qui sunt intestabiles ob delictum; non verò qui sunt intestabiles ob aliquem defectum non culpabilem; propterea pupillus, & mutus, qui ob defectum intestabiles sunt, possunt capere quod sibi testamento relictum fuit. *tom.2. pag. 642. n.1. & 2.*

10. Religiosi quibus permissum est possidere bona immobilia in communi, possunt institui hæredes, & legatarij; sunt enim capaces hæreditatis, non quidem sibi, sed monasterio acquirendæ. Fratres verò minores sunt incapaces hæreditatis, & legatorum, nisi relinquantur ad fabricam, oleum, vinum,

ceram,

ceram, ornamenta altaris, & Ecclesiæ. Potest tamen in eorum fauorem, hæreditas, seu legatum relinqui alicui vendendum, vt pretium illis tradatur; sic enim fratres nullum ius acquirunt, nec violant votum paupertatis. *tom.2. pagina 649. numero 3.*

11. Monasterium capax successionis, succedit in omnia religiosi bona, seu acquisita ante professionem, seu post, quocumque tandem titulo fuerint acquisita, modò ante professionem non disposuerit de suis bonis. Cæterum omnes religiosi, etiam mendicantes, sunt capaces successionis, possuntque bona immobilia possidere, exceptis fratribus minoribus de Obseruantia, & Capucinis S. Francisci. *ibid. n. 5.*

12. Hæreditas religioso delata, immediatè acquiritur monasterio, seu religioni, consequenter monasterium potest illam adire, inscio, immò etiam renitente religioso: religiosus enim omnia sua iura in monasterium transtulit. *tom. pag. 644. numero 7.*

13. Filij spurij non possunt institui hæredes: naturales autem possunt, si parentes non habebeant legitimam prolem; relicta tamen ascendentibus legitima. At si filius naturalis non fuit institutus hæres à patre non ei succedit ab intestato, præterquam in *6.* parte bonorum; si pater nullam legitimam prolem reliquit. Matri verò filios legitimos non habenti, filius naturalis succedit ex asse, quamuis ipsa non fecerit testamentum; habenti autem filios legitimos, filius naturalis succedit ex æquo cum legitimis. *tom. 2. pagina 645. numero 12.*

14. Filius spurius non legitimatus, non potest hæres institui à patre, neque illi potest quidquam relinqui præter alimenta. Respectu autem matris, filius spurius pressè, & strictè sumptus, idest genitus ex iis inter quos erat impedimentum dirimens matrimonium, non potest, iure communi, succedere matri, neque ex testamento, neque ab intestato, quando fuit conceptus ex coitu damnato, & punibili lege humana, vt ex adulterio, incestu, sacrilegio. *ibid. & pag. 646. numero 12.*

15. Pater non potest aliquem instituere hæredem, rogando illum vt postea ipse restituat filio spurio hæreditatem: qui autem hoc pacto fuit iustitutus hæres, cum promissione tradendi hæreditatem spurio, potest illam sibi retinere; hæc enim promissio, vtpote contra legem, non obligat. *ibid. num. 15.* Porrò sicut spurij non possunt succedere parentibus, sic parentes,

rentes, aliíque ascendentes, filiis spuriis succedere non possunt. *tom.2.pag.647.n.17.*

16. Qui omnia bona relinquit Ecclesiæ, aut aliis, nihílque consanguineis relinquit, ob inimicitias quas nondum deposuit, non potest à Confessario absolui. Si verò deposuit inimicitias, & consanguineos habet in linea recta, debet mutare testamentum antequam absoluatur, nisi iustam habeat illos exhæredandi causam. At si desunt consanguinei in linea recta, potest absolui, non mutato testamento, nisi statuta locorum aliud ferant. *ibid.n.22.*

17. Filij, parentes, fratres, & sorores succedunt ab intestato. Itavt deficientibus descendentibus succedant parentes; deficientibus parentibus immediatis, succedant aui; deficientibus auis, aut aliis ascendentibus, succedant fratres, & eorum filij. Denique deficientibus ascendentibus, descendentibus, fratribus, & eorum filiis, succedant propinquiores per capita, vsque ad decimum gradum inclusiuè, vnde fit vt si defunctus relinquat fratrem, & patruum, succedat frater; quia frater est propior defuncto, quàm patruus. *ibid.n.23.*

Testamenti conditiones.

18. Prima conditio est, vt instituatur certus hæres, capax testamenti, qui in omnia defuncti iura realia succedat, deducto ære alieno. *tom.2.pag.651.n.1.*

19. Secunda, vt ille instituatur hæres, qui de iure instituendus est: quare inualidum est testamentum patris in quo filius est prætermissus; filius enim instituendus est hæres, aut nominatim exhæredandus addita exhæredationis causa, quæ probanda est per hæredem, aliòquin testamentum est irritum. Item irritum est testamentum patris, superueniente filio posthumo, cuius pater non fecerat mentionem. Non tamen irritatur testamentum quoad omnia in eo contenta; sed tantùm quoad institutionem hæredis; consequenter testamentum saluatur per clausulam codicillarem; ac proinde legata, substitutiones, & fideicommissa seruanda sunt ab eo qui successurus est. Porrò querela inofficiosi testamenti quæ competit liberis contra parentes, & vicissim, intentanda est intra quinquennium à die aditæ hæreditatis. Si autem causa exhæredationis probetur intra illud tempus, corruit querela, & testamentum manet validum: at si causa exhæredationis non probetur, irritatur testamentum, tanquam inofficiosum. *tom.2. pag.652.num.1.2.& 3.*

20. Ter

20. Tertia conditio eſt, vt teſtator liberam habeat bonorum adminiſtrationem, nec à iure prohibeatur teſtari. *ibidem, num.*3.

21. Quarta vt adſit certus numerus teſtium, nempe ſeptem, qui ſint teſtes legitimi, id eſt, his qualitatibus inſtructi:

Ætas, conditio, ſexus, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requiras.

Ætas in teſte requiſita, eſt 14. annorum; excipe 1. teſtamentum mulitis. 2. inter liberos. 3. ad cauſas pias; in his enim ſufficit vt teſtis ſit pubertati proximus. *Conditio* excludit ſeruos à ferendo teſtimonio in teſtamentis. *Sexus* innuit fœminas ad teſtimonium in teſtamenris non admitti. *Diſcretio* deſignat rationis vſum, & ſanitatem mentis in teſte. *Fama* indicat infames arceri à teſtimonio in teſtamentis. *Fortuna* excludit pauperes ob periculum ſubornationis. *Fides* ponitur 1. ad repellendum infidelem à teſtimonio contra fidelem. 2. ad excludendos illos de quorum intereſſe agitur. *ibid.num.*3. *&* *pag.*653.*num.eod.*

22. Religioſi, iuxta probabiliorem, & vſu receptam ſententiam, poſſunt teſtes adhiberi etiam in teſtamento in quo aliquid ipſorum monaſterio relinquitur; id enim nullo iure vetitum videtur, neque profeſſio, licet vocetur mors ciuilis, efficit illos inhabiles ad ferendum teſtimonium, ſed tantùm ad ſuccedendum nomine proprio. *tom.* 2. *pagin* 653. *numero* 3.

23. Teſtamentum, & legatum ſemper poteſt à teſtatore reuocari vſque ad mortem, niſi factum ſit à religioſo ante profeſſionem: voluntas enim teſtatoris dicitur ambulatoria vſque ad mortem: etiamſi teſtamentum factum ſit cum iuramento non reuocandi; poteſt enim adhuc validè, non tamen licitè reuocari, propter religionem iuramenti. *tom.* 2. *pag.* 654. *num.*1. *&* 4.

24. Religioſus profeſſus non poteſt reuocare teſtamentum factum ante profeſſionem, niſi priuilegium obtineat à Summo Pontif. vel transferatur ad ſtatum, in quo habeat diſponendi facultatem, vt ſi fiat Epiſcopus, vel transferatur ad ſtatum clericalem, cum facultate diſponendi de ſuis bonis; tunc enim poteſt reuocare teſtamentum, & bona aliis relicta teſtamento, repetere. *ibid.num.*7.

25. Reuocatio teſtamenti non eſt valida, niſi teſtator in ea reuocatione dixerit ſe velle decedere ab inteſtato, aut niſi nouum

nouum hæredem expreſsè inſtituerit: prius enim teſtamentum reuocatur per inſtitutionem ſecundi hæredis: ſin dicat velle ſe decedere ab inteſtato, virtualiter inſtituit hæredem illum qui ab inteſtato ſuccedit. Oppoſita tamen ſententia eſt etiam probabilis. Cæterum apud omnes conſtat teſtamentum cenſeri reuocatum, per reuocationem poſteriorem, in qua teſtator non expreſſit ſe velle ab inteſtato decedere, ſi reuocatio facta fuit ſaltem coram tribus teſtibus, & iam elapſi ſunt decem anni à die reuocationis, vel à die conditi teſtamenti; ſic enim iura diſponunt. *tom.2.pag.655.n.9.*

Obligatio hæredum.

26. Hæres poſt aditam hæreditatem, tenetur perſoluere teſtatoris debita realia & legata ab ipſo relicta. Conceduntur autem hæredi tres menſes à die qua cognouit ſe inſtitutum hæredem, intra quod tempus ſi hæreditatem non adierit, ad nihil tenetur, etiamſi inuentarium non confecerit; nec ei poteſt intra dictum tempus moleſtia inferri à creditoribus, vel legatariis. Debet tamen facere inuentarium coram notario, citatis creditoribus, & legatariis. *ibid.n.1.& 2.*

27. Hæres non conficiens inuentarium, non tenetur in foro conſcientiæ, etiam poſt ſententiam iudicis, ſoluere legata, vel debita defuncti, excedentia vires hæreditatis. Quia ſententia iudicis nititur præſumptione fraudis; igitur ſi fraus abſit, non obligat in conſcientia. *ibid.num.3.*

Legatum.

28. Legatum eſt donatio quam defunctus præſtandam reliquit ab hærede, de eo quod foret hæredis. Fit autem multis modis. 1. *purè & abſque conditione, vel determinatione diei*, & huiuſmodi legatum debetur legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris. 2. *ſub conditione*, in quo caſu legatum non debetur, niſi adueniente conditione; quæ conditio aut eſt expreſſa, aut tacita; de præterito, aut præſenti, aut futuro; neceſſaria, aut contingens; poſſibilis, vel impoſſibilis; turpis vel honeſta. *tom.2.pag.656.n.1.& pag.657.n.3.*

29. Legatum eſt conditionale, ſi dicatur; *relinquo Bertæ centum ſi nubat*; conſequenter hoc legatum non debetur Bertæ antequam nupſerit, neque mortua Berta ante nuptias, tranſmittitur ad hæredes, quia legatum conditionale non acquiritur

acquiritur ante conditionis euentum. Si verò dicatur: *relinquo Bertæ centum vt nubat* ; legatum est *modale* , debeturque ante conditionis euentum ; consequenter transmittitur ad hæredes. Idem dicendum videtur si legatum relictum fuit Bertæ , vt nubat Titio , mortuo autem ante nuptias Titio , alteri vult nubere ; per ipsam enim non stetit ne Titio nuberet. Sic multi censent legatum factum Ecclesiæ sub conditione sepulturæ , esse validum , & Ecclesiæ deberi , si per ipsum testatorem stetit quo minus in Ecclesia sepeliretur, puta quia sibi ipse mortem consciuit, aut quia excommunicatus fuit ; nam per Ecclesiam non stetit quo minus conditio impleretur. *tom.* 2.*pag.*657.*num.*4.

30. Testamentum , vel legatum *pium* , seu *ad pias causas* dicitur illud quod fit intuitu pietatis , vt in honorem Dei,aut sanctorum , vel pro animæ salute , &c. Idem senciendum de legatis relictis pro alimentis pauperum, vel pro puellis maritandis, aut religionem ingressuris, vel pro captiuis redimendis,mortuis sepeliendis,&c. *ibid.n.*1.

31. Testator det operam vt conficiat testamentum,seu legatum ad causas pias , aut saltem illud ratificet dùm est in gratia,vt illi prosit ad vitã æternam:quia bonum opus in mortali peccato factum,censetur opus mortuum.*tom.*2.*p.*658.*n.*3.

32. Animæ defuncti testatoris non nocet negligentia hæredum in persoluendis legatis , nisi quatenus non exhibentur debita suffragia , & remedia expiationis , quibus anima defuncti posset eripi , & subleuari à pœnis purgatorij ; grauiter tamen peccant executores legatorum quando non præstant debitam operam,& diligentiam in voluntate testatoris exequenda. *tom.*2.*pag.*663.*n.*4.

33. Hæredes necessarij quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt suam partem legitimum ex bonis testatoris detrahere , quamuis illa non sufficiant ad persoluenda legata; nam hæredes necessarij,suâ legitimâ priuari non possunt. Portio autem legitima est tertia pars bonorum defuncti , quando hæredes non sunt plures quatuor ; quando verò sunt plures , est dimidium bonorum , quod inter hæredes est æqualiter diuidendum. *tom.*2.*pag.*664.*n.*1.

34. Hæredes non necessarij quibus legitima portio non debetur , possunt ad ratam à singulis detrahere quartam partem bonorum defuncti,quæ *falcidia* nuncupatur,etiamsi bona defuncti non sufficiant ad satisfaciendum legatis ab ipso relictis. *ibid.num.*4.

35. Multis de causis liberatur hæres à solutione legati: 1. quando legatum est inualidum, vel defectu voluntatis, aut potestatis in legante, vel defectu solemnitatis à iure præscriptæ, vel ratione materiæ, vel ratione personæ cui fit legatum, vel defectu conditionis, &c. 2. quando legatum fuit expressè, vel tacitè à testatore reuocatum. 3. quando res legata perempta est absque culpa hæredis. 4. quando legatum fit caducum, vt cum legatarius moritur ante ipsum testatorem, tunc enim legatum acquiritur hæredi, modò non sit pium. 5. quando legatarius repudiat legatum. *tom 2. pag. 664. num. 1. & pag. 665. & 666.*

36 Legatum relictum ad vnum vsum, non potest in alium vsum conuerti absque iusta, & rationabili causa, accedente legitimi superioris consensu: voluntas enim testatoris seruanda est tanquam lex. Legitimus autem superior in legatis profanis est Princeps supremus; in legatis verò piis, Summus Pontif. hæc enim commutatio est actus supremæ iurisdictionis. Potest tamen Episcopus ob causam quæ sibi iusta videatur, consentiente hærede, si ob id grauatur, & loco pio cui res fuerat relicta, potest, inquam, legatum pium relictum ad certum vsum, conuertere in alium pium vsum: sic enim nulli fit iniuria. *tom. 2. pag. 666. num. 1. & 2. & pag. 667. n. 4.*

37. In legatis piis legitimus iudex est Episcopus loci; immò ipse est legitimus vltimarum voluntatum, & piorum legatorum executor, iure ciuili, & canonico. Hinc fit, vt testator in suo testamento cauere non possit ne Episcopus curet sua pia legata adimpleri. *tom. 2. pag. 668. num. 1.*

Testamenti executio.

38. Executores vltimarum voluntatum alij constituuntur à iure, & *legitimi* vocantur; alij ab homine, & dicuntur *testamentarij*; alij quidem *vniuersales*, quibus mandatur executio totius testamenti, suntque instar hæredum; alij verò *particulares*, quibus testator, forte dubitans de fide hæredis, curam demandauit exequendi disposita ab ipso testatore, seu distribuendi certas res in varias causas ab ipso relictas. *tom. 2. pag. 668. num 1*

39. Possunt autem omnes qui non prohibentur à iure, constitui executores vltimarum voluntatum. Nullus tamen religiosus claustralis potest esse executor testamenti, etiam ad pias causas, absque superioris facultate. In Societate autem

IESV hæc facultas reseruata est Præposito Generali. Nihilominus executio testamenti facta à religioso absque licentia superioris, est valida, nisi ante factam executionem, religiosus, auctoritate iudicis ab exequendo repellatur; ius enim non irritat huiusmodi executionem. *tom. 2. pag. 669. num. 1. 2. & 4.*

40. Testamenti executores possunt pecuniam acceptam ad distribuendum in pauperes, applicare sibi, suísque consanguineis, vel amicis egestate laborantibus; vel suo monasterio pauperi si est religiosus executor testamenti: executor enim non fit deterioris conditionis ob impositum sibi onus distribuendi aliis. *tom. 2 pag. 670. num. 9.*

Testis.

1. IVdici legitimè procedenti, & seruato iuris ordine interroganti, tenetur testis interrogatus respondere, & veritatem aperire, nisi iustam habeat retinendi causam, cuiusmodi est iusta compensatio, secretum confessionis, &c. *tom. 2. pag. 331. n 4.*

2. Nemo per se loquendo tenetur testari quod sub secreto, vel gratia consilij, aut auxilij accepit. Nullus item tenetur testimonium ferre cum metu grauis damni, aut cum videt suo testimonio capitis periculum alicui creandum, nisi iuridicè interrogetur. Denique nullus tenetur ex iustitia offerre se ad testandum in commodum alterius, nisi ex pacto, aut officio teneatur. *ibid. pag. 331. 332. n. 6. & seq.*

3. Probabile est, eum qui post citationem fugit ne cogatur testimonium ferre, non peccare contra iustitiam, sed contra obedientiam. *tom. 2. pag. 332. n. 13.*

4. Testis non tenetur ex iustitia, iurare se dicturum veritatem dum interrogatur à iudice; quia iudex nullam ei iustitiæ obligationem imponit. *ibid.*

5. Testis qui post adhibitam moralem diligentiam quæ ad debitè testandum requiritur, falsum testatus est in damnum tertij, seu ex inaduertentia, seu ex obliuione, seu ex alia causa à peccato legitimè excusante, non tenetur ad reparationem damni quod alter inde passus est: Secùs dicendum si qua ipsius interuenit culpa. *ibid. num. 15.*

6. Is qui scienter falso testimonio alium in discrimen capitis adduxit, tenetur se retractare, etiam cum periculo similis pœnæ subeundæ, si sperat hanc retractationem profuturam:

testis autem qui veritatem negauit, non tenetur se iterum offerre ad testimonium dicendum nisi damnum pendeat in futurum. *ibid.num.16.& 17.*

7. Qui acceptâ pecuniâ verum testimonium tulit, non tenetur ad restitutionem: qui verò pecuniam accepit vt falsum testaretur, ante testimonium tenetur ad restitutionem pecuniæ; post testimonium verò tenetur ad reparationem damni quod inde sequutum est. *pag.333.num.18.*

8. Testis habet ius petendi compensationem damni emergentis, & lucri cessantis pro tempore quo in ferendo testimonio fuit occupatus. *ibd.num.19.*

9. In controuersia orta inter testes actoris, & rei, circa substantialia, pronunciandum est in fauorem rei; quia melior est conditio possidentis, nec vllus præsumitur nocens nisi probetur. *ibid.num.20.*

Tutor. Curator.

1. TVtor is dicitur qui datur pupillo, seu impuberi extra patris potestatem existenti. Dicitur autem à tuendo, quia datur præcipuè ad tuendam personam quæ propter ætatem tueri se nequit; secundariò autem ad tuendas res illius. Ex opposito curator datur primariò ad defendendas res, secundariò ad ipsam personam defendendam. Datur autem curator minori, id est, ei qui expleuit 14. annos, sed nondum factus est maior, id est, nondum peruenit ad 25. ætatis annum, iuxta iuris communis dispositionem. *tom. 2. pagina 672, num.1.& 2.*

2. Fœmina non potest constitui tutrix, excepta matre, & auia; istæ enim præferuntur aliis tutoribus legitimis qui dantur à lege, & datiuis qui dantur à iudice; non verò testamentariis. At si mater, aut auia transeant ad secundas nuptias, tutelam ipso iure amittunt, & bona secundi mariti manent obligata pro reddenda ratione administrationis. *ibid.n.1.*

3. Tutor, vel curator qui pecuniam pupilli in suos vsus conuertit, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis quod inde passus est pupillus, vel minor, etiamsi lucrum illud cessans sortem principalem excedat. Tenetur item ad restituendos, deductis expensis, omnes fructus quos ex bonis pupilli, seu minoris, sua culpa non percepit. Item tenetur conseruare omnia iura, bona, & actiones pupilli, seu minoris, & vendere bona alioquin peritura, & pecuniam

niam pupilli conuertere in emptionem bonorum stabilium, aut in Societatem, vel censum. *tom.2.pag.673.num.2.*

4. Tutor, seu curator, finito officio, tenetur reddere rationem, nisi forte agatur de restitutione certæ rei, aut bonorum in inuentario dispositorum. *tom.2.pag.674.n.4.*

5. Tutela finitur 1. ob fidem tutoris suspectam. 2. quando pupillus ob crimen pellitur in exilium. 3. ob mortem pupilli. 4. ob adimpletam conditionem. 5. ob mutationem status pupilli, vel tutoris. 6. ob pubertatem pupilli. 7. ob tempus elapsum, vt si pupillo assignetur tutor ob minorem ætatem matris, tutela ipsius desinit postquam mater effecta est maior; tunc enim ipsa mater tutelam suscipit. 8. si iustam ob causam tutor onus tutelæ renuat. *ibid.num.1.*

V.

VISITATIO.

1. IN Concilio Trident. *sess.24 cap.3.de reform.* cautum est ne Episcopi aliique visitatores, aliquid etiam titulo muneris occasione visitationis accipiant, præter victualia, alioquin duplum intra mensem reddere teneantur imposita Episcopis censura interdicti ab ingressu Ecclesiæ; inferioribus verò Prælatis pœna suspensionis. *disp.3. quæst.5.punct.4.pag.369.n.1.tom.3.*

2. Hinc sequitur visitatorem non posse salarium pro vectura equorum accipere, quia hoc non pertinet ad victualia. Neque ipsum, vel eius secretarium, auditorem, cancellarium aut alios ipsi adiunctos, posse quicquam ab iis qui visitantur accipere pro decretis, & ordinationibus spectantibus ad visitationem, seu pro labore, vel scriptura circa decreta conficienda; vt probabiliter nonnulli censent; probabilius tamen videtur competentem mercedem accipi posse pro copia actorum, seu decretorum visitationis. *ibid.n.2.*

3. Episcopus obiens villas, & oppida vt Sacramentum Confirmationis conferat, non potest accipere victualia, aut quicquam aliud: quia sacra Cardinalium Congregatio declarauit laicos, aut rectores Ecclesiarum non teneri ad expensas Epis-

copo accedenti, causa tantùm Confirmationis; ad loca suæ diœcesis. *ibid.pag.*370.*n.*9.*tom.*3.

4. Episcopus tempore visitationis non potest accipere victualia, seu procurationem ab hospitalibus, vel aliis piis locis pauperibus; sunt enim potius subleuandi, quàm onerandi; neque à locis specialiter exemptis ab onere præstandi victualia; quia non potest eorum priuilegiis derogare. *ibidem, numero* 10.*&* 11.

5. Hæc suspensio, seu interdictum, durat donec delinquens, restitutionem dupli faciat; facta autem restitutione cessat. *ibid.pag.*372.*n.*19.*tom.*3.

VOTVM.

Quid & quotuplex sit votum.

1. VOtum est voluntaria, & deliberata promissio facta Deo de bono aliquo meliori, idest de bono aliquo quod sit melius quàm eius oppositum, v.g. de ieiunio; est enim melius quàm eius eius oppositum, idest quàm non ieiunare. Votum autem non obligat si fiat de eo cuius oppositum est melius: Deus enim non acceptat promissionem, cuius omissio magis illi placet, quàm executio. *tom.*2.*pag.*232.*n.*1. *& pag.*234.*n.*18.*&* 19.

2. Validè possumus vouere opera ad quæ tenemur ex alio præcepto, vt castitatem, correctionem fraternam, &c. sunt enim bona meliora quàm eorum opposita. Notandum tamen votum, seu promissionem horum operum, ex alio præcepto debitorum, nouam obligationem inducere, consequenter violantem huiusmodi votum, nouam culpam committere contra religionrm, háncque circonstantiam esse in confessione exprimendam. *tom.*2.*pag.*234.*num.*23.

3. Validum est votum obediendi Prælato in omnibus: quamuis enim fieri possit, vt Prælatus præcipiat aliquid iniustum, nihilominus hoc votum, iuxta communem vouentium intentionem, & modum vouendi, censetur factum cum tacita conditione obediendi in rebus licitis. *ibid.n.*24.

4. Inualidum est votum castitatis, vel religionis, vel non nubendi, factum ab eo cui salubrius est matrimonium ob incontinentiam, & lapsum in res venereas: hoc enim votum non est de bono meliori, cùm oppositum sit melius. Vouens tamen tenetur petere dispensationem, antequam matrimonium ineat: tum

tum quia in Ecclesia sic vsus obtinuit; tùm quia sequerentur alioquin multa incommoda; multi enim ob effrænem cupiditatem sibi facile persuaderent, ob periculum incontinentiæ sibi licitum esse matrimonium, post votum castitatis emissum. *ibid. num.26.*

5. Validum est votum non petendi dispensationem voti, aut ea non vtendi. Superior tamen potest, non obstante huiusmodi voto, dispensare, & valida erit dispensatio; nam votum subditi non adimit superiori iurisdictionem, & facultatem dispensandi. *ibid. num.28.*

6. Multiplex est votum 1. aliud est *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum*. 2. aliud *temporale*. aliud *perpetuum*. 3. aliud *expressum*, aliud *tacitum*. 4. aliud *simplex*, quod in nuda promissione consistit; aliud *solemne*, cuiusmodi est votum in professione emissum. 5. aliud *reseruatum*, aliud *non reseruatum*. 6. aliud *conditionale*, aliud *absolutum*. 7. aliud *pœnale*, quo quis se obligat ad pœnam si aliquod delictum non vitauerit; aliud *non pœnale*. *tom.2.pag.235.n.1.*

7. Qui vouit aliquid sub conditione futura, non potest facere aliquid quo se reddat ineptum ad executionem voti, secuta conditione, v.g. qui vouit religionem, aut sacros Ordines, si beneficium aliquod à Deo obtinuerit, non potest aut ante obtentum à Deo beneficium, matrimonium inire, vel quid aliud facere quo se reddat ineptum ad religionem, vel sacros Ordines, post conditionis euentum: sicut enim non potest ante conditionis euentum, resilire à voto, ita nec potest reddere se ineptum ad voti executionem; modò conditio sit possibilis, & vouens non sit certus moraliter, conditionem non esse euenturam. *ibid. num.5.*

Votum quando sit irritum.

8. Votum factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca, seu libera, ad extorquendum votum, inualidum est, modò vouens cognouerit sibi incuti illum metum ad extorquendum votum: nam huiusmodi votum non est voluntarium. Quare votum professionis à fœmina emissum ob metum patris grauia minantia, est nullum; & minor metus excusat fœminam quàm masculum, ob debiliorem sexum. *tom 2.pag.236. num.5. & pag.237.num.8.*

9. Ille non tenetur voto castitatis, qui metu cadente in constantem virum compulsus est ad sacros Ordines suscipien-

dos. Quare stylus Cancellariæ liberam concedit facultatem, vt is qui per vim, aut grauem metum, aut antequam esset capax doli, ad sacros Ordines promotus est, possit matrimonium contrahere: Ecclesia tamen ipsum coget, vel ad emittendum nouum continentiæ votum, vel ad abstinendum ab vsu, & exercitio sacrorum Ordinum, vel eum priuabit priuilegio clericali; immò si cessante metu, clericus vsus est Ordine suscepto, obligatur ad castitatem; quia per vsum Ordinis sacri censetur votum ratificasse. *tom.2.pag.237.n.9.*

10. Votum metu graui emissum, & iuramento confirmatum, non obligat ratione iuramenti: quia iuramentum voto additum, hanc tacitam habet conditionem, si liber consensus interueniat; quippe iuramentum sequitur naturam actus in quem cadit. *ibid.num.12.*

11. Votum factum per errorem, aut dolum versantem circa substantiam, & rem promissam, non obligat: quia deest consensus, cui nihil magis repugnat quàm error. Non est item validum factum per errorem, & dolum circa causam finalem, & motiuam, si sit votum simplex. Solemne autem votum professionis non irritatur per huiusmodi errorem, aut dolum; sicut nec matrimonium: qui enim statum aliquem perpetuum assumit, censetur velle illum assumere, modò non contingat error, aut dolus circa substantialia. *tom.2. pag.238. num.2. & seq.*

12. Cessante causa finali voti, vel iuramenti, cessat etiam ipsius obligatio: quia vouens non censetur habuisse intentionem obligandi se, cessante causa propter quam votum fuit emissum. Secùs dicendum si causa tantùm impulsiua cesset; ea enim cessante votum adhuc fuisset emissum, licèt fortè non ita libenter. *ibid num.10.*

13. Votum factum per errorem, vel dolum circa causam tantùm impulsiuam, validum est: quia adest sufficiens voluntarium, modò causa finalis subsistat. Sic qui vouit dare eleemosynam alicui ex motiuo paupertatis; sed libentiùs vouit quia existimabat illum esse virum doctum, aut probum; postea autem comperit illum esse indoctum, aut nequam; tenetur tamen votum adimplere; quia causa finalis voti subsistit. *tom.2. pag.239.num.13.& 14.*

Materia voti.

14. Inualidum est votum de immoderatis macerationibus corporis,

corporis, quæ iuri naturæ aduersantur, vt quando coniunctæ sunt cum periculo vitæ, aut grauis morbi. Hoc tamen votum est inualidum solùm quo ad excessum; quoad hanc enim partem, est de re mala. Quoad reliquam verò macerationum partem moderatam, validum est votum; vt sic enim est de re licita, & bona, & vtile per inutile non vitiatur. *tom. 2. pag.* 240. *num.* 5.

15. Inualidum est votum quando promittitur aliquid ad consequendum malum finem, vel ad agendas gratias pro fine malo obtento, vt si quis voueat eleemosynam vt obtineat, vel quia obtinuit vindictam de inimico: huiusmodi enim votum videtur blasphemiam continere, cùm videatur Deum facere auctorem peccati. Quando verò vouetur opus bonum ad consequendum bonum consurgens ex aliquo malo seu supponens actionem malam; tunc votum tenet; vt si quis voueat religionem, si ex duello incolumis discesserit; vel si ex fornicatione filium susceperit; quia incolumitas, filius, &c. non sunt quid malum, sed bonum, quamuis oriantur ex malo. *ibid.num.*7. *&* 8.

16. Votum de re indifferenti non est validum, nisi res illa indifferens ad bonum aliquem finem à vouente referatur, v.g. ad vitandam peccati occasionem, vel ad honorem Dei, aut Sanctorum; modò tamen res illa sit eiusmodi quæ conducat ad talem finem, alioquin res illa manet indifferens, neque cohonestatur ex fine, consequenter votum est irritum, v. g. votum non nendi die Sabbati in honorem B.Virginis, est inualidum, quia abstinentia ab hoc opere non potest ex sua natura computari inter obsequia B.Virginis; cùm vouenti sit adhuc liberum aliis operibus seruilibus occupari quæ animum ad terrena magis inclinant. Validum verò esset votum de non nendo, vt vouens possit recitare rosarium; hic enim finis est bonus, & actionem ex se indifferentem cohonestat. *tom. 2. pag.* 241.*num.*2.*&* 4.

17. Votum rei bonæ, factum ob finem indifferentem, validum est: quia est de bono meliori quàm sit eius oppositum, neque vllam contrahit malitiam à fine, cùm finis sit indifferens. Sic votum ad obtinendum bonum aliquod temporale est validum, modò ex aliqua circumstantia non vitietur, *ibid.num.*6.*&* *pag.*242.*n.*7.

18. Materia quæ vouetur, debet esse in potestate vouentis: quia nullus rationabiliter alteri promittit quod non est in sua potestate. Sic validum est votum vitandi omnia peccata,

ſeu nunquam peccandi; quia lex naturalis diuina obligat ad omnia peccata vitanda; immò omnia peccata ſub prohibitionem Eccleſiæ cadere poſſunt; quidni igitur cadere poſſint ſub legem priuatam voti? *ibid. n.1. & 4.*

19. Inualida ſunt duo vota incompoſſibilia, ſimul emiſſa, ſi vouens velit ad vtrumque eodem tempore ſe obligare; eſt enim votum rei impoſſibilis: At ſi diuerſis temporibus emittantur, votum priùs emiſſum eſt adimplendum, niſi poſterius ſit de re meliori; tunc enim anteponendum eſt primo: quia primum votum non poteſt maius bonum impedire. *ibid. n.8. & pag.243. num.eod.*

20. Votum de re partim bona, partim indifferente;partim poſſibili, partim impoſſibili; partim honeſta,partim turpi,validum eſt quoad partem bonam, poſſibilem, aut honeſtam, modò à parte indifferenti, impoſſibili, & turpi ſeparari poſſit: hoc enim votum cenſetur factum per modum plurium votorum, & vtile per inutile non vitiatur; niſi vouens promiſerit rem poſſibilem, & impoſſibilem per modum vnius, vel vnam dependenter ab alia; tunc enim ad neutram obligatur,ſi alteram nequeat adimplere. *tom.2.pag.243.n.1.*

21. Inualidum eſt votum diſiunctiuum cuius altera pars eſt apta materia voti,altera minimè. Quia in voto diſiunctiuo obligatio cadit ſupra vtramque partem,ita tamen vt integrum ſit vouenti eligere vtram partem maluerit:cum igitur obligatio voti non cadat in materiam ineptam; in neutram cadit. *tom.2.pag.244.num.1.*

22. Promiſſio de re aliqua contra prius votum validum, eſt inualida: quia eſt promiſſio de re illicita. Sic qui vouit caſtitatem, & poſtea promittit alteri matrimonium, inualidè promittit. Tamen acta ex ſe licita,contra prius votum, regulariter loquendo, valida ſunt: quia votum non reddit vouentem inhabilem ad agendum;ſic validum eſt matrimonium poſt ſimplex votum caſtitatis contractum;grauiter tamen peccatur contra votum. *ibid.n.1.2. & 3.*

Voti obligatio.

23. Quando vouens, nullum ſibi præfixit tempus adimplendi voti, tenetur illud adimplere cùm primùm commodè poterit, niſi iuſtam habeat cauſam differendi. Quandò verò tempus præfixit, debet votum eo tempore adimplere. At qui tempore præſtituto votum non ſoluit, ſi tempus non fuit aſ-

ſignatum ex deuotione, aut intuitu ipſius temporis, ſed vt votum vltra illum terminum non differretur, tenetur adhuc elapſo illo tempore, votum implere. Secùs dicendum ſi factum eſt votum intuitu illius temporis, vt ſi quis ex deuotione in B. Virginem, promiſit ieiunium die ſabbati; neque enim elapſo eo die tenetur ieiunare: quia vouit dependenter à tempore: propterea circumſtantia temporis, in hoc caſu, non cenſetur extrinſeca rei promiſſæ. *ibidem. numero* 1. *& pag.* 245. *num.* 4. *&* 6.

24 Poſtquam hæres adiit hæreditatem, tenetur, ſalua legitima portione, ſoluere vota realia, quæ defunctus non perſoluit: licèt enim obligatio voti ſit perſonalis; nihilominus quia votum reale cadit ſupra rem defuncti quæ tranſit ad hæredem, ad eum etiam tranſit obligatio voti. Quamobrem hæres, ſub pœna excommunicationis, aut priuationis hæreditatis, cogi poteſt ad hæc vota perſoluenda; non tamen vltra vires hæreditatis. *tom.* 2. *pag.* 247. *num.* 4.

25. Hæres illius qui profeſſionem fecit in religione approbata; non tenetur ſoluere illius vota realia, niſi prius acceptata fuerint ab eo in cuius fauorem facta ſunt. Quia omnia vota extinguuntur per profeſſionem; hæres autem in onera extincta non ſuccedit. *ibid. n.* 7.

26. Hæres tenetur votum mixtum quoad partem realem perſoluere, quando votum eſt æqualiter reale, & perſonale; at ſi votum ſit reale tantùm acceſſoriè, hæres non tenetur illud ſoluere: quia acceſſorium ſequitur principale. Quare ſi defunctus vouit ſe ſuáque tradere religioni, non tenetur hæres tradere bona religioni, que religio acquiſiuiſſet, ſi defunctus votum ingrediendi religionem impleſſet. *ibidem, numero* 10.

27. Hæres debet ea quæ debentur ex iuſtitia, præferre votis: quia vota ſoluenda ſunt ex bonis hæreditatis; bona autem hæreditatis dicuntur ea quæ ſuperſunt deducto ære alieno; ergo debita ex iuſtitia, præferenda ſunt votis, non verò vota debitis; ideo Doctores tradunt legitimam minui ob debita, non verò ob vota. Legatis autem piis præferenda ſunt vota, detractis ſumptibus funeris; quia magis obligant. *tom.* 2. *pag.* 248. *num.* 16.

28. Votum parentum offerentium filios religioni, eſt irritum, niſi filij poſtquam ad diſcretionis annos peruenerunt, illud votum ratum habuerint: quippe filij hac in parte non ſunt in poteſtate parentum, ſed ſunt iuris ſui in iis quæ ad

vitæ statum pertinent. Non tenentur item filij parentum vota suo nomine emissa implere, nisi emissa fuerint coram ipsis filiis, interius consentientibus, vel nisi filij ea postea ratificauerint. *ibid.num.*18.*&* 19.

29. Successores communitatis non tenentur obligatione voti facti à communitate: nam votum est actus omnino personalis. Verum tamen est communitatem eo ipso quod facit votum, interueniente consensu Episcopi, obligare successores ad acceptandum votum. Ideo licèt successores non faciant votum, aut non acceptent, & consequenter non peccent contra votum, peccant tamen contra præceptum superioris, præcipientis votum obseruari. Requiritur autem Episcopi consensus, quia populus, ex se, non potest obligare successores, ad acceptandum, vel seruandum votum, cum materia voti sit res spiritualis. *ibid.num.*20.

30. Votum personale simpliciter factum, non potest per alium adimpleri: quia materia voti personalis, est actio propria ipsius vouentis. Non negandum tamen aliquem posse vouere ieiunium, vel peregrinationem per alium suscipiendam; sed hoc non est implere votum per alium, cùm ipse vouens non promiserit ieiunare, aut peregrinari; sed curare vt alter ieiunet, aut peregrinetur. Hinc sequitur vouentem non teneri implere per alium, votum personale, si ipse factus fuerit impotens ad illud implendum. *tom.*2.*pag.*249. *n.*1.*&* 2.

31. Qui non potest per se ipsum implere votum reale quod emisit, tenetur per alium implere: quia materia huius voti non est actio vouentis, sed res, quæ potest per alium exhiberi. Hinc sequitur vouentem satisfacere voto, si curet pecuniam ab alio, suo nomine erogari. *ibid.n.*3.*&* 4.

32. Violatio voti, ex suo genere, est peccatum mort. nisi inaduertentia, vel paruitas materiæ excuset. neque enim est peccatum mort. violare votum in re leui, vt si quis parum vini semel bibat, contra votum non bibendi vinum. *tom.*2. *pag.*250.*n.*3.

33. Qui dubitat an votum emiserit, non peccat, illud non implendo: quia hoc est dubium iuris, in dubio autem iuris, melior est conditio possidentis suam libertatem. Quapropter qui dubitat an vouerit castitatem absolutam, an verò abstinentiam tantùm à coniugio, tenetur ex vi voti solùm abstinere à coniugio. Item qui dubitat an vouerit mille, an tantùm 50. tenetur tantùm ad 50. *tom.*3.*pagina* 251. *numero* 9.*&* 10.

34. Quando

34. Quando materia voti non solùm est debita ex obligatione voti, sed ex alio etiam præcepto, violans votum, duo saltem peccata committit; vnum contra religionem voti, alterum contra virtutem ad quam pertinet materia quæ præcipitur. *ibid.n.*11.

35. Votum sufficienter impletur, quando absque intentione implendi votum, fit res promissa. Sic qui vouit inuisere limina Apostolorum, satisfacit voto, etiamsi illa visitet, Romam profectus negotiorum causa: implet enim rem promissam; modò vouens non vouerit etiàm peregrinationem piam, seu laborem itineris. *ibid.n.*12.*&* 13.

36. Ille quem pœnitet voti, non peccat mortaliter, modò non habeat intentionem omittendi rem promissam, vel non implendi non votum: sicut enim non est peccatum mort. nolle vouere in posterum, ita neque est pec. mort. nolle vouisse. *ibid.n.*14.

37 Qui vouit determinatam aliquam religionem, potest aliam ingredi arctiorem, aut æquè arctam: quia vouens potest propria auctoritate votum commutare in aliud quod certò constet esse æquale: seclusa verò dispensatione, non potest aliam minus arctam ingredi, aut in ea viuere ante professionem; facta tamen professione, potest in ea permanere: quia per professionem religio ius acquirit in professum. *tom.*2.*pag.* 253.*num.*3.*&* 4.

38. Coniux etiam post matrimonium contractum, sed nondum consummatum, potest vouere religionem, aut castitatem, altero coniuge inuito, & votum obseruare ingrediendo religionem: iura enim concedunt duos menses post matrimonium contractum, vt coniuges deliberare possint de statu religionis capessendo; immò transacto bimestri, possunt adhuc ingredi religionem: & in ea validè profiteri, si matrimonium nondum fuit consummatum. At consummato matrimonio non potest coniux vouere religionem, nisi iustam habeat perpetui diuortij causam: quia non potest vouere in præiudicium alterius coniugis. *tom.*2.*pap.*254.*n.*8.

39. Qui vouit certam aliquam, & determinatam religionem, & ad illam non fuit admissus, liber est ab obligatione voti, modò per ipsum non stet quò minus admittatur, & modò passus sit repulsam simpliciter, & non ad tempus. Qui verò vouit religionem in genere, si ab vna excludatur, tenetur aliam adire; non tenetur tamen ad monasteria quæ sunt extra propriam prouinciam se conferre, vt admittatur. Im-

mò

mò non tenetur adire ſingula monaſteria prouinciæ ; ſed ſolùm diuerſa ordinum diuerſorum, ex quibus poſſit ſufficienter cognoſcere ſe ad nullum admiſſum iri. Quo cognito poteſt tuta conſcientia in ſæculo manere, & matrimonium inire ; cum non poſſit votum implere ; niſi etiam vouerit caſtitatem, tunc enim in ſæculo manens, debet cælibem vitam degere. *ibid.n.*10.*&* 13.*& pag.*255.*n.*18.

40. Qui vouit ſimpliciter religionem, liber eſt ab obligatione voti, ſi exeat è religione ante factam profeſſionem: hoc enim votum cenſetur factum iuxta diſpoſitionem iuris concedentis annum nouitiatus, ſeu probationis, quo ingrediens religionem, experiri poſſit an ſtatus religioſus, & illud vitæ genus ſibi placeat ; ſi ergo non placeat, poteſt tuta conſcientia exire : votum enim religionis habet hanc tacitam conditionem, ſi facta per nouitiatum experientia, religio mihi placuerit. *tom.*2.*pag.*255.*n.*22.

41. Qui vouit religionem, non verò profeſſionem, liber eſt ab obligatione voti, ſi poſtquam ingreſſus eſt bona fide, ſua culpa expellatur, conſequenter vi voti non tenetur ſe corrigere vt iterum admittatur ; quia iam votum impleuit. Qui verò vouit profeſſionem, tenetur ſe ipſum corrigere, vt iterum poſſit admitti ; tenetur enim adhibere media neceſſaria ad votum implendum ; & culpa propria nulli debet patrocinari. *ibid.num.*25.

Votum quomodo explicandum.

42. Votum explicandum eſt iuxta intentionem vouentis: eſt enim votum lex quædam priuata. Ad hoc autem non parum conducent hæ tres regulæ. 1. vt expendantur verba, quibus emiſſum eſt votum, & iuxta communem illorum intelligentiam, votum explicetur. 2. vt votum ſtrictè explicetur, quantum verborum proprietas patietur, ſic votum non bibendi vinum v.g. non eſt ita ſtrictè explicandum vt excludat ablutionem in Miſſa ; hoc enim eſſet contra communem vſum,& Eccleſiæ præceptum. 3. vt quando dubitatur de intentione vouentis, ſeruetur materia voti, ac ſi eſſet materia legis alicuius diuinæ, vel humanæ. *tom.*2. *pag.* 256. *numero* 1.*& pag.* 257.*numero* 10.*&* 21.

Quomodo

Quomodo tollatur obligatio voti.

43. Sublata causa finali propter quam factum fuit votum, tollitur obligatio voti. Item quando superuenit notabilis mutatio,& difficultas, quæ si præuisa fuisset, vouens non vouisset, vt si materia voti facta sit illicita, aut indifferens,aut impeditiua maioris boni, aut impossibilis, votum desinit obligare quamdiu illa mutatio circa materiam durat. Item si pars voti facta sit impossibilis, vel illicita, obligatio voti cessat solùm quoad illam partem, non autem quoad partem quam vouens potest adimplere. *tom.2.pag.* 258. *num.*1. *& pag.* 259. *num.*2.*&* 6.

44. Summus Pontif. non habet ius irritandi omnia vota laicorum, aut clericorum, sed ea tantùm quæ ipsius administrationi obesse possunt:quia licèt Summus Pontif.plenissimam habeat in fideles potestatem circa spiritualia; non habet tamen potestatem dominatiuam in iis quæ priuata fiunt auctoritate. Hinc Summus Pontif. non potest irritare votum quo quis vouit carnis suæ afflictionem, & macerationem; neque vota clericorum,iis exceptis in quibus Clerici à Summi Pontif. arbitrio pendent, vel ratione personæ,vel materiæ. Porrò Summus Pontif. potest ea religiosorum vota irritare, quæ ab ipsorum Prælatis irritari possunt: ipse enim habet dominatiuam in omnes religiosos potestatem. *tom.*2.*pag.*260. *num.* 2.*& seq.*

45. Vota vxoris quæ impediunt domus,& familiæ gubernationem,aut quæ marito obesse possunt, indirectè potest ipse maritus irritare, seu suspendere, siue facta sint ante matrimonium contractum, siue post. Reliqua verò vota, vt orationis,non mentiendi, exiguæ alicuius eleemosynæ, & id genus alia, non possunt à viro irritari, neque item vota quæ vxor emisit, post mariti obitum implenda; vxor enim quo ad hoc, marito non subest. Non videtur tamen improbabilis opinio asserentium omnia vxoris vota posse à marito irritari: expedit enim hanc facultatem penes viros residere vt leuitati mulierum temere vouentium occurratur. Excipitur ab omnibus votum continentiæ, communi consensu emissum, quod non potest ab vllo coniugum irritari, cùm vterque cedat iuri suo quoad omnem actum coniugalem. *ibid.n.*10.*& seq.*

46. Ea mariti vota irritari possunt ab vxore quæ incommodum illi afferunt, & quæ eius iuri præiudicant, vt votum

longæ

longæ peregrinationis, magnæ abstinentiæ, & cætera pertinentia ad mutuam cohabitationem, & ad debitum coniugale; in iis enim coniuges sunt pares, & æquali iure gaudent. Reliqua autem mariti vota irritare non potest, cum in eum non habeat dominatiuam potestatem. *tom.2.pag.261.n.17.*

47. Omnia filiorum impuberum vota tam realia, quàm personalia, vel mixta possunt saltem intra ætatem impubertatis irritari à patre, vel à tutore, vel etiam à matre, quæ mortuo patre, est loco tutoris: ius enim propter immaturum impuberum iudicium, voluit eorum votis tacitam hanc conditionem inesse, nisi pater, tutor, &c. contradixerint. Neque solùm intra annos pubertatis, sed etiam post acquisitam pubertatem, vota filiorum, quæ dùm essent impuberes, emiserunt, à parentibus irritari possunt, modò filij facti puberes ea non ratificauerint. *ibid.num.*18.*&* 19.

48. Filiorum puberum vota personalia pater irritare non potest, nisi vergant in graue præiudicium paternæ potestatis: vota autem realia puberum possunt à patre irritari; quia filius viuente patre, non potest de paternis bonis disponere, etiamsi sit coniugatus. *ibid.num.*21.

49. Filiis minoribus non competit restitutio in integrum, quando sibi videntur in votis notabiliter læsi: quia in voto non inuenitur læsio, cùm in vtilitatem animæ fiat, consequenter minoribus non conceditur restitutio in integrum aduersus votum quod emissum est in honorem Dei. *tom.2.pag.262. num.24.*

50. Omnia religiosorum vota, si votum excipias arctioris religionis, à Prælato, seu superiore irritari possunt ipsis etiam inuitis: quia religiosus desiit esse sui iuris. Idem ius conceditur Abbatissis respectu monialium; quamuis enim careant iurisdictione spirituali; habent tamen ius præcipiendi, & moniales pendent ab ipsarum nutu. Nouitiorum tamen vota non possunt à Prælatis irritari, cùm adhuc sint sui iuris; verùm suspendi possunt vota ipsorum personalia, si sint impedimento probationi. *ibid.num.26.&* 32.

51. Potest religiosus votum emittere, aut commutare, in iis qua non repugnant regulæ, vel præcepto superioris: votum enim, per se, est opus bonum. *tom.2.pag.263.n.34.*

Voti commutatio.

52. Quilibet potest sua vota commutare in euidenter melius,

lius, ideſt in id quod, omnibus ſpectatis, eſt Deo gratius, immmò in id quod perſpicuum eſt omnium iudicio, eſſe æquale: nulla quippe fit Deo iniuria. *ibid. numero 3. & pag. 264. numero 8.*

53. Non ſolùm Summus Pontif. aut Epiſcopus, aut alius gaudens Epiſcopali iuriſdictione; verùm etiam ab ipſis delegati, poſſunt vota commutare: hic enim eſt vſus, & praxis Eccleſiæ. Neque ſolùm ea poſſunt commutare in æquale (cùm id quiſque poſſit priuata auctoritate) ſed etiam in minus, iuſta cauſa ita exigente, cuiuſmodi eſt difficultas in voto perſoluendo, vtilitas vouentis, repugnantia parentum, vel mariti, &c. abſque legitima autem cauſa, commutatio, vel diſpenſatio voti obtenta, eſt inualida. Porrò hæc facultas commutandi vota, ad ea non extenditur quæ Summo Pontifici reſeruantur. *tom. 2. pag. 264. numero 9. & 11. & pag. 265. numero 13.*

54. Qui voluntariè, vel ex obliuione non curauit tempore iubilæi ſibi commutari vota quibus erat obſtrictus, non poteſt elapſo iubilæi tempore, illorum commutationem, vel diſpenſationem à ſimplici confeſſario obtinere: quia ille confeſſarius caret iuriſdictione, cùm facultas diſpenſandi, & commutandi alligata ſit tempori quindecim dierum. Probabile tamen eſt prudentem confeſſarium, ſi nolit tempore iubilæi commutationem, vel diſpenſationem petenti concedere, vt accuratiùs omnia perpendat, poſſe, tranſacto iubilæi tempore eam concedere, quia tempore habili, & idoneo inchoauit cauſam, quod ſufficit ad firmandam iuriſdictionem, vt poſtea data opportunitate poſſit id quod inchoauit abſoluere; modò vouens conſequutus ſit iubilæum, cuius intuitu hæc facultas conceditur. *tom. 2. pag. 265. n. 14.*

55. Tempore iubilæi poſſunt extra Sacramentum Confeſſionis vota commutari; nullo enim iure præſcribitur commutationem in confeſſione eſſe faciendam; neque eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ. *ibid. n. 16.*

56. Facta commutatione voti, integrum eſt vouenti (etiamſi commutatio ſæpius facta fuerit) ad prius votum redire: quia commutatio voti fit in fauorem vouentis; qui poteſt cedere fauori ſuo. *tom. 2. pag. 166. n. 20.*

Voti diſpenſatio.

57. Epiſcopi iure ordinario poſſunt diſpenſare in votis

ſuorum ſubditorum, Summo Pontifici non reſeruatis, modò adſit iuſta diſpenſandi cauſa, & vota non ſint facta in fauorem tertij, ab eoque acceptata: Idem dicendum de Prælatis iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus. Poteſt autem hic actus iuriſdictionis voluntariæ extra propriam diœceſim exerceri. Item Archiepiſcopi in votis Epiſcoporum ſuorum ſuffraganeorum diſpenſare poſſunt: cum ſubditis verò ſuffraganeorum, extra viſitationem prouinciæ diſpenſare non poſſunt; quia in ipſos non habent ordinariam iuriſdictionem. *tom.2. pag.267.num.4.& ſeq.*

58. Religioſus exemptus, quando non patet aditus ad maiorem ſuperiorem religionis, poteſt de licentia immediati ſuperioris, obtinere diſpenſationem voti ab Epiſcopo loci, in iis caſibus in quibus poteſt cum exiſtentibus in ſua diœceſi diſpenſare: in hoc enim poteſt religioſus cedere priuilegio exemptionis, in ſuum commodum, ne ſit deterioris conditionis quàm cæteri religioſi non exempti. *ibid.n.10.*

59. Quinque ſunt vota Summo Pontifici reſeruata, in quibus non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nempe votum caſtitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Iacobum Compoſtellanum, & in Terram Sanctam. *tom.2.pag.268.n.11.*

60. Poteſt Epiſcopus aliquando in voto caſtitatis aut religionis diſpenſare. 1. quando imminet graue periculum ſi expectetur diſpenſatio à Papa, aut eius Legato. 2. quando votum per metum quamuis leuem, eſt emiſſum. 3. quando votum eſt conditionale ſub conditione de futuro quæ nondum ſit adimpleta. 4 quando votum caſtitatis eſt ad tempus, v.g. ad 4. aut 5. annos. 5. quando Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto principali, cui tanquam acceſſorium adnexum eſt votum religionis, aut caſtitatis; nam acceſſorium ſequitur principale, vt ſi quis, v.g. voueat ſe non luſurum, ſin ludat, ſe ingreſſurum religionem, Epiſcopus diſpenſans in voto non ludendi, diſpenſabit etiam in voto religionis. *tom. 2. pag.268.269.270. num.15.& ſeq.*

61. Parochus, aut alius Sacerdos non poteſt abſque ſpeciali priuilegio diſpenſare in votis, defectu iuriſdictionis fori externi. Prælati verò regularium in ſuorum religioſorum votis diſpenſare poſſunt; cum habeant in ſibi ſubditos quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem; immò etiam in votis nouitiorum; cùm ipſi gaudeant priuilegiis religionis, & Prælatorum iuriſdictioni ſubſint. Cæterùm qui facultatem habet genera-

lem dispensandi in votis, potest etiam secum dispensare, & cum sit actus delegabilis, nihil obstat quo minus possit hanc facultatem committere alteri qui secum dispenset. *tom.2. pag.271.num.26.& seq.*

62. Superior censetur cum eo dispensare quem ad aliquem actum admittit, sciens ipsum habere impedimentum ad talem actum. Quia licèt taciturnitas, per se non sit sufficiens indicium concessionis; si tamen cum aliis signis coniungatur, accipitur pro ipsa expressione consensus; admissio autem ad actum, est signum sufficiens consensus. *tom. 2. pag. 272. num.35.*

VSVRA.

Quid, & quotuplex sit vsura.

1. VSura est lucrum ex mutuo immediatè proueniens, quod accipitur supra sortem. Est autem vsura alia *realis,& externa,* quando interuenit pactum reddendi aliquid supra sortem;alia *mentalis,& interna,* quando mutuans intendit lucrum ex mutuo, quamuis nullum pactum exterius intercedat.Rursus alia est *expressa,*alia *implicita,& virtualis. tom. 2.pag.516.num.2.& pag.517.n.3.*

2. Qui sperat vel intendit lucrum immediatè ex mutuo, tanquam sibi debitum ex iustitia, committit vsuram mentalem. Secùs dicendum si speret aliquid supra sortem ex amicitia,vel gratitudine,seu liberalitate mutuatarij. Neque est vsurarium sperare amicitiam ex mutuo,cùm amicitia non sit pretio æstimabilis; non tamen est deducenda in pactum; neque enim fas est in mutuo imponere alteri obligationem,ad quam aliàs non tenetur. *tom.2.pag.517.n.5.& 6.*

3. Vsura prohibita est iure diuino, naturali, & Ecclesiastico. Estque definitum in Concilio Viennensi,sub Clemente V. illum censendum esse hæreticum qui vsuram licitam esse, pertinaciter asseruerit. Hinc collige Summum Pontif. non posse in vsura dispensare, cùm sit contra ius naturale, & diuinum; posse tamen ad vitanda maiora damna,vel scandala,vsuras permittere, quemadmodum fuerunt olim Hebræis permissæ, respectu alienigenarum iuxta illud Deuteron. 22. *non fœnerabéris fratri tuo ad vsuras, sed alieno. ibid. num.12. & pag.518.num.eod.*

4. Omnis pactio,seu conuentio per quam imponitur mu-

tuatario aliquod onus,vel obligatio vi mutui, eſt vſuraria:hæc enim obligatio cùm tollat libertatem, eſt pretio æſtimabilis. Quare qui mutuat alteri cum pacto vt præſtet munus, ſeu officium à lingua,vel ab obſequio, vel à manu, vſuram committit; hæc enim ſunt pretio æſtimabilia. Idem dicendum de eo qui mutuat alteri cum pacto vt mutuatarius ſibi, quamuis digno, vel alteri conferat priuilegium, officium, vel beneficium *tom.2.pag* 518.*n.*1.*& ſeq.*

5. Non committis vſuram ſi colono petenti, & volenti tuum agrum colere, mutuò des pecuniam ad emendos boues, & alia neceſſaria ad agriculturam: nullam enim ei imponis obligationem ex contractu mutui, cùm iam vellet tuum agrum conducere, & colere. Secùs dicendum ſi colonus non eſſet paratus ad tuum agrum colendum. *tom.* 2. *pag.* 519. *numero* 8.

6. Licitum eſt viciſſim mutuum dare,aut viciſſim ſe obligare ad mutuandum: tunc enim contrahentes ſunt pares in obligatione; mutuanti tamen non licet imponere mutuatario obligationem mutuandi ſiue in poſterum ſiue ſtatim; hæc enim obligatio remutuandi eſt pretio æſtimabilis: *tom.*2. *pag.*519.*num* 9.

7. Ille committit vſuram qui debet, v.g. Caio centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit 50. hoc enim nihil aliud videtur eſſe quàm implicitè mutuare cum onere vt Caius remutuet in fine anni. Quare vt licitùs fiat hic contractus, diſſoluendus eſt prior quo debitor ſe obligauit ad ſoluendum 100. & alius de nouo ineundus, quo debitor traditis 50. obliget ſe ad ſoluendos alios 50. poſt biennium. *ibidem.*

8. Qui mutuat alteri cum pacto vt veniat ad ſuum molendinum, vel apothecam, vel ſcholam, vſuram committit; imponit enim obligationem pretio æſtimabilem. *ibidem, num.*10.

9. Non committit vſuram qui mutuat cum pacto vt mutuatarius ineat contractum pignoris, vel hypothecæ pro aſſecuratione mutui;hæc enim aſſecuratio debita eſt,neque imponitur mutuatario obligatio quam mutuans exigere non poſſit;neque enim tenetur mutuare cum periculo amittendi mutuum. *ibid.num.*12.

10. Vſura committitur ab eo qui mutuat medico hoc pacto vt teneatur curare, & mederi, aut qui mutuat aduocato vt teneatur mutuantem defendere,&c. etiamſi pro huiuſmodi operibus

tibus iustum constituat pretium; imponit enim mutuatario obligationem, quam antea non habebat. *ibid.n.* 13.

11. Qui mutuat cum pacto solutionis sibi faciendæ eo tempore quo res pluris valebit, vel quo probabilius est rem pluris valituram, vsuram committit: in hoc enim casu mutuator paciscitur vt sibi aliquid tradatur supra æqualitatem rei mutuatæ; nisi forte rem suam decreuisset seruare in illud tempus quo plus valebit; tunc enim potest accipere augmentum ratione lucri cessantis, detractis sumptibus faciendis. *tom.2. pag.*520 *num* 19. *&* 20.

12. Contractus mutui considerandus est iuxta valorem rerum, non verò iuxta substantiam, aut quantitatem vel mensuram, v.g. si ego mutuos accipi decem modios tritici, quod tempore acceptionis valebat 24. libras in singulos modios; sed tempore quo statui restituere, decreuit ad 20. teneor restituere triticum iuxta valorem quem habebat tempore acceptionis, neque satisfaciam decem modios restituendo: quia non seruabitur æqualitas inter datum, & acceptum. Si tamen contrahentes conueniant de eadem quantitate restituenda, facienda est restitutio secundum eandem quantitatem, habita ratione periculi, augmenti, vel decrementi, ne contractus labem iniustitiæ contineat. Quando igitur pro tritico quod mutuo acceptum est, non restituitur triticum, sed pecunia, restituenda est iuxta æstimationem quam triticum habebat tempore mutuationis; sic seruatur æqualitas inter datum & acceptum. Secùs dicendum si in contractu mutui, initum fuit pactum restituendi tantumdem tritici quo ad pondus, aut mensuram; tunc enim pecunia restituenda est iuxta æstimationem quam habet triticum tempore solutionis. *ibidem, numero* 21. *&* 23.

13. Quando quis mutuat alteri pecuniam, hoc pacto vt in eadem materia & forma sibi restituatur, considerandus est contractus iuxta valorem; non verò iuxta quantitatem, aut numerum: modus enim ille quo fuit celebratus contractus, hoc operatur, vt solutio fiat in eadem specie pecuniæ, & ne mutetur metallum; non verò ne mutetur numerus, nisi initum fuerit pactum de eodem numero restituendo, valore excluso. *ibid.num.*24.

14. Qui mutuat, sciens pecuniam, seu aliam rem mutuatam plus valituram tempore solutionis, quàm valeat tempore contractus, non potest obligare mutuatarium ad eundem numerum, seu mensuram; sed solùm ad eum numerum, vel

mensuram quæ adæquet pretium rei traditæ : sic enim fiet restitutio ad æqualitatem. *tom.2.pag.521.n.29.*

Quando possit aliquid accipi supra sortem.

15. Potest mutuator initio contractus pacisci de aliqua pecunia sibi soluenda supra sortem, ratione damni emergentis, vt se seruet indemnem. At si in principio contractus, nullum initum fuit pactum de præstando damno emergente, mutuatarius non tenetur illud præstare, modò non fuerit in mora soluendi; nullo enim titulo tenetur. *tom.2.pag.521.n.2.*

16. Vt mutuator licitè possit aliquid exigere ratione damni emergentis, hæ tres conditiones requiruntur ; 1. vt tempore contractus, hoc deducatur in pactum. 2. vt non deducatur in pactum aliquid supra damnum. 3. vt damnum re vera sequatur præcisè causa mutui. *ibid.num.3.*

17. Debitor qui fuit in mora soluendi, tenetur ad restitutionem damnorum quæ passus est creditor ob dilationem solutionis vltra terminum; vt si creditor compulsus fuit accipere pecuniam ad vsuram propter vsus necessarios ; censetur enim debitor causa iniusta damni per dilationem. Secùs dicendum videtur si creditor pecuniam accepit ad vsus otiosos, & superfluos, v.g. ad ludum. *tom.2.pag.522.num.10.*

18. Mutuator potest ab initio pacisci vt mutuatarius soluat sibi lucrum cessans causa mutui : hoc enim lucrum tam est pretio æstimabile quàm damnum emergens. Vt autem hoc licitè fiat tres conditiones requiruntur. 1. vt lucrum cesset ob mutuum, vt quando mutuator subtraxit pecuniam negociationi. 2. vt lucrum non statim exigatur. 3. vt non tantùm exigatur ratione lucri cessantis, quantum re ipsa futurum esset lucrum ; sed quantum valet spes lucri, detractis expensis faciendis. *ibid.n.12.& 13.*

19. Iustè aliquid exigitur vltra sortem ratione periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expensis ; hoc enim periculum est pretio æstimabile, neque tenetur mutuator illud gratis subire, etiamsi fortè re ipsa nullum postea damnum patiatur. Vt autem possit aliquid exigi ratione periculi capitalis, hæc tria requiruntur. 1. vt mutuator non plus exigat, quàm vulgò huiusmodi periculum æstimetur. 2. vt illud periculum sit verum. 3. vt mutuator non compellat mutuatarium ad se ipsum eligendum pro assecuratore, seu fideiussore, sed mutuatario libertatem relinquat

eligendi

eligendi quem velit. *tom.2. pag.523. num.1. & 2.*

20. Non licet in mutuo aliquid vltra sortem exigere, ratione carentiæ pecuniæ, vel obligationis expectandi vsque ad certum tempus: sic enim omnis contractus vsurarius defendi posset; cùm omne mutuum includat intrinsecè obligationem non repetendi ante certum tempus; quare sicut nihil potest accipi pro mutuo, ita neque pro obligatione non repetendi intra tale tempus. *ibid.num.1.*

21. Mutuator potest pacisci cum mutuatario, vt nisi soluerit tempore præfixo, soluat aliquid supra sortem in pœnam moræ: quilibet enim est rei suæ moderator, & arbiter. Vt autem hæc pœna iustè apponatur, tria requiruntur. 1. vt non apponatur contra voluntatem mutuatarij ad palliandam vsuram. 2. vt mutuatarius verè sit in mora culpabili soluendi. Secùs si ob impotentiam nequeat soluere, modò non factus fuerit impotens suâ culpâ; nam pœna imponitur ob culpam. 3. vt pœna sit moderata, & respondeat culpæ. Porrò hæc pœna, cùm sit conuentionalis, videtur soluenda ante iudicis sententiam: hæc enim est contrahentium intentio, vt violans fidem, soluat pœnam. *tom.2. pagin.524. numero 1. 2. & 4.*

22. Pactum legis commissoriæ in pignoribus, per se loquendo, est illicitum, & vsurarium, nisi apponatur in pœnam. Hoc autem pactum initur quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione vt si debitor non soluat intra certum tempus, pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur. Tamen non committitur vsura quando apponitur pactum in mutuo, vt nisi mutuum soluatur intra talem terminum, pignus vendatur iusto pretio, aut venditum habeatur, si non plus valet quàm debitum: hoc enim licet mutuanti vt seipsum seruet indemnem. *tom.2. pag.525. num.1. & seq.*

23. Creditor non potest sibi retinere fructus pignoris accepti ad securitatem crediti; sed deductis expensis, tenetur eos reddere debitori, aut computare in sortem; nisi iustam habeat causam illos retinendi: cum enim pignus sit debitoris, æquum est vt domino fructificet. *ibid.num.1.* Nisi creditor ius habeat illos retinendi ratione lucri cessantis, aut damni emergentis. *ibid.*

24. Gener non tenetur ad restitutionem fructuum quos percepit ex fundo sibi tradito in pignus dotis: huiusmodi enim pignus non tam datur ad securitatem dotis, quàm ad

onera matrimonij ſuſtinenda: quare ſicut vſusfructus dotis licitè traditur marito ad onera matrimonij ſubeunda, ita eidem tradi poſſunt fructus pignoris quibus fruatur, donec dos ei tradita fuerit *tom.2.pag.526.n.1.*

25. Iuſtum eſt ſtatutum Mediolanenſe quo decernitur viduam poſſe dotem accipere, vel alimenta, itavt ipſi integrum ſit alterutrum accipere, abſque vlla vſuræ nota: in hoc enim caſu vidua non accipit alimenta ob conceſſam dilationem ſoluendæ dotis; ſed quia decet viduam ali ab hæredibus mariti, ſi dotem non acceperit, ſtatuto ita permittente. *ibid.num.5.*

26. Vſurarium eſt (ſecluſo lucro ceſſante, aut damno emergente,) anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda, id eſt, ius quod alter habet, vt ei aliquid in futurum ſoluatur: qui enim minoris emit creditum immaturum, accipit aliquid ſupra ſortem ex mutuo; quippe mutuat implicitè minorem pecuniæ ſummam pro maiore, vt ſi creditum exigendum, ſit mille, & quinquaginta, ipſe autem pro hoc credito poſt annum exigendo tradat tantùm mille, ſanè emens huiuſmodi creditum accipit 50. ſupra ſortem, ex mutuo; cùm implicitè mutuet mille, vt accipiat mille, & quinquaginta. Hinc patet regios miniſtros committere vſuram cùm aliquid accipiunt à creditoribus vt anticipatam faciant ſolutionem. *tom.2. pag. 527.num.2.*

27. Creditum litigioſum, & cum difficultate exigendum, poteſt abſque labe vſuræ, ab eo qui non eſt cauſa difficultatis, minoris emi quàm valeat, pro ratione incertitudinis, & difficultatis: nam propter periculum, minus valet. Hinc ſequitur, minoris emi poſſe ſtipendia, ſeu ſalaria debita militibus, aut famulis nobilium; cùm habeant adiuncta pericula, & incommoda in ipſis exigendis. Ille tamen qui eſt cauſa difficultatis, non poteſt debitum minoris emere, ſed peccat ſi minoris emat, tenetúrque ad reſtitutionem. Sic Principum quæſtores, chirographa creditorum minoris ementes, grauiter peccant, quando ipſi ſunt cauſa difficultatis, & malignæ ſolutionis. *ibidem, numero 4.& ſeq.*

28. In mutuo, per ſe loquendo, non licet quinque pro centum accipere, niſi, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: vel periculi cui exponitur capitale. In contractu autem trium, id eſt, in contractu complectente tres contractus

tractus, nempe societatis, assecurationis capitalis, & assecurationis lucri certi pro maiori incerto, licet absque vsuræ labe, accipere quinque pro centum: cùm enim isti tres contractus sint liciti, si seorsim sumantur, quidni erunt liciti si fiant simul cum eadem personâ? Neque opus est, vt isti tres contractus explicitè ineantur, sed sufficit si tacitè celebrentur, vt dùm quis tradit pecuniam mercatori, credens se posse quinque pro centum iustè exigere, intendénsque contrahere eo modo quo potest, vt si dicat, confero centum in societatem, vt soluas quinque, saluo capitali, eo modo quo tuta conscientia possum. Sic excusari possunt viduæ, & pupilli, qui suas pecunias tradunt mercatoribus, cum pacto accipiendi quinque pro centum, modò habeant intentionem, tres supra memoratos contractus, saltem implicitè celebrandi. At si tradant suas pecunias ei quem sciunt non esse negotiaturum, vsuram palliatam committunt; cùm non sit contractus Societatis, sed mutui. *tom* 2. *p.* 528. *n.* 1. *&* 2.

29. Potest quis certam pecuniæ summam testamento relinquere, cum onere vt tradatur mercatori ad societatem, cum pacto recipiendi quatuor vel quinque, quæ dentur sacerdoti in stipem, pro Missis celebrandis, modò habeat intentionem saltem implicitam celebrandi contractum trium. *ibid. num.* 7.

30. Non potest mutuatarius se obligare ad dandum aliquid supra sortem, titulo gratitudinis: quia in mutuo, gratuita remuneratio non potest deduci in pactum, alioquin mutuatario imponeretur obligatio ad quam non tenetur. *ibid. num.* 8.

Mons pietatis vsura vacat.

31. Mons pietatis est summa pecuniæ, aut frumenti, aut alterius rei, publica authoritate deputatæ ad pauperum inopiam subleuandam. Ex ea autem summa datur pauperibus mutuum, accepto ab ipsis pignore ad certum tempus, ea conditione vt pauperes qui mutuum accipiunt, aliquid soluant pro sustentatione ministrorum qui ad id muneris sunt deputati, necnon pro aliis laboribus, & expensis necessariis ad hoc munus obeundum. Si autem contingat mutuatarios non soluere termino præfixo, pignus venditur sub hasta; vt inde satisfiat Monti, eiusque ministris; quod verò superest, pignoris domino restituatur. *tom.* 2. *pag.* 529. *n.* 1.

32. In hoc Monte pietatis non est vsura, sed potius pietas, & iustitia, si ritè administretur: quod enim exigitur, non exigitur ob mutuum, vel ob dilatam solutionem, sed ob expensas necessarias ad montis administrationem. Nihil tamen accipi potest ad augendum montem, vel ad dominum montis locupletandum. *ibid.n.2.& seq.*

33. Licitus est mons quem Princeps, vel Respubl. pecuniis indigens, instituit, & cogit subditos ad dandas sibi pecunias hac lege, vt soluat quinque, vel sex pro centum, donec illas restituat, reseruata sibi facultate restituendi singulis creditoribus sortem principalem; & relicta ipsis creditoribus libertate vendendi ius quod habent id illam annuam pensionem à Principe, vel Republ. exigendam: nihil enim est aliud quàm census fundatus in bonis, vel reditibus annuis ipsius communitatis, vel Principis. *ibidem, num.* 10.

Vsurarius.

34. Non licet ab vsurario petere mutuum sub vsuris, etiamsi vsurarius paratus sit dare sub vsuris: quia illud est intrinsecè malum cùm petatur aliquid quod ab alio licitè fieri nequit. Excipe casum extremæ necessitatis. Petere tamen ab vsurario mutuum absolutè, ad subleuandam necessitatem propriam, vel alienam, seu ex iusta causa, non videtur illicitum, quia licet petere quod alter potest facere sine peccato; sed vsurarius potest licitè, si vult, dare mutuum; ergo, &c. Quanquam ad vana, & inutilia petere mutuum non licet ab vsurario, etiamsi alioquin esset paratus dare ad vsuram: hoc enim esset peccato illius saltem externo cooperari. *tom.2. pag.* 530.*num.*1. *&* 2 *& pag.*531.*n.*3.

35. Creditor vsurarij non potest solutionem recipere ab eo qui vsurario aliquid debet titulo vsuræ: quia sicut vsurarius non habet ius exigendi illud debitum, ita nec creditor vsurarij, cùm illius vices gerat. *tom.* 2. *pagina* 531. *num.* 4.

36. Vsurarius non acquirit earum rerum dominium quas supra sortem, ob mutuum, & vsurarium contractum accipit, si ea quæ accipit, à propriis rebus discerni possint; quia nuda rei traditio absque iusto titulo non sufficit ad dominium transferendum. Hinc fit, vt promittens vsuras, non teneatur eas soluere, cùm vsurarius per promissionem sibi

factam

factam non acquisierit ius ad id quod nullo titulo sibi debetur. *ibid.num.1.*

37. Vsurarius tenetur ad restitutionem fructuum quos percepit ex re aliena per vsuram accepta, nisi sint fructus meræ industriæ, quales sunt qui percipiuntur ex pecunia vsuraria, aut alia re vsu consumptibili quæ recipit functionem. Ex fundo autem, aut domo per vsuram acceptis, non potest fructus percipere, quia res domino fructificat; vsurarius autem non est dominus rerum quæ per vsuram obuenerunt. *ibid.num.2.*

38. Qui aliquid accepit mala fide, seu mente vsuraria, credens illud sibi dari tanquam pretium mutui, tenetur ad restitutionem donec cognoscat rem sibi gratis, & liberaliter datam fuisse: conscientia enim erronea ligat quamdiu durat. Qui autem aliquid bona fide accepit, credens illud sibi liberaliter donari, si comperiat sibi datum fuisse tanquam pretium mutui, tenetur ad restitutionem: nullo enim titulo potest illud retinere. *tom.2.pag.532.n.3.& 4.*

39. Non est vsurarius qui vendit alteri merces pretio rigoroso, & illas postea redimit pretio infimo, vel medio: sunt enim duo contractus distincti, & iusti, neque is qui vendidit, est deterioris conditionis quàm alius qui illas ipsas merces eodem pretio emere potuisset. Cauendum est tamen ne interueniat pactum retrouendendi minori pretio: tunc enim contractus esset vsurarius, & censeretur celebratus ad vsuram palliandam. *ibid.num.6.*

40. Qui bona fide celebrauit contractum vsurarium, quem si cognouisset esse vsurarium, alium celebrasset iustum, v.g. contractum societatis quo iustè potuisset tãtumdem lucrari; nihilominus non potest retinere lucrum, quod contractu illo vsurario acquisiuit, nisi contrahentes expresserint velle se contrahere omni meliori modo quo possunt. Quanquam verba illa solemnia, *voluntariè, & omni meliori modo*, in omni instrumento à notariis adhiberi solita, non sufficiunt ad validandum contractum aliàs inualidum, & vsurarium: hæc enim verba videntur apponi potiùs ex consuetudine, & proprio marte notarij, quàm ex mente, & intentione contrahentium. *tom.2.pag.533.n.9.& 10.*

41. Qui ad contractum vsurarium, vel ad exactionem vsurarum effectiuè concurrunt, tenentur in solidum ad restitutionem: quia ad damnum alterius efficaciter cooperantur. Qui verò concurrunt ad vsuram, agúntque partes mutuatarij, non

non obligantur ad restitutionem: quia nihil agunt nisi volente,& consentiente mutuatario. *ibid.n.*11 *&* 12.

42. Famuli vsurariorum qui ipsis inseruiunt in celebrando contractu quem sciunt esse vsurarium; item notarius conficiens instrumentum vsurarium.& pallians vsuram contractu mutui,aut venditionis,tenentur ad restitutionem; quia efficaciter cooperantur ad damnum quod mutuatarius patitur ex vsurario contractu. *tom.*2. *pag.*534. *num.*12. Item proxenetæ quærentes mutuatarios qui pecuniis indigeant, eósque adducentes ad vsurarios,tenentur ad restitutionem,non minùs quam consulentes. *ibid.*

43. Hæredes vsurarij tenentur ad restitutionem in defectum illius: est enim obligatio realis quæ transmittitur ad hæredes. In facienda autem restitutione, præferendus est mutuatarius; cuius res apud vsurarium, vel eius hæredes extat. Porrò hæredibus restituere nolentibus, legatarij, aut donatarij non tenentur ad restitutionem; quia ipsi non succedunt in onera testatoris; sed hæredes,modò illis relicta sint bona sufficientia ad satisfaciendum. *ibid.n.*13.*&* *seq.*

Vsurariorum pœnæ.

44. Vsurarius notorius multis est obnoxius pœnis. 1. est vt non admittatur ad Eucharistiam, donec publicè satisfecerit. 2. vt priuetur Ecclesiastica sepultura, immò contra præsumentes sepelire Ecclesiasticos manifestos lata est excommunicatio, à qua absolui non possunt, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfecerint. 3. vt testamento vsurarij manifesti nullus intersit,nisi priùs præstita ab ipso satisfactione. His adde testamentum, vel codicillum,seu aliam vltimam illius voluntatem irritam esse,nisi ante mortem restituerit,vel debitam dederit cautionem. 4. vt non admittatur ad confessionem sacramentalem, quin priùs satisfecerit, vel cautionem dederit idoneam creditoribus,vel Ordinario loci, vel eius vicario,vel parocho, vel confessario coram testibus, vel publico notario. At si vsurarius instante morte id non possit, absoluendus est postquam promiserit se satisfacturum si conualescat. 5. vt sit infamis, quæ tamen infamia tollitur peracta pœnitentia,& facta restitutione. 6. vt non admittatur ad oblationes; possunt tamen eleemosynæ accipi ab vsurario,modò inde non fiat impotens ad restituendum. *ibid.n.*1.

45.Offi

45. Officiales locorum, seu communitatum, statutis compellentes ad solutionem vsurarum, ligantur excommunicatione, *Clement. vnica, de vsur.* vbi excommunicantur 1. facientes, dictantes, vel scribentes statuta de vsuris soluendis, vel non restituendis cùm repetuntur. 2. iudicantes, seu sententiam ferentes, vt soluantur vsuræ, vel vt non restituantur. 3. iudices, seu officiales præsumentes seruare huiusmodi statuta, vel consuetudines, quæ statuti vim obtinent. *tom. 2. pag. 533. numero 12.*

FINIS.







